Alte Bibl.
7989



Alte Bibl.
7989



LOCI THEOLOGICI VIRI CLARISS. D. VICT. STRIGELII.

Quibus Loci communes reuerendi viri, D. PHILIPPI MELANTHONIS illuſtrantur, & velut corpus doctrinæ Chriſtianæ integrum proponitur.

In vſum docentium ac diſcentium doctrinam, quæ eſt Eccleſiæ Chriſti propria.

CONTEXTI, ET NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITI.

Labore & ſtudio CHRISTOPHORI PEZELII, *Sacræ Theologiæ Doctoris.*



NEAPOLI NEMETVM
excudebat Matthæus Harniſch.

CIↃ. Ⅰ- LXXXII.

GENEROSISSIMAE INDOLIS

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MAVRITIO LANDGRAVIO HASSIAE, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, D. VVILHELMI LANDGRAVII HASSIAE, Comitis in Cattenelnbogen, Ditz, Zigenhain & Nidda &c. Filio, Domino suo clementissimo S. D.

VTILISSIMVM *est in omni genere studiorum, assuefieri discentes ad certam aliquam & explicatam doctrinae formam, quae initia, progressiones ac metas, & quasi integrum Corpus cuiusq; doctrinae complectatur. Hanc enim qui mente circumferũt, & ceu Ideam integri aedificij sape intuentur, hi non solùm ordinem ac cõnexionem membrorum, sed membra etiam ac partes singulas facilius agnoscere, ac rectius dijudicare possunt.*

Sed omnium maximè in Ecclesia necesse est extare talem aliquam simplicem methodum, ἀνάλογον fidei, & Canoni doctrinae Propheticae & Apostolicae conformem, quae non mutilam doctrinam, sed quasi corpus integrae doctrinae comprehendat, & huius quoque ortum, progressiones & metas monstret. Nam haec, vt historicorum vocabulo vtar, σωματοποιΐα, si congruat vndiquaque cum norma fidei, & fundamentis monstratis voce diuina, instar Lydij lapidis est, ad quam sententiae & opiniones omnes in dogmatum controuersiis dirigi & examinari possunt.

Cùm autem loquendi formae ambiguae, tum in omni genere disputationum, tum in primis in Ecclesia, aut errores pariant, aut dissidia: valde prodest in illis methodis doctrinae caelestis, certos loquendi modos retinere, qui consentanei sint Scripturae, &

veterum ac probatorum scriptorum sententiam fideliter exprimant. Nam perplexi, ambigui, noui, & à Canone Scripturæ, & testimonis orthodoxis (quæ graui authoritate recepta & comprobata sunt) discrepantes modi loquendi, ipsa etiam dogmata obscurant & inuoluunt, & consensum inter docentes dirimunt atque diuellunt.

Quare & Scriptura de vtraq; re præcipit, nimirum, de corpore doctrinæ in præcipuis articulis religionis Christianæ integrè cognoscendo, & de proprietate in genere sermonis retinenda.

Cùm Apostolus iubet, vt verbum Dei abundè inter nos habitet in omni sapientia: vult singulis familiarissimè notam esse doctrinam, sicut hi noti sunt, qui nobiscum habitant, & vult adhibere diligentiam in conferendis partibus doctrinæ, sine sophistica: Quod fieri non potest, nisi methodus certa, ac velut tituli vniuersæ doctrinæ Christianæ mentibus infixi sint, qui de præcipuis materijs nos moneant, quas continent libri Prophetici & Apostolici.

Alibi idem Apostolus inquit, Oportere Episcopum verbum Dei ὀρθοτομεῖν, id est, rectè secare atque diuidere. Postulat igitur ac præcipit, vt Corpus doctrinæ integrum intelligat, ac comprehensum animo circumferat is, qui docere alios debet. Id enim nisi fiat, nunquam rectè distribuere partes, aut singulas aptè proponere, aut dextrè ad eas res accommodare poterit, de quibus vox diuina loquitur.

Ac ne quis putet hanc curam ad docentes solùm pertinere, notum sit omnibus Diui Petri dictum, qui omnes Christianos iubet paratos esse ad reddendam rationem eius, quæ in nobis est, spei, omni poscenti nos. Quas verò fidei suæ rationes reddet, aut quomodo doctrinæ veræ confessione contra Diabolos & Sophistas lacerantes doctrinam Ecclesiæ, velut catuli panniculos discerpunt, feliciter pugnabit is, qui doctrinam, certo velut ambitu inclusam, & suis membris ac partibus distinctam ignorat?

De

De modis verò loquendi propryis ac minimè ambiguis, in explicãda ſumma doctrinæ Eccleſiæ vſurpandis, expreſſum ac manifeſtum eſt Pauli præceptum: ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας. *Iubet formam certam retinere non modò ſententiarum, ſed etiam verborum ſanorum, & exemplum ſuum allegat, vt licentiam atq; audaciam quiduis fingendi, & præſtigijs ſophiſmatum atq; ambiguitatum ludendi in Eccleſia ſeueriſſimè prohiberi ſentiamus. Nam ſana & probata ſermonis forma amiſſa, paulatim amittitur lux doctrinæ, & feneſtra patefit erroribus ac diſſidijs, qualibus nunc etiam videmus turbari atque concuti Eccleſias, poſtquam licentiam ſibi quiſq; ſumſit de ſummis fidei Chriſtianæ articulis inuehendi atque obtrudendi alijs nouas, & Scripturæ atq; Eccleſiæ puriori incognitas verborum ac phraſium formas.*

Singulari autem Dei beneficio, mox inter initia repurgatæ à tenebris Pontificijs doctrinæ Euangelij, excitatus eſt vir de Eccleſia Chriſti & ſcholis Germaniæ optimè meritus D. PHILIPPVS MELANTHON, *cuius memoria apud omnes pios ac bonos eſt in benedictione.*

Qui vt euolueret diſputationes quaſdam ex magna caligine & confuſione, & de ſingulis articulis doctrinæ, in quibus facta erat diuinitus emendatio, firma ac perſpicua teſtimonia ordine diſtributa, velut in tabella, ſibi ipſi & alijs ante oculos proponeret: Hypotypoſes primùm, mox epiſtolæ ad Romanos, quæ & ipſa methodus eſt doctrinæ Euangelij, & verè clauis Scripturæ ſacræ nominari poteſt, Enarrationem ſcripſit.

Hi libri cùm velut methodus quædam Theologica eſſent, magno cum applauſu auidiſſimè initiò excepti fuerunt, ab his qui doctrinæ Euangelij ſtudioſi erant. Ac hypotypoſes illas Locorum communium etiam doctor LVTHERVS *ſcribens ad Eraſmum, inuictum libellum nominauit, ſuo iudicio non ſolùm immortalitate, ſed Canone quoque Eccleſiaſtico dignum.*

Postea cùm in Comitijs Augustanis anno Christi 1530. iubente Carolo Imperatore, Confessio publica doctrinæ sonantis in Ecclesijs repurgatis, exhibenda esset nomine Principum Euangelicorum, nec facilè reperiretur ad eam scribendam idoneus, nec nihil periculi tunc esset, aut eligere materias, aut electas explicare: consentientibus omnium suffragijs D. PHILIPPO *hoc muneris iniunctum fuit, vt grauissimo huic labori manũ ipse admoueret.*

Congessit igitur tum capita Cõfessionis AVGVSTANAE, *quæ extat, complexus ordine ac perspicuè summam ferè doctrinæ Ecclesiarum nostrarum, præsertim vbi à genere doctrinæ Põtificio discesserant, & vt Imperatori responderetur, exigenti rationem mutationis doctrinæ & ceremoniarum, & vt falsa crimina depellerentur, quæ ad animum Imperatoris exasperandũ nostris obijciebantur. Missa est autem &* D. LVTHERO *tota forma Confessionis, qui Principibus scripsit, se legisse hanc Cõfessionem, eamq; eximiè probare.*

Cùm autem Pontificij, Confessioni huic publicè prælectæ coram Imperatore & Principibus Imperij, suam quandam confutationem opposuissent, quam & ipsam in consessu Principum prælegi curârunt: iussus est D. PHILIPPVS *Apologiam Confessionis parare, in qua causæ exponerentur, quare non reciperẽt nostri confutationem, & ea quæ obiecerant aduersarij, dilucrentur. Id cùm diligenter & fideliter præstitisset D. Philippus, non destitit ab eo tempore, vir ad Ecclesiam & scholas erudiendas natus, in schola VVitembergensi eosdem articulos doctrinæ Euãgelicæ assiduè inculcare inuentuti, ac methodo Dialectica magis magisq; euoluere.*

Itaq; anno 36. LOCOS *Communes edidit, dedicatos regi Angliæ: quos ex Comitijs Ratisponensibus domũ reuersus, anno 42. denuò retexere cœpit & illustrare copiosiùs, cùm non desinerent aduersarij nouis fucis sophismatum pingere errores suos, & Philippus longo rerum vsu edoctus magis perspiceret, vbi & declaratione*

ratione doctrinæ vberiori, & refutatione aduersariorum euidentiori opus esset nostris Ecclesiis.

Quam quidem ob causam, & Doctore Luthero superstite, eoq; & sciente & approbante, idq; ante annum Christi 1540. (nã postea nihil quidquam mutatum esse constat) quædam tam in Confessione, quàm Apologia, non priuato, sed publico nomine mutauit ac declarauit luculentiùs. Fuit q; posterior illa recognita editio Confessionis, in VVormaciensi & Ratisponensibus colloquijs exhibita: ac respondit Philippus ipse, in colloquio VVormaciensi, Eccio obijcienti nostris dissimilitudinem exemplarium Confessionis Augustanæ, Rerum eandem esse sententiam, etsi quædam alicubi in posteriore editione scripta anno triceſimo octauo explicatiùs sint posita. Quibus non modò Eccius tum acquieuit, sed apud nostros etiam, ante dissidia à Flacio mota, nemo quisquã contradixit, vel Theologorum, vel Principum, adeo vt cùm prioris editionis exemplaria deessent, posterior illa atque recognita Confessio in omnium manibus versaretur.

Edidit autem Philippus ante D. Lutheri mortem annis ferè tribus, postremam Locorum Theologicorum recognitionem, in quibus post illius obitum nihil prorsus mutauit, nisi quòd in Loco De libero arbitrio vnam saltem pagellam inseruit, vt Manichæas & Enthusiasticas quorundam imaginationes refutaret, qui hominem vel nescientem, vel inuitum rapi fingunt in conuersione, neglecto ordine, quem Deus instituit.

De hoc libro Locorum Theologicorum D. Philippi notum est Doctoris Lutheri præconium, quo posteritati vniuersæ, præclarum illud depositum, & magni pretij thesaurum commendauit, paulò ante mortem, in præfatione primi Tomi suorum operum. Nunc, *inquit*, Dei gratia extant methodici libri quamplurimi: Inter quos LOCI COMMVNES PHILIPPI excellunt, ex quibus Theologus & Episcopus pulchrè & abũdè formari potest, vt sit potẽs in sermone doctrinę pietatis.

In eadem quoque præfatione, hoc honorifico elogio iudicium ſuum de D. Philippi laboribus ac ſcriptis expoſuit, quaſi præuidens animo molitiones & conatus iniuſtiſſimos illorum, qui poſtea omnibus probris Philippum inſectari auſi ſunt, quorum aliqui, ne nunc quidem in Chriſti ſinu quieſcenti parcunt. Nam diuinitus ait factum eſſe, vt Philippus ipſi adiungeretur, vt ſocium laboris haberet in Theologia. Quid enim per hoc organum Dominus operatus ſit, non in literis tantùm, ſed in Theologia, ſatis, *inquit*, teſtantur eius opera, etiamſi irascatur Satan, & omnes ſquamæ eius.

Omitto illa quæ ex colloquijs familiaribus D. Lutheri referuntur à fide dignis, quibus præſtantiam donorum Dei in Philippo, & hunc in primis librum Locorum Theologicorum honorificè commendauit, de quo ſæpe dicere ſolitus eſt, Non eſſe meliorẽ librum poſt Scripturam ſanctã, quàm Locos communes Philippi, & hunc librũ retinẽdum eſſe in Eccleſia, in hoc libro Philippũ & docere, & pugnare, & triũphare.

Nec verò obſcurum eſt, omnium bonorum ac ſapientum doctorum in Eccleſijs Germanicis ſimilia iudicia fuiſſe de libro Locorum Theologicorum Philippi ante hæc infelicia tempora. Si quis enim ſummam doctrinæ noſtrarum Eccleſiarum, & veram Auguſtanæ Confeſſionis ſententiam cognoſcere vellet, is iubebatur Locos Philippi legere: in quibus omnium articulorum fidei ac Confeſſionis noſtræ doctrina, tanta fidelitate, tam concinno ordine, & orationis genere adeo proprio atque perſpicuo expoſita eſſe iudicabatur, vt in omnium ore hæc vox eſſet: Vix aliud ſcriptum humanum, quod tum quidem in Germania eruditis notũ erat, hoc in genere conferri Locis Theologicis Philippi, aut cum fructu maiore diſcentibus proponi poſſe.

Quin & Flacium Illyricum, qui primus in harum Eccleſiarũ ſinu, quæ ſunt addictæ Confeſſioni Auguſtanæ, arrodere doctri-
nam Locorum Philippi poſtea auſus eſt, antequam factionibus
ſeſe

seſe munÿſſet, & cùm aliquid adhuc ſanæ mẽtis haberet, præclarè admodum de hoc libro ad Philippum ſcripſiſſe conſtat, cùm his ipſis verbis ad eum vteretur: Minimè ego odi, quæ tu eruditè, piè & vtiliter ſcripſiſti. Locos tuos communes tam nollem perire, quàm me ipſum miſerè perire nollem. *Extat epiſtola typis impreſſa, & anno quarto poſt Lutheri mortem ſcripta, quo tempore etiam hoc ſcripſit Flacius in libro de notis Antichriſti:* Sciunt ipſi quoque Papiſtæ, in omnibus noſtris Eccleſijs ita doctrinam Chriſti tradi, ſicut ea in D. Philippi Locis communibus comprehenſa eſt.

Notum eſt etiam, illos, qui nunc paſſim, non vno, ſed multis in locis memoriam nominis & meritorum Philippi abolere vnà cum ſcriptis ipſius (ſi poſſent) vellent: paulò ſuperioribus annis in immenſum laudibus extuliſſe D. Philippi Locos Theologicos, quos prælegere alÿs, & mirum in modum commendare ſolebãt. Quorum teſtimonia ex ſcriptis ipſorum publicis ab alÿs collecta, cùm in plurimorum manibus verſentur, nihil attinet prolixiùs nunc à me illa repeti, ne aut dolori meo iuſtiſſimo, quem non dubito me habere communem cum multis pÿs paſſim in tota Germania gementibus, indulgere, aut nominatim quenquam perſtringere voluiſſe videar.

Illud verò quod ſæpe mecum cogitare ſoleo, & quod omnes intelligentes eodem modo iudicare mecum exiſtimo, quia in hanc de Locis Theologicis Philippi commemorationem ingreſſus ſum, non poſſum non breuiter hoc loco attingere. Si ſerìò iſti, qui nunc in plurimis Germaniæ locis doctrinam eius libri inſectantur, ſic ſenſerunt antea, vt doctrinam noſtrarum Eccleſiarum ſincerè, dextrè, fideliter, in Locis Theologicis Philippi recitari atque explicari iudicarent, cur tot anathematis eam nunc ad vulgus perſequuntur? Sin verò, quod probarunt antea, nunc improbãdum putant, ipsóſne fatendum eſt, an Philippi ſcripta ſententiam in articulis quibuſdam controuerſis mutaſſe, & inuexiſſe

genus doctrinæ nouum, alienũ à natiua Augustanæ Confessionis sententia, quam consentaneum scilicet est authori illius non satis notam fuisse, aut si quid ineſſet obscuri, falsò scilicet iudicarit ille, non contra, sed secundum Scripturæ sacræ normam intelligendum atq; interpretandum esse.

Semper scripsit D. Philippus, se hoc sentire de omnibus articulis doctrinæ Christianæ, quod in libro Locorum suorum communium contineretur, nec gignere se nouas opiniones, neque sequi aliena à vera sententia Confessionis Augustanæ, quam dextrè intellectam statuebat consensum esse Ecclesiæ Catholicæ, id est, omnium eruditorum in Ecclesia Christi, quæ normam retineret traditam in scriptis Prophetitis & Apostolicis, & Symbolis, & huic vni atque indubitatæ & minimè fallenti normæ Scripturæ sacræ & symbolorum, omnia scripta humana subijci oportere, affirmabat.

Tunc etiam, cùm Flacij συναγωγὴ, & cohors Galli, aliquot annis post accusationes de Adiaphoris, quæ non ad Philippũ solùm, sed ad totas Ecclesias multarum regionum pertinebant, arrodere primùm doctrinam in Locis Theologicis comprehensam, & eleuare atque abijcere eius authoritatem, & Augustanæ Confessionis, præsertim quæ recognita superstite D. Luthero prodierat, sententiam variè interpretari, & litem ex lite quærere cœpissent, & quidquid carpere possent ex Philippi scriptis, id exagitarent peruertentes aut calumniantes: Tum igitur, vt de genuina sententia Confessionis Augustanæ à se scriptæ constaret omnibus: Repetitionem eiusdem Confessionis scripsit Philippus, tempore Tridentinæ Synodi, ad quam iudicandam adhibiti sunt multi alij, qui publico nomine illam approbarunt & commendarunt.

Postea & librum Examinis Theologici edidit, in quo eadem de ijsdem dicendo, eruditissima methodo, & summa orationis perspicuitate, magnam lucem attulit præcipuis materijs, quarũ cogni-

cognitionem manifestum est omnibus in Ecclesiis nostris necessariam esse. De controuersiis verò, quæ magis magisq; à Flacianis accensæ & agitatæ sunt, atque adeo de ipsa etiam controuersia Cœnæ Dominicæ, de qua inter D. Lutherum & Bucerum Concordia constituta anno 36. fuerat: euidenter ac perspicuè sententiam suam ostendit D. Philippus anno 57. id est, triennio ante obitum, in Formula Cõcordiæ scripta in Colloquio VVormatiẽsi, cui multi alij doctores nostrarum Ecclesiarum, atq; inter hos etiam IOHANNES BRENTIVS, tum subscripserunt. Nec multò pòst editum est scriptum Philippi contra articulos Bauaricæ inquisitionis, quod ipse in testamento adiungi voluit prioribus suis scriptis.

In his ergo vniuersis ac singulis, cùm eadem doctrinæ forma extet, quam ante & post D. Lutheri obitum beata illa anima Philippi sonuit: quid est, quòd Philippi scripta (quatenus sacrarum literarum Canoni, & veteri atq; orthodoxæ Ecclesiæ Confessioni consentanea sunt) calumnijs multorum suspecta atq; inuisa iuuentuti atq; etiam vulgo redduntur, & legitima controuersiarum dijudicatione nunquam facta, erroris damnantur, quæ ex Scripturis sacris erroris nondum conuicta sunt? sed vlterius prouehor, quàm institueram.

Viuet enim ac vincet tandem veritas etiamsi calumniarum procellis diu ac duriter concutiatur. Nec deerunt ad piam posteritatem γνήσιοι D. Philippi discipuli, qui doctrinam voce diuina traditam, & per hoc salutare organum monstratam atq; explicatam in Ecclesiis nostris, & memoriam nominis ac meritorum tanti viri, firmiter ac constanter retinebunt.

Fuit autem, cùm superstes adhuc esset γνήσιος Philippi discipulus, vir clarissimus VICTORINVS STRIGELIVS, quem multi meminerunt excellentibus donis ingenij, doctrina & eloquentia diuinitus ornatum fuisse, & vltra annos viginti quatuor pluribus in locis magna cum laude sua & fructu discentium erudisse iuuentutem scholasticam.

Audiuerat is multis annis ambos heroas, quos Deus per Germaniam Ecclesiæ senescenti dedit, D. Lutherum & D. Philippũ, viua voce docẽtes in Academia Vvitebergensi: ac scripta vtriusq; per omnem vitam attẽtè & accuratè legere solebat. Sæpe autem hoc ingens Dei beneficium prædicabat: quòd quæ D. Lutherus in diuersis tum interpretationum, tum concionum voluminibus tradiderat, ea tanquam in vnum corpus redacta, aptissima methodo, & sermone proprio D. Philippus complexus esset: & hanc doctrinam consentientem Scripturæ sacræ testimonijs, & orthodoxæ Confessioni veteris ac purioris Ecclesiæ, non ipse solùm firmiter amplectebatur, & in hac fide rectè Deum inuocabat: sed etiam ad posteros propter gloriam Dei & multorum hominum salutem, fideliter propagandam esse iudicabat.

Cumq; in scholastico vitæ genere Deo & Ecclesiæ seruire decreuisset, seq; ad D. Philippi imitationem totum composuisset: non tantùm res & verba à D. Philippo mutuabatur, sed felicissimè etiam sequebatur modum docendi, quo D. Philippus vsus fuerat.

Neq; verò opus ei erat ex libris semper conquirere, aut transscribere, quæ à Philippo mutuabatur, sed cùm diligentissimè in eius scriptis legendis versatus, & his quasi innutritus esset, & ingenij ac memoriæ bonitate excelleret, & longo vsu ceu habitũ quendam dicendi ac scribendi sibi comparasset: sponte, non modò verba & phrases Philippicæ, sed integræ periodi se ipsi offerebãt, quibus inter docendum ac scribendum, atque etiam in omni sermone & colloquio, magna cum dexteritate ac suauitate vti sciebat & poterat.

In primis autem amabat & magnifaciebat librum Locorum Theologicorum D. Philippi, quem in plerisque Academijs, in quibus docuit, Vvitebergensi, Erphurdensi, Ihenensi, Lipsensi, cum magna eruditorum approbatione publicè prælegit & illustrauit. De hoc libro sæpe illud Statij poëtæ vsurpabat,

--Tũne diuinam Aeneida tenta,

Sed

Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

Atq; vt studijs discentium seruiret, ante cuiusq; loci prælectionem, tum capita distinguere, tum summam singulorum explicare, tum etiam ex alijs D. Philippi scriptis, aut ex veterum scriptorum testimonijs addere nonnulla solebat, quæ vel ad lectionem sacrarum literarum discentes inuitare, vel de ijs materijs, quæ in Locis proponebantur, erudire plenius, vel de dogmatum controuersiis iudicium adolescentum rectius informare poterant.

Vt autem meis & aliorum studijs, in adolescentia præsertim, magnæ vtilitatis fructum præbuerunt, tum ipsi D. Philippi Melanthonis Loci Theologici: tum illa siue ὑπομνήματα, siue Cõmentarioli Victorini Strigelij: quos partim in Ihenensi Academia ex ore ipsius excepi, partim amici ex eius in schola Lipsensi prælectionibus mecum communicârunt: Sic in tanta opinionum & certaminum varietate, quæ, proh dolor, in Ecclesiam inundarunt, haud alia ratione iuuentutis studia magis iuuari, non ego solùm, sed multi alij præstantes viri iudicârunt, quàm si ex postremis scholis D. VICTORINI, *quoad vsque progredi in illis Lipsiæ ei licuit, Loci ipsius Theologici, qui sunt ἐφόδιον vtilissimum ad librum Locorum Philippicorum, mediocri labore & diligentia ante annos complures à me contexti ederentur: cetera verò ex Ihenensibus illius scholis assumta suo etiam tempore cum studiosis pietatis communicarentur.*

Quod igitur felix ac faustum sit Ecclesiæ Christi, & studijs discẽtium salutare, tanquam gustum integri operis primam Locorum D. Victorini Theologicorum partem edendam nunc putaui: quæ quanto cum commodo legi possit, malo vnumquemque ex ipsa lectione, quàm ex mea commendatione cognoscere, præsertim cùm vera & non fucata artificum laudatio in ipsis operibus extet atque emineat.

Sanè qui aut docentem audiuerunt D. Victorinum superſti-

tem, aut doctrinæ Philippicæ ſtudioſi ſunt, eis gratas ac dulces fore has pagellas, omni aſſeuerati one confirmare auſim. Ceteris etiam, qui non inani & falſo doctrinæ ſupercilio ac faſtu, non calumniarum malenolentia, nec anteceptarum opinionum faſcino dementati, ſed ſeria diſcendi cupiditate incitati, expetunt & amant ſimplicem veritatem, & hanc cum fructu aliquo in Eccleſiis & ſcholis propugnare docendo ſtudent, plurimum vtilitatis allaturas has pagellas eſſe confido, nō modò vt ad Corpus doctrinæ integrum cognoſcendum inuitētur, ſed etiam vt ad eam doctrinæ formam aſſuefiant, quæ reuera eſt ὑγιαινόντων λόγων ὑποτύπωσις, quæq; in Eccleſiis Auguſtana Confeßioni addictis, tot iam annos ante infauſta certamina à Flacianis mota, magno cum emolumēto piorum ſonuit, ac ſine dubitatione conſenſus eſt dulciſſimus cum Catholica Eccleſiæ doctrina, expreſſa in ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis, & Symbolis.

TIBI *verò, inclyte ac generoſiſſime Princeps* MAVRICI, *dedicare, & quaſi conſecrare hanc primam Locorum Philippo-Victorinianorum partem volui: non modò vt oſtenderem, me generoſiſſima indole tua, ad omnia ſumma nata, magnopere delectari, tibiq; à Deo Opt. Max. fauſta ac felicia toto pectore precari, ſed vt hac etiam occaſione Liber iſte in manus Illuſtriſſimi parentis tui (cui boni omnes plurimum tribuunt, propter heroicam pietatem, ſapientiam, & de Eccleſia iuuanda ſolicitudinem) peruenirem, atq; Celſitudinis ipſius grauiſſimo iudicio ſubijceretur. Decet enim in præſentibus dogmatū cōfuſionibus viros Principes (præſertim qui & ipſi eruditione excellūt, & in ditionibus ſuis Academias, & in his viros doctos alunt ac fouent) iudicare, quæ monumenta proſint propagari ad poſteritatem.*

Ideo etiam libentiùs hæc Philippo Victoriniana ad T. C. miſi, quia Illuſtriſſ. familiam LANDGRAVIORVM HASSIAE *conſtat ſemper magnifeciſſe labores & ſcripta Domini Philippi Melan-*

Melanthonis: quem & piæ memoriæ Illust. Princeps, PHILIP. *Landgrauius, auus tuus, singulari quadam animi affectione veneratus est ac dilexit viuentem, & mortui memoriam pater tuus, Princeps laudatissimus Landgrauius* VVILHELMVS *à calumnijs maleuolorum constanter hactenus tutatus est. Accedit huc, quòd non modò in Ecclesijs Hassiæ, sed etiam in ipsa Academia Marpurgensi plerique viri docti gratam memoriam retinent meritorum D. Philippi, & doctrinæ ipsius fideles sunt custodes ac propagatores: quorum iudicio ac calculis, hæc etiam Victoriana, quibus communis præceptoris D. Philippi scripta illustrãtur, probatum iri confido.*

Quemadmodũ verò honorificũ tibi ad omnem posteritatem futurũ esse non dubito, quòd hic piæ doctrinæ thesaurus eximius sub auspicio tuo vniuersæ Ecclesiæ communicatur: sic laudabiliter faciet C. T. Princeps generosissime, si exemplo laudatissimi parentis tui, primis ab annis assuescas monumenta doctorum hominum admirari, & pios bonorum conatus in propaganda & illustranda doctrina Ecclesiæ, benignè complecti, fouere ac iuuare. Quod si facis, non modò Ecclesia ipsa gratiam tibi perpetuam debere se fatebitur, sed etiam Musa piorum ac doctorum hominum te vicissim celebrabunt, & pro incolumitate tua, & felici gubernatione vota ac preces fideliter ad Deum fundent.

Filius Dei Dominus noster Iesus Christus C. T. & Illust. Principem VVILHELMVM *parentem tuum, & Ecclesias ac scholas Hassiacas clementissimè protegat & gubernet. Scriptum Fabianæ Saxonum, mense Augusto. Anno* M. D. LXXXI.

Celsitudinem tuam
reuerenter colens
Christophorus Pezelius D.

STVDIOSIS DOCTRINAE CHRISTIANAE IN ACADEMIA LIPSICA S. D.

QVemadmodum hi, qui medendi arte & naturæ cognitione excellunt, non solùm genera morborum & horum causas atque remedia explicant, sed etiam prudenter monent, quid naturam iuuet aut destruat: Ita medicus Samaritanus, quem in campo Samariæ vidit Iacob innixum scalæ, prædicit ante resurrectionem futuras ingentes ærumnas Ecclesiæ, & harum causis monstratis proponit salutares consolationes coniunctas cum necessariis admonitionibus, quas nemo sanus aspernari aut potest, aut debet. Affirmat enim in concione apud Matthæum cap. 24. maiores imperiorum & Ecclesiæ dilacerationes ante resurrectionem futuras esse, quàm fuerunt patrum & Prophetarum temporibus. Huius prædictionis exempla funestissima luctuosissimaque in vicinis regnis ante oculos versantur, in quæ intuentes expaueſcamus, & à Deo petamus, ne similes vastationes & dissipationes in his regionibus fieri sinat, quæ nunc Dei beneficio sunt hospitia tranquilla literarum & Ecclesiæ. Si quis autem requirit, propter quas causas tanta mala in hac mundi senecta grassentur, huic respondet Filius Dei, quia crescet ἀνομία, quę est contemtus ministerij Euangelici, quod Deus immensa bonitate instituit & conseruat, & contumacia in atrocibus delictis, & quia extincta fide frigebit charitas in maxima parte generis humani. Ne autem pij mole periculorum oppressi à Deo deficiant, temperat hic Medicus acerbitatem prædictionum suauitate consolationum, quarum prima est, quòd Ecclesia non sit penitus interitura, sed tunc quoque in illis periculis duratura, & quòd ibi sint futura Ecclesiæ membra, vbicunque erunt amplectentes puram Euangelij doctrinam, Vbi, inquit, cadauer erit, ibi congregabuntur aquilæ. Altera consolatio est, quòd in his tantis periculis habitura sit Ecclesia defensorem Filium Dei, iuxta dictum: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem

mationem ſeculi. Tertia eſt dulciſsima promiſsio mitigationis calamitatum. Nam propter electos hi dies abbreuiabuntur. Poſtrema cõſolatio, quam Filius Dei Eccleſiæ proponit, ſumitur à fine calamitatum. Cùm ærumnæ non ſint futuræ perpetuæ, hac ſpe faciliùs eas feramus, quòd pijs promittitur glorioſa liberatio & æterna lætitia, impijs verò denuntiantur æterni cruciatus. Has conſolationes in præſentibus periculis & confuſionibus generis humani nobis proponamus, earumque conſideratione nos ſuſtentemus, nec deficiamus à Deo, fracti mole periculorum, ſed expectemus aliam vitam, & ſciamus, illud tempus melioris vitæ non procul abeſſe. Cùm autem pia mens his veris conſolationibus cõtra dubitationes de ſtabilitate Eccleſiæ, & contra metum in periculis præclarè munita eſt, conſideret etiam admonitiones à Chriſto traditas de cura cuſtodiẽdæ doctrinæ de pœnitentia & inuocatione, & de diligentia vitandi impedimenta. Prima & ſumma admonitio eſt de amore & ſtudio lectionis librorum diuinorum, & de cogitatione verbi ſcripti. Hæc admonitio ſæpiſsimè à Chriſto ante poſtremũ agonẽ repetitur & inculcatur, vt Iohan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Et Ioh. 15. Si manſeritis in me, & verba mea mãſerint in vobis, quidquid volueritis, petetis, & fiet vobis. Et quoniã nõ tantùm humanæ diligentiæ eſt, vitare hallucinationes & errores doctrinæ, ſed ardentibus votis aſsiduè petendum eſt à Deo, vt luce Spiritus ſancti regat mentes noſtras, ne implicẽtur erroribus, has preces filius Dei pro Eccleſia concipit, Iohan. 17. Pater, ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas. Altera admonitio de pœnitentia & oratione, plena eſt conſolationis. Cùm enim præcipiatur precatio, manifeſtum eſt, hunc cultum non eſſe inanem, vt omnes Epicurei cogitant. Non enim fruſtrà præcipitur, Orate, vt poſsitis effugere ventura mala, & ſtare coram Filio hominis. Hac conſolatione confirmati, ſimus ardentiores in precando, & petamus regi à Deo conſilia & euentus. Tertia admonitio de cura vitandi impedimenta fidei & inuocationis, ſemper in noſtris auribus ſonet, Cauete ne corda veſtra onerentur crapula & ebrietate, & cura victus. Nam precationem neceſſe eſt eſſe ſobriam, & procul ſegregatam à præ-

postera solicitudine quærendi ea, quæ ad victum cultumque corporis pertinent. His diuinis admonitionibus si qui mouentur, multos autem moueri non dubito, hi sine longiori cohortatione libenter audient mediocrem explicationem Locorum Theologicorum reuerendi & optimè de Ecclesia meriti præceptoris D. Philippi Melanthonis, de quibus clarissimus Poëta D. Iohannes Stigelius hoc verissimum præconium fecit.

Pinguis vt aërij de vertice lapsa Sionis
Irrigat humentes copia roris agros,
Altus vt egrediens stagnantia littora Nilus
Fœtificat largo rura propinqua sinu:
Sic hoc sparsa libro vera doctrina salutis,
Aeternis implet pectora sancta bonis.
Explicet inuicti quod sic oracula Christi,
Nullum hoc in terris SANCTIVS EXTAT OPVS.

Sit etiam hic aureus liber studiosis eò charior, quòd iudicio ac testimonio instauratoris Euangelij, Reuerendi patris & præceptoris nostri D. Martini Lutheri comprobatus est, in præfatione primi Tomi operum Latinorum, *Nunc*, inquit, *Dei gratia extant methodicè libri quàm plurimi, inter quos Loci Communes Philippi excellunt, quibus Theologus & Episcopus pulcrè & abundè formari potest, vt sit potens in sermone doctrinæ pietatis.* Hæc testimonia de Locis Theologicis Philippi ideo recito, vt pia iuuentus intelligat, Illustrissimum Principem Electorem Ducem Saxoniæ Augustum &c. grauibus causis permotum statuisse, vt repetitio huius libri, qui velut gemma insignis in Corpore doctrinæ eminet, ad reliquas Theologicas lectiones adiungeretur. Etsi autem valde optarim, hoc munus re ipsa amplissimum alteri commendatum esse, quem Deus maiori copia doctrinæ instruxit: tamen cùm Celsitudo ipsius illustrissima hanc partem laboris scholastici mihi attribuerit, non est meum tanti Principis voluntati morosè repugnare. Præstabo igitur, Deo adiutore, in hac seu repetitione, seu explicatione diligentiam, non quantam rerum dignitas & amplitudo postulat, sed quanta à mea tenuitate expectari potest. Oro etiam pios & doctos, vt candidè de meis laboribus iudicent, & cogitent, nullam sapientiam parem esse explicationi & propugnationi dogmatum, quæ sunt Ecclesiæ Dei propria.

De

De hora autem & loco, ac de ceteris lectionibus, primo quoque tempore ſtudioſos certiores faciam, cùm harum rerum diſtributio ad Academiæ autoritatem, quam cum obſeruantia colo, pertineat. Precor etiam Filium Dei, vt nos faciat vaſa miſericordiæ, & organa ſalutaria noſtræ animæ & Eccleſiæ, nec ſinat vtiles labores docentium, calumniis & aliis malis artibus hypocritarum impediri. Bene ac feliciter valete. Lipſiæ die 12. Februarij. Anno Chriſti

M. D. LXIII.

Victorinus Strigelius.

ORATIO

DE STVDIIS DOCTRINAE CHRISTIANAE

Ante inchoationem prælectionis Locorum Theologicorum habita Lipsiæ à Victorino Strigelio.

QVOD apud Sophoclem Menelaus sortem suam deplorans, dixit: Voluitur assidua mea fortuna rota, atque statim permutat veluti Luna faciem, quæ duabus noctibus nunquam retinet vnam eandemque formam, sed primùm nouam induta figuram ex occulto parumper emergit, deinde pedetētim crescit, donec plena atque integra facta, rursus ad interitum properat, Id ego de me ipso vsurpare possum, cùm aliquot annis tantam varietatem fortunæ expertus sim, vt crebris cum permutationibus Lunæ non immeritò comparari queat. Ac mihi de hac rerum mearum vicissitudine, non sine sensu doloris cogitanti, in mentem venire solet reuerendi & optimè de Ecclesia meriti præceptoris D. Philippi Melanthonis, qui inspecto themate natiuitatis meæ, ex positu siderum ratiocinabatur, fore, vt artibus innumeris oppugnarer non aliter, quàm lapis æquoreis vndique pulsus aquis. Neque verò iam disputo, quantum coniecturis, ex configuratione stellarum sumtis, tribuendum sit, eamque disputationem, quæ non est huius loci aut tēporis, iudicijs eruditorum relinquo. Sed tamen nimis veram fuisse hanc siue coniecturam, siue prædictionem summi viri, magno cum dolore expertus

pertus sum. Quare vt deinceps non solùm mihi, sed etiã vniuersæ Ecclesiæ senescenti Deus ærumnas mitiget, id gemitu inenarrabili propter Filium Mediatorem ab ipso peto. Etsi autem homines multa iudicare solent ex rebus secundis & aduersis, vt seruus veterator & fraudulentus in quadam Plautina fabula inquit:

Centum doctum hominum consilia sola hæc deuincit Dea
Fortuna, atq; hoc verũ est, proinde vt quisq; fortuna vtitur
Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes dicimus
Bene vbi quod consilium discimus accidisse, hominem catum
Eum esse declaramus, stultum autem illum, cui vertit malè.

Tamen non opinor in hoc laudatissimo cœtu quenquam asperitate ea esse & immanitate naturæ, vt propter miserias in quibus versatus sum, grauiter de me suspicetur, & vestra iudicia cum Demosthenis sapientissima oratione congruere statuo. Ego verò, quisquis homo homini fortunam tãquam probrum obiicit, insanire eum existimo. Cùm enim & is, qui florentissimam, eam habere arbitrabatur, non sciat an talis ad vesperam mansura sit, nequaquam decet eam alteri vt crimen obiicere. Illud etiam verè à Poëta dicitur: *Est aliquid magnis crimen abesse malis.* Non autem prauo dogmate, aut scelere aliquo hærente in vita & moribus, mihi calamitatem accersiui, sed partim locorum & temporum incommodis, partim calumniis ac fæuitia falsorum fratrum, in acerbissimas calamitates præcipitatus sum, de quibus non addam plura, ne quid habeat acerbitatis aut iniucunditatis oratio.

Nam vt de vita nihil dicam, cui nullam labem & maculam virulentæ linguæ aspergere potuerunt, illud certè constat inter omnes, quibus cursus meorum studiorũ & laborum notus est, me toto pectore amplecti Corpus doctrinæ, quod in his Ecclesiis & Academiis, Dei beneficio,

piè inuiolatéque retinetur, nec vnquam diſceſſiſſe à conſenſu expreſſo in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, in tribus Symbolis, in Auguſtana Confeſſione, & in purioribus monumentis piæ vetuſtatis, & in hac fide Deum inuocare. Hæc conſtans & perſpicua aſſeueratio, etſi aliquibus glorioſa videri poteſt, tamen & vera eſt, & mihi hoc tempore ad refutandas calumnias crudelium hypocritarum neceſſaria. Quòd ſi ex concurſu calamitatum de genere doctrinæ, quod quiſque ſonat, iudicandum eſſet, nõ poſſet Eccleſia omnium ætatum atque temporum crimen hæreſeos effugere, cùm nihil hoc cœtu fuerit, ſit, aut deinceps futurum ſit ærumnoſius. Ego quidem, Deo adiutore, nec propter publica totius Eccleſiæ certamina & pericula, nec propter priuatas miſerias & difficultates, vnquam hoc doctrinæ genus, quod amplexus ſum, quod profiteor, quod etiam propagare cupio, abiiciam.

Vobis verò initiò polliceor ſtudium & diligentiam in omni officio, quod à modeſto & tranquillo hoſpite expectari poteſt. Academiæ inclytæ & celeberrimæ autoritatem vera animi reuerentia & ſubiectione colam, Profeſſorum beneuolẽtiam honeſtis rationibus, quibuſcunque ſciam & potero, tuebor, perficiam etiam, ne ampliſſimus huius vrbis Senatus & ciues in me humanitatem deſiderent. Hæc de me ipſo breuiter ſimpliciterque præfatus ſum, quia magis ex fumo lucem, quàm ex luce fumũ dare cupio. Nunc quoniam iuuentutis excitandæ cauſa, hæc oratio habetur, dicam de cauſis, propter quas ſtudia doctrinæ diuinitus traditæ colenda ſunt, non tantùm ab ijs, qui ſanctiſſimum Euangelij miniſterium in Eccleſia paulò pòſt ſuſtinebunt, ſed etiam ab omnibus, qui cura ſalutis ſuæ afficiuntur, & in his confuſionibus rerum humanarum, neceſſariam doctrinam & ſalutarem conſolationem expetunt.

Cùm

Cùm autem omnia, iuxta Pauli præceptum, in nomine Christi, id est, in vera agnitione Filij Dei, fide & inuocatione facienda, & ad eiusdem Domini gloriam referēda sint: ordiar & ipse hanc adhortationem à pia gratiarum actione & precatione, nec dubito, quin pro vestra pietate similia vota facturi sitis. Primùm igitur tibi omnipotenti, æterno & vnico Patri Domini nostri Iesu Christi, vnà cum Filio tuo coæterno Iesu Christo & Spiritu tuo sancto gratias ago toto pectore, quòd pulsis tenebris Papisticis, quæ sunt Cimmeriis tristiores, Ecclesiæ senescenti, mirandam Euangelij lucem reddidisti, meque ad eius societatem immensa bonitate vocasti, & variis casibus & periculis iactatum, clementer ad aliquam, vt spero, Ecclesiæ vtilitatē seruasti. Deinde te supplex oro, vt propter Filium tuum Dominū nostrum IESVM CHRISTVM, quem voluisti pro nobis esse victimam καὶ μεσίτην καὶ ἱλαστήριον semper tibi in his regionibus Ecclesiam æternam voce Euangelij colligas & gubernes. Rege studia doctrinarum, & omnes Professores vtriusq; Academiæ Lipsicæ & Vvitebergensis, quas tanquam dulces nutriculas amo, & cum obseruantia colo: mitiga pœnas publicas & priuatas propter tuam gloriam, vt te in tota æternitate celebremus, & tibi gratias agamus.

Nunc igitur ad id, quod institui, accedo. Etsi enim agnosco, me susceptо argumento imparem esse, nec dubito, ex hoc ipso loco ab alijs, qui doctrinam Ecclesiæ magna cum laude & fructu in hac Academia auditoribus proposuerunt, splendidè & copiosè omnia exposita esse, quæ ad excitanda & acuenda studia pietatis pertinent: tamen officij ratio, quod mihi consentientibus huius inclytæ Academię suffragijs ab Illustrissimo & optimo Principe Elector commendatum est, à me postulat, vt de co-

dem argumento dicam, non quantum debeo, ſed quantum poſſum, ſic tamen vt mea oratio cõgruat ad vocem, quã Deus ipſe Eccleſiæ tradidit. Sit igitur hoc iam à principio perſuaſum piæ iuuentuti, non ſolis Theologis, vt multi putant, ſed toti generi humano concionari æternum Patrem clamãtem de Filio, Hic eſt Filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Nam huius mandati de audiendo Filio, tanta ſcueritas eſt, vt Deus ad Moyſen ducem chori Prophetici dicat Deuteronomij 18. Qui verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam, ſiue vt Petrus Actorum 3. hunc locum citãs & illuſtrans, inquit: Omnis anima, quæ nõ audiuerit Prophetam illum, exterminabitur ex populo Dei: Et pſalmo 2. dicitur: Oſculamini Filiũ, ne quãdo iraſcatur, & pereatis in via. Ex his dictis & permultis aliis, quæ breuitatis cauſa omitto, perſpicuum eſt, neceſſariò diſcendam eſſe doctrinam Euangelij, & ſolum illum cœtum eſſe Eccleſiam, qui ſine corruptelis retinet ſcripta Prophetica & Apoſtolica. Quare cùm ſecta Mahometi reiiciat libros Prophetico & Apoſtolicos, certiſſimum eſt, hanc ſectam nõ eſſe Eccleſiam Dei. Etſi autem Papa & hæretici iactitant, ſe eſſe Eccleſiam Dei, retinentem monumenta Prophetarum & Apoſtolorum, tamen quia affingunt dictis cęleſtibus peregrinas opiniones, & defendunt manifeſta idola, non ſunt membra Chriſti, ſed organa Diaboli. Iam verò ſatis conſtat, omnes ſaluandos oportere membra & ciues eſſe Eccleſiæ amplectentis Euangelium, & fundamẽta ita retinentis, ne penitùs ignoret vllum articulum fidei, aut ne contraria dogmata defendat. Non enim fulgebit ſapientia & iuſtitia Dei in illis, qui non inchoant eam in hac mortali vita, iuxta dictum: Superinduemur, ſi tamen nudi reperiemur. Non ignoro, à quibuſdam odioſè exagi-

exagitari vocabulum necessitatis, & à natiua sententia deторqueri ad peregrinam, quasi de coactione loquamur, cùm dicimus, necessariò discendam esse doctrinam Euãgelij, & necessariò credendum esse promissioni Euangelij. Nos verò de ordinatione Dei æterna & immutabili loquimur, qua sancitum est, vt volũtati Dei creatura rationalis obtemperet, vel non obtemperans destruatur. Hæc ordinatio immutabilis est mandati & debiti necessitas, sicut Paulus inquit, Debitores sumus Dei, non carnis. Opponamus igitur ignauiæ nostræ mandata de audiẽdo hoc Filio, & de assidua lectione sacrorum librorum, & cogitemus horribilem ingratitudinem esse, cùm Deus tanta bonitate se patefecerit, ne quidem audire eum velle. Vt enim violatio aliorum præceptorum displicet Deo, ita nulla res magis offendit Deum, quàm contemptus aut neglectio verbi ab ipsõ traditi per Prophetas, Christum & Apostolos.

Neque verò Deus tantùm præcipit hoc studium, sed etiam promittit ampliſſima præmia omnibus, qui amplectuntur veram doctrinam fide & bona conscientia, & eam profiteri ac propagare volunt. Prima & summa promissio recitatur à Christo Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Hîc cogitet pia mens, quid sit diligi à Deo, & quanta res sit, esse templum ac domicilium, non hominis aut angeli, sed viui & veri Dei, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo iussit, ratione, qua disposuit, virtute, qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suæ, vt Tertulliani vtar verbis. Diligi à Deo, est recipi ab æterno Patre per misericordiam propter Filium, & donari Spiritu sancto,

qui est amor & lætitia substantialis inter Patrem & Filium, & fieri hæredem vitæ æternæ. Hæc bona tanta sunt, vt eorum magnitudo nec cogitari, nec vlla oratione satis exponi possit, & tamen adeo necessaria sunt, vt non habens hæc bona, sit aut maneat hostis Dei, & Deum contumelia afficiat. Etsi autem Deus omnibus creaturis adest, & earum substantias conseruat: tamen Ecclesiam suã sic discernit ab aliis creaturis, vt propriè faciat eam sibi templum & domicilium, & habitet in singulis sanctis. Præclarè ergo Augustinus, Deus, inquit, est vbique per diuinitatis præsentiam, sed non est vbique per habitationis gratiam, sed in solis tantummodò fidelibus. Tunc autem in nobis fulget, tunc pectora complet, Mens pia cùm discit munera nosse Dei.

Neminem ego tam dissoluto animo esse arbitror, quin vehementer commoueatur legens vel audiens hanc amplissimam promissionem, qua nihil melius, nihil optabilius cogitari potest. Sed non minùs delectatur pia mens, cùm audit alteram promissionem, quæ extat Ioh. 15. Si manseritis in me, & verba mea manserint in vobis, quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis. O inenarrabilẽ bonitatem & misericordiam Dei erga Ecclesiam sonantem Euangelij vocem. Non solùm præcipit, vt discamus Euãgelium, sed etiam addit amplissimas promissiones, vt inuitet nos ad studium verbi. Suprà affirmauit Filius Dei, membra Ecclesiæ esse eos, qui veram doctrinam amplectuntur & amant, non doctrinæ hostes, aut contemtores. Hîc affirmat, fideles doctrinæ auditores & custodes non modò domicilium Dei esse, sed etiam à Deo exaudiri & defendi in periculis, quæ noctes & dies nos vndique circumstant. Ac sæpe mihi de hac dulcissima promissione cogitanti, venit in mentem eius nauis, in qua

Paulus

Paulus vehitur ex Iudæa in insulam vicinam Siciliæ Meliten, quę pene adhuc antiquum nomen retinet, vnde appellatos volunt catulos Meliteos. Eam nunc Hierosolymitanæ religionis equites Rhodo pulsi, muniunt, & sedem reliquarum suarum fortunarum fecerunt. Vt enim nauis Paulum vehens ex magna iactatione portum optatum vidit: Sic Ecclesia sonans & retinens incorruptam Pauli doctrinam, mirādis modis, quos non potest humana ratio prospicere, à Deo conseruatur. Hanc imaginem perpetuò nobiscum in mentibus circumferamus, & sæpe intueamur, nosque eius consideratione in his tumultibus & confusione Reipub. sustentemus. Quemadmodū autem hæc vnica nauis seruat omnes, qui in ea vehuntur integra: ita doctrinæ hostes aut cōtemtores non possunt inuocare Deum, nec dextera Dei proteguntur, iuxta tristissimam comminationem prouerbiorum 1. vbi sapientia clamitans in plateis, id est, verbum Dei sonans in toto genere humano, accusat omnes negligentes & contemnentes vocem diuinam, & denuntiat eis pœnas, inter quas hæc extrema tristissima est: Tunc inuocabunt, & NON AVDIAM. Hoc fulmine si quis non mouetur, durior est scopulis & saxis rupis Sinai, quæ tremuerunt cùm ederet Deus Decalogum.

Sed redeo ad promissiones, quarum aliæ præmia Doctoribus & discipulis Euangelij in hac vita, aliæ præmia post hanc vitam pollicentur. De præmiis in hac vita psalmo 1. dicitur: Omnia quæcunque faciet, prosperos habebunt successus. Nam Deus in hac vita sine vlla dubitatione compensat & ornat studium Euangelij magnis bonis, maiore luce & sapientia spirituali, robore fidei, consilio, consolatione, successu in gubernatione publica & domestica, pace, victu. Hæc bona omnia complectitur

pſalmus, comparans ſtudioſum Euangelij palmę florenti, ac gignenti glandes odoratas, quibus non tantùm inter menſas ſecundas primus honos habetur, ſed etiam à medicis inter ſalutaria remedia locus attributus eſt. Nititur etiam in pondus palma, & conſurgit in altum: quoq; magis premitur, hoc magè tollit onus. Ita pius, confirmatus verbo Dei, non cedit contrariis ventis, hoc eſt, impiis illecebris & terriculamentis, ſed quadam excelſa conſtantia hoſtium machinationes & irritos conatus deſpicit. De præmiis verò æternis Daniel dulciſſimè concionatur in extrema parte ſui vaticinij: Doctores fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam multos erudiũt, ſicut ſtellæ in perpetua æternitate. Non cæli puritas, non ſtellarum fulgor, non Solis claritas vincet hanc lucem, quam Deus doctoribus & diſcipulis Euangelij communicabit, cùm erit omnia in omnibus. Sed nimis frigent pectora noſtra in rebus tantis cogitandis. Excitati igitur tot præceptis & promiſſionibus, corrigamus hanc imbecillitatem & ſtuporem, & à Deo petamus, vt Spiritu ſuo ſancto ardentem verbi amorem in nobis accendat.

Poſtquam autem bonæ mentes didicerunt, præcipi mandato diuino, vt ſermo Chriſti habitet inter nos abũdè, & hoc ſtudium non tantùm placere Deo, ſed etiam habiturum ingentia præmia, ſciant præcipuam cauſam eſſe, propter quam doctrinam & miniſterium oportet audiri & conſeruari, quia ſic Deus colligit Eccleſiam, & non aliter, ſcilicet voce & cogitatione ſcripti Euangelij, cùm auditur aut legitur, vt Roman. 10. dicitur: Quomodo credent ſine prædicante? Fides ex auditu eſt. Et Iohan. 17. Chriſtus inquit: Pater ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas. Quemadmodum enim fœtus in aluo materna alligatus eſt panniculo, qui Græcè nominatur χόριον,

Latinis

Latinis secundæ, vulgò secundina: ita Ecclesia alligata est ad verbum, in quo Deus voluntatem suam patefecit. Ac vt fœtus intempestiuis motibus rumpēs hanc fasciolam, fit ἔκτρωμα, id est, rudis & informis massa abortu edita: sic cùm illuminationes & Enthusiasmi relicto verbo quæruntur, incidunt homines in hæc tria mala, quorum primum est amissio certæ doctrinæ, alterum amissio firmæ consolationis, tertium extinctio fidei.

Primùm enim amittitur certa doctrina, quia cũ mens non regitur verbo scripto, homines fanatici fingunt opiniones & cultus contra Legem & articulos fidei, vt ostendunt furores Ethnici & hæretici omnium temporum, quorum tanta turpitudo est, vt eam fugiat & reformidet oratio. Deinde cùm corda in veris doloribus non sustentantur scripta promissione, paulatim merguntur in Epicureum contemtum Dei, aut desperatione opprimuntur. Has tempestates Esaias, tanquam gubernator in specula prospiciens, cap. 8. inquit: Ad Legem & ad testimonium: Quòd si non dixerint iuxta hoc verbum, non erit eis lux matutina, sed vagabuntur in terra duriter percussi & fame laborantes, cumque esurierint & irarum ardorem conceperint, maledicent regi suo, & Deo suo, & siue suspiciant in cælum, siue referant oculos ad terram, ecce angustia & tenebræ. Nam defatigati sunt in angustia, & errant in tenebris. Postremò hi quærunt afflatus, neque sciunt, neque discunt quid sit fides, quia non sustentant se cogitatione scripti verbi, cùm dictum sit: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Quid est autem tristius, quàm vagari inter tela Diabolorum sine certa doctrina, sine consolatione & sine exercitiis fidei & inuocationis? Rursus, quod præsidium maius est aduersus Diaboli sophisticam & tyrannidem, quàm munitum esse vera agni-

tione & inuocatione Dei, firma & ſalutari conſolatione & norma vitæ, quæ bona in ſolo verbo monſtrantur. Etſi enim philoſophia elegans & vtilis ſapientia eſt, tamen non deducit nos ad Deum patefactum miſſione Filij & donatione Spiritus ſancti, nec vulneribus naturæ noſtrę efficacia remedia adhibet, nec præcipuos cultus Dei monſtrat. Lex verò Domini immaculata eſt, recreans animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, Mandata Domini recta ſunt, lætificantia cor, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Hæc diligentiſſimè conſideranda ſunt, vt inuitentur bonæ mentes ad amorem & ſtudium lectionis, de qua Paulus inquit: Sis aſſiduus in lectione, doctrina & cõſolatione. Nam Filius Dei, vt dixi, non aliter colligit Eccleſiam, nec aliter vult eſſe efficax, niſi cogitatione verbi ſcripti. Quid quòd hic ipſe Dominus: Θεὸς μὲν κόσμων τῇ τῶν τεράτων ἐνεργείᾳ, ἄνθρωπος δὲ δακρύων τῇς τῆ φύσεως ὁμοιοπαθείᾳ, vt ait Iuſtinus Martyr & Philoſophus, in lucta quadraginta dierum, exemplo ſuo nos docuit, quanta ſit vis verbi in magna vi tempeſtatum & concurſu calamitatum. Cùm enim vndique acerrimè ab hoſte Dei & Eccleſiæ oppugnaretur, non armis aut machinis æneis vſus eſt, ſed verbo aliquoties citato ex libro quinto Moyſi, qui Deuteronomium inſcribitur, inſidiatorem fregit ac debilitauit.

Ad hanc præcipuam cauſam illa quoque adiungatur, quòd in caſu confeſſionis, non ſoli Theologi, ſed omnes Chriſtiani obligati ſunt ad reddendam fidei ſuæ rationẽ, iuxta Petri præceptum, Parati eſtote ad reddendam rationem veſtræ ſpei cum manſuetudine & timore. Nemo autem ſine cognitione verę doctrinæ, & ſine iudiciis veræ Eccleſiæ ad hanc apologiam poteſt accedere. Vt igitur ſapiens Reſpublica in pace de bello cogitat, ſeque ad id fortiter

fortiter ac feliciter gerendum, omni cura & cogitatione præparatis ita in tranquillitate, vt verbis Augustini vtar, comprehendenda est doctrina sapientiæ, quæ inter tribulationum turbines difficulter agnoscitur. Non enim facilè inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita. Moueantur pij horum temporum periculis, vt diligentiorem cogitationē de hac causa suscipiant. Si quis enim aurea secula in hac mundi senecta sperat, is mihi non dissimilis videtur piscatori, qui apud Theocritum inani imagine aurei piscis delectatur. Magna moles certaminum & periculorum in Ecclesiam senescentem impendet, non solùm quia peccatis crescentibus pœnæ iustissimo ordine crescunt, sed etiam quia maior nunc rabies est in Diabolis metuētibus terribile iudicium, quod paulò pòst exercebit Filius HOMINIS, qui sub iudice stetit, vt videant impij eius gloriam, in cuius mansuetudinē fremuerunt. Et vox diuina prædixit, in hac languida & delira mundi senecta fore maiores confusiones opinionū, cultuum & morum, quàm antea. Hac igitur prædictione & tristissimis spectaculis vicinorum regnorum velut è somno excitati, assiduè versemur in lectione librorum diuinorum propter gloriam Dei, & vt ipsi necessariam cōsolationem in tam sæuis tempestatibus habeamus. Imò vt aliqui explicatione & propugnatione veræ doctrinæ vtiliter Ecclesiæ seruire, & præclarum depositum, videlicet puritatem Euangelij ad posteros transmittere possint. Quid, quòd non tātùm in hac vita sæpe cum periculo vitæ, famæ & fortunarū cōfessio edenda est, sed etiam in postrema mundi die fidei & operum ratio nobis reddenda erit, vt grauissimè & verissimè à Tertulliano in libro de præscriptionibus aduersus hæreticos dictum est: A veritate diuertere nemini expedit, qui meminerit futuri iu-

dicij,quo omnes nos neceſſe eſt apud CHRISTI tribunal aſtare,reddentes rationem in primis ipſius FIDEI. In hoc dicto inſigni maximeque memorabili, particula vniuerſalis,& expreſſa mentio fidei, præcipua quadam diligentia obſeruentur.Non ait ſolos Theologiæ Profeſſores & paſtores Eccleſiarum ſubituros eſſe poſt mortem illud terribile iudiciũ,ſed omnes homines ſine exceptione, vt 2. Corinth. 5. Paulus clamat, Oportet nos omnes ſtare coram tribunali Ieſu Chriſti, vt vnuſquiſque recipiat in corpore,quod fecit,ſiue bonũ ſiue malum. Deinde expreſsã mentionẽ facit fidei,vt nos doceat,militiãChriſtianã conſiſtere in fide & bona cõſcientia,& à Deo dãnari non modò lapſus contra conſcientiam,ſed etiam errores cum fundamento,ſeu cum Lege & articulis fidei pugnantes, ſiue homo ſciens, ſiue ignorans eis aſſentiatur. Naminter peccata mortalia ſeu regnantia, quæ Paulus nominat opera carnis, non tantùm adulteria, cædes & furta, ſed etiam hæreſes & idola recenſentur. Eum igitur curſum in hac vita ſinguli pij teneant,vt fugiant vtrumq; ſcopulum, errores dico contrarios Legi & Euangelio, & peccata contra conſcientiam, & ad illud iudicium initia ſapientiæ & iuſtitiæ æternæ afferant. Nam prorſus neceſſarium eſt in hac mortali vita inchoari ſapientiam, & iuſtitiam æternam, ſicut ſcriptum eſt,Superinduemur,ſi tamen non nudi reperiemur.Et Filius Dei ante poſtremum agonem hanc deſcriptionem vitæ æternæ tradit: Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant te ſolum eſſe verum Deum, & quem miſiſti Ieſum eſſe CHRISTVM. Ad hanc verò cæleſtem Academiam, in qua videbimus Filium Dei, Patres, Prophetas & Apoſtolos,& eorum fruemur doctrina & familiaritate,nemini patet aditus,niſi priùs in hac mortali vita eius doctrinæ elementa didicerimus, quam ipſe nobis tradidit.

Confe-

Conferamus etiam, si placet, verbi diuinitus traditi possessionem cum aliis bonis, quæ humana infirmitas præcipuè expetit. Quæruntur à maxima multitudine generis humani non conuersa ad Deum, honores, voluptates, earumque instrumenta. Sed hæc aut deserunt nos ante migrationẽ ex hac vita, aut à nobis deserũtur. Nam honor quidem vanus est, quia aut simulatus est, cùm omnes homines natura superbi & inuidi sint, aut non est diuturnus, vt ostendunt exempla Miltiadis, Aristidis, Themistoclis, Cimonis, Camilli, Bellisarij & aliorum innumerabilium, quibus ingrata patria anguinam mercedem rependit. Voluptates verò quamuis concessæ, nec locorũ sunt omnium, nec temporum, vt Cicero ad Atticum scribens, inquit, tantis malis vrgeri Rempublicam, & tam grauia pericula optimo cuique impendere, vt penitus sibi ex animo & villæ & huiusce modi delectationes exciderint. Et Vlysses Iliad. 9. ad Achillem inquit: ἀλλ' ἀδαινὸς ὀπηδὲ τέρψα μέμηλεν. Nec sunt nobis conuiuia curæ vlla satis. Nam honestæ & concessæ voluptates tranquillum tempus requirunt. Quid tam porrò incertum est, quàm opulentia? vt in versu peruulgato dicitur: Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.

At VERBVM nullo loco aut tempore sui studiosos deserit, sed in rebus secundis & aduersis semper nos docet, consolatur, regit consilio, confirmat contra illecebras & terriculamẽta, deniq; amissis omnibus bonis, sicut tandẽ ea in morte amitti necesse est, nobis præsto est, & editum ad eam vitam patefacit, quæ est sola vita nominanda. Nã hæc vita sine verbo, quid aliud est quàm carcer & magna miseria? Quamobrem cum Maria eligamus optimã partem, quæ nullo vnquam tẽpore à nobis auferetur, & quæramus bonas margaritas, easq; inuentas diligenter asser-

uemus. Et quoniam margaritarum mentio facta est, repetam earum generationem, de qua nos ipsum tempus admonet, ex Theophrasto, & hanc narrationē ad imaginem verbi & Ecclesiæ breuiter accommodabo. Initio veris sua quadam natura mirabili siti conchæ appetunt rorem cæleſtem. Hunc cùm in littus repentes & hiantes hauserunt, nascitur ex eo rore & conchæ carne, cuius odor optimus est, gemma pellucida, aliâs aurei, aliâs argentei coloris, & mirificam vim habens in pellendis venenis & medicatione cordis humani. Fit autem generosior, cùm crebræ sunt magnæ tempestates, donec conchæ sunt grauidæ. In hac narratione dulcissima imago verbi & Ecclesiæ proponitur. Vt enim concha sitiens appetit rorem, & hoc hausto concipit gemmam cordibus salutarem: sic Ecclesia cùm in veris doloribus vndiq; quærit consolationes, & re ipsa experitur, se non iuuari humanis cogitationibus, tandem decurrens ad vocem Euangelij, tanquam ad rorem cæleſtem, incipit acquiescere, ficut in psalmo dicitur, Eloquium tuum viuificauit me. Deinde vt hæc gemma agitata fluctibus & procellis fit generosior: ita lux fidei inter certamina crescit: sed hæc allegoria suo loco vberiùs explicari solet.

Hactenus monstraui præcipuas causas propter quas verbum Dei assiduè legendum, audiendum & cogitandum est, nec dubito, bonas mentes earum consideratione permoueri.

Antequam verò finem dicendi facio, breuiter confutanda videtur opinio, quæ multos à studio & amore verbi, non sine iactura gloriæ Dei, & sine periculo animarum abducit. Multi enim non admoniti hac persuasione fascinati sunt, vt existiment, studium verbi tantùm ad eos pertinere, qui paulò pòst ad gubernationem Ecclesiæ accessuri

fari sunt, nec philosophiæ, artis medicæ & ciuilis scientię studiosis valde necessariam esse cognitionem doctrinæ monumentis diuinis comprehensæ. Hic error animis eripiendus est, & pia iuuentus admonenda est, vt cogitet, Academias Christianas non esse scholas Arcesilæ, sed reliquorum studiorum gubernatricem, & vt ita dicã, Architectonicam esse doctrinam Propheticam & Apostolicã.

Nam maximè dignum est homine Philosopho, quærere veram de Deo doctrinam, vt Plato in sexta epistola grauiter dixit: Ita rectè philosophabimur, si Deum agnoscemus vniuersę naturę patrem, causam & gubernatorem esse, eiąque iustè viuendo obtemperabimus. Hæc vna est non δμνσω disciplina & vera philosophia. Non igitur fastidiant studiosi philosophiæ doctrinam Ecclesiæ, quam ipsa collatio ostendit perfectiorem esse, sed ad culturam literarum & humanitatis adiungant veram Dei reuerentiam, & philosophiam illorum maximè detestentur, qui putant, eò se plus videre cæteris, quòd vel religiones contemnere audent, vel de omnibus sententiis Pyrrhonio more in vtramque partem disputare solent. Quid dicam de arte Medica? quæ bonis ingeniis hortatrix est, ad agnoscendum Deum, & ad cogitationem de religione. Nemo enim vestigia Dei impressa naturæ aut plura aut illustriora videt, quàm Medici.

Nam omnia in fabricatione humani corporis plena sunt artis, consilij & significationum. Deinde artificiosa distributio remediorum testatur, cõditorem amantem esse hominum, quia res tam multę præcipuè ad humanos vsus factæ sunt. Etenim alia remedia bilem, alia pituitam trahunt, aliæ herbæ opitulantur cerebro, aliæ cordi, aliæ pulmoni, quędam pectori, nonnullæ epati. Nulla deniq; plantula, quanquam spreta, temerè nascitur, nulla non

ad certos & magnos vſus diuino conſilio ordinata eſt. Et quia in tanta varietate morborũ, Medici ſpectatores ſunt multarum ærumnarum, fieri nõ poteſt, quin cauſas quærant, vnde tot non ſolùm morbis, ſed etiam maioribus calamitatibus obnoxia ſit hæc præſtans & infirma natura. In hac conſideratione de peccati origine, magnitudine & pœnis admonentur.

Quid præterea poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum, quàm politicam ſapientiam, cùm à Deo deſeritur, nec felicem nec ſalutarem eſſe? Magna vis ingenij fuit in gubernatoribus Atticis, Pericle, Alcibiade, Demoſthene & Demade, & magnos labores hi viri ſuſtinuerunt. Sed quid ſunt omnes ipſorum res geſtæ à principio vſque ad finem, niſi contentiones exitiales ipſis & patriæ? Hæc magna & ineffabilis miſeria eſt, frangi & conſumi tantùm pernicioſis laboribus. Talium exempla intuentes expaueſcamus, & ardentiſſimis votis Deum oremus, vt faciat nos vaſa miſericordiæ, & organa ſalutaria Eccleſiæ, patriæ & nobis ipſis. At Ioſeph, Moyſes, Dauid, Daniel, Eſdras, Nehemias res magnas & ſalutares geſſerũt, quia à Deo gubernationem petiuerunt, & hanc normam in ſuis politiis ſecuti ſunt, de qua in pſalmo dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Ac ne quis eorum, qui olim ad Remp. acceſſuri ſunt, dubitet de voluntate Dei, poſtulantis ſtudium verbi à viris politicis, is memoria repetat expreſſum mandatum, Deuter. 17. quod præcipit, vt rex diſcat legem, & eam ſequatur in tota gubernatione. Hæc enim ſunt verba Moyſi: Poſtquã ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplum à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominũ Deum

ſuum,

ſuum,& cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in Lege præcepta ſunt. Huic præcepto, vt alia exempla omittam, obtemperans laudatiſſimus Princeps Alphonſus rex Hiſpanicus & Neapolitanus, perlegit integra Biblia quater & decies. Vt enim Iulius Cæſar media inter prælia ſemper ſtellarum cæliq́ue plagis ſuperiſq́ue vacauit, ita hic Princeps inter arma, tubas & claſſica nunquam de manibus ſcripta Prophetica & Apoſtolica poſuit. Laudatur à Cicerone Scipio Africanus, qui libros Xenophontis de Cyri inſtitutione, in quibus nullum officium prætermiſſum eſt diligentis & moderati imperij, etiam in caſtris legere ſolebat. Sed plus veræ laudis habet hæc aſſidua lectio librorum diuinorum, qui non ſine cauſa fontes Iſraël ſanctiſſimi & auguſtiſſimi nominantur. Quòd ſi quem ſapientiæ iuris deditum, aut præceptum diuinum, quod non eſt vni politiæ traditum, ſed cùm ſit naturale, ad omnes politias pertinet, aut exemplum laudatiſſimi Principis Alphonſi parum mouet, is tamen conſideret præſentem formam religionis & Reipublicæ, ad quam nemo ſine cognitione doctrinæ Chriſtianæ ſatis ornatus poteſt accedere.

Quemadmodum enim tranquillo mari quilibet nautarum vectorumq́ue gubernare poteſt, vbi autem ſæua orta tempeſtas eſt, ac turbato mari, rapitur vento nauis, tum viro & gubernatore opus eſt, vt apud Liuium Fabius ait: ita in hoc perturbato ſtatu religionis & Reipublicæ non tantùm politica prudentia opus eſt iis, qui conſiliũ Regibus & Principibus daturi ſunt, ſed etiam hac cæleſti & diuina ſapientia, quæ non properat ad pœnam ante legitimam cognitionem, ſed re diu multumq́; agitata, decernit quid ſequendum aut fugiendum ſit.

Hæc, fretus intelligentia veſtra, coniuncta cum pari

benevolentia, differo breuiùs, quàm causa desiderat, vósque reuerenter & amanter oro, vt pro excellenti humanitate vestra, orationem multò tenuiorem, quàm vt argumenti magnitudini respondeat, boni consulatis.

Vt autem exitus orationis cum principio congruat, æternum Deum Patrem Domini & Saluatoris nostri IESV CHRISTI toto pectore oro, vt necessariæ doctrinæ studia & eorum hospitia perpetuò conseruet ac tueatur. Eundem etiam inuoco ad gratiam Magnificentiæ, Excellentiæ & humanitati vestræ pro me referendam, quoniã mihi nequaquam satis facultatis est pro meo animo, atq; vestro erga me merito, cumque similia officia reddere non possim, acceptorum tamen à vobis constantissimam, Deo adiutore, memoriam conseruabo.

DIXI.

PRAEFA-

PRAEFATIO IN LOCOS THEOLOGICOS PHILIPPI

Melanthonis post habitam orationem 2. Martij, Anno M. D. LXIII.

DIGNITAS omnium doctrinarum in duabus rebus consistit. Primùm in certitudine seu veritate doctrinæ. Deinde in necessitate seu vtilitate, quam vnaquæque doctrina vel Ecclesiæ vel societati humanæ affert. De necessitate huius doctrinæ Christianæ hesterna præfatiuncula aliquid diximus. Nam rei amplitudo superat non modò meam tenuitatem, quam libēter agnosco & deploro, sed etiam omnium angelorum & hominum sapientiam & eloquentiam. Quæ enim oratio huic argumento par esse potest, in quo dicendum est, quantum verbo Dei dandum aut tribuendum sit? Quare hac parte omissa, de altera, hoc est, de veritate & certitudine doctrinæ Christianæ pauca in hac & sequentibus aliquot lectionibus dicemus, quod spero futurum non sine fructu & vtilitate iuuentutis. In philosophia duę sunt normæ certitudinis, vna est notitia principiorum, quorum alia vocantur practica, alia speculabilia. Hæc principia sunt notitiæ nobiscum nascentes, ex quibus Mathemata & doctrina physica extruitur. Alia sunt practica, ex quibus philosophia moralis extructa est. Altera norma certitudinis est vniuersalis experientia, de qua omnes sani eodem modo consentiunt. De his normis certitudinis, quæ à Stoicis κριτήρια appellantur, in Dialecticis & tota philosophia sæpe dici solet. In doctrina autem Ecclesiæ vnica est norma certitudinis, quæ nominatur patefactio diuina. Ad hanc confirmandam & illustrādam colliguntur à pia vetustate septem gradus testimoniorum, quorum primus sumitur ab ipsa doctrinæ antiquitate. Est enim doctrina Ecclesiæ prima & antiquissima, & antecellit omnibus aliis religionibus ac sectis laude antiquitatis. Secundus gradus continet prædictiones propheticas de maximis rebus, videlicet de regno Christi & quatuor mundi monarchiis. Tertius complectitur

miracula, vt resuscitationem mortuorum & alia, quæ sunt opera solius naturæ omnipotentis. Quartus est ipsum genus doctrinæ, videlicet Lex integra & promissio de Mediatore, ignota rationi humanæ sine reuelatione diuina, iuxta dictum: Filius qui est in sinu &c. Quintus est experientia spiritualis in vera pœnitentia seu conuersione ad Deum, id est, in veris pauoribus ortis ab agnitione iræ Dei aduersus peccatum, & in fiducia & spe veniæ. De hoc gradu Paulus Rom. 8. inquit: Ipse Spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Sextus est fortitudo martyrum in suppliciis & in vincendis omnibus impiis illecebris & terriculamentis Sathanæ & omnium tyrannorum. Septimus est deletio impiarum sectarum & omnium hostium Ecclesiæ, tyrannorum & aliorum. Cùm autem argumentum per se sit amplissimum, in quo nemini potest deesse oratio: summa sequar tantùm fastigia rerum, & iunioribus saltem monstrabo fontes, ex quibus sumuntur illa testimonia, & quædam dictabo. Scio enim, cùm verba tantùm sparguntur in aërem, iuuentutem non assuefactam, facilè ea quæ dicta sunt, obliuioni tradere. Neque tamen obruam auditores prolixis dictatis, sed dabo operam,
vt mediam viam inter declamationes
& dictata teneam.

ORDO

ORDO LOCORVM ET CAPITUM, quorum explicatio in hoc libro continetur.

INTIMATIO seu scriptum publicè propositum in Academia Lipsensi, quo continetur significatio de prælectione Locorum Theologicorum.

Oratio de studiis Theologicis.

PROLEGOMENA.

I. De certitudine doctrinæ Christianæ. fol. 1
II. De methodo & ratione docendi & discendi doctrinam Ecclesiæ propriam. 14

LOCVS DE DEO.

I. De patefactione Dei. 25
II. De discrimine veræ & falsæ inuocationis. 38
III. Quid sit DEVS. 41
IV. De proprietatibus DEI. 43
V. De vnitate essentiæ diuinæ. 49
VI. Regulæ de actionibus Dei internis & externis. 51
VII. Declaratio vocabulorum essentiæ & personæ. 54
VIII. Confirmatio articuli de Trinitate. 58
IX. De discrimine trium personarum diuinitatis. 63
X. Quid interfit inter nasci & procedere. 65

LOCVS DE FILIO DEI. 178

I. De appellationibus Filij Dei. 80
II. De diuina natura in Christo. 87
III. Historica de hæresibus & Synodis. 91
IV. Refutatio Samosateni. 99
V. Refutatio Arij. 103
VI. Solutio obiectionum Arij. 105
VII. De vnione duarum naturarum in Christo. 111
VIII. Refutatio Nestorij & Eutychis. 116
IX. De communicatione Idiomatum. 125
X. De fuga mortis in Christo. 129

LOCVS DE SPIRITV SANCTO. 163

I. De vocabulo Spiritus. 164
II. Quid sit Spiritus sanctus. 166
III. Quòd Spiritus sanctus sit persona. 170
IV. De æternitate Spiritus sancti. 178
V. De processione Spiritus sancti. 181
VI. De beneficiis Spiritus sancti. 182
VII. Quibus detur Spiritus sanctus. 197
VIII. Quomodo excutiatur Spiritus sanctus. 199
IX. Applicatio doctrinæ hactenus traditæ ad vsum. 202

LOCVS DE CREATIONE. 218

I. Quid sit Creatio, & de causis Creationis. 221
II. De circumstantiis Creationis. 227
III. De creatione hominis, & de imagine Dei. 231
IV. De prouidentia diuina. 235
V. Collectio Demonstrationum de prouidentia. 240
VI. Refutatio præcipuæ obiectionis contra prouidentiam. 258

LOCVS DE CAVSA PECCATI. 279

I. Quòd peccatum non sit substantia. 281
II. Quòd DEVS non sit causa peccati. 284
III. De causa contingentiæ. 290
IV. De discrimine inter vocabula, quibus scriptores Ecclesiastici vtuntur, videlicet παράβασιν, παράπτωμα, & πάθος. 293
V. Solutio quarundam obiectionum. 297

LOCVS DE LIBERO ARBITRIO, seu de viribus humanis. 324

I. Narratio exponens certamina Ecclesiæ & hypocritarum de libero arbitrio. 327
II. Explicatio Methodica liberi arbitrij. 1. An sit. 2. Quid sit. 3. Quale sit. 4. Quare sit in natura rationali. 5. Quid à peccato originis differat. 336
III. Refutatio Pelagianorum. 349
IV. Refutatio Manichæorum. 359
V. Expositio veræ sententiæ, distributa in propositiones negatiuas & affirmatiuas. 363

VI. Testi-

VI. Testimonia antiquitatis de vera sententia. 376
VII. Solutio obiectionum, quæ aduersari videntur veræ sententiæ. 386
VIII. De impedimentis libertatis. 397

LOCVS DE PECCATO. 426

I. Quid sit peccatum in genere. 428
II. De prima diuisione peccati in originale & actuale. 432
III. De causis & effectibus peccati originis. 440
IV. De reliquiis bonorum in homine post lapsum. 447
V. An post baptismum in renatis maneat peccatum. 451
VI. De discrimine peccati venialis & mortalis. 453

FINIS INDICIS PRIMAE PARTIS
LOCORVM THEOLOGICORVM
Victorini Strigelij.

DE CERTITVDINE DOCTRINAE CHRISTIANAE.

Ante inchoationem loci de Deo, hæc duo prolegomena explicantur. 1. de certitudine doctrinæ Christianæ. 2. de methodo seu de ratione docendi & discendi doctrinam Ecclesiæ propriam.

LAVDANDA est Iustini Martyris, Tertulliani, & aliorum piorum diligentia, qui collegerunt aliquot gradus testimoniorum de doctrina Ecclesiæ: non solùm ad refutandos Ethnicos, sed etiam ad nos ipsos confirmandos: vt statuamus hanc solam esse veram de Deo doctrinam, quæ est literis mandata per Prophetas, Euangelistas & Apostolos, Alias verò sectas omnes, & earum opiniones pugnantes cum verbo diuinitus tradito, esse præstigias à Diabolo ortas, & in mundo propagatas, vt Deus contumelia afficiatur, & vt magna pars generis humani à Deo auulsa in æternum exitium præcipitetur.

Ex scriptoribus Ecclesiasticis Græcis, qui statim secuti sunt Apostolos, vetustissimi sunt Iustinus Martyr & Philosophus: & Irenæus, quem tamen antecessit Iustinus, quia Irenęus citat dicta & testimonia Iustini lib. 4. & 5. contra hæreses. Ex Latinis duo sunt vetustissimi, Tertullianus & Cyprianus. Iustini Martyris historias qui scire vult, legat librum 4. histor. Eccles. Eusebij, cap. 16. 17. 18. In quibus locis Eusebius multa historica repetit ex Apologijs duabus Iustini, quarum alteram scripsit ad Senatum Romanum: alteram ad Marcum Antoninum pium, qui anno e. & x x x i x. aut circiter post Christum natum fuit Imperator Romanus.

Cyprianus sanctus Martyr tanti fecit scripta Tertulliani propter antiquitatē & acumen autoris, vt ad Scribam domesticū sæpe dixe-

rit: Da mihi Magistrum, sic appellans Tertullianum: Nullum etiam diem abire passus est Cyprianus, in quo non aliquid ex Tertulliano legerit. Hortor autem studiosos vt legant duas Apologias Iustini, & Apologeticum Tertulliani: sunt enim lectione dignissima.

Hos gradus testimoniorum vtilissimum est sæpe multumque considerare.

Ac primus quidem gradus, quem Iustinus & Tertullianus maxime vrget, sumitur ab antiquitate. Nam siue ἀρχαιολογίαν siue νομοθεσίαν spectes, ipsa collatio scriptorum Moysi cum monumentis Ethnicis ostendit Ecclesiæ doctrinam primam & antiquissimam esse.

In lectione Mosis tria sunt obseruanda. 1. ἀρχαιολογία, id est, prima Ecclesiæ historia. 2. νομοθεσία sacrorum & legum ratio. 3. Promissio de Mediatore, quæ nõ extat in libris philosophorũ.

Nulla enim in toto genere humano extant scripta, quæ à rerum initiis cõtinuam seriem annorum monstrent, nisi sola historia Moysi & Prophetarum.

In Genes. cap. 5. extat catalogus patrum, qui vixerunt ante diluuium annos 1656. In cap. 11. eiusdem libri extat catalogus patrum à Nohe, & Sem, vsque ad Abraham, postea cõtinua historia Ecclesiæ extat in libris Moysis & prophetarum vsque ad monarchiam Persicam, quæ annis circiter 500. antecessit aduentum Christi in carnem.

Hanc perspicuam asseuerationem confirmat Eusebius libro 10. præparat. Euangelicæ, testimonio Aphricani sapientissimi & diligentissimi Scriptoris historiarum, qui inquit: Ante initium Olympiadum nihil certi in historiis Græcis recitatur, sed omnia sunt plena confusionis & dissonantiæ.

Eusebius scripsit libros 15. de præparatione Euangelica, in quibus refutat Ethnicas religiones, & colligit hos septem gradus testimoniorum. Scripsit præterea decem libros de demonstratione Euangelica contra Iudæos pertinaces, qui negant Christum apparuisse.

Incoantur

Incoantur autem Olympiades Græcorum anno 2. Iotham, qui fuit auus pij & felicis regis Ezechiæ.

Hoc fit manifestum per ἀνάλυσιν. Certum enim est ex Græcis historiis, qua Olympiade sit Alexander natus, videlicet 3 Olympiade. Iam si ab illo tempore retrò numeres, peruenies vsque ad secundum annum Iotham.

Et paulò pòst idem Aphricanus inquit: Quicquid apud Græcos vetustatis laude excellit, id omne longo interuallo Mosen sequitur.

Herodotus incoat suas historias à Cyro, & fatetur ipse fine rubore, ea quæ anteceſſerũt Perſicam monarchiam, magna ex parte esse incerta & fabulosa.

Quod verò ad νομοθεσίαν attinet, teste vtamur Strabone, qui libro Geograph. 16. clarè affirmat, omnium legum in mundo antiquissimas esse Mosaicas.

Eusebius lib. 12. præparat. Euangel. diserte scribit, Platonem esse imitatorem Moysi in libris de legibus. Qui libri Platonis, velut gemmæ insignes inter reliqua eius scripta eminent. Monet autem Eusebius & in libris Moysi & Platonis de legibus: Consideranda esse ἀρχαιολογίαν historiæ antiquitatem, & νομοθεσίαν legum autoritatem. Narrat Moses in Genesi & Exodo historias primorum patrum, & initia Ecclesiæ populi Iudaici. Postea exponit leges non humana, sed diuina authoritate sancitas. Eadem methodo vtitur Plato in libris de legibus.

Hæc cùm ita sint, teneamus Tertulliani regulam traditam in libro aduersus Praxeam:

Hanc regulã bis repetit Tertullianus in libro aduersus Praxeam, & in libro de præscriptionibus aduersus hæreticos.

Id esse verum quodcunque primum, id esse adulterinum quodcunque posterius.

Primum est, quod est traditum à Prophetis & Apostolis.

Meminerimus etiam eiusdem autoris verba in Apologetico aduersus gentes, quæ insigne encomium librorum Moysi continent. Primam instrumentis autoritatem summa antiquitas vendicat. Apud vos quoque religionis est instar, fidem de temporibus asserere. Omnes itaque substantias, omnesque materias, crigines,

ordines veterani cuiuſque ſtyli veſtri, gentes etiam pleraſque & vrbes inſignes, hiſtoriarum cauſas & memoriarum, ipſas denique effigies literarum indices cuſtodeſq; rerum, & tutò adhuc minus dicimus, ipſos inquã Deos, ipſaque templa & oracula & ſacra vnius interim Prophetę ſcrinium ſeculis vincit, in quo videtur theſaurus collocatus totius Iudaici Sacramenti, & inde etiam noſtri.

Cicero diſputans de immortalitate animæ in Thuſc. quæſt. vtitur probatione ſumta ab antiquitate. Autoribus, inquit, ad obtinendam hanc ſententiã vti poſſumus, in primis q antiquitate: quæ quo propius aberat ab ortu & diuina progenie, eò melius quæ erant vera cernebat.

Huic memorabili dicto adiungantur verba Iuſtini Philoſophi & Martyris, quæ extãt in Apologia pro Chriſtianis ſcripta ad Antoninum pium Imperatorem: Moſes antiquior eſt omnibus ſcriptoribus Græcis, & quæcunque Philoſophi & Poëtæ de immortalitate animæ & de pœnis poſt hanc vitam, & de conſideratione cæleſtium dogmatum ſcripſerunt, ea à Prophetis mutuati ſunt tanquam ſemina veritatis.

Fons doctrinæ Chriſtianæ eſt primus liber Moyſi. Nam in tribus capitibus primis ſemina totius doctrinæ Chriſtianæ ſparguntur.

Secundus gradus complectitur vaticinia Prophetarum de Chriſto, de ſerie monarchiarum, & de aliis rebus magnis, quas Deus ſoli Eccleſiæ patefecit. Nam de tempore aduentus Meſsiæ docent nos vaticinia Iacob Patriarchæ Geneſ. 49. & Danielis 9.

Patriarcha Iacob cùm vocatus eſſet ad vitę exitum, & ſingulis filiis, qui erant numero duodecim, futuros rerum euentus prędixiſſet, Iudæ, qui erat quartus inter filios, hoc vaticinium tradidit: Non auferetur ſceptrũ de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat Siloh, id eſt, Meſſias. Nam ipſa appellatio ſignificat felicem & fauſtum, cui omnia cedunt & prona ſunt. Eſt autem ſceptrum à Iudæis ablatum, cùm Pompeius ſexaginta annis ante Chriſtum natum in Sabbatho cœpiſſet vrbem. Poſtea Herodi à Iulio & Auguſto regnum fuit conceſſum.

De

De loco autem notæ sunt Michææ 5. ca. & Hag. 2. cap. prædictiones.

Haggeus qui gubernauit Ecclesiam vnà cum Zacharia post reditũ populi ex Babylone, prædixit Messiam traditurum esse suam doctrinam, & editurum miracula in templo secundo. Sic enim inquit: Magna erit gloria domus istius nouissimæ, maior quàm primæ domus.

De miraculis Christi Esaias ca. 35. perspicuè vaticinatus est. Tunc aperientur oculi cæcorũ, & aures surdorum patefient, tunc saliet claudus sicut ceruus, & soluta erit lingua mutorum.

Esaias propter perspicuitatem prophetiæ de Christi passione, à multis dictus est Euangelista.

Sed multò clarius idem Propheta de passione & resurrectione Christi concionatus est capite 53.

Prædixerunt etiam vates nostri vniuersalem vocationem gentium ad societatem æternæ Ecclesiæ, & perpetuam vastationem politiæ Iudaicæ post exhibitum Messiam.

Cùm gentes appellantur, cogita chaos quoddam errorum, idolorum, scelerũ, turpitudinũ.

Adde huc seriem monarchiarum prædictam à Daniele cap. 2. & 7. Adde etiam oracula eiusdem Prophetæ de Antiocho Epiphane ca. 8. & 11. qui est typus regni Pontificij, & de Mahomete cap. 7.

Daniel cap. 2. interpretatur somnium regis Babylonici Nabuchodonosor, de quatuor monarchiis. Primùm caput aureũ significat primam monarchiam. Pectus argenteum, Persicam. Tibiæ seu pedes æi significant regnum Alexandri & successorum eius. Pedes partim lutei, partim testacei significant Romanum imperium & eius reliquias. Eadem prophetia repetitur cap. 7. vbi prima monarchia comparatur leoni, secunda vrso, tertia pardo, quarta bestiæ truculentæ.

His prædictionibus nostrorum vatum euentus respondisse, testantur historiæ non solùm Ecclesiæ, sed etiam Ethnicæ.

Venit enim Christus Dominus & Saluator noster eo ipso tempore, de quo Prophetæ di-

Testimoniũ Iosephi de Christo, quod extat lib. 18. ἀρχαιολογίας cap. 4. Extitit eo tempore

xerunt: & natus est in Bethlehem: & genus doctrinæ, quod profitebatur, confirmauit resuscitatione mortuorum, & aliis mirandis factis congruentibus ad vaticinium Esaiæ. Constat præterea hunc Dominum crucifixum esse secundum Scripturas Prophetarum, & tertio die resuscitatum, Apostolis mandata dedisse de colligenda Ecclesia, non tantùm ex semine Abrahæ, sed etiam ex omnibus gentibus. Iesus vir sapiens, siquidem virũ eum dicere fas est. Erat enim operum opinionem fidémque omnem excedentium effector, & hominum eorum, qui libenter veritatem complecterentur, Magister. Multos enim simul & ex Iudæis & ex Græcorum superstitione in disciplinã suam assciuit, Christus is fuit. Et cùm eum principum apud nos virorũ delatione Pilatus crucis supplicio affecisset, non tamen, qui antea erant eum complexi, consectari supersederunt. Apparuit quippe illis tertia pòst die superstes & rediuiuus, quandoquidem diuini Prophetæ & hoc & alia admiranda de eo vaticinati fuerant, & ad hodiernum vsque diem, quæ ab eo est cognominata, Christianorum gens non defecit. Hæc ille.

Hanc collectionem Ecclesiæ secuta est deletio politiæ Iudaicæ & perpetua vastitas. Etsi enim instauratio aliquoties tentata & incoata est: tamen hi conatus contra decretum Dei inanes & irriti fuerunt. Iudæi etiã post deletum templum & vrbem bis conati sunt instaurare Ierosolymã. Primùm sub Hadriano, instinctu Ducis furiosi cuiusdam Bencosban, sed illa multitudo repressa est ab Hadriano, qui postea interdixit cæteris Iudæis, vt non auderent ex magno interuallo aspicere ruinas & rudera Ierosolymæ. Secundò sub Iuliano Apostata, quo iubente & adiuuante eandem rem tẽtarunt, sed infelici pariter euentu. De quo his verbis scribit Ammianus Marcellinus: Iulianus imperij sui magnitudinem memoria opum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa & interneciua certamina obsidente Vespasiano, postea à Tito ægrè est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumq; maturãdum Alipio dederat Antiochensi, qui olim Britannias procurauerat præfectus. Cúmque is rei eidem fortiter instaret Alipius, iuuaretq; prouinciæ rector, metuendi

metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris insultibus erumpentes fecere locum exustis aliquoties operantibus. Hócque modo elemento obstinatius repellente cessauit inceptum.

Quid dicam de serie Monarchiarum, quam Deus voluit Ecclesiæ notam esse, quia vult sciri has humani generis confusiones non fore sempiternas, sed aliquando finem futurum esse, & secuturã meliorem Ecclesiæ vitam. Vult item sciri, quo tempore Filius Dei se patefacturus fuerit hominibus, & postea in fine mundi iudicaturus.

Tres sunt formæ Reipublicæ. Prima dicitur monarchia, altera Aristocratia, tertia, Democratia. Apud Herodotum post mortem Cambysis filij Cyri, agitata est disputatio à principibus regni Persici de optima forma gubernationis. Tãdem Darius successor Cambysis, consentientibus reliquorum principum suffragiis obtinuit Monarchiam antecellere reliquas formas propter has causas.

1. Quia Democratia facilè degenerat in anarchiam, cuius exemplum vidimus anno 1525. quo tempore in Germania exarsit tumultus Rusticorum. Et Sophocles in Antigone inquit: Maius esse malum ἀναρχίαν, quàm tyrannidem.

2. Quia Aristocratia facilè degenerat in ὀλιγαρχίαν, quæ est paucorum gubernatio, magis seruiens priuatæ quàm publicæ vtilitati. Etsi autem omnium rerum humanarum magna est instabilitas: tamen cùm conferuntur Ideæ Rerumpub. verisimum est Monarchiã esse optimam, propter illas superiores, & has sequentes duas causas. 1. Quia proximè accedit ad maiestatem & similitudinem gubernationis diuinæ, de qua Aristoteles in polit. lib. 12. citat versum Homeri: Multos imperitare malum est, rex vnicus esto. 2. Quia in monarchia facilius retinetur ordo legum, executio pœnarum & εὐταξία, quàm in ἀριστοκρατία & Democratia.

Res autem ostendit quatuor monarchias præteriisse, & post inclinationem quartæ monarchiæ exorta esse duo regna impia & belligerãtia cum vera Ecclesia, quorum alterum creuit lege astutissimè cogitata, & blas-

Regnante Heraclio, qui Phocæ successit anno Christi 623. cœpit exoriri Mahometus in Arabia, & deleuit omnes articulos Symboli, & excogitauit legem astutissimam (quæ dicitur Alcoranus) paulò antè iacta sunt fun-

phemiis contra Filium Dei: alterum ſuperſtitione traditionum humanarum.

Hæc igitur congruentia prædictionum propheticarum & euentuum, qui ante oculos verſantur, in regno Chriſti & in imperiis, teſtatur doctrinam Propheticam veram & à Deo traditam eſſe. Cùm enim reſpõdent euentus, qui à nulla creatura proſpici poterant, manifeſtum eſt à Deo monſtratos eſſe, & vocem Prophetarum diuinã eſſe.

damenta regni Pontificij, regnãte Phoca, qui interfecit ſuum Dominum Mauricium.

Si quis homini indocto vellet perſuadere certitudinem Aſtronomiæ, nullum haberet euidentius & magis populare argumẽtũ quàm prędictiones ecclipſiũ, quibus euentus exactiſsimè reſpondet. Nam Mathematici non tantùm definiunt annum, ſed etiã menſem, diem, horam, & ipſa minuta durationis Ecclipſeos. Vt autem cùm videmus ipſa φαινόμενα reſpondere Mathematicis prædictionibus, conuincimur non eſſe fabuloſam ſapientiam, quam profitentur: eodem modo congruentia prædictionum & euentuum eſt euidentiſsimum teſtimonium de certitudine doctrinæ Chriſtianæ: Obſeruentur igitur hæ duæ regulæ.

1. Collatio prædictionum cum hiſtoriis eſt teſtimonium prouidentiæ. Teſtatur enim res magnas in Eccleſia & imperiis non caſu geri, ſed diuino conſilio.

2. Congruentia euentuum cum prædictionibus eſt teſtimoniũ de veritate doctrinæ Chriſtianæ.

TERTIVS GRADVS continet miracula, quæ ſunt opera naturę omnipotentis, & teſtantur hanc doctrinã à Deo traditã eſſe, vt reſuſcitatio mortuorum, conſeruatio Nohæ in diluuio, eductio populi Iſraël ex Aegypto, & miranda facta edita in deſerto, conſeruatio hominum in mediis flammis, regreſsio Solis & ſtatio, partus virginis, fœcundatio matronarum, quæ & natura

Diabolus poteſt imitari tanquam ſimiolus quædam opera Dei in natura inferiori, ſed non eſt ei conceſſum vel vnum punctum mutare in motibus cæleſtibus. Quia ſemel ex cælo eſt detruſus, nec in cælo vllum ius habet amplius. At Dei mandato ſtetit Sol ad preces Ioſuæ, Ioſ. 10. Idẽ Sol regreſſus eſt ad preces Eze-

natura ſteriles, & propter ætatẽ effœtæ fuerunt.

Sed omnia miranda opera ſuperat conſeruatio & inſtauratio Eccleſiæ, & miniſterij Euãgelici, quod Diabolus omnibus ætatibus partim manifeſta vi, partim Sophiſtica delere conatus eſt.

chiæ, & Eſaiæ cap. 38. Sara nonagenaria peperit filium.

Apud Plutarchũ in vita Theſei extat oraculum Sybillæ de Athenis: ἄστος βαπίζει, δῦναι δ' τοι οὐ θέμις ἐστὶν. Id verius pronũciatur de ſtatu Eccleſiæ, quæ ſæpe veluti vter aquis fluctuantibus innatat, ſed nunquam mergitur. Vt autem alia miracula ſunt certi temporis & loci, & ad certas perſonas referuntur: ita hæc conſeruatio Eccleſiæ omni tempore & in locis incertis ſummum & maximum eſt miraculum.

Nam cæteræ ſectæ etiamſi aliquandiu durauerunt, tamen oppreſſę non inſtaurantur, cùm omnia reuelet dies, quò quicquid diutius durat, magis etiã probetur neceſſe eſt.

Cicero 2. de natura Deor. Opinionum commenta dies delet, iudicia naturæ confirmat. Id eſt, mendacium etſi ad tempus demulcet auditores: tamen tandẽ euaneſcit, veritas enim eſt victrix omnium calumniarum. In libro Eſther agitatum legitur problema hoc, quæ res ſit fortiſsima, aliis vinum, aliis mulieres, aliis regem reſpondentibus, quidam ſubiicit, veritatem eſſe omnium rerum fortiſsimam.

QVARTVS GRADVS ſumitur à collatione doctrinarum. In aliis ſectis ſunt manifeſti furores, qui oſtendunt eas à Diabolo ortas & profectas eſſe, vt Ethnici coluerunt infinitam turbam Deorum, mactarũt humanas hoſtias, approbarũt confuſiones libidinum, tanquam conceſſas voluptates & ſpectacula gladiatorum.

Apud Herodotum lib. 7. hæc eſt ſententia: Sicut auri bonitas tunc facillimè noſcitur, quando alteri auro comparatur: ita collatio ſententiarum & doctrinarum valde illuſtrat veriorem & perfectiorem doctrinam.

In comment. Iulij Cæſaris de bello Gallico, eſt exemplum mactationis humanarum hoſtiarũ apud Gallos veteres. Plutarchus in apophthegmatis ait de Gelone Tyranno Siculo, quòd cum viciſſet Carthaginenſes, inter alias conditiones pacis, etiam hanc tulerit, vt deſiſterent à conſuetudine mactandi filios Saturno.

Gladiatores in historiis Romanis vocantur, qui duello vel μονομαχίᾳ inter se congressi sunt, neque prius destiterunt, donec vel alter, vel vterque extinctus esset. Durarunt illa spectacula teste Theodoreto lib. 5. vsque ad tempora Honorij, qui promulgauit legem de abrogatione horum spectaculorum. Præco istius legis fuit saxis obrutus. Tanta vis est malæ consuetudinis.

Sic Turci sunt blasphemi aduersus filium Dei, & faciunt diuortia sine legitima cognitione, & dimissas rursus ducunt & abiiciunt, cùm libet, denique polluti sunt cruore sanctorum.

Etsi autem Papistæ pertinaces non reiiciunt ex professo scripta Prophetica & Apostolica, tamen defendunt manifesta idola, & prohibent coniugia sacerdotum & certos cibos, & his sceleribus addunt Neronianam sæuitiam.

Semper autem in vera Ecclesia mansit integra doctrina legis, & damnati sunt manifesti furores, qui sunt signa impietatis, & doctrina de essentia & voluntate Dei, de Mediatore, de Spiritu sancto, de causis & remediis peccati & mortis, de immortalitate animæ, de resurrectione corporum, de futuro iudicio, de vita æterna, sine corruptelis fundamẽti explicata est. Hæc collatio Ecclesiæ & aliarũ sectarum bonas mentes valde confirmat.

Ethnici etsi retinuerunt aliquam particulam legis: tamen horribiliter discesserũt à primo præcepto, inuocatione mortuorum, vt Herculis & similium heroum. Itẽ excogitata turba Deorum prodigiosa, vt testatur theogonia Hesiodi. Deinde à quinto discesserunt mactatione humanarum hostiarum & spectaculis gladiatorum. A sexto discesserũt teterrima cõfusione libidinum, quas adeo approbarunt, vt aliquas etiam in Cypro & Aegypto in sacrificiis admiscuerint. Promissio de Mediatore prorsus abolita & extincta fuit ex memoria Ethnicorum. Vera autem Ecclesia integram legis doctrinam, sine manifestis idolis & furoribus, & promissionem de Mediatore per Spiritum sanctum custodiuit. Meritò igitur hac nota, videlicet possessione integræ legis & promissionis de Mediatore distinguitur ab omnibus sectis vera Ecclesia.

QVINTVS GRADVS est ex- Hic gradus declarari potest perientia

perientia terrorum in contritione, & consolationum fidei, illustrãs doctrinam de Deo, & diiudicãs dogmata. Nam lex Dei non est inanis sonitus, sed ignis consumens stipulas, & conterens petras, vt Ieremiæ 23. dicitur. Euangelium verò est ministerium Spiritus & vitæ, hoc est, consolatur & viuificat corda, monstrato Filio Dei. In his motibus Spiritus sanctus trahit & confirmat corda, vt iam cõuinci se fateantur, & Euangelio assentiri firmiùs incipiant.

exemplo medico. Ars medica duplices habet demonstrationes. 1. Aliquæ ex principiis extruuntur, quales sunt, Contraria contrariis curantur, Similia accessione similiũ augentur &c. 2. Pleræque sumuntur ab effectibus seu experientia, vt laudatur hiera, cuius vsus est in ardẽti febri, id docet experiẽtia. Eodem modo experientia spiritualis, quæ consistit partim in contritione, partim in viuificatione, est testimonium certitudinis doctrinæ. Vnde Augustinus: Credens scit se credere. Et Paulus ad Hebr. 11. fidem appellat ἔλεγχον, id est, notitiam, qua conuincimur, veras esse promissiones Euangelij.

Stipulas, id est, omnem persuasionem nostræ sapientiæ aut iustitiæ, qualis est Pharisaica.

Petras, id est, corda ferrea, secura & Epicurea, vt Cain etsi initio in eo dolor hebes est: tamẽ ipso Deo accusante peccatum, in tantam cõsternationem tandem incidit, vt illam blasphemam vocem edat: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam mereatur.

De hac confirmatione loquitur Epiphanius, cùm inquit contra Apostolicos: Diuinus sermo indiget speculatione & sensu: vocat enim speculationem, diligentiam Grammaticam & Dialecticam, videlicet consideratione phrasis, collationem locorum Scripturæ, definitiones, diuisiones, & iustas consequentias in argumentis. Sensum verò nominat agnitionem peccatorum, & consolationem & viuificationem in corde, vt Rom. 8. dicitur: Spiritus dat testimonium spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Cùm enim corda sentiunt se à Deo terreri, & rursus erigi ac viuificari: fatentur doctrinam veram esse, & eam firma assensione amplectuntur.

Verba Epiphanij sunt fol. 221. πάντα τὰ θεῖα ῥήματα ὐκ ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλὰ ὡς ἔχει. Θεωρίας δὲ δεῖται, καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν.

SEXTVS GRADVS est fortitudo martyrum in vincendis impiis illecebris & terriculamẽtis. Hoc testimonio scribit se per motum esse Iustinus martyr, vt doctrinam Ecclesiæ amplecteretur, in apologia ad senatum Romanum, pag. 133. Ego quidẽ qui Platonicis delectarer disciplinis, cùm Christianos calumniosè deferri audirem, videremq; eos magno animo mortem aliaque terriculamenta despicere, cogitaui non posse fieri, vt tales in flagitiis deliciisque viuerent. Paulus Rom. 5. amplificans & exaggerans amorem Christi erga nos, cuius præcipuum testimonium est mors, sic inquit: μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τὶς ἀποθανεῖ· ὑπὲρ γὰρ ἀγαθοῦ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν, id est, necesse est, eum magna via amoris permoueri, qui alteri benefacit cum suo dolore, sine spe proprię vtilitatis, & sine obligatione ciuili. Pro iusto, id est, pro re iusta seu causa iusta, seu debito. Pro bono, id est, pro bona & suaui re. Quasi dicat, Homines incitati aut cupiditate, aut opinione magnę vtilitatis faciliùs suscipiunt pericula. At Filius Dei nihil debuit nobis obligatione ciuili. Sed propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælo, & hoc fecit sine respectu & spe suæ vtilitatis. Ita Martyres cùm fuerint homines sapientes & modesti, non furiosi, nec dubitarint tamẽ corpora sua tradere in mortem, & stolas suas lauare in sanguine agni, hac ipsa cõstantia sua in suppliciis testati sunt de certitudine doctrinæ Christianæ.

Quotusquisque enim languidis liquefactus voluptatibus mortem sibi prodesse putet, vt per eam deliciis earumque instrumentis priuetur, & non potius illud agat, vt semper hanc vitam viuat, Magistratusque & leges fallat. Tantum abest, vt se ipsum ad supplicium offerat. Nihil potest dici generosius, quàm quod Paulus inquit Rom. 5. Gloriamur non tantùm in spe gloriæ filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus, quasi dicat: hac etiam re gloriamur, quòd Deo præstamus obedientiam in afflictionibus. Paulus ad Philip. 1. inquit: Vobis donatum est à Christo, non solùm, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Sed hæc faciliùs dicuntur, quàm fiunt à nobis, quemadmodũ Liuius inquit: Multa sunt dictu quàm factu faciliora. Vnde quidam monachus verè dixit in conuentu Augustano anno 30. Difficile est amplecti doctrinam Euangelij, quia tales

tales oportet ſæpe orare, & ſingulis momentis expectare ictum carnificis. Sed quomodo crux eſt gloriosa? Reſpondeo. 1. Quia ornat gloriam Dei teſtimonio veræ doctrinæ, vt Paulus à Nerone interfectus ſuo ſanguine teſtatur doctrinam eſſe veram. Deinde ſuo exemplo in auditorum animis eam confirmat. Tertiò hoc ipſo exemplo multos inuitat ad Eccleſiæ ſocietatem.

Teneantur ergo de hoc gradu duo inſignia & memorabilia dicta, vnum Athanaſij, alterum Tertulliani. Sic enim Athanaſius inquit: Qui verè in Chriſtum credunt, mori millies malunt, quàm fidem Chriſti abnegare. Sciunt enim ſe moriendo non perire, ſed per reſurrectionem fieri immortales.

Congruit hoc cum illo Tertulliani: Fiducia Chriſtianorum eſt reſurrectio mortuorum. Omnes enim articuli fidei referuntur ad tres poſtremos, Credo remiſsionem peccatorum, credo carnis reſurrectionem, credo vitam æternam. Propter hos amplectimur totum ſymbolum, & hac ſpe amiſſa, ſumus miſeriores omnibus beſtiis, vel ſicut Paulus inquit 1. Corinth. 15. Si in hac vita tantùm in Chriſtum ſperamus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

Tertullianus verò in apologetico: Plures, inquit, efficimur, quoties metimur à vobis. Semẽ eſt ſanguis Chriſtianorum. Quò enim plus illius funditur, hoc vberior in agro Domini meſsis cõſpicitur. Hæc eſt victoria noſtra, quæ & habet gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternum: hęc palmata veſtis: tali curru triumphamus.

Poſtremus gradus ſumitur à pœnis hoſtium huius doctrinæ.

Non ſolùm enim Tyranni, qui Eccleſiam armis delere conati ſunt, vt Pharao, Sennacherib, Antiochus Epiphanes, Nero, Iulianus & alij innumerabiles: ſed etiam blaſphemi aduerſus Filium Dei, & doctrinam Eccleſiæ, vt Simõ Magus, Cerinthus, Manes, Neſtorius, & noſtra ætate multi horrendis exemplis iræ Dei in medio curſu oppreſi

Certaẽ inter Ieremiam & Pontifices tandem diiudicauit Nabuchodonoſor, deleto templo Hieroſolymitano: Iudæis multis occiſis: pluribus in captiuitatem abductis. Sic inter Apoſtolos & Iudæos litem diremerunt Romani, qui deleuerunt templum & totam vrbem. Ita deleti ſunt hæretici, Donatiſtæ, Neſtoriani, Eutychiani & multi

atque extincti sunt. Solet enim Deus controuersias de dogmatibus tandem diiudicare, deleta parte blasphema.

Quamobrem cogitantes de antiquitate huius doctrinæ, quam Ecclesia amplectitur, & de ceteris gradibus testimoniorum, sine dubitatione statuamus hanc solam doctrinam de Deo veram esse, & constanter reiiciamus alias sectas pugnantes cum fundamento, quod in Ecclesia non humano, sed diuino consilio positum est, & iuxta Petri præceptum attendamus Prophetico sermoni, tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec lucifer in nostris pectoribus exoriatur.

alij. Ita non dubium est Deum etiam hac ætate editurũ testimonia suæ potentiæ aduersus fanaticos homines, qui nec ipsi quiescere possunt, nec alios quiescere sinunt.

Qui plura desiderat de his gradibus testimoniorũ, legat 1. Iustinum Martyrem & philosophum in duabus Apologiis. 2. Tertullianum in apologetico aduersus gentes. 3. Eusebium in libris 15. de præparatione Euangelica. 4. Ambrosium contra Symmachũ. 5. Orationem de Ambrosio in declamationibus Philip. Melanth. 6. præfationem Philippi in tomũ 4. operum Latinorum Lutheri.

2. Petri. 1. Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Lucifer significat illustriorem sapientiam, qua fruemur in vita æterna.

DE METHODO DOCTRINAE CHRISTIANAE.

IN ceteris artibus, quarum normæ sunt principia & vniuersalis experientia, corpus doctrinæ traditur, aut κατὰ σύνθεσιν [*per compositionem*] aut κατὰ ἀνάλυσιν [*per resolutionem*] aut methodo ὁριστικὴ καὶ διαιρετικὴ [*definitiua & diuisiua*] vt Galenus in libris de elementis, de temperamentis, de facultа-

cultatibus naturalibus, de vſu partium, de locis affectis, de methodo medendi & aliis ſequentibus vtitur compoſitione. In libro περὶ συςάσεως ἰατρικῆς vtitur reſolutione. In libro, qui inſcribitur μικροτέχνη, tradit nudas definitiones & diuiſiones ſine demonſtrationibus.

Methodus eſt duplex. Vna generalis, quæ pertinet ad totum corpus alicuius artis ſeu doctrinæ. Altera ſpecialis, qua ſingulæ partes cuiuſque artis explicantur. Generalis methodi in philoſophia & artibus, quæ extruuntur ex principiis & vniuerſali experientia, tres ſunt formæ:

Prima eſt συνθετικὴ, altera ἀναλυτικὴ, tertia ὁριςικὴ ἢ διαιρετικὴ. De his tribus formis generalis methodi loquitur Galenus in lib. de arte medendi. Prima, inquit, ratio docendi per reſolutionem ex finis notione & intelligentia ſumitur: altera componit ea, quæ inuenta ſunt ſagacitate reſolutionis. Tertia eſt definitionis & partium eius expoſitio. πρώτη μὲ διδασκαλίων ἡ ἐκ τῆς τέλους ἐννοίας κατὰ ἀνάλυσιν γινομένη. δευτέρα δ' ἡ ἐκ συνθέσεως τῶν κατὰ τὴν ἀνάλυσιν εὑρηθέντων. τρίτη δ' ὅρου διαλύσεως.

Hæc poſſunt explicari exemplo artis medicæ. Galenus in præcipuis libris, quos ſcripſit, vtitur via compoſitionis, vt quando orditur à diſputatione de elementis, quæ ſunt principia humani corporis, iuxta Medicorum ſententiam. Deinde progreditur ad temperamenta, quæ exiſtunt ex varia mixtione elementorum inter ſe. Tertiò diſputat de facultatibus naturalibus, quæ ſunt comites temperamentorum. Cùm autem facultates naturales hæreant in aliqua parte corporis, differit de vſu partium humani corporis. Et quia temperamẽta & facultates naturales, & ipſæ partes ſæpe lædũtur à δυσκρασίᾳ, differit de locis affectis. Tandem tradit methodum medendi, cuius finis eſt ſanitas.

Eſt igitur compoſitio, quando ordimur à principiis, & per media procedimus vſque ad finem. Inuerſus ordo eſt ἀνάλυσις, reſolutio. Hoc ordine vtitur Galenus de conſtitutione artis medicæ. Cùm enim finis artis ſit ſanitas, orditur ab illo fine, & regreditur per media vſque ad prima principia ſeu elementa.

Tertia methodo ὁριςικῇ vtitur in parua arte, vbi primùm conſtituit definitionem artis medicæ. Medicina eſt cognitio ſanorum, ægrorum & neutrorum. Poſtea cùm in magna varietate ſint ſana, ægra & neutra, ſingulas illorum partes & ſpecies explicat.

Analyſis ſeruit artium inuentioni: ſyntheſis magis prodeſt ad artes & tradendas & explicandas. ὁριστικὴ methodus, quæ contenta eſt nudis definitionibus & diuiſionibus ſine demonſtrationibus, in compendiariis præceptis artium vſitata eſt.

Nulla verò harum formarum propriiſsimè loquendo congruit ad doctrinam Eccleſiæ, reſpectu totius corporis. Etſi enim in explicandis rebus ſacris vtimur definitionibus & diuiſionibus: tamen quæ ad corpus doctrinæ pertineat, non alia methodus reperitur, quàm hiſtorica ſeries, cuius quaſi epitome eſt Geneſis in quatuor prioribus capitibus.

Nominatur autem hiſtorica ſeries ordo, quo res vt ſunt geſtæ, ſolent narrari. Ac tota Scriptura nihil aliud eſt quàm commentarius ſcriptus in hæc quatuor capita. Sicut Sol eſt dux & moderator luminum in cælo, ita Moyſes eſt dux chori Prophetarum.

Harum formarum nulla ad doctrinam Eccleſiæ congruit. Etſi enim adminiculis definitionum & diuiſionum in Eccleſia carere non poſſumus: tamen corpus doctrinæ Chriſtianæ hiſtorica ſerie proponitur, cuius ſanctiſsimus & anguſtiſsimus fons eſt primus liber Moyſi.

Nam in hoc libro deſcribitur creatio mundi & hominum, inſtitutio Eccleſiæ & coniugij: lapſus primorum parentum: cauſæ mortis & calamitatum: reſtitutio Eccleſiæ & pœnæ mitigatio: prima promulgatio promiſsionis de Saluatore reddituro iuſtitiam & vitam æternam. Poſtea recitatur generatio primæ ſobolis, & oſtenditur qualis fuerit prima Eccleſia, & quæ certamina ſtatim inter fratres exorta ſint, ac ibi conciones legis recitantur, & ſancitur lex, quæ prohibet & punit homicidia, & expreſsè traditur articulus de venturo iudicio. Harum maximarum rerum doctrina quatuor capitibus primi libri Moyſis incluſa eſt, quæ in corpore doctrinæ Chriſtianæ eadem ſerie explicatur. Primùm enim dici ſolet de Deo, & de rerum fabricatione ex nihilo, deinde de hominum creatione & lapſu, & de peccato originis, poſtea de lege, de diſcrimine legis & Euangelij, de iuſtificatione & renouatione Eccleſiæ, de Sacramentis, de cauſis calamitatum & remediis, de politico ordine, de coniugio. His locis ſeu titulis ſumma doctrinæ comprehenditur, quæ Eccleſiam ab aliis gentibus diſcernit. Hæc de generali methodo.

Poſtea

Postea verò in singulorum locorum methodica explicatione, vtimur aut notissimis quæstionibus, aut serie prędicamentorum, aut pro arbitrio nouum quędam ordinem instituimus, aut certis hypothesibus cõtenti sumus, vt verbi causa. Cùm de peccato disserimus, vsitatas quę stiones adhibemus, quid sit peccatum, quę sint eius species, quę causæ, qui effectus.

Specialis methodus est, quæ pertinet ad explicationem singulorum locorum theologicorum. Etsi autem difficile est, certas formas specialis methodi enumerare: tamen liceat nobis docendi causa hac distinctione vti, vt prima species sit vsitata, cuius præcepta traduntur in fine primi libri Erotematum D. Philippi Melanthonis. In hac methodo peruulgata, primùm quęritur, an sit res, deinde quid sit, postea enumerantur partes seu species. Adduntur causæ, effectus, cognata, pugnantia.

Secunda forma ab aliis nominatur Anatomica, ab aliis prædicamentalis, quia congruit ad seriem decem prædicamentorum. Ac medici tradentes ἀνατομὴν, ordine eunt per prædicaměta, vt cùm de corde disputant, primùm de substantia cordis quærunt, qualis sit caro. Postea quæ sit figura cordis. Tertiò quæ sit δύναμις & κρᾶσις, seu temperamentum cordis. Quartò, quæ sit actio, quis motus & vsus cordis. Quintò, quæ sint passiones cordis seu motus violenti, quibus cor extinguitur. Tandem mõstratur positus & situs cordis, & quæ sunt his cognata.

Tertiam formam nominemus sanè Geometricam. Nam Geometræ sæpe vtuntur hypothesibus, id est, propositionibus positis & concessis, quæ alibi demonstrantur. Sæpe etiam per deductionem ad impossibile conuincunt auditorem.

Postremam formam nominare solemus Arbitrariam, quæ pro cuiusque arbitrio potest institui. Alius autẽ maiori dexteritate præditus est alio, sicut in omnibus rebus certi gradus sunt donorum.

Cùm autem de Ecclesia dicendum est, ordine imus per prædicaměta, vt auditor discat, quæ, quãta, qualis, & vbi sit Ecclesia, quid agat, quare cruci subiecta sit, an inde vsque ab

Erudita & bona est methodus, quæ vocatur vsitata seu Dialectica methodus, sed non habet locum in omnibus materiis. Videndum est quid ferat, quid recipiat vnaquæq; materia. Et iuxta

initio fuerit, & an perpetuò duratura sit.

Horatium: Ridetur chorda qui semper oberrat eadem.

In aliis locis nec ad quæstiones peruulgatas, nec ad seriem prædicamẽtorum alligati sumus, sed nostro arbitrio eligimus ordinẽ propositæ materiæ maximè cõgruentẽ, vt locos de magistratu, de coniugio, & de ceremoniis humanis, certis quibusdam regulis cõplectimur. Locum de libertate Christiana in aliquot gradus distribuimus. In loco de bonis operibus has quæstiones explicamus, an sit necessaria in recõciliatis noua obedientia, & quo modo regenda sit, an sit possibilis, propter quas causas prestanda sit, quomodo differat infirmitas sanctorum à corruptelis fundamenti, & à lapsibus contra conscientiam.

In hac re fuit summus artifex Philippus Melanthon. verè autẽ de hoc viro potest dici, quod Statius de Virgilio pronunciat.

Nec tu diuinum Aeneida tenta,
Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

Nam illud quod in Philippo fuit peculiare, est inimitabile aliis.

In loco de cruce initio discernuntur genera calamitatum, deinde monstrantur causæ impulsiuæ & finales, tertiò proponuntur remedia, quæ non tantùm cicatricibus, sed etiam vulneribus medentur. Ad hæc adiungitur discrimen patientiæ philosophicæ & Christianæ.

Hæc methodus planè est medica. Simili enim ratione vtuntur medici in curatione morborum. Medicus cùm accedit ad ægrotum, primò quærit, qualis sit morbus, & ex quo genere: deinde cognito genere quærit causas morbi, quales sunt vel διαχρασία, vel solutio continui. Tertiò cognitis causis inuestigat remedia. Tandem præcipit ægro conualescenti, quo victu sit vtendum, & quomodo præterea viuendum sit. Sic cùm volumus afflictos consolari, primùm videndum est genus calamitatum. Deinde monstrandæ sunt causæ impulsiuæ & finales. Tertiò adhibenda sunt remedia, id est, loci consolationum. vltimò præcipiendum de patientia Christiana.

Sæpe etiam certis hypothesibus contenti sumus, vt in loco de electione, id est, prædestinatione, has hypotheses firmissima assen-

sione

ſione amplectimur: etiamſi nõ omnes præſtigias, quæ contrà ſtruuntur, deſtruere poſſumus: quòd videlicet nuſquam ſint electi, niſi in cœtu vocatorum, & quòd omnes in agone perſeuerantes in fide & inuocatione Filij Dei ſint electi. Qui enim nolunt in his hypotheſibus acquieſcere, confirmant in ſuis animis & aliorum, Epicureum cõtemtum Dei aut deſperationem. Hæc breuiter de methodo totius corporis & ſingularum partium doctrinæ Chriſtianæ dixiſſe ſatis ſit.

In loco de electione prima hypotheſis eſt de toto corpore electorum, quæ extat Rom. 8. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, &c. Eſt igitur in verbo & vocatione Dei acquieſcendum, & vt boni eſt Grammatici, ita pij eſt Theologi quædã ignorare. Cur enim, vt venuſtè inquit Auguſtinus in Enchiridio, quæritur cum diſcrimine, quod poteſt ignorari ſine crimine? Secunda hypotheſis pertinet ad ſingula membra. Extat autem Matth. 24. Qui perſeuerauerit vſque ad finem, ſaluus erit. Et in Apocalypſi: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Ergo ſi quis ante finem vitæ, aut in ipſa migratione animæ à corpore non deſperat, non contemnit Deum, ſed inuocat fide, quamuis languida, eum ſtatuere potes eſſe in cœtu electorum.

Sequitur vt paucas admonitiones ſtudioſis proponam, de optima ratione diſcendi doctrinam Eccleſiæ. Hanc verò Paulus 1. Timoth. 4. breui dicto cõplexus eſt: Aſſiduus eſto in lectione, doctrina & conſolatione. Sit igitur hæc prima admonitio ex Pauli dicto ſumta: Quotidie legant ſtudioſi pietatis aliquot capita in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & ordine legant integra Biblia. Nam hæc conſuetudo alit non modò pietatem, ſed etiam eruditionẽ, vt norunt omnes, qui huic admonitioni obtemperant.

Paulus hoc dicto non ſolùm hortatur, vt diligenter & aſſiduè legamus ſcripta diuinitus tradita, ſed monſtrat etiam optimam rationem docendi & diſcẽdi doctrinam Eccleſiæ propriã. Nam philoſophia & Euangeliũ differũt dupliciter. 1. Principio. Cùm diſcis Arithmeticam, non ordiris à lectione aut à libellis Arithmeticis, ſed affers ad ſcholã notitias naturales diſcernentes vnum & plura. Sed doctrinam Euangelij non ordimur à notitia naturali, ſed à lectione Bi-

bliorum. Nam ſapientia Euangelij eſt ignota non tantùm hominibus, ſed etiam Angelis, ſine patefactione Dei ſingulari, iuxta dictum Baptiſtæ Iohan. 1. Deum nemo vidit vnquam, Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.

2. Fine. Finis philoſophiæ aut eſt cognitio liberalis, aut eſt actio laude digna. Quemadmodum enim duplicia ſunt principia, ſpeculabilia & practica: ita duo ſunt fines vniuerſæ philoſophiæ: diſcimus doctrinam de motibus ſyderum propter ſpeculationes, Ethicam propter actiones. Nam vt inquit Ariſtoteles: virtutis laus non conſiſtit in cognitione, ſed actione. Euangelij autem finis eſt neque ſola cognitio, neque ſola actio, ſed conſolatio viuificans cor in terroribus mortis, & accendens initia lætitiæ victricis peccati & mortis, vt latro in cruce talem audit conſolationem: Hodie mecum eris in paradyſo. Medium autē commune eſt quodam modo in philoſophia & Euangelio, videlicet doctrina. In medio igitur aliquo modo congruunt. Sed hoc nō intelligatur vniuerſaliter de re, ſed de modo rei.

Sunt autem adminicula lectionis cognitio linguarum Ebraicæ & Græcæ, Grammatica & Dialectica, notitia hiſtoriarum Eccleſiæ & Ethnicarum, aſpectio locorum terræ ſanctæ, doctrina phyſica de plantis, de animantibus, de opificio corporis humani, de potētiis animæ, epitome philoſophiæ moralis.

Optima ratio diſcendi Theologiam conſiſtit in tribus, iuxta Lutherum, in meditatione, precatione, & tentatione. Epiphanius eandem ſententiam his verbis recitat contra Apoſtolicos: Scriptura diuinitus tradita indiget duabus rebus, ſpeculatione, & ſenſu. Idem Lutherus & Epiphanius dicunt, ſed diſsimili forma verborum vtuntur.

Meditatio enim eſt aſsidua & diligens lectio Prophetarum, Apoſtolorum & Euangeliſtarum, & collatio vtriuſque Teſtamenti veteris & noui. Vt enim vetus Teſtamentum eſt fons noui, ita nouum eſt lux veteris, id eſt, Chriſtus & Apoſtoli in nouo Teſtamento omnes ſuas cōciones hauriunt ex Moſe & reliquorum Prophetarum monumentis. Ideo Chriſtus inquit Iohan. 5. Scrutamini Scripturas, quia illæ teſtimonium perhibent de me: Et poſt reſurrectionem in colloquio cum duobus diſcipulis euntibus in Emaus, deducit Eccleſiam ad Moyſi, Dauidis, & reliquorum Prophetarum ſcripta. Et Petrus Act. 10. in domo Cornelij: Huic (Chriſto) omnes Prophetæ teſtimonium dant. Et idem Petrus. 2. Petri. 1. Habemus firmum

mum Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes. Paulus verò vbique citat & illuſtrat Moyſen, pſalmos, & in primis Eſaiam. In Euangelio & epiſtolis Apoſtolorum nihil dicit Chriſtus ad Apoſtolos, nihil de Chriſto Apoſtoli, ſine Prophetarum teſtimoniis. Cõtrà verò nemo poteſt vtiliter verſari in lectione veteris Teſtamenti, niſi ad eam accedat inſtructus cognitione earum rerum, quæ explicantur à Chriſto & Apoſtolis. Ita tradunt mutuas operas Prophetæ & Apoſtoli, vt quondam in arca fœderis duo Cherubim iungentes alas, & ſeſe mutuò aſpicientes. Non poteſt autem feliciùs legi Scriptura, quàm mediocri guſtu cognitionis linguarum percepto. Nam vetus Teſtamentum eſt ſcriptum Hebraicè, nouum Græcè. Ex quo intelligitur faſciolas Chriſti, quibus inuolutus eſt, eſſe linguam Hebraicam & Græcam. Sed quid ſentiendum eſt de verſionibus? Reſpondeo. Duplex eſt nauigatio, prima & ſecunda. Si non prima alicui conceditur, ſit contẽtus ſecunda, Id eſt, Si non potes ipſe cognoſcere fontes, acquieſce in riuulis. Sed veriſimum eſt:

Dulciùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Sæpe in vno vocabulo plus eſt ponderis & momenti, quàm in longis Commentariis.

Iam quod ad artes attinet: omnino Grammatica & Dialectica opus eſt Theologo. Nam tria ſunt officia boni interpretis. 1. vt ſit bonus Grammaticus. 2. vt ſit bonus Dialecticus. 3. vt ſit teſtis veræ ſententiæ. Grammatica enarrat vocabula & phraſes. Dialectica oſtendit ordinem in concionibus Propheticis & Apoſtoliçis.

Quàm neceſſaria ſit notitia hiſtoriarum, declarabo vno exemplo. Non poteſt vnum caput Danielis enarrari ſine cognitione hiſtoriarum. Quid enim in 2. & 7. capite de quatuor Monarchiis? quid in octauo de Dario vltimo, & Alexandro Magno? quid in vndecimo & duodecimo de bellis, quæ geſſerunt reges Syriaci & Aegyptij, dicet interpres ſine lectione Herodoti, Xenophontis, Thucydidis, Polybij?

Chorographicæ deſcriptiones terræ ſanctæ proſunt ad Moyſen intelligendum. Nam Moſes duxit populum per deſertum à rubro mari vſque ad montem Sinai, poſtea cum populo vagatus eſt 40. annos in deſerto, tandem per Iordanem venit Ioſua in terram ſanctam. De his rebus parum intelligitur ſine inſpectione tabularum Geographicarum.

Phyſica opus eſt propter plantarum & animalium hiſtorias, vt

Christus Matth. 13. vtitur parabola de margarita, seu vnione. De illa nihil concinnè dici poterit, nisi nota sit descriptio, quæ apud Theophrastum extat. Ethicæ disputationes multum lucis afferunt explicationi Decalogi, & epistolis Paulinis, in quibus crebræ sunt conciones de virtutibus.

Secunda admonitio. Psalmi Dauidis non tantùm assiduè legantur, & in memoriæ thesauro reponãtur, sed etiam in quotidiana inuocatione & gratiarum actione recitentur. Nam ardens & attenta precatio magis conducit ad augendam spiritualem sapientiam, quàm multorum dierum lectio.

In nouo Testamento Euangelium Iohannis & epistola Pauli ad Romanos excellunt. Nam hæc duo scripta verè sunt claues, quibus aperiuntur fores Scripturæ Propheticæ. In veteri Testamento excellunt quinque libri Moysi, qui sunt fontes totius sacræ Scripturæ. Deinde psalterium, quia psalmi sunt parua quædam Biblia, & vt veteres dixerunt tribulatorum solatia. Nam effectus psalmorum sunt, vt describuntur in Cantico:

In labore requies
In æstu temperies
In fletu solatium.

Hos Duces Mosen & Dauiden sequitur Esaias, qui splendidissimè concionatur de persona & beneficiis Messiæ, de passione & resurrectione, de vniuersali vocatione gentium. Illi igitur sciant se profeciſſe in Theologia, quibus valde placet Moses, Dauid, Esaias, Iohannes Apostolus, & Paulus.

Tertia admonitio. Ne autem lectio sit puerilis, prudenter discernantur Lex & Euangelium, & singulæ partes concionum Propheticarum & Apostolicarum ad hæc duo genera dextrè accommodentur. Teneat etiam studiosus summam doctrinæ Christianæ traditam in Catechesi, aut in aliis methodicis scriptis, & cogitet in lectione, ad quos articulos testimonia vel exempla referenda sint.

Quarta admonitio. Postquam mens ex fontibus Israel hausit necessariam doctrinam de omnibus articulis fidei, & salutares cõsolationes, adiungat lectioni & doctrinæ exercitia pœnitentiæ, fidei, inuocationis & tolerantiæ in ærumnis, in quibus vera lux sapien-

ſapientiæ ſpiritualis magis magisque accenditur. Quia regnũ Dei non conſiſtit in ſermone, ſed in virtute, hoc eſt, in vero timore Dei, vera fiducia, inuocatione, ſpe, gratiarum actione, lætitia in Deo, ardenti ſtudio veræ obedientiæ, ſiue res ſint ſecũdæ ſiue aduerſæ. Hæc & ſimilia complexus eſt Paulus vocabulo virtutis, ſimul diſcernens à piis hypocritas, qui ſunt arguti ciues ſine virtute tanquam præficæ.

Cicero 1. officiorum: Virtutis laus non in cognitione, ſed in actione conſiſtit. Ariſtot. 1. Ethic. cap. 7. inquit: Quædam principia vt ſpeculabilia declarantur per inductionem, vt: totũ eſt maius ſua parte. Sed principia practica declarantur aſſuefactione. Non intelligitur doctrina de temperantia, niſi te aſſuefeceris ad exercitia temperantiæ. At principia Theologica non aliter intelligũtur niſi aſſuefactione.

Præfica eſt mulierecula conducta mercede ad lamentandum in funere, quæ terendo oculos extorquet falſas lachrymas. Apud Tertullianum comparantur tales hypocritæ ſtatuis Mercurialibus, quæ monſtrant aliis viam, ſed ipſæ non ambulant. Sic multi multa ſcribunt ac docent, ſed nihil eorum faciunt.

Suprà etiam recitaui inſigne dictum Epiphanij contra Apoſtolicos, quod regulam continet gubernatricem totius ſtudij Theologici.

Apoſtolici fuerunt ſimiles Encratitis, abſtinuerunt à certis cibis. &c.

Diuinus ſermo non indiget allegorica interpretatione, ſed in propria ſententia intelligatur. Indiget autem ſpeculatione & ſenſu, vt materiæ diſcernantur & rectè accipiantur. Quid autem ſit ſpeculatio & ſenſus, admonitiones quas poſui, ſatis declarant. Hactenus prolegomena recitata ſunt. Nunc Deo iuuante ad doctrinam de Deo accedemus.

LOCVS DE DEO.



HVIVS Loci decem capita ſunt. Caput primum eſt fundamentum totius Theologiæ, videlicet patefactio diuina. Nam primum principium eſt: Ita de Deo loquendum & ſentiendum, & ſic Deus inuocandus & colendus eſt, ſicut ſe in certo verbo & non fallentibus teſtimoniis patefecit inde vſque ab initio poſt conditum genus humanum & Eccleſiam. Patefactio igitur eſt baſis, qua nititur totum ædificium doctrinæ Chriſtianæ.

Secundum caput eſt de duplici inuocatione, vera & falſa. Non enim traditur hæc doctrina propter otioſas ſpeculationes, ſed propter exercitia pietatis.

III. Definitio Dei. In hoc capite collatio fit mancæ & mutilæ definitionis Platonicæ, & illius, quæ in Eccleſia vſitata eſt.

IIII. Exponit proprietates & virtutes Dei, vt ſunt ſapientia, iuſtitia, bonitas, &c.

V. Continet teſtimonia de vnitate eſſentiæ diuinæ.

VI. Exponit duas regulas Auguſtini de operibus Dei internis & externis.

VII. Monſtrat explicationem vocabulorum eſſentiæ & perſonæ, οὐσίας καὶ ὑποστάσεως.

VIII. Recitat teſtimonia veteris Teſtamenti de articulo Trinitatis.

IX. Diſcernit tres perſonas Diuinitatis, & recitat duo diſcrimina, alterum arcanum, à proprietatibus interioribus Dei ſumtum, alterum à beneficiis erga Eccleſiam.

X. Complectitur diſcrimen inter naſci & procedere, ſeu inter generationem Filij & proceſsionem Spiritus ſancti.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De patefactione Dei.

PATEFACTIO diuina est actio Dei externa, qua Deus immensa bonitate & misericordia, ex illa sua arcana sede & luce ignota omnibus creaturis prodiens, allocutus est homines familiariter, & sua voce tradidit legem & promissionem de Mediatore, & addidit testimonia non fallentia suæ doctrinæ, resuscitationem mortuorum & alia, vt testaretur, se cura salutis nostræ affici, & communicaret nobis suam sapientiam & bonitatem, & traderet Ecclesiæ certam normam iudicij, cultuum & morum.

Definitio patefactionis est causalis. Nam recitat causas, efficiẽtem, impulsiuam, & finales, quæ sunt præcipuæ in cuiuslibet rei explicatione. Definitionis genus est actio Dei. Huic generi additur differentia, Externa, vt mõstret discrimen inter actiones Dei internas & externas: internæ fiunt in ipsa essentia Dei extra creaturas, sine principio & fine, & sine vlla tẽporis circumscriptione, vt quòd Pater gignit Filium, Filius gignitur, Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Externæ actiones Dei sunt, quibus Deus se patefecit generi humano & Ecclesiæ, primùm per creationem cæli, terræ, angelorum, hominum &c. Deinde per sustentationem & conseruationem: denique per alias actiones, quarum longa est enumeratio.

Clausula, prodiens ex arcana sua luce, sumta est ex Paulo, qui eodem modo loquitur 1. Timoth. 6. Beatus & solus potens, rex regum, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem. Ceteræ particulæ definitionis paulò pòst explicabuntur in commemoratione causarum.

Etsi autem profani homines non cogitant, quanta res sit, quòd Deus clara voce & illustribus testimoniis suam essentiam & voluntatem inde vsque

Tria ostendunt magnitudinẽ & dignitatem huius beneficij, videlicet patefactionis diuinæ. 1. Discrimen inter naturales notitias de Deo & de Lege Dei, &

ab initio Eccleſiæ patefecit: tamen pij amplitudinem huius beneficij vtcunque æſtimare poſſunt ex collatione naturalium notitiarum, & huius admirandæ lucis: ex hiſtoria primorum parentum: & ex furoribus aliarum ſectarum, quæ ſunt ignaræ patefactionis diuinæ.

inter hanc admirandam lucem, ad quam vocati ſumus ex tenebris. 1. Petri 2.

2. Hiſtoria primorum parentum poſt lapſum, cùm adhuc nondum eſſet promulgata promiſsio. Nobis illa ſunt vilia, quia quotidiana, ſicut Auguſtinus rectè dicit: Miracula aſsiduitate vileſcunt, quaſi dicat: Aſsiduitate quotidiana & conſuetudine oculorum aſſueſcunt animi, vt neque admirentur, neque requirant rationes earum rerum, quas ſemper vident, perinde quaſi nouitas nos magis quàm magnitudo rerum debeat ad exquirendas cauſas excitare. 3. Turpitudo furorum Diabolicorum, qui in aliis impiis ſectis dominantur, vt apud Turcos, Iudæos & Papiſtas pertinaces.

Indidit Deus menti humanæ aliquam lucem, quæ eſt agnitio Dei & Legis, & notitia de obedientia Deo debita, & de iudicio Dei. Impreſsit etiam ſingulis naturę partibus veſtigia ſuæ ſapientiæ, potentiæ & bonitatis, quorum conſideratione naturalis notitia de Deo, quæ nunc eſt obſcurior, excitatur, vt Rom. 1. Paulus inquit: Inuiſibilia Dei, videlicet æterna ipſius potentia & diuinitas in opificio mundi, & in ordine operum conſpiciuntur.

Hoc dictum Pauli intelligendum eſt, non tantùm de ratiocinatione quęrente veſtigia in creaturis, ſed etiam de lumine ſimplici. Sicut nos non numeraremus, niſi naturaliter ſciremus, quid eſſet vnum, quid multa: Ita non deprehenderemus veſtigia Dei in creaturis, ſi non eſſet aliqua ſcintilla monſtrans & regęs viam in illa conſideratione. Beſtiæ certè aſpicientes cælum non poſſunt colligere eſſe Deum.

Et in Actis cap. 17. dicitur: adeo prope adeſſe Deum, penè vt manibus contrectari poſsit. Sed hæc ſcintilla, quæ partim eſt lumen ſimplex, vt in ſcholis loquimur, partim ratiocinatio

Hanc ſententiam expreſsit Stigelius: Cuius veſtigia monſtrat
Autoris natura memor, qui ſolus & vnus
Omnia perpetua Dominus ratione gubernat.

quærens

quærens veſtigia Dei in natura, non aliter concutitur dubitationum fluctibus & procellis, quàm vndæ & arenæ contrariis ventis in Syrtibus agitantur.

Tota rerum natura eſt teſtis de Deo, ſed præcipuum teſtimonium eſt mens & fabricatio corporis humani.

Magnæ enim & triſtes dubitationes languefaciunt aſſenſionem de Deo, de prouidentia, de iudicio Dei, de minis & promiſsionibus diuinis, de præſentia Dei in ærumnis, vt oſtendunt prodigioſæ diſputationes philoſophorum, & querelæ in tragœdiis.

D. Philippus dicere ſolebat: Poſt lectionem Bibliorum nulla lectio vtilior eſt, quàm Tragœdiarum Aeſchyli, Euripidis, Sophoclis & Senecæ: In tragœdiis ſunt conciones legales de pœnis atrocium ſcelerum, & ſumma omnium tragœdiarum hæc eſt: Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos. Hæ verò conciones legales ita ornantur & illuſtrantur theſibus, αἰξήσει, & illo affectuum genere, quod dicitur πάθος, vt nihil poſsit ad ſummam eloquentiam addi. Poſt Catecheſin & Biblia proponendæ ſunt tragœdiæ principibus, propter exempla pœnarum immodeſtiæ & tyrannidis.

Qualis extat in Hippolyto Senecæ:

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, ſpargitq; manu
Munera cæca, peiora fouens.

Hippolytus filius Theſei, accuſatus fuit à nouerca Phœdra apud patrem, quaſi tentaſſet pudicitiam nouercæ. Pater cęca ſuſpicione & falſis querelis coniugis adductus, diras & imprecationes aduerſus ipſum dixit, quarum executor fuit Neptunus.

Et Telamon pater Aiacis vno verſu locum totum conficit, cur Dij homines negligant. Nã ſi curent, bene bonis ſit, malè malis, quod nunc abeſt.

Præcipuum argumentum Epicuri contra prouidentiam eſt:

Iuſtitiæ & prouidentiæ Dei congruit benefacere bonis, & punire improbos.

Sed videmus in hac vitæ confuſione contrarium fieri. Boni enim à malis opprimuntur.

Ergo nulla eſt prouidentia & iuſtitia.

RESPONDEO.

Duplex est solutio, vna legalis, altera Euangelica. Legaliter respõdeo primùm ad maiorem. Maior loquitur de iis quæ plerunque fiunt, non de raris exemplis, quæ videntur à regula dissentire. Est autem hoc regulare, vt atrocia delicta puniantur atrocibus pœnis etiam in hac vita, ac de Tyrannis adeo vera est hæc regula, vt Iuuenalis dicat:

Ad generum Cereris, sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

Deinde & hoc ex lege responderi potest: Peccata atrocia puniuntur aut in proprio corpore, seu in ipsis personis delinquentibus, aut in semine & posteritate.

Ex Tyrannis tres possunt nominari, quorum mors fuit placida. 1. Dionysius Maior, sed postea filius Dionysius minor debita à Patre cõtracta persoluit. Is enim à Dione Principe Syracusano pulsus fuit in exilium, & ad tantam inopiam redactus, vt in vrbe Corintho ludum literarium aperuerit. 2. Sylla, qui cùm crudelissimè gubernasset, placidè fuit mortuus. 3. Tyberius, sub quo Christus passus est. Hic etiam placidè expirauit. Dignum est autem memoria dictũ Isocratis, qui in oratione περὶ εἰρήνης inquit: Tutius est sequi regulam, quàm sperare impunitatem propter pauca exempla, quæ sunt contraria. Non enim exemplis, sed legibus iudicandum est. In Euangelica solutione respondeo ad minorem: Ecclesia est iusta. Ergo illi debet bene esse. Ecclesia est iusta in hac vita primùm imputatione propter Mediatorẽ, sicut psal. 2. dicitur: Beati omnes, qui confidunt in eo. Deinde est iusta incoatione, sed quia reliquum est peccatum in hac massa, necesse est corpus mortificari propter peccatum, spiritu viuente propter iustitiam. Deinde & hoc ex Euangelio addendum est: Præcipuæ pœnæ & præcipua præmia differuntur vsque ad vniuersale iudicium, in quo discernetur Ecclesia ab impiis. Piis dabit Christus æterna præmia propter promissionem, impiis æternas pœnas. Non enim vult Deus ornare Ecclesiam præmiis fugacibus & euanescentibus, sed durantibus & sempiternis.

Quare cùm tanta mole dubitationum scintilla, de qua dixi, oppressa & pœnè extincta sit, perspicuum debet esse, quantum beneficium sit, quòd Deus non tantùm sua voce legem & Euangelium promulgauit, tanquam lucernam lucentem in loco caliginoso, sed

ſed etiam per Prophetas & Apoſtolos literis mandauit teſtimonia de ſua eſſentia & voluntate.

De hoc beneficio præclarè Tertullianus in Apologetico. Sed quò plenius & impreſsius tàm ipſum, quàm diſpoſitiones eius & voluntatem adiremus, inſtrumentum adiecit literaturæ. Si quis velit de Deo inquirere, & inquiſitum inuenire, & inuento credere, & credito deſeruire.

Deinde conſideremus hiſtoriam primorum parentum, quæ euidentiſsimè oſtendit huius boni dignitatem atque amplitudinem. Cùm enim lapſi eſſent, nihil aliud cogitare poterant, quàm ſe in æternum perituros eſſe. Ita enim ex Lege ratiocinabantur:

Iuſtitia Dei immutabilis eſt, vt inobedientes pereant.

Ergo immutabile eſt decretum de noſtro exitio.

D. Bernhardus in ſermonibus de feſto annunciationis Mariæ, vt nominant, hac illuſtri pictura & proſopopœia hiſtoriam lapſus & receptionis primorum parentum deſcribit.

Cùm primi parentes lapſi eſſent, nec poſſent eripi ex morte vllius creaturæ conſilio & auxilio, duæ virtutes Dei, videlicet iuſtitia & veritas, accuſarunt primos parentes in hanc ſententiã:

Omnes Lex obligat vel ad obedientiam integram ſine peccato, vel ad æternam damnationem.

Primi parentes non præſtiterunt obedientiam quam Deus poſtulat.

Ergo congruit iuſtitiæ & veritati Dei, vt homo morte moriatur, & perpetuò abiiciatur inter Diabolos.

Hæc fuit triſtis accuſatio primorum parentum, quam confirmauit teſtimonium propriæ conſcientiæ ipſorum. Ex altera parte patrocinatæ ſunt duæ virtutes primis parentibus: miſericordia, & pax ſeu placabilitas. Summa autem reſpõſionis & apologiæ hæc fuit: Fatemur veram eſſe orationem iuſtitiæ & veritatis, ſed cùm Deus etiã ſit miſericors & placabilis, congruit miſericordiæ Dei, ne fruſtra aut tantùm ad æternas miſerias ſit homo conditus. Quare te Fili Dei ſupplices oramus, vt opem & ſalutem feras miſeris hominibus accuſatis à iuſtitia & veritate, & lapſis ac impulſis à Diabolo. Filius Dei ad apologiam reſpondit: Moriatur iuſtus pro peccatore, atque ita ſatisfiet vtrique virtuti in Deo, iuſtitiæ ſcilicet & miſericordiæ. Audita

hac responsione aliquam habebant spem melioris status, & discurrebant per cælum & terram ad omnes creaturas, misericordia & pax, sed nec inter Angelos potuerunt reperire talem iustum, qui posset redimere genus humanum. Redeunt igitur supplices ad Christum, & implorant rursus eius opem, & addunt in fine hanc conclusionẽ: Qui dedit consilium, ferat auxilium. Ibi Filius Dei obtulit se æterno Patri ad pœnam, & promisit se soluturum esse λύτρα, assumta carne nostra. Hæc est causa, inquit Bernhardus, cur Filius Dei missus sit ad Ecclesiam.

Sed quorsum hæc? Vt ostendatur differentia Legis & Euangelij. Ita differunt Lex & Euangelium, sicut in iure summum ius, & æquitas seu ἐπιείκεια. Lex est summum ius, & hæc non admittit dispensationem sine probabili ratione, sicut Iurisperiti dicunt: Dispensatio non sit dissipatio. Hæc dispensatio Legis est vox Euangelij. Probabilis ratio est obedientia Filij Dei, propter quam Deus dispensat de sua Lege.

Huic argumento cùm nulla creatura respondere posset, Filius Dei solutionem monstrauit, qui ideo λόγος dicitur, quia ex sinu æterni Patris hoc arcanum decretum protulit. Sic igitur minorem explicauit. Iustitia Dei est, vt inobedientes pereant, nisi satisfiat iustitiæ Dei, pœna deprecantis Filij pro genere humano, & in sese iram inenarrabili misericordia deriuantis.

In hac historia clarissimè conspicitur, quantum bonum sit promulgatio promissionis de Mediatore ignotæ omnibus creaturis sine singulari reuelatione.

Sed quoniam homines carendo intelligunt quàm cara sint bona, videamus quanti furores in genere humano grassentur, extincta luce doctrinæ diuinitus traditæ. Narrat Herodotus lib. 7. Athenienses, cùm Xerxes bellum Græciæ intulisset, instituisse sacrificia Boreæ, quòd esset ipsis amicus, quia olim ex Orithyia genuisset filios.

Boreas ventus septentrionalis, dictus à βῶ particula αὐξητικῇ valde, & ῥέειν fluere. vt in βουλιμία, etiam cũ auget. Significat enim famem insatiabilem, seu caninam appetentiam. Cùm mortuos suos inuocant Papistæ, etiam sacrificant ventis, sicut Athenienses Boreæ. Omnis idololatria est sacrificium Boreæ, Etsi enim sæpe fit, vt contingant eiusmodi euentus, quales

quales petuntur à creaturis: tamen hoc non fit, aut voluntate aut omnipotentia iſtarum rerum, quæ inuocantur, vt Athenienſibus reſpondit euentus. Nam Xerxes in fugam coniectus eſt: ita captiui inuocantes ſanctos in Papatu, ſæpe fuerũt liberati permiſsione Dei, qui fuit paſſus, vt ſic illuderet Diabolus hominibus.

Scribit Tertullianus in apologetico. In Aphrica vſitatas fuiſſe mactationes infantium in ſacrificiis Saturni vſque ad Tyberium eius prouinciæ proconſulem, qui principes talis impietatis, crucibus quaſi ex voto affixit in ipſis luci arboribus, quæ tantum ſcelus ſuis ramis contexerant.

Differunt proconſules, prætores & præſides. Quædam enim prouinciarum erant Senatoriæ, quædam populares, quædam imperatoriæ: Gubernatores prouinciarum miſsi à Senatu dicebantur proconſules: miſsi à populo, prætores: miſsi ab imperatoribus Romanis dicebantur præſides.

Verba Tertulliani adſcribam, ne quis hæc fingi ſuſpicetur. Infantes penes Aphricam Saturno immolabantur palàm vſque ad proconſulatum Tyberij, qui eoſdem Sacerdotes in iiſdem arboribus templi ſui obumbrãtibus ſcelera votiuis crucibus expoſuit, teſte militia patriæ noſtræ, quæ id ipſum munus illi procõſuli functa eſt. Et Euſebius lib. 5. præparationis Euangelicæ nominatim recenſet gentes, apud quas nullus fuit finis talium furorum.

Hanc horrendam cæcitatem hominum, qui non reguntur voce Euangelij, deploremus, & Deo gratias agamus, quòd Eccleſiã à talibus furoribus reuocauit ad veram agnitionem & inuocationem Filij Mediatoris, qui cum Patre & Spiritu ſancto eſt Deus benedictus in ſecula.

Vt autem medici cauſa morbi inuenta, curationem eſſe inuentam putant, ita hoc loco conſideratis cauſis & circunſtantiis patefactionis, res tota fit illuſtrior.

Si quis igitur quærat quæ cauſa Deum impulerit, vt ſe Eccleſiæ patefaceret, autore vtar Nazianzeno, qui in concione de natiuitate Filij Dei ex virgine, ſic inquit: Cùm bonitati non ſuffi-

In primo capite de patefactione 4. partes ſunt obſeruandæ. 1. Ipſa definitio patefactionis di-

ciat ſe ipſam conſiderare, ſed bo ni natura ſit ſeſe diffundere, & aliis communicare, quæ in ipſo ſunt optima: Deus, in quo eſt ſumma bonitas, condidit angelos & homines, & in hos radios ſuæ ſapiẽtiæ, bonitatis & libertatis transfudit. Hæc ille.

Cauſæ verò, quæ finales appellantur, in definitione recitatæ ſunt. Non fruſtra toties tam illuſtrib. teſtimoniis Deus ſe patefecit. Oſtendere voluit, ſe verè affici cura noſtræ ſalutis. Voluit & ſuæ vocis ac doctrinæ teſtimonia nobis tradere, in qua cæleſtia munera & ſocietatem ſuæ beatitudinis nobis impertit, nec magis Patres, Prophetas & Apoſtolos in illis ipſis familiaribus congreſsibus acquieſcere voluit, quàm in ipſa doctrina vult omnes omnium ætatum homines acquieſcere.

uinæ. 2. Quantum ſit bonum, quòd Deus ſe patefecit non tantùm in creatione mundi, angelorum & hominum, ſed etiam promulgata Lege, & edita promiſsione de Mediatore. 3. Quæ ſint cauſæ impulſiuæ & finales, propter quas Deus ſeſe patefecerit. 4. Cõſideratio circũſtantiarum, loci, temporis & modi, quę valde illuſtrant doctrinam de patefactione.

De prima & ſecunda parte hactenus dictum eſt. Sequitur pars tertia, ex qua tria ſunt diſcenda. 1. Quæ ſint cauſæ impulſiuæ patefactionis. 2. Quæ ſint cauſæ finales. 3. Ad quem vſum hęc doctrina ſit transferenda ſeu de applicatione.

De cauſis impulſiuis.

Vt intelligatur quid impulerit Deum ad ſe patefaciendum, cõſideretur natura boni. Omne bonum eſt κοινωνικὸν, gaudet cõmunicatione ſuæ bonitatis: econtra omne malum eſt diſsipatiuum & deſtructiuum ſui & aliorum. De his axiomatis ſępe dicitur in Dialecticis, vbi quidem recitantur tres proprietates boni, quarum maximè illuſtre exemplum eſt in Deo. Primùm Deus cùm ſit optimus & fons omnis boni in tota rerum natura, libenter ſua bona, quæ ſunt in ipſo optima, creaturæ rationali communicat. Eſt ergo bonũ communicatiuum: deinde non tantùm condidit creaturas, ſed conſeruat etiam & ſuſtentat eas, ideo eſt bonum conſeruatiuum. Tertiò condidit genus humanum ad congregationem, quam conſeruat in ſcholis & in templis mira ratione. Eſt ergo bonum congregatiuum. Malum verò nõ eſt communicatiuũ ſui, niſi quatenus vult nocere. deinde eſt diſsipatiuum, diſtrahit voluntates hominum & omnes honeſtos

honeſtos cœtus: Tertiò eſt deſtructiuum, ſicut Diabolus lætatur deſtructione humani generis, cùm ipſe ſit peſsimus. Transferamus nunc has boni proprietates ad creaturam. Sol eſt optima creatura inter eas, quæ ſunt irrationales. Non igitur tantùm luce ſua mundũ illuſtrat, ſed etiam hac ſuæ lucis communicatione gaudet, quemadmodum pſalm. 19. dicitur: Soli poſuit tabernaculum in cælis eius. Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt Gygas ad currendam viam. Quid eſt in terra optimũ? Fons. Nam fontis natura eſt ſe ſe diffundere, & quanquam ſæpe obſtruitur iniecto cœno aut lapidum mole: tamen luctatur contra oppoſitas moles, & ſi non poteſt recto curſu fluere in prata, tamen vbicunque rimula datur, erumpit.

De cauſis finalibus.

1. Deus voluit teſtari ipſo facto, ſe affici cura noſtræ ſalutis. Niſi enim nos paterno amore complecteretur, non tantum laborem noſtri cauſa ſuſcepiſſet in creatione, in miſsione Filij, in donatione Spiritus ſancti. Apud Clementem Alexandrinum hæc extat ſententia: Diligitúrne homo à Deo? Quomodo non diligatur, propter quem Filius vnigenitus & cariſsimus ex ſinu æterni Patris ad nos demittitur. 2. Quia Deus ſuam voluit doctrinam obſignare certis teſtimoniis, reſuſcitatione mortuorum, & ſui Filij, glorioſo triumpho Chriſti in aſcenſione, manifeſta effuſione Spiritus ſancti in Apoſtolos, vult nos acquieſcere in hoc ipſo genere doctrinæ, in inuocatione & omni cultu Dei. Hinc igitur ſequitur vſus & applicatio. Sicut infans ſedet in materna aluo, & nutritur non per os, ſed alitur per vmbilicum, qui attrahit nutrimentum ex cotyledonibus ſeu acetabulis, quæ ſunt in vtero matris, ita Eccleſia eſt ineluſa verbo Dei, & geſtatur in aluo Dei, donec edatur in lucem vitæ æternæ. Hæc ſimilitudo ſumta eſt ex Eſaia 46. Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à me in vtero, qui geſtamini à me vſque ad ſenectam, ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram, ego portabo & ſaluabo.

Quæ cùm ita ſint, meminerimus Eccleſiam non aliter ad verbum alligatam eſſe, quàm fœtus in aluo materna ſecundinæ, quæ Græcis χόριον dicitur, alligatus eſt, & agnoſcendum eſſe Deum, ſicut ſe patefecit, & in omni cogitatione & inuocatione hunc Deũ

intuendum esse, qui se patefecit, dato Euangelio, & misso Filio, sicut Filius ipse dicit: Qui videt me, videt & Patrem.

Quod autem ad circunstantias tanti operis & muneris attinet, præclarè epistola ad Hebræos inquit: Multifariam multisque modis olim Deus locutus patribus per Prophetas, in nouissimis diebus hisce locutus est nobis per Filium, quem constituit hęredem omnium, per quē etiam secula condidit. Non enim vno loco aut tempore aut modo se Deus patefecit, sed variis ac diuersis locis, tęporibus & modis Deus de se & de sua doctrina testimonia edidit.

Valde illustria & significantia sunt verba, quibus vtitur epistola ad Hebr. πολυμερῶς inquit, significans hac voce duas circunstantias, primam loci, alteram temporis, quasi dicat, non semel atque iterum, sed multoties, nec vno in loco, sed in variis ac diuersis locis Deus sese Ecclesiæ reuelauit. Deinde addit: πολυτρόπως. Quę vox testatur, autorem illius epistolæ loqui non de vno modo, sed de magna varietate modorum. Post hæc aduerbia sequitur collatio splendida, quæ in sequẽtibus capitibus 2. & 3. magis illustratur. Magnum omnino beneficiũ est, quòd Deus misit Prophetas, per quos tradidit Legem & Euangelium. Sed quid fuerunt Prophetæ? Sancti homines agitati à Spiritu sancto, sed homines tantùm & serui in domo Dei fideles. Filius autem in nouissimis diebus nos allocutus est, per quem condidit Deus secula, id est, omnes creaturas visibiles & inuisibiles, imò qui est fulgor lucis paternæ, & expressa ac solida imago substantiæ Patris. Ego haud scio, an post epistolas Pauli ad Romanos & Galatas extet alia eruditior & dignior lectione. Sed si quis quærat, quæ sit summa illius, Respondeo. Statum huius epistolæ esse psalmum 110. cuius est enarratio hæc epistola: Dixit Dominus Domino meo. Nam in 1. 2. & 3. capite differit de persona Christi, quam discernit ab Angelis & Prophetis, & collocat eum ad dexteram Dei. In reliquis capitibus docet de sacerdotio Christi, & discernit hunc Sacerdotem & eius doctrinam, precationem & sacrificium à doctrina, precatione & sacrificio summi Pontificis Leuitici. Hæc tractat vsque ad caput 11. in quo extat tractatio de fide, deinde in ceteris capitibus concionatur de bonis operibus. Hæc omnia dicuntur splendidè & copiosè. Itaque vel propter exemplum eloquentiæ sæpe hæc epistola legenda est.

Prima

Prima & antiquiſsima, vt ita dicam, officina patefactionis diuinæ fuit regio vicina Damaſco, in qua primos parentes eſſe cõditos non dubium eſt. Hanc ſedem tenuerunt Patres vſque ad diluuium. Poſt diluuium Sem filius Noah, cuius & alterum nomen eſt Melchiſedech. habitauit in Salem, quæ poſtea Ieroſolyma appellata eſt. Abrahæ verò domicilium fuit in Hebron, quæ diſtabat à Salé quinque miliaribus Germanicis.

Damaſcus celebris eſt in Syria ciuitas ad hunc vſque diem, & ſignificat ſaccum ſanguinis. Quia Cain, hypocrita crudelis, in agro Damaſceno interfecit fratrem Abelum. Sack Græcum eſt, Latinum, Hebraicũ & Germanicũ.

Salem fuit domicilium Sem filij Nohæ, qui nominatur Melchiſedech, id eſt, rex pacis & iuſtitiæ, quia fuit imago & typus Chriſti, vt ad Hebr. 7. explicatur. Hebron domicilium Abrahæ dicitur à ſocietate, ſicut Smalcaldia non eſt vnius Domini, ſed partem tenet Landgrauius Haſsiæ, partem Comites Hennebergenſes.

Cùm autem Eccleſia ſemper in mundo exulet, non tantùm in Iudæa Deus innoteſcere voluit, ſed etiam in aliis regnis, in quibus Eccleſia vagata eſt.

Fuerunt igitur propter migrationes Eccleſiæ, officinæ patefactionis diuinæ tria florentiſsima regna, Aegyptium, Chaldaicũ & Perſicum. Vt enim Ioſeph in Aegypto propagauit veram doctrinam de Deo: ſic Daniel quatuor reges ad agnitionem veri Dei vocauit, Nabogdonoſor Chaldæum, & filium eius Euilmerodach, Darium Medum, & Cyrum Perſam.

Poſt exhibitum verò Meſsiam, Euangelium per Apoſtolos & eorum diſcipulos propagatum eſt in toto genere humano, & Eccleſia collecta non tantùm ex ſemine Abrahæ, ſed etiam ex aliis gentibus. Hæc breuis commemoratio declarat, quibus temporibus & quibus in locis ſe Deus inde vſque ab initio patefecerit.

Reſtat igitur, vt modos diuinæ patefactionis conſideremus. Ac primus quidem modus eſt clarum & expreſſum verbum ſine inuolucris propoſitum, vt cõcionis Eſaiæ de paſsione & reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti tanta perſpicuitas eſt, vt non

Caput Eſaiæ 53. ad verbum ediſcendum eſt, quia non tam eſt prophetia de futuris, quàm hiſtoria de rebus præteritis. Pri-

tam futuros rerum euentus prę dicere, quàm res geſtas exponere videatur.

mùm enim in hoc capite extat hiſtoria congruens cum narratione quatuor Euangeliſtarum, quòd ſcilicet Chriſtus admirabili & pene incredibili patientia ſuſtinuerit in corpore & in anima dolores inenarrabiles, neque tamen manſerit in morte, ſed tertio die glorioſè reuixerit, agens triumphum de hoſtibus, & colligens Eccleſiam ex Iudæis & gentibus. Deinde docet de cauſis paſſionis Domini. Non caſu paſſus eſt, aut humano conſilio Caiphæ & Iudæ, ſed vt Petrus Act. 2. loquitur: προγνώσει καὶ βουλῇ τοῦ θεοῦ. De hoc Dei conſilio inquit Eſaias: Et Dominus voluit eum conterere in infirmitate. Tertiò docet de cauſis finalibus. Non paſſus eſt vt fur & latro, ſed vt innocens & immaculatus agnus. Nec paſſus eſt vt martyr ſanctus propter doctrinam, ſed vt poneret animam ſuam pro peccato. Nam paſsio Chriſti non eſt τιμωρία, nec μαρτύριον, nec δοκιμασία, ſed λύτρον. Quartò docet de applicatione & vſu paſsionis. Sic enim inquit: In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos. Quintò proponit concionem vniuerſalem pœnitentiæ & promiſsionis gratiæ. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſq; in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omniũ noſtrum. Sextò de ſacerdotio & regno Chriſti docet. Obtulit non ſanguinem taurorum, ſed ſuam vitam & ſanguinem. Item: De anguſtia & iudicio ſublatus eſt, generationem eius quis enarrabit?

Secundus modus complectitur miracula, quæ ſunt teſtimonia de Deo, de Chriſto & de doctrina.

Tertius modus continet Sacramenta, quæ ſunt ſigna gratiæ, ſeu verba viſibilia, quibus fides noſtra tanquam ſigillis confirmatur. Rom. 4.

Quartus eſt viſio Prophetica, hoc eſt, imago, quæ vigilanti Prophetæ oſtenditur. Tales viſiones habuit Daniel de bellis Syriacis & Aegyptiis, quibus Eccleſia Dei diuiter quaſſata eſt, vt dicitur: aliquid mali propter vicinum malum.

Quintus modus eſt ſomnium Propheticum ſeu imago, quæ dormienti diuinitus offertur. Sic Daniel cap. 7. vidit in imagine ſomni 4. Monarchias, & initia regni Mahometici.

Sextus modus eſt typus ſignificans aliquid de regno Chriſti, vt agnus mactatus in paſchate, ſignificabat agnum Dei tollentem peccata

peccata mundi: Serpens æneus in deserto erat pictura Christi pendentis in cruce.

Sic arca fœderis erat typus Ecclesiæ, quæ est custos Decalogi, mannæ & virgæ Aaronis. Etsi enim ministerium, cuius imago est virga Aaronis, à maxima parte hominum negligitur, aut cõtemnitur, tamẽ floret & gignit amygdalas, id est, fructus Ecclesiæ salutares. Sunt autem duæ partes huius ministerij, Lex & Manna, id est, Euangelium.

Agamus igitur gratias Deo, quantas angustia nostri pectoris concipere potest, quòd non solus sua sapietia & virtute gaudet, sed immensa misericordia se patefecit, dedit Euangelium, instituit ministeriũ Euangelij, per quod est ita efficax, vt multos regeneret ad vitam æternã, in qua effundet in beatos suam mirandam lucem, sapientiam, iustitiam & lætitiam inenarrabilem.

In arca fœderis tria κειμήλια erant reposita. 1. virga Aaronis, quæ cum fuisset arida, floruit & genuit amygdalas. 2. Duæ tabulæ Decalogi, quæ erant scriptę digito Dei. 3. Mensura certa mannæ seu gomor, quę facit quatuor sextarios, Ein halb stubich̃/ vel duos χοινικᾶς. Hæc fuisse in arca fœderis testatur epist. ad Heb. 9.

Est autem Arca fœderis imago Ecclesiæ, quæ est populus Dei confœderatus, non solum edita Lege, sed etiam promulgata propitiatione gratiæ. Hæc arca tegitur propiciatorio, id est, à Mediatore, quemadmodum Paulus ad Rom. 3. explicat: Quem proposuit Deus ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως. Virga Aaronis est pictura totius ministerij Euangelici. Sicut enim virga regimus greges ouium: ita gubernat Deus Ecclesiam voce ministerij. Christus de se ipso interpretatur Manna, Ioh. 6. Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendit.

Allegoria amygdalarum explicatur in quodam carmine Philippi 2. lib. Epigram. & in Declamat. tom. 4. de scala Iacob. Sunt enim partes amygdalæ tres. 1. Vna ambiens & circundans reliquas partes, quę dicitur putamen tenera lanugine vestitum. 2. Secunda est ligneus calix. 3. Tertia est nucleus. Prima significat disciplinam pædagogicam, qua pueri afflue fiunt ad precationes, ad catechesin, ad mores honestos. Ligneus calix est durior disciplina, qua castigantur vel à Deo vel à Magistratu contumaces & inobedientes. Nucleus est imago

Euangelij. Quàm enim ſuauis ſit, & quem vſum habeat in medicinis, omnes norunt.

De diſcrimine veræ & falſæ inuocationis.

CAP. II.

HOC caput monſtrat vſum primi capitis. Nam doctrina de patefactione transferenda eſt ad vſum, quoties de Deo cogitamus, aut eum inuocamus, aut ei gratias agimus. Et quia Deus vult diſcerni ſuam Eccleſiam ab aliis ſectis, neceſſe eſt nos ſeiungere noſtram inuocationem ab Ethnica, Turcica & Iudaica recenti, & omnium defendentium manifeſta idola. De hoc diſcrimine concionatur Chriſtus Iohan. 4. in colloquio mulieris Samaritanæ. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.

Ingens diſcrimen eſt inter veram inuocationem Eccleſiæ & alias impias inuocationes. Nam Ethnici, Mahometiſtæ, Iudæi pertinaces, & omnes idololatræ vagantur, ignorantes quid ſit Deus, & quæ ſit Dei voluntas, vt Hecuba apud Euripidem exclamat: O Iuppiter, quicquid es, ſiue hoc cælum, ſiue mens in cælo, quanquam diu iam ignauos opitulatores inuoco. Aberrant igitur à vero Deo, cumque ignorent promiſsiones de Mediatore, manent in perpetua dubitatione, in qua clamores irriti diſſipãtur in auras, & prorſus ſunt,

Duo ſunt magni errores in inuocatione Hecubę apud Euripidem in Troadibus. Prior de eſſentia Dei, alter de voluntate Dei. De eſſentia inquit Hecuba: O Iuppiter, quicquid es, ſiue hoc cælũ, ſiue mens cælo inſidens. Affirmat igitur ſe dubitare, quid ſit Deus, ſitne hic mundus vel pars mundi, an alia verò natura diſtincta à creaturis. De voluntate

vt

vt Seneca inquit, rumores vacui, verbaque inania & parsollicito fabula somnio.

Dei inquit: Iam diu ignauos opitulatores inuoco, id est, Sentio meas preces non esse efficaces, & nullum eis euentum respondere. Ecclesia autem inuocat verum Deum creatorem cæli, qui genuit ab æterno Filium, & qui vnà cum Filio consubstantiali condidit & conseruat omnes creaturas visibiles & inuisibiles, & misit Filium admirabili temperamento iustitiæ & misericordiæ propter nos homines & propter nostram salutem. Qui in die Pentecostes effudit Spiritum sanctum manifesta luce in Apostolos, & cœtum ipsis coniunctum. Deinde non tantùm de essentia Dei rectè sentit, sed etiam de voluntate Dei certa est. Habet enim promissionem, quæ affirmat nos propter Mediatorem exaudiri, ac propter hunc scit Ecclesia se recipi, & impetrare vel liberationem vel mitigationem, iuxta voluntatem & consilium Dei.

Ecclesia verò alloquitur verum Deum, qui se patefecit tradito verbo per Prophetas & Apostolos, & misso Filio crucifixo pro nobis, & resuscitato, & effuso Spiritu sancto in Apostolos, & fiducia Mediatoris Filij statuit verè suos gemitus respici, & suas preces exaudiri, & certò impetrare vel liberationes vel mitigationes.

Differt igitur dupliciter veræ Ecclesiæ inuocatio ab aliis impiis inuocationibus: agnitione essentiæ, & agnitione voluntatis Dei.

Discant autem studiosi vsitati argumenti solutionem, quæ hæc discrimina valde illustrat:

Omnis inuocans Deum conditorem, verum Deum inuocat.
Turci inuocant Deum conditorem.
Ergo Turci verum Deum inuocant.

Neganda est in hoc argumẽto Minor, quia Turci non inuocant Deum cõditorem, tametsi id iactitant, & valde gloriãtur, se non adorare idola, sed mente intueri conditorem rerum. Negant enim hunc esse Deum conditorem, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, & cum Filio

Argumentum Turcorum speciosum est & populare: Maior vera est, quia & nos dicimus: Credo in Deum Patrem, creatorem cęli & terræ. Sed Minor est reijciẽda per inficiationem. Non enim Turci inuocant conditorem cęli & terræ, quia non tenent verã huius conditoris definitionem. Non enim satis est, credere Deum

& Spiritu ſancto omnes res creauit, & ſe illuſtribus teſtimoniis patefecit. Hanc definitionem cùm aſpernentur, fingunt ſibi ipſi aliud quiddam eſſe Deum ſine Filio, cõtra regulas in Euangelio traditas. Iohan. 5. Qui non honorat Filium, nõ honorat Patrem. Iohan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum. 1. Iohan. 2. Omnis negans Filium, neque Patrem habet: Iohan. 14. Nemo venit ad Patrem niſi per Filium. Iohan. 3. Qui non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in vnigenitum Filium Dei. Item: Qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. 1. Cor. 3. Fundamentum aliud poni non poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. His perſpicuis & firmis teſtimoniis muniti execremur Mahometiſtas, qui doctrinam de perſona & beneficiis Chriſti delent, & ſeiungamus inuocationem noſtram à colluuie Mahometica, & Deo gratias agamus, quòd nos Eccleſiæ ſuæ inſeruit.

eſſe conditorem, niſi & illud addas, quod in ſymbolo ſequitur: Credo in Ieſum Chriſtum Filiũ eius. Item niſi addas poſtremum caput ſymboli de Spiritu ſancto, de Eccleſia, de remiſſione peccatorum, de reſurrectione carnis, de vita æterna. Quicunque autẽ errat de definitione, errat etiam de definito. Quia definitio & definitum cõuertuntur, id eſt, ſunt termini conuertibiles. Quod de vno verum eſt, etiam verum eſt de altero. Cùm igitur Iudæi recentes non teneant, imò negent veram definitionem Dei, nõ intelligunt definitum, id eſt, ignorant verum Deum. Ac vniuerſaliter error in definitione, fons eſt multorum errorum.

Quid

Quid sit Deus.

CAP. III.

HOC caput continet duas definitiones, vnam integram, alteram mancam & mutilam. Prior descriptio traditur in vera Ecclesia, & extra Ecclesiam non est nota naturaliter sine patefactione. Altera Platonis, etsi est erudita, nec simpliciter abiicienda: tamen si conferatur ad sapientiam Ecclesiæ, erit similis Lunæ ad Solem collatæ, imò vix terræ similis erit collatæ ad cælum. Discernenda sunt igitur genera doctrinarum, & considerandæ metæ sapientiæ philosophicæ & mirandæ lucis, quam retinet & illustrat Ecclesia. Etsi autē hæc sunt quotidiana: tamen verè possumus exclamare cum D. Hieronymo, qui commendans verbum Dei in prologo super Biblia, ita inquit: Hoc doctus Plato nesciuit, hoc Demosthenes eloquens ignorauit. Cicero 1. de natura Deorum, recitat narrationem de Simonide. Omnibus ferè in rebus, inquit, & maximè in Physicis, quid non sit, citius quàm quid sit dixerim. Roges me quid aut qualis sit Deus. Autore vtar Simonide, de quo cùm quæsiuisset hoc idem tyrānus Hiero, deliberandi causa sibi vnum diem postulauit: Cùm idem ex eo postridie quæreret, biduum petiuit. Cùm sæpius duplicaret numerum dierum, admirans q; Hiero quæreret, cur ita faceret, Quia quāto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Idem mihi accidit, cùm ex iis locis vbi antea in Papatu vixeram, videlicet ex Friburgo in Brisgoia primùm in has Academias veniissem, & D. Philippus quæreret ex paruo puero, quid est Deus, quid significat λόγος apud Iohannem: mirabar me ea à pueris audire, quæ in Papatu magnis Doctoribus sunt ignota. Sed hoc tempore multi sunt Papistæ similes corniculæ AEsopicæ, ornantes se plumis Lutheranorum.

Deus est essentia spiritualis, increata, æterna, intelligens, verax, bona, iusta, beneficia, calta, misericors, liberrima, immensę potentiæ & sapientiæ, irascens peccatis, Pater æternus, qui Filium ab æterno imaginem suam genuit, & Filius imago Patris coæterna, & Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, sicut Diuinitas pate-

facta eſt certo verbo & teſtimoniis diuinis, quòd Pater æternus cum Filio & Spiritu ſancto cõdiderit cælum & terram, & omnes creaturas, & adſit omnibus creaturis quoad conſeruationem, & colligat ſibi in genere humano Eccleſiam æternam propter Filium, & per eum, & ſit iudex iuſtorum & iniuſtorũ.

Hæc definitio tres habet partes. 1. prima eſt recitatio proprietatum Dei, quarum pleręque ſumuntur ex Decalogo. 2. Secunda monſtrat diſcrimen trium perſonarum in vna eſſentia diuina. Hoc diſcrimen traditur in verbis baptiſmi. 3. Tertia loquitur de operibus Dei præcipuis, vt de creatione & ſuſtentatione rerum. Item de collectione Eccleſiæ, & de extremo iudicio. Hæc pars ſumitur ex Symbolo.

Vt autem bonitas auri tum facillimè noſcitur, cùm alteri auro comparatur: ſic vtilis eſt collatio philoſophiæ & Euangelij, vt quouſque progredi mens humana poſsit, & quę nõ comprehendat, animaduertatur. Cúmque multas res non comprehendi ratione cernimus, cõuicti fateamur alia doctrina à Deo patefacta opus eſſe. Etſi igitur Plato aliquas proprietates diuinæ naturæ eruditè & verè deſcribit, tradens hanc definitionẽ: Deus eſt mens æterna, cauſa boni in natura: tamẽ non diſcernit perſonas diuinitatis, æternum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, nec dicit de pręſentia Dei in ſuſtẽtatione & conſeruatione rerum, aut de collectione Eccleſiæ, quæ fit propter Filium & per eum. Ex quo perſpicuum eſt, philoſophiam mutilam & mancam eſſe, ſine collatione doctrinæ diuinitus traditæ.

Collatio in diſputationibus, conſiliis & deliberationibus eſt res vtilis, quia plures oculi plura vident, quàm vnus. Sæpe etiam eſt olitor non importuna loquutus. Illa autẽ verba de auro ſunt ſumta ex oratione Artabani, qui fuit patruus Xerxis, & diſſuaſit bellum aduerſus Græciam. Extat locus apud Herodotum in polymnia pag. 201.

D. Philippus ſæpe dicere ſolebat in publicis lectionibus. Nulla maior ſapientia poteſt homini contingere in hac vita, Dei conceſſu & munere, quàm erudita & ſobria collatio philoſophię, Legis & Euangelij. Ratio huius aſſeuerationis eſt: Quia prodeſt in omnibus articulis fidei conſiderare, quouſque poſsit progredi mens humana adiuta luce naturali, & quæ non poſsint comprehendi

hendi ab humana ratione. Nam hæc consideratio metarum cognitionis conuincit sanos homines, vt agnoscant & confiteantur philosophiam esse mutilam & mancam, & alia perfectiore doctrina opus esse de multis maximis rebus. Nec quisquam cum fructu leget locos Theologicos sine collatione philosophiæ & Euangelij, vt in loco de cruce & calamitatibus tenendum est discrimen iudicij philosophici, & iudicij Spiritus sancti, de generibus calamitatum, de causis impulsiuis & finalibus, de fontibus consolationum, & de differentia inter philosophicam & Christianam patientiam. De his omnibus aliter iudicat ratio, aliter verbũ Dei. Sic hoc loco conferuntur duæ definitiones Platonis cum Christiana. Sed quomodo illa congruit cum descriptione Ecclesiæ? κατὰ τὶ, aliquo modo. Definitio Platonis est ex lege sumta, seu est particula legis, seu est definitio legalis: altera Ecclesiæ est partim legalis, partim Euangelica, quia prima pars sumitur ex lege, reliquę tres ex Symbolo & forma baptismi. Verba Platonis extant in definitionibus pag. 666. Θεὸς ἐστὶ ζῳὸν ἀθάνατον, αἰτιαρχὲς εἰς εὐδαιμονίαν. οὐσία ἀϊδίου, τῆς τ' ἀγαθῦ φύσεως αἰτία.

De proprietatibus Dei.

CAP. IIII.

CVM prima pars definitionis Dei, quæ in Ecclesia traditur, recitet proprietates Dei, colligantur de singulis testimonia, vt harum proprietatum mentione verum Deum non solùm à creaturis, sed etiam à commentitiis numinibus discernere possimus.

Aliæ proprietates discernunt naturam diuinam à creaturis omnibus, aliæ monstrant discrimen inter Deum & Diabolos, & eorum organa.

Deus est Spiritus] ad differentiam omnium corporum, cæli, terræ & maris.

Est increata] ad differentiam angelorũ, qui etiam sunt Spiritus, sed creati à Deo.

Aeterna]
Intelligens]

ad differentiam creaturarum, distincta à brutis naturis, saxis, lapidibus.

Verax, bona, iusta, misericors.

Hæc dicuntur ad differẽtiam Dei & Diabolorum. Deus est iustus, Diaboli sunt iniusti, homicidæ, gaudent destructione operum Dei: Deus est verax, Diabolus est mendax, & pater mendacij, teste Christo Iohan. 8.

Deus est castus.

Diaboli sunt Spiritus impurissimi. Etsi enim non possunt sepolluere libidinibus: tamen impellunt homines ad illicitos concubitus, & voluptatem capiũt ex adulteriis & scortationibus aliorum.

Quòd enim Deus sit essentia spiritualis, non moles ex cæli aut elementorum materia conflata, affirmat Christus inquiens: Deus est Spiritus: deinde quòd sit essentia increata, seu alia à creaturis omnibus, Eusebius lib. 3. præpar. Euangel. his testimoniis confirmat: psal. 8. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorũ, Lunam & stellas, quæ tu fundasti. Psalm. 102. Initio tu terram fundasti, & opera manuum tuarũ sunt cæli. Ipsi peribũt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimẽtum veterascent, & sicut indumentum mutabis eos, & mutabuntur, Tu autem idem ipse es, anni tui non deficiẽt. Esaiæ 66. Cælum sedes mea, & terra scabellum pedum meorũ, psal. 104. Qui facis angelos spiritus tuos, & ministros tuos ignem ardentem. Est igitur Deus essentia distincta non solùm à mundi corporibus, sed etiam ab angelis.

In hoc psalmo venustissimè comparatur hic mundus, quem nunc cernimus, vestimento mutatorio, vt Hebræi loquuntur, id est, vesti quotidianæ. Formam mundi post hanc vitam comparat idem psalmus vesti nuptiali, qua induimur & ornamur accessuri vel ad nuptias, vel ad celebritatem diei stati ac solennis. Mundus igitur quem nunc cernimus est vestis quotidiana, qua Deus non semper erit indutus, sed nouam sibi vestem comparabit, id est, mutabit hunc mundum ita, vt Sol septuplo plus lucis habeat, Luna similis fit splendori Solis, sicut dicitur in Esaia & Apocalypsi.

Quòd

Quòd autem Deus ſit eſſentia intelligens, teſtatur hæc verba de creatione: Dixit Deus. Dicere autem non eſt brutæ naturæ, ſed ſubſtantiæ intelligentis.

Differunt λαλεῖν καὶ λέγειν. λαλεῖν eſt more auium garrire, lalken. λέγειν eſt dicere certa ratione & conſilio. Hoc diſcrimen exprimitur in verſu Græco: λαλεῖν ἄρις ον, ἀδυνάτατον λέγειν. Garriendo valens, minimè ad dicendum accommodatus eſt. Pſittacus etiam ſonat ſuum χαῖρε, ſed non intellectum. Dicere eſt ſummum opus naturæ intelligentis. Dixit Deus, id eſt, iuxta decretum ſapientiſſimum & optimum condidit has creaturas, lucem, firmamentum, lucida corpora cæleſtia, & homines per λόγον, hoc eſt, Filium Dei.

Quòd ſit omnipotens, confirmatur eadem narratione in Geneſi. In principio creauit Deus cælum & terram. Cùm enim omnia condiderit, & quidem non ex priori materia, ſed dicendo, declarauit ipſa creatione omnipotẽtiam. Et Eſaiæ 44. dicitur: Ego ſum Dominus conditor omnium, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nemo alius eſt, qui mecum id faciat.

De ſapientia Paulus inquit 1. Timoth. 1. Soli ſapienti Deo honos.

Cùm mercatores Mileſij à piſcatoribus eiuſdem loci emiſſent quendam iactum, & piſcatores extraxiſſent tripodem aureum, res fuit adducta in iudicium. Nam piſcatores affirmabant ſe piſces vendidiſſe, non munus à fortuna oblatum. Contrà mercatores cõtendebant, ſe fuiſſe emptores omnium rerum ſine exceptione, quæ eſſent captæ illo iactu. Cùm autem iudices Mileſij non poſſent extricare contentionem, delata fuit res ad iudicium Apollinis. Is iuſsit dari tripodem aureum ſapientiſsimo. Huius oraculi ſententiam ad Thaleten accommodârunt propterea, quòd eum iudicarent ſapiẽtiſsimum. Sed ea fuit modeſtia Thaletis, vt hoc munus iuſſerit conſecrari Apollini, cum hac inſcriptione: SOLI SAPIENTI DEO. Hæc narratio, quæ extat apud Laërtium in vita Diogenis, primùm teſtatur, ſoli Deo tribuendam eſſe gloriam ſapientiæ, deinde oſtendit, quanta fuerit modeſtia omnium ſapientum, agnoſcentium ſe non eſſe verè ſapientes, ſed vix aliquam vmbram veræ ſapientiæ poſsidere.

Et pſalm. 147. Dauid exclamat: Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus, Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnes ſuis nominibus vocat.

Pſalmus 147. conuenit ferè cũ pſalmo 145. In vtroque eadem verba repetuntur. In primis autẽ hoc obſeruandum eſt, quòd faciat Deum duplicem medicum Dauid, Pharmaceuticum & chirurgum, iuxta principales Medicinæ partes. Medici enim aut ſanant morbos ex diſcraſia ortos, vnde ea pars dicitur φαρμακευτικὴ, aut ſanant ſolutiones continui, id eſt, oſsium vel carnis, quæ fiunt aut vulneratione aut luxatione, quæ pars dicitur χειρυργικὴ. Talem medicũ facit Deum Dauid pſalm. 145. Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Item pſalm. 147. Qui ſanat contritos corde, & alligat cõtritiones eorum. Eſt igitur φαρμακευτικὸς, quia ſanat morbos animi, & eſt chirurgus, quia alligat contritiones. Duo requiruntur etiam in medico: ſcientia artis, & felicitas in medicando. Vtrumque eſt in Deo, iuxta pſalmum 147. Summa enim eſt ſapientia Dei, qua intelligit & cauſas & remedia morborum. Deinde eſt ſumma potentia, qua efficacia reddit remedia adhibita. Non enim tantùm vult Deus, ſed etiam poteſt ſanare morbos. Ne quis autem dubitet de ſapientia Dei, addit Dauid probationem à ſignis. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnes ſuis nominibus vocat.

Multa ſunt veſtigia ſapientiæ diuinæ in hominum natura quamuis deprauata, ſed nullum eſt expreſsius aut euidentius, quàm numerorum notitia, quæ eſt fons ordinis & ratiocinationis. Miræ enim ſunt & variæ numerorum proprietates & ἀναλογίαι inter ſe, ſeries non fortuita, ſed aptiſsimè diſtributa, diſcrimina varia, eaque non inutilia, ſed vſibus penè infinitis accommodata. Summæ porrò ſapientiæ Pythagoræ viſum eſt, omnibus rebus imponere nomina, non quidem fortuita, ſed naturæ rerum conuenientia. Cùm igitur Deus non tantùm condiderit

Prima actio mentis humanæ eſt numeratio, & eadem actio eſt fons actionum reliquarum mentis humanæ. Si non eſſet in nobis naturalis notitia numerorum, quomodo ratiocinaremur, aut de argumentis iudicaremus? nec diſtaret homo à brutis. Si vis diſtinguere, ſcire te oportet, quid ſit vnum, quid plura. Gallinæ nõ intelligunt ordinem, nec poſsũt ratiocinari quot oua genuerint,

derit ſtellas, ſed etiam eaſdem numeret, & ſingulis conuenientia nomina attribuat, nihil poteſt eſſe tam apertum, támque perſpicuum, quàm Deum eſſe ſapientem.

De libertate pſalm. 115. dicitur. Deus noſter in cælis, omnia quæcunq; voluit, fecit. Et pſal. 135. Omnia quæcunque voluit, fecit Deus in cælo & terra, in mari & in omnibus abyſsis.

& vno relicto in nidulo, putant nihil deſiderari. In numeris multæ ſunt ſignificationes de Deo. Vnitas nō eſt numerus, ſed fons numerorum: quia numerus eſt multitudo ex vnitatibus collecta. Ita Deus non eſt creatura, ſed eſt fons, cauſa, principiū omniū creaturarum. Etſi autem non eſt numerus vnitas: tamen eſt cubicus numerus, & eſt quadratum, & eſt radix vtriuſq; cubi & quadrati: Ita Deus eſt vnus eſſentialiter, & tamen eſt trinus perſonaliter. Cùm Deus intra ſeſe deſcribitur, neceſſarium eſt diſcrimen perſonarum. Sed cùm opponitur creaturis, ſeu confertur cum creaturis, fit mentio vnius æternæ eſſentiæ.

Quòd autem Deus ſit bonus & beneficus, verax, iuſtus, miſericors, caſtus, partim lex Dei oſtendit, partim hominis creatio non obſcurè declarat.

Bonus & beneficus differunt. Bonus intelligitur de abſoluta bonitate. Beneficus de communicatione bonitatis. Nam beneficentia eſt vocabulum relatiuū, & ſignificat communicationem bonorum cum aliis. Poteſt aliquis eſſe bonus, qui non eſt beneficus. Deus eſt bonus reſpectu ſuæ eſſentiæ: Beneficus reſpectu humani generis. Sic Deus eſt miſericors natura, miſerator effectu.

Talis eſt enim Deus, qualis in Lege deſcribitur, videlicet approbans iuſtitiam, veritatem, caſtitatem, beneficentiam, & damnans iniuſtas cædes, mendacia, & tetras libidinū confuſiones. Ipſo etiam facto ſe declarauit talem eſſe, quia in homines ſparſit radios ſuæ ſapientiæ, iuſtitiæ & libertatis, vt teſtatur dictum de creatione hominis: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.

De legibus politicis dicitur: Lex eſt anima & mens legiſlatoris, id eſt, eſt voluntas legiſlatoris. Vnde Cic. de legib. lib. 2. inquit: Magiſtratus eſt lex loquens, ipſa verò lex eſt mutus Magiſtratus. Sic verum eſt de Lege Dei, quòd ipſa ſit æterna atque immutabilis Dei voluntas.

Has proprietates ſæpe multumque conſideremus, quia nec Deum, nec hoſtes Dei Diabolos cernimus oculis corporis, ſed mẽte faciẽda eſt diſtinctio conſideratis proprietatibus. Vt enim Deus verax eſt & beneficus, iuſtus item & caſtus, & vult caſta mente inuocari: ſic hoſtes Dei Diaboli ſunt Spiritus mendaces, malefici, iniuſti, immundi, & lætantur deſtructione operum Dei, non vt ipſis melius ſit, ſed vt Filius Dei contumelia afficiatur. De hoc diſcrimine quotidie cogitare pios neceſſe eſt.

Secunda vtilitas huius conſiderationis eſt, vt in animis ſuo ordine exiſtant timor Dei, & fides ſeu fiducia & ſpes veniæ. Fieri enim non poteſt, quin timor in animis excitetur, quoties de Maieſtate Dei ſeria cogitatio ſuſcipitur, quam pſalmus 33. deſcribens inquit: Verbo Domini cæli facti ſunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum, congregans ſicut in vtre aquas maris, & ponens in theſauris abyſſos. Timeat ergo Dominum omnis terra, ab eo autem metuant omnes inhabitantes orbem, quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Cùm autem legimus atq; audimus Deũ eſſe blandum patrem, tractantem nos tanquam tenellos filios, vt pſalm. 103. dicitur: Sicut pater miſeretur filiorum: ita Dominus miſeretur timentium ſe: concipimus fidem & ſpem veniæ, & ſtatuimus gratiam eſſe victricem peccati.

Doctrina Eccleſiæ non eſt otioſa ſpeculatio, ſed relinquit aculeos timoris ac fidei in pectoribus auditorum. Quando enim deſcribit maieſtatem Dei, excitat timorem. Rurſus ne timor ſit ſeruilis, accedit ad hunc alius effectus, videlicet fides, quæ excitatur agnitione miſericordiæ in Deo.

Tertia vtilitas eſt, quia hæ proprietates ſunt ſpecula monſtrantia imaginem Dei & peccatum, quod eſt diſcrepantia ab his proprietatibus.

Imago Dei & peccatum habẽt ſe, ſicut habitus & priuatio. Habitus eſt imago Dei in nobis condita ante lapſum, de qua dicit Scriptura: Faciamus hominem ad imaginem noſtram. Imago autem condita, eſt quædam ſimilitudo ſapientiæ, iuſtitiæ, libertatis. Sicut enim ſapientia, iuſtitia, libertas in Deo, ſunt ipſa Dei eſſentia: ita in primis parentibus fuerunt dona ſimilia creata. Nam homo eſt creata

creata imago, non essentialis, sicut Filius Dei: Quãdo igitur vis scire qualis fuerit ante lapsum Adã, propone tibi definitionem Dei, in qua dicitur: Deus est essentia sapiens, iusta, casta, verax, benefica, liberrima. Sed hæc intellige sine calumnia. In Deo. n. hæc ipsa sunt essentialiter, in hominibus accidentaliter & mutabiliter. Priuatio imaginis Dei est peccatum, id est, pro luce in mente est caligo, pro iustitia & sanctitate in corde & voluntate est contumacia contra Legem Dei, quæ complectitur securitatem carnalem, fugam Dei, & fremitum aduersus Deum in ærumnis, diffidentiam quærentem inconcessa remedia dolorum, denique infinitam confusionem errantium affectuum. Libertas etiam valde est impedita, imò ferè nulla est sine gratia.

Postrema vtilitas huius considerationis est, vt his proprietatibus commonefacti, petamus in nobis restitui cõformitatem cum Deo seu cum Lege Dei, & initia renouationis magna cura & solicitudine cõseruemus, iuxta dictum 1. Iohan. 3. Qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

Dictum Iohãnis cõgruit cum dicto Pauli: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Deus autem acquiescit in nostra obedientia, & ita eam approbat, ac si nullus esset nævus, nulla labes aut macula in nostra persona, aut obedientia, teste Paulo Roman. 8. Nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu. Et Rom. 3. per fidem stabilimus Legem, id est, implemus partim imputatione propter Christum, partim incoatione, quæ est imperfecta & mutila, & tamen Deo placet propter eundem Dominum, quem proposuit Deus humano generi propiciatorem.

De vnitate essentiæ diuinæ.

CAP. V.

QVM de omnibus articulis aliqua perspicua testimonia semper meminisse necesse sit, recitabo vnum atque alterum testimonium de vnitate essentiæ diuinæ. Deuter. 6. Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Hoc dictũ de essentia loquitur, & excludit à diuinitate

omnes creaturas, & omnia, quę non ſunt hic Deus patefactus in hoc populo Iſraël. Non enim otiosè poſita eſt particula Iehoua, ſed diſcernit hunc Deum in Iſraël patefactum ab aliarum gentium commentitiis numinibus: Quaſi dicat: Hic Iehoua patefactus in hoc populo Iſraël, & non alius, quos fingunt Ægyptij, Chaldæi & reliqui cultores idolorum. Ita monet, vt quæramus Deum, qui ſe patefecit in vera Eccleſia. Deuter. 23. Videte quòd ego ſum ſolus, & non eſt alius Deus præter me.

Omnes ſani Philoſophi ac Poëtæ extra Eccleſiam ſemper iudicarunt eſſe tãtùm vnam eſſentiam diuinam, ſiue vt ipſi loquuntur, mentem æternam, cauſam boni in natura. Vnde Iuſtinus Martyr ſcripſit libellum περὶ μοναρχίας, id eſt, de vnica eſſentia diuina, ſeu de vnius Dei imperio, in quo libello colligit multas ſententias affirmantes eſſe vnicũ Deum. Deinde Ariſtoteles in 8. phyſicorũ præclarè demonſtrat, eſſe tantùm vnicum æternum motorem ſeu gubernatorem totius vniuerſitatis rerum. Vtitur autem hac demonſtratione, quæ in phyſicis ſolet explicari.

Impoſsibile eſt in cauſis ordinatis progredi in infinitum: vel non eſt proceſſus infinitus in cauſis ordinatis, ſed neceſſe eſt tandem peruenire ad vnam primam, cuius ſapientia & potentia reliquæ omnes gubernantur, ſuſtentantur & conſeruantur. Nam in infinito nihil eſt primum, nihil medium, nihil extremum.

Sunt autem cauſæ phyſicæ ordinatæ, vt hæc inferiora ſunt ſubiecta corporibus cæleſtibus, & corpora cæleſtia aliunde accipiunt ſuas vires & motus.

Ergo in ſerie cauſarum tandem ad vnam primam nos deduci neceſſe eſt. Nam ſi eſſent plures cauſæ primæ, earũ ordo perturbaretur.

Idem Ariſtoteles in 12. Metaphyſ. de eadem ſententia diſputans, citat verſum Homeri:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

Multos imperitare malum eſt, rex vnicus eſto.

Extant paſsim in Prophetis multa ſimilia teſtimonia, quę prodeſt meminiſſe & ſæpe cogitare, vt bene confirmentur mentes contra Ethnicos furores, & contra Valentinianos & Manichæos, qui horribiliter lacerarunt veram doctrinam de vnitate eſſentiæ diuinæ.

Duæ

Duæ regulæ Auguſtini.

CAP. VI.

HAE duæ regulę proſunt ad ſeruandam diſtinctionem perſonarum, & vitandam confuſionem, cui ſępe prætexitur nomen vnitatis. Sic argumentantur contra nos Iudæi:

Scriptura dicit vnum tantùm eſſe Deum.
Ergo Chriſtiani, qui faciunt tres perſonas diuinitatis, ſunt cultores idolorum.

RESPONDEO.

Iſta inter ſe non pugnant. Nam vnus eſt Deus in eſſentia, & tres perſonæ, iuxta diſtinctas ὑποστάσεις. Hæ autem Auguſtini regulæ in omnibus ferè illius ſcriptis inculcantur, præcipuè in enarratione Iohannis tractatu 110. vbi inquit: Inſeparabilia ſunt opera non tantùm Patris & Filij, ſed etiam Spiritus ſancti. Eaſdem regulas repetit in tractatu 195. Item tractatu 20.

Lutherus etiam has regulas magnifecit, & recitat in nouiſſimis verbis Dauidis, quem librum ſcripſit paulò ante obitum.

Traduntur ab Auguſtino duæ regulæ, quæ docent, quid de actionibus Dei internis & externis exiſtimãdum ſit. Ac prior quidem regula his verbis recitatur.

Opera Dei interna ſunt diſtincta. Hæc regula ideo proponitur, vt retineatur diſcrimen perſonarum diuinitatis, & vitetur confuſio actionum, quæ ſupra & extra conſpectum creaturarum poſitæ ſunt. Nam vt in homine differunt cognitio & amor, ſic in diuinitate aliud eſt generatio Filij, aliud proceſsio Spiritus ſancti. Ac vt cognitio eſt mentis actio, non voluntatis: amor verò propriè oritur à

Duplices ſunt Dei actiones, Aliæ internæ, in ipſa eſſentia diuina. Aliæ externæ, diſtinctæ à natura Dei.

Actiones internæ ſunt: gignere, naſci & procedere. Pater gignit Filiũ ſine vlla temporis circunſcriptione. Nam æterna non ſunt in tempore. Filij natiuitas eſt æterna, ſicut Micheæ 5. dicitur: Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio ſine principio & fine. De actionibus his

voluntate, & ſequitur cognitionem. Sic Filius, qui dicitur λόγος & imago æterni Patris, à mente paterna gignitur. Spiritus ſanctus à voluntate Patris & Filij procedit, vt agitator & lætificator. Hæc diſcrimina ex appellationibus τοῦ λόγου καὶ πνεύματος ſumuntur, vt infrà prolixè dicetur.

internis traditur regula prior, diſtincta ſcilicet eſſe opera Dei interna, id eſt, quæ fiunt extra & ante creaturas, & ſine creaturis in arcano diuinitatis ſinu.

Actiones externæ ſunt, in quibus ſe Deus patefecit creaturis, quæ non ſunt de eſſentia Dei, ſed liberrimæ actiones, quas Deus poteſt intermittere, aut ſuſpendere, vt prima externa actio eſt, creatio rerum. Altera eſt perpetua prouidentia, poſtea ſequuntur aliæ innumerabiles, miracula, mirandæ liberationes in Eccleſia. De his actionibus externis traditur alia regula, ſcilicet opera Dei externa, eſſe indiſtincta, ſeu communia. Nam quando Deus opponitur creaturis, ſeu cõfertur cum creaturis, deſcribitur vnica eſſentia Dei. Sed quando illa vnica eſſentia intra ſeſe deſcribitur extra creaturas, neceſſe eſt Deum trinum in perſonis conſiderari. Exempli cauſa: Homo habet duplices actiones, Internas in mente & voluntate, Externas, quæ oculis cernuntur. Homo tacitè aliquid cogitat, meditatur aliquid, quod nondũ ſcripſit aut pronunciauit. Poſtea, quando vult, ſcribit & pronunciat rem, de qua cogitauit. Poſſunt ergo etiam in natura rationali corporea eſſe internæ actiones ſine externis. Sic Deus ab æterno ante conditionem mundi non fuit otioſus, ſed habuit æternas & arcanas actiones. Poſtquam verò diuinæ bonitati viſum eſt, proceſsit ex arcana luce, & ſe ſe patefecit per creationem rerum. Internæ actiones ſunt naturales, externæ ſunt liberæ. Deus naturaliter gignit Filium, Filius naſcitur naturaliter, ſed actiones ad extra ſunt liberæ, iuxta dictum: Omnia quæcunque voluit, fecit.

Altera verò regula diligenter conſideranda, monet: opera Trinitatis externa eſſe communia. Hanc regulam multa dicta confirmant, vt pſalm. 33. Verbo Domini cæli facti ſunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Et Iohan. 5. Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Vera eſt autem hæc regula ſeruato ordine perſonarum, & cuiuſque perſonæ proprietate, vt pater vult creationem & totum ordinem rerum, & exprimit hanc voluntatem per verbum, quo dicente res fiunt & diſtinguuntur, vt in Geneſi

ſcriptum

ſcriptum eſt: Dixit Dominus, Faciamus hominem: & Spiritu ſancto ſimul creante fouentur res, iuxta illud Geneſ. 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, vel fouebat aquas. Sic etſi tota Diuinitas conterit caput ſerpentis: tamen id immediatè fit per Mediatorem, & meritum eſt proprium Mediatoris, quo ſatisfiat iuſtitiæ Dei. Deinde & ipſa actio, qua colligitur Eccleſia per miniſterium, & ſanctificatur dato Spiritu ſancto, & eripiuntur ſancti ex æterna morte, eſt immediatè opus Filij, ſicut expreſsè dicitur Iohan. 17. Dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omnibus quot quot dediſti ei, det eis vitam æternam. Et 1. Corinth. 15. Deo autem ſit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Euripides definit mundum, quòd ſit καλὸν ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ, id eſt, varium & pulcrum opus ſapientis artificis. Καλὸν autem, teſte Ariſtotele in lib. de poëtic. cõſiſtit in duabus rebus: in εὐταξίᾳ καὶ μεγέθει. Nihil paruũ dicitur καλὸν, & nihil inordinatum. ποίκιλμα dicitur opus varium, ſeu magna varietate diſtinctum. Hæc verò varietas in mundi partibus tanta eſt, vt nemo ſummas operum diuinorũ poſſit recitare, nedum ſingula opera.

In Symbolo dicitur: Credo in Deum Patrem creatorem cæli & terræ: non quòd ſolus Pater ſit conditor. Pater dicitur creator, quia vult creationem & totum ordinem rerum. Filius eſt creator, quia eſt Verbum, quo dicente & iubente omnia fiunt. Spiritus ſanctus eſt creator, ſimul creans cum Patre & Filio, & fouens creaturas cũ Patre & Filio. Græci Theologi hoc breuius explicant hoc modo: Pater eſt cauſa creationis προηγουμένη, antecedens & primaria, ſeu fons non modò creatarum rerum, ſed etiam diuinitatis. Filius eſt cauſa δημιουργικὴ, fabricatrix. Spiritus ſanctus eſt cauſa τελειωτικὴ, perficiens, ornãs, perpoliens condita à Patre & Filio: non quòd opera Patris & Filij ſint imperfecta, ſed quòd neceſſe ſit nos in myſteriis tantarum rerum verbis humanis vti. Sic Pater facit decretum de ſaluatione generis humani, Filius eſt huius decreti executor, quia aſſumſit humanam naturam, & ſua obedientia ſatisfecit iuſtitiæ Dei.

Quod autem de collectione Eccleſiæ dictum eſt, hoc eodẽ modo de reſuſcitatione mortuorum, & de vniuerſali iudicio poteſt dici. Etſi enim reſuſcitatio ſimul fit à Patre, Filio & Spiritu ſancto:

tamen fit immediatè per Filium, & per Filium exercetur visibile iudicium. Impij enim non videbunt diuinitatem, sed Filium hominis videbunt, vt Matthæi 24. & Zachar. 12. dicitur. Et de hoc visibili iudicio dicitur: Pater dedit omne iudicium Filio, quia Filius hominis est. Quod dictũ luculẽtè ab Augustino enarratur tractatu 19. in Iohannem, & sententia 337. à Prospero citata. Quãuis nunquã à Filio recedat Pater, ad iudicandos tamen viuos & mortuos, non ipse dicitur, sed Filius affuturus. Quia ibi nec Patris, nec Filij deitas, sed illa forma videbitur Filij, quam sibi per Sacramentum incarnationis vniuit. Ipsa ergo erit iudex, quæ sub iudice stetit. Ipsa iudicabit, quæ iudicata est, vt videant impij eius gloriam, in cuius mansuetudinem fremuerunt. Talis ergo apparebit iudex, qualis videri posit, & ab eis, quos coronaturus est, & ab eis, quos damnaturus. Pater autem non apparebit, quia forma serui non est indutus, sed Filio, qui etiam homo factus est, dedit iudicij potestatem.

Matth. 24. Filius hominis vẽturus est in nubibus. Zachar. 12. Aspicient, quem pupugerunt.

Prosper fuit discipulus Augustini γνήσιος, qui sententiam à Magistro acceptã, bona fide, tanquam præclarum depositum custodiuit, illustrauit, propagauit.

Declaratio vocabulorum essentiæ & personæ.

CAP VII.

NON possumus explicare mysterium Trinitatis sine adminiculis duorum vocabulorum essentiæ & personæ. Clarè enim confitemur contra omnes portas inferorum. 1. contra Diabolos & eorum organa, vnicam essentiam diuinitatis esse, nõ plures, & tamen in hac vna & indiuidua essentia discernendas esse tres personas, quæ sunt distinctæ, non ratione

ratione, seu cogitatione tãtùm, sed realiter sine cõfusione & cõmixtione. Nam reuera ὄντως alia Persona est Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus. Hoc discrimen ostenditur in forma baptismi, vbi hæc verba continentur, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et in Symbolis, Apostolico, Niceno, & Athanasiano dicitur: Credo in patrem &c. Et in eius Filium &c. &: Credo in Spiritum sanctum &c. Hæc cùm vel in Symbolo, vel in forma baptismi explicamus, necesse est nos vti duobus vocabulis Essentiæ & Personæ. Nihil enim prosunt verba non intellecta. Garriunt etiam psittaci suum χαῖρε, sed sine intellectu, sine iudicio. Nos verò in Ecclesia debemus verbum Dei explicare sapienter, cum actu reflexo, id est, cum iudicio intelligente & discernente suas actiones. Deus vult nos esse non bruta, sed homines, quorum mentes sint illustratæ Spiritu sancto. Vnde Paulus Coloss. 3. inquit: Habitet verbum Dei inter vos abundè cum omni sapientia. Sapientia opponitur ignauiæ, sophisticæ, & crassæ ignorantiæ, quæ non inquirit & cognoscit ea, ad quæ sumus obligati ipsa baptismi stipulatione.

Basilius Græcus Theologus inter alias epistolas plenas eloquentiæ & sapiẽtiæ, scripsit bene lõgam (quæ extat fol. 535.) ad fratrẽ Gregorium, de discrimine inter οὐσίαν & ὑπόστασιν. Summa autem illius epistolæ, quæ inter reliquas velut gemma eminet, hęc est: Vtrumque vocabulum essentiæ & personæ est in prędicamento substantiæ, quia hæc duo non significant accidentia, id est, res fugaces & euanescentes, sed ὑφιστάμενα, res subsistentes & permanentes. Etsi autem vtrumque vocabulum est substantia individua: tamen in hoc differunt: Essentia est communicabilis, id est, potest communicari, persona est incommunicabilis.

Quemadmodum imperiti Arithmetices facilè in computando decipiuntur: ita ignoratio vocabulorum essentiæ & personæ, siue vt Græci dicunt, οὐσίας καὶ ὑποστάσεως, aut errores, aut diſsidia parit. Vt igitur λογομαχίαι, quas Galenus appellat coruorum contentiones, vitentur, vis & natura horum vocabulorum diligenter explicanda est.

Vocabulum Essentiæ, vt in hoc articulo Ecclesia loquitur, significat id quod reuera [ὄντως] est, etiamsi est communicatum.

Persona est subsistens, viuum, incommunicabile, non sustentatum ab alio. In hac descriptione subsistẽs opponitur cogitationi,

vel voci vel motui accidétali & euaneſcenti. Incommunicabile diſcernit perſonam ab eſſentia.

Cogitationis & vocis fit mentio propter hæreticos, qui impugnant perſonam Filij, vt Arius. Motus accidentalis propter hæreticos, qui impugnant perſonam Spiritus ſancti.

Nam eſſentia eſt communicabilis, & pluribus perſonis cõuenit. Perſonarum verò proprietates non poſſunt cõmunicari, quia ſolus Pater gignit, ſolus Filius naſcitur, ſolus Spiritus ſanctus procedit.

Eſſentia etſi eſt indiuidua, tamen eſt communicabilis, quia ſi talis non eſſet, tantùm vna eſſet perſona diuinitatis. Pater non poſſet gignere Filium, Spiritus ſanctus non poſſet procedere. Ergo neceſſe eſt propter generationem Filij & proceſsionem Spiritus ſancti, hanc particulam recitari in definitione eſſentiæ. Perſona autem eſt incommunicabilis, quia tales habet proprietates, talia idiomata, quæ non poſſunt, nec debent communicari cum aliis perſonis. Solus Pater eſt ingenitus, & tamen gignit. Solus Filius naſcitur, non gignit. Solus Spiritus ſanctus procedit, & neq; gignitur, neque gignit.

Sed cur additur: Non ſuſtentatum ab alio? Hæc particula vtcunque declarari poteſt propoſito exẽplo hominis. Solum corpus humanum non eſt perſona, & quia non eſt res intelligens, & quia eſt quiddam ab altero ſuſtentatum. Nam donec anima adeſt, viuit corpus, diſcedente anima corpus diſſoluitur: Ita in Chriſto nato ex virgine etſi duæ ſunt naturæ intelligentes: tamen non ſunt in eo duæ perſonæ, quia natura diuina eſt ſuſtentatrix & conſeruatrix humanæ. Etenim natura humana mirãdo fœdere copu-

Additur propter articulum de vnione duarum naturarum in Chriſto. Etſi enim ſunt duæ naturæ intelligentes in Chriſto: tamen non ſunt duæ perſonæ, ſed Chriſtus eſt vna perſona: Filius Dei & filius Mariæ. Hoc declaratur in Symbolo Athanaſij, & ab Auguſtino tractatu 19. in Iohannem. Item à Iuſtino hoc ferè ſimili. In homine duæ ſunt res, anima & corpus, & hæ duæ res nõ ſunt duæ perſonæ, ſed vnus homo. Nam corpus non eſt perſona ſine anima, quia corpus ſuſtentatur ab anima: ita in Chriſto ſunt duæ naturæ intelligentes, λόγος, quę natura eſt intelligẽs,

lata

lata est τῷ λόγῳ, ac prorsus natura humana in nihilum rediger etur, si non sustentaretur à diuina. In hac consideratione amplissima doctrina continetur. Totum genus humanum extinctum esset, nisi Filius Dei coæternus æterno Patri, massam huius naturæ assumsisset. Seruat igitur propter assumtam massam nos quoque tanquam suæ naturæ membra, sicut dicitur, os ex ossibus eius.

quia est potentia & sapientia Patris, 1. Corinth. 1. Deinde caro, quæ non tantùm corpus significat, sed animam quoque intelligentem, habentem omnes vires & proprietates, sed ordinatas sine peccato. λόγος in Christo habet suum intellectum & voluntatem, etiam anima suo intellectu & voluntate est prædita, sed non propterea duę sunt personę. Quia sicut anima mea corpus meum sustentat: ita λόγος est sustentator & cõseruator carnis, id est, corporis & animæ. Intelligatur autem sustentatio illa de ratione τοῦ ὑφισαμένου, hoc est, vt illa caro sit propria τοῦ λόγου, & vt caro sic dependeat à λόγῳ, vt prorsus non esset, nisi sic esset assumta.

Ephes. 5. Quia sumus membra corporis eius, de carne eius & de ossibus eius.

Cùm autem apud Græcos varius sit vsus vocabuli ὑποστάσεως, Grãmatica admonitio de hac varietate addenda est. Interdum generaliter significat quiddam verè subsistens ὑφεστάμενον, non euanescens, vt nubes est ὑπόστασις, arcus in nubibus est ἔμφασις, id est, vt Seneca interpretatur, fallax sine re similitudo. Sic speculum est ὑπόστασις, sed imago in speculo est ἔμφασις.

Iacobus in epistola cap. 1. Vtitur similitudine de speculo & imaginibus, quę cernũtur in speculo. Si, inquit, contemplatus quis fuerit faciem suam, intuens in speculum, & rursus à speculo discesserit, omnis illa imago euanescit: Ita si quis tãtùm auditor est verbi, & nihil facit congruens cum verbo, tanquam ἔμφασις est in speculo euanescens. Ipsum speculum est ὑπόστασις, sed imago repræsentata in speculo est quiddam fugax & euanescens. Sic nubes est subiectum Iridis, sed ipse arcus non est ὑπόστασις, sed ἔμφασις. Sic in baptismo Christi apparet Spiritus sanctus specie columbæ. Hęc species non est ὑπόστασις, quia Spiritus sanctus non assumsit columbæ ὑπόστασιν, sed intelligitur de ἐμφάσει.

Aliàs significat fiduciam certò aliquid expectantem, vt in descriptione fidei Ebr. 11. Fides est ὑπόστασις rerum sperandarum. Et cap. 3. eiusdem epist. Participes facti sumus Christi, si modò initium ὑποστάσεως, id est, fiducię vsque ad finem firmiter retinuerimus. Sic & à Polybio vsurpatur in descriptione Horatij Coclitis, qui vnus cõtra omnes hostium copias in ponte steterit, à tergoque pontem interscindi iussit. Hostes, inquit, magis me tuebant τῷ ὑπόστασιν, id est, fiduciam ipsius, quàm robur.

Ebr. 11. πίστις ἐστὶν ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Hęc definitio obscura est in veteri versione. Sed hæc est verior interpretatio. Fides est certa notitia rerum non apparẽtium, & est fiducia rerum sperãdarum. ἔλεγχος significat firmã probationem seu certam notitiam, qua conuincitur animus, vt assentiatur propositioni. Omnis autem demonstratio parit ἔλεγχον & πληροφορίαν. Ita fides non est dubitatio seu ludus opinionum. Sed in mente certa notitia rerum non apparentium, deinde in voluntate & corde fiducia expectans bona à Deo. Nam alia accipit fides in hac præsenti vita, vt remissionem peccatorum, alia expectat, vt resurrectionem carnis.

Confirmatio articuli de tribus personis Diuinitatis.

CAP VIII.

CVM testimonia Apostolorum de hoc articulo omnibus piis nota sint, colligam dicta Prophetarum ad huius articuli confirmationem, ne quis in eam opinionem discedat, nos amplecti & profiteri dogma ignotum primæ & antiquissimæ Ecclesiæ.

Nullus articulus nouus traditur in Nouo Testamento, quia vetus Testamentum est fons noui, sicut nouum est lux veteris. Credimus nos saluari, sicut & patres saluati sunt. In hoc discernimur ab illis, quòd illi expectarunt venturum Messiam, nos credimus in exhibitum & crucifixum.

Genes.

Geneſi. In principio creauit Deus cælum & terram, & dixit Deus: Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Hoc dictum enarrat Dauid pſal. 33. Verbo Domini cæli facti ſunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.

Exercitus) de ſtellis loquitur, quarum imperator eſt Sol, cuius ſatellites ſunt planetæ.

Etſi autem Iudæi & hæretici variis cauillationibus hæc dicta eludunt: tamen nos conuicti verborum proprietate & perſpicuitate, fateamur alium eſſe Patrem, alium Filium, qui dicitur λόγος, alium Spiritum ſanctum, etiamſi ſunt ὁμούσιοι.

Et in eodem capite de creatione hominis ſcribitur: Dixit Dominus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Geneſ. 19. Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorram ſulphure & igne à Domino. Extant decreta in Socrate ſcholaſtico lib. 5. tripartitæ hiſtoriæ, cap. 7. quæ oſtendunt, vetuſtatē hæc dicta in Moyſe de Filio intellexiſſe. Si quis affirmat, hoc: Faciamus hominem, non Patrem ad Filium dixiſſe, ſed ipſum ad ſeſe Deum dixiſſe, anathema ſit. Item ſi quis hoc: Pluit Dominus à Domino, non de Patre & Filio accipit, ſed ipſum à ſe ipſo pluiſſe dixerit, anathema ſit. Pluit enim Filius Dominus à Patre Domino.

Tripartita hiſtoria ex tribus ſcriptoribus collecta eſt, ex Theodoreto, Socrate ſcholaſtico & Sozomeno.

Hæc decreta digna ſunt accurata conſideratione. Haud dubiè enim ingēs ira eſt, cùm ipſe Filius Dei miniſter eſt huius pœnæ. Non igitur caſu rem tantam factam eſſe vniuerſa poſteritas cogitet, ſed ſingulari deliberatione diuina, & exemplo moneri omnes homines & omnes gentes ſciamus.

Auguſtinus venuſtè diſcernit Filium à Patre, inquiens: Pater agit à ſe, Filius per ſe. Illæ phraſes Auguſtini ſumtæ ſunt ex hoc loco Geneſ. 19. Pluit Dominus, id eſt, Filius, à Domino, id eſt, ab æterno Patre. Pater à ſe agit tanquam fons diuinitatis & omniū operum diuinorum. Filiūs non à ſe, ſed per ſe, id eſt, vnà cum Patre & Spiritu ſancto. Sic de Filio dicitur Iohann. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, & Paulus in-

quit: A quo, per quem, & in quo ſunt omnia. Baſilius in lib. de Spiritu ſancto, de his & ſimilibus phraſibus copioſè diſſerit. Hoc etiam loco obſeruandum eſt, ingens peccatum eſſe, vagarum libidinum confuſionem. Nam Filius Dei aliâs non eſt miniſter iræ, ſed miſericordiæ, vt Matth. 9. Veni vocare peccatores ad pœnitentiam: ſed in hac tragœdia ipſe eſt executor pœnæ, quam meriti erant ciues Sodomitæ. Deus duo peccata præcipuè odit, idololatriam & libidinem. Iraſcitur omnibus peccatis ſine exceptione, ſed tamen ſunt gradus delictorum. In iſtis duobus Deus ſimpliciter non diſpenſat.

Loquitur de filiis Ioſeph, Manaſſe & Ephraim.

Geneſ. 48. Benedicat his pueris Deus, qui pauit me ad hunc vſque diem, & angelus, qui me eripuit ex omnibus malis. In hoc dicto Filius Dei nominatur angelus, quia Euangelium immediatè profert ex ſinu æterni Patris, & ſemper fuit & eſt cuſtos ſuæ Eccleſiæ. Sunt autem proprietates diuinæ naturæ, liberare à cunctis malis, à peccato & morte, & à furoribus Diabolorum, & reſtituere iuſtitiam & vitam æternam.

In his exemplis videmus opera Trinitatis eſſe communia.

Exodi 15. Dominus eſt fortis bellator. Iehoua eſt nomẽ eius, dextera tua Iehoua percuſsit inimicum, & per Spiritum faciei tuæ congregatæ ſunt aquæ. Horum verborum optimus interpres eſt Eſaias cap. 63. inquiens: Vbi eſt, qui eduxit eos de mari cum paſtore gregis ſui: vbi eſt, qui poſuit in eo Spiritum ſanctum ſuum? qui eduxit dextera Moyſen brachio maieſtatis ſuæ? quis ſcidit aquas ante eos? Et deinde addit: Spiritus Domini ductor eius fuit. Hæc dicta perſpicuè diſcernunt æternum Patrem, & Filium, qui appellatur brachiũ maieſtatis diuinæ, quia per ipſum omnia facta ſunt, & Spiritum ſanctum.

Mare rubrum eſt finus Arabicus, cuius aquas diuiſit Deus, nõ ad aliquot paſſus aut ſtadia, ſed per aliquot dies & milliaria Germanica. Nam exierunt ex Aegypto ſexies centena millia virorũ, exceptis mulieribus, filiis, ancillis, ſeruis. Non igitur vno die aut paucis horis potuit traduci tanta multitudo.

Quemadmodum manus eſt organum organorum, ita per Filium in Eccleſia omnia ſalutaria opera fiunt à Patre.

2. Reg.

2. Reg. 23. Spiritus Domini locutus est per me, & verbum eius factum est per linguam meam. Deus Israëlis dixit ad me, defensor Israëlis locutus est, qui est iustus gubernator inter homines, & sic dominatur, vt Deus timeatur. Disertè affirmat Dauid, se fuisse organum Spiritus sancti, qui est tertia persona diuinitatis, & semper locutus est per Prophetas: & Mediatorem Filium, qui ludit in orbe terræ, & cuius deliciæ sunt versari inter filios hominum, distinguit à Deo Israëlis, non quidem essentialiter, sed respectu personæ.

Psalm. 2. Dixit Dominus ad me, Filius meus es tu, ego hodie te genui. Hic psalmus discernit Messiam à filis adoptionis, eiq; tribuit societatem regni & nominis diuini: præcipit etiam vt verò timore & fide omnes hunc Deum colant. Quare confitendum est hunc Messiam esse natura Deum, & de substantia Patris genitum.

In psalmo secundo 4. sunt testimonia, quòd Christus sit natura Filius Dei.

Primum sumitur à discrimine Filij vnigeniti & filiorum adoptionis. Ita enim inquit Christus: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Secundum sumitur à societate eiusdem regni & potentiæ. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. At Deus dicit apud Esaiam: Gloriam meam alteri non dabo.

Tertium sumitur à pondere verbi: Seruite Domino in timore. Scribitur autem in Mose: Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies.

Quartum sumitur ex epiphonemate psalmi: Beati omnes, qui confidunt in eum. In Esaia autem dicitur: Maledictus, qui ponit carnem brachium suum.

Psalm. 67. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Hæc repetitio appellationis Dei non est otiosa ταυτολογία, sed sine vlla dubitatione monstrat ordinem & discrimina personarum. Ideo enim Mediatorem Deum & homi-

Christus Esaiæ 7. dicitur Immanuel, & hoc in loco Deus noster, propter duas causas: 1. Quia est caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris. Ephes. 5. 2. Quia habitat in nobis per fidem.

nem nominat Deum noſtrum, quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à Patre, qui eſt plenus gratia & veritate. Neque verò tantùm eſt Immanuel, id eſt, Deus nobiſcum, propter ſocietatem eiuſdem naturæ, ſed etiam in cordibus noſtris habitat per fidem, vt Epheſ. 3. dulciſſimè dicitur.

Pſalm. 110. Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Appellat Meſsiam Dominum ſuum, reſpectu perſonæ & officij. Etſi enim Meſsias natus eſt ex ſemine Dauidis ſecundum carnem: tamen eſt Dominus Dauidis, & quia ſupra omnes creaturas exaltatus eſt, & quia Dauid & omnes ſancti tanquam vaſalli ab hoc Domino accipiunt feudum vitæ æternæ.

Daniel 9. Domine Deus exaudi nos propter Dominum, id eſt, propter promiſſum liberatorem.

Oſeæ 1. Sic dicit Iehoua: Ego miſerebor domus Iuda, & ſaluabo eam per Iehouam Dominũ eorum, non ſaluabo eos per arcum & gladium.

Intelligit præſidia humana, quæ ſunt incerta & imbecilla.

Hæc verba neceſſe eſt intelligi de diſcrimine diuinitatis mittẽtis & perſonæ miſſæ ad Eccleſiam, quæ eſt Deus & homo. Quid eſt igitur, cur dubitandum ſit, quin Eccleſia inde vſque ab initio collecta, hoc myſterium Trinitatis non modò agnouerit, ſed etiam piè & reuerenter adorauerit.

Vna & eadem eſt fides patrũ, Prophetarum ac Apoſtolorum. Hoc declarari poteſt ex pſalmo 68. qui eſt panegyricus, ſcriptus ornatè & copiosè de glorioſo triũpho Chriſti in aſcenſione. Solebat enim dux victor, vt exẽpli cauſa Aemylius Paulus, vehi curru, quẽ alij antecedebant, alij ſequebantur: Ita cogitemus patres & Prophetas, qui ante Chriſti aduentum fuerunt, anteceſsiſſe currum Chriſti triumphalem: Apoſtolos & eorum auditores vſque ad finem mũdi ſequi eundem currum. Eſt igitur eadem fides patrum & Prophetarum & noſtra, nec quicquam intereſt, niſi hoc temporis diſcrimen. Illi crediderunt in venturum, iuxta diuinas promiſsiones, nos in exhibitum.

De

De discrimine personarum Diuinitatis.

CAP. IX.

DISCRIMEN æterni Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ostendunt ipsæ definitiones. Describamus igitur personas, & præcipua discrimina consideremus.

Galenus laudat methodum ὁρισικὴν, quam dicit antecellere συνθέσει & ἀναλύσει propter duas causas. 1. Quia vera definitio continet summam totius rei propositæ. 2. Quia vera definitio est præcipuum memoriæ adminiculum. Nam memoria non debet onerari multis imaginibus, sed quò breuiores & pauciores sunt imagines, eò illas retinet fideliùs.

Pater æternus est prima persona diuinitatis, non nata, nec aliunde procedens, sed quæ ab æterno genuit Filium imaginẽ suam, & à qua procedit Spiritus sanctus, & quæ cum Filio & Spiritu sancto omnes alias res creauit & conseruat.

Descriptio Patris est sumta ex symbolo Athanasij, in quo dicitur: Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens, & vt loquitur Epiphanius, est fons diuinitatis. Pater nõ mittitur, sed mittit Filium & Spiritum sanctum ad Ecclesiam. Ideo in definitione Filij & Spiritus sancti duo sunt obseruanda. 1. Qualis sit persona respectu Patris. 2. Quod sit eius officium erga Ecclesiam. Paulus 1. Timoth. 2. inquit, Vnus est Deus, vnus etiam Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Colloca ergo Filium inter Deum & Ecclesiam. Quid est Filius respectu Patris? Est imago essentialis & integra æterni Patris, vt Ebr. 1. & ad Colos. 1. dicitur. Nominatur autem essentialis & integra imago ad differentiam imaginis, quæ est impressa homini, quæ est creata. Nos sumus moneta Dei, cui impressa est imago Dei per similitudinem.

Quid est Filius respectu nostri quoad officium? Est persona missa à tota diuinitate ad Ecclesiam, vt fiat homo & victima, & resuscitata à morte, teneat æternum sacerdotium & regnum. De hoc officio

inquit Paulus: Qui eſt donatus nobis, vt ſit noſtra ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemtio. Sapientia, quia patefecit nobis Euangelium, quod eſt ſumma ſapientia: Iuſtitia, quia nobis imputatur eius meritum & paſsio: Sanctificatio, quia per eum datur Spiritus ſanctus. Denique Chriſtus eſt noſtra redemtio dupliciter. 1. Quia ſoluit λύτρον Patri pro peccatis generis humani. 2. Quia in vniuerſali iudicio liberabit Eccleſiam ab omnibus malis.

Teneamus igitur definitiones in Eccleſia ſobriè traditas, nec delectemur nouitate. Apud Quintilianum lib. 1. leguntur hæc verba: Filius diſcit linguam à matre, & ſollicitè cuſtodit amictum, quem mater circumdedit. Quæ eſt noſtra mater, à qua diſcimus linguam? Eccleſia orthodoxa. Ergo cùm de Deo loquimur, loquamur cum Eccleſia, quæ vtitur verbis Euangelij.

Filius æternus eſt ſecunda perſona diuinitatis, quæ eſt ſubſtantialis & integra imago æterni Patris, quã Pater ab æterno gignit, quæ nobis ſic manifeſtata eſt, quòd ſit perſona, per quã Pater dicit decretum & totum ordinem creationis & reparationis hominũ, & mittitur, vt patefaciat Euangelium, & ſit Mediator, Redemtor, Iuſtificator & Saluator.

Spiritus ſanctus eſt tertia perſona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, & eſt ſubſtantialis amor & lætitia coæterna inter Patrem & Filium, & nobis ſic manifeſtata eſt, quòd mittatur in corda credentium, vt tales motus, amorem & lætitiam acquieſcentem in Deo, in eis accendat, qualis eſt ipſe.

Quare mittitur Spiritus ſanctus ad Eccleſiam? vt ſit Spiritus gratiæ & precum. Gratiæ, teſtificans de gratia & miſericordia Dei. Precum, quia accendit in nobis veram inuocationem, & omnes virtutes primæ & ſecundæ tabulæ. Ita à Paulo 2. Timoth. 1. dicitur Spiritus fortitudinis, dilectionis & modeſtiæ. Fortitudinis, quia confirmat nos contra dubitationes nobiſcum natas, & contra metum in periculis. Dilectionis, quia Spiritus ſanctus non tantùm eſt amor ſubſtantialis inter Patrem & Filium, ſed etiam eſt vinculũ amoris inter Deum & Eccleſiam, & inter ipſa Eccleſiæ membra. Modeſtiæ, quia flectit homines non ad ſuperbiam & arrogantiam, ſed ad humilitatem. Oportet enim nos conformes fieri Filio Dei, qui inquit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

Ex

Ex his descriptionibus intelligi potest, duplicia esse discrimina personarum diuinitatis. Alia sunt interiora, vt gignere, nasci, procedere. Alia sunt à beneficiis erga Ecclesiam sumta, vt Filius pro nobis factus est victima, Spiritus sanctus mittitur in corda, vt in eis accendat nouam lucem, iustitiam & lætitiam.

Etsi autē vtraque discrimina aliquo modo cognosci necesse est, tamen hæc quæ ab officiis sumuntur, magis conspicua sunt, quorum cogitatio pias mentes consolatur & confirmat. Quare prodest ea in inuocatione considerare & sæpe recitare.

Quærat aliquis, cùm fide per Filiū simus iusti, quomodo in nobis efficiat iustitiam Spiritus sanctus. Respondeo. Differunt iustitia imputatiua, & iustitia per Spiritum sanctum in nobis accensa. Iustitia imputatiua est relatio, id est, est remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo, & acceptatio ad vitam æternam, quę fide accipitur. Iustitia à Spiritu sancto incoata, quæ consummabitur post hanc vitam, est quædam conformitas nostrarum virium cum Deo. Et hæc iustitia est qualitas aliquo modo congruens cum Lege Dei. Sic igitur hæc concilianda sunt. Relatiua iustitia, qua acceptamur à Deo, est beneficium proprium Filij. Rom. 4. Iustitia, quæ est qualitas nostris cordibus infusa, est beneficium & effectus Spiritus sancti.

Quid interfit inter nasci & procedere.

CAP. X.

DISCRIMEN inter nasci & procedere à veteribus scriptoribus traditum, piè, reuerenter, & sine cauillatione retineatur. Sumitur autem declaratio huius discriminis ab anima hominis, in qua sunt mens, cogitatio, quæ est imago rei cogitatæ: & motus, qui est impulsio spirituum.

In anima hominis tria sunt præcipua. 1. Ipsa mens, vñ. 2. Cogita-

tio mentis, quę format imagines rerum, quamuis euaneſcẽtes. 3. Motus, qui non ſit ſine ſpiritu. Mens eſt principiũ cogitationis & omniũ motuũ in anima. Ita Pater æternus eſt quaſi mẽs in diuinitate, & fons diuinitatis, πηγὴ τῆς θεότητος, iuxta Epiphanium. Filius eſt λόγος, id eſt, verbum Patris. Vt autem in nobis formatur verbum cogitatione: ita λόγος Filius Dei gignitur à Patre ſeſe intuente & perfectiſsimè conſiderante, quod quomodo fiat, diſcendum eſt in vita æterna. Tertiò eſt in anima Spiritus ſeu motus, qui ſequitur cogitationem. Omnem enim affectum & motum antecedit cogitatio: ita Spiritus ſanctus non naſcitur, ſicuti Filius, ſed procedit tanquam agitator à Patre & Filio.

Æternus Pater eſt veluti mens. Hic ſeſe intuens, & perfectè cognoſcens, cogitatione illa gignit imaginem ſuam. Nos formamus imagines euaneſcentes, ſed ipſe gignit imaginem non euaneſcentem, ſed ſubſiſtentem, & vt in Symbolo dicitur, lumen de lumine, in qua imagine lucent Patris ſapientia & bonitas. Huius declarationis teſtes ſunt Tertullianus, Baſilius, Nazianzenus, Auguſtinus & Lutherus, quorum dicta paulò pòſt in loco de Filio Dei recitabo. At procedere eſt à voluntate, quia Spiritus ſanctus eſt agitator & lætificator.

SCHOLIA OBITER ADDITA IN explicatione textus Locorum Theologicorum Philippi Melanthonis.

Deo eſt conditum] Propoſitio de fine hominis, id eſt, de fine creationis, redemptionis & ſanctificationis naturæ humanæ.

Imago Dei] Imago Dei in homine tria complectitur, ſapientiam, iuſtitiam & libertatem voluntatis. Sapientia eſt notitia Legis & totius naturæ rerum, quas Deus vult aſpici. Obiecta præcipua ſapientiæ ſunt: Deus ipſe, natura rerum, virtus ſeu lex. Agnouit igitur Adam ante lapſum perfectè Deũ ſine errore & dubitatione. Deinde fuit

fuit optimus philosophus, considerauit totam rerum naturam, non foris, sed intus. Tertiò intellexit Legem Dei & omnia officia virtutum. Altera pars imaginis est iustitia & sanctitas. Iustitia est obedientia congruens cum Lege Dei. Sanctitas est obedientia relata ad celebrationem Dei. Potest enim aliquis esse iustus, etiamsi non sit sanctus. Tertia pars imaginis est libertas voluntatis, non impedita intus aut foris.

Templum Dei] Quærat aliquis: Cùm Deus sit vbique, quomodo habitet in Ecclesia. Respondeo. Alia est præsentia generalis, quæ dicitur prouidẽtia, sustentatio & conseruatiõ omnium rerum: alia est specialis, quæ ad solam Ecclesiam pertinet, & nihil aliud est nisi sanctificatio, qua Deus Ecclesiam per Spiritum sanctum regenerat & renouat ad vitam æternam, & simul in ea verè habitat, & est efficax iuxta dictum, Veniemus ad eum. Omnis igitur credens in Filium, & habens Spiritum sanctum, est templum & domicilium Dei. Augustinus in epistola 57. ad Dardanum. Deus est vbique per diuinitatis præsentiam, sed non vbique est per habitationis gratiam, sed in solis tantummodò fidelibus.

Vult enim Deus agnosci] Ratio propositionis. Vult Deus à nobis agnosci & celebrari. Non vt ipsi sit melius, sed vt possit se nobis communicare. Non enim fit communicatio Dei sine mutua agnitione.

Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini] Tres sunt causæ, cur longior vita à Deo petenda sit. Prima est agnitio Dei. Secunda exercitium huius agnitionis, in magna varietate negotiorum & periculorum. Tertia causa est propagatio doctrinæ ad posteritatem.

Sit prima & præcipua cura] Duæ sunt præcipuæ curæ hominis, vna de studio doctrinæ, altera de adiunctione ad veram Ecclesiam. De prima cura inquit Christus: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quẽ misisti Iesum Christum. De altera in psalmo 27. dicitur: Vnam petij à Domino, & hanc requiram, vt habitem in domo Domini.

Sed humanæ mentes] Aduersatiua, continens querelam de caligine mentis humanæ post lapsum.

Et quanquam esse Deum] Occupatio.

Quanquam vtcunq; mens] Alia occupatio.

Tamen nihil nouit] Quia vt Iohan. 1. dicitur, Deum nemo vidit vnquam, id est, voluntatem Dei de nostra salute nemo sciuit.

De remissione peccati] Neque etiam de causa tantarum calamitatum, quicquam sciunt homines, vnde Brutus, cùm necem sibi conscisceret, teste Plutarcho, in vita Bruti, exclamauit: O Iuppiter, quæ est causa tantorum malorum?

Pestem Atticam] Anno 2. belli Peloponnesiaci, quod durauit annos 28. tanta pestis grassata est Athenis, vt multis membra putrefacta vi morbi à reliquo corpore deciderint. Deinde aliqui, qui cõualuerũt, ex eo morbo amiserunt facultatem memoriæ, & proprij nominis sunt obliti.

Pestilentiam] Atticam describit Thucydides lib. 2. & Lucretius lib. 6.

Oedipus] Qui interfecit Patrem, & ignorans duxit matrem Iocastam, ex qua procreauit filios & filias. Tandem re patefacta pulsus est à suis ciuibus in exilium, & ictus fulmine absorptus est hiatu terræ. Filij duo Eteocles & Polynices de regno dimicantes mutuis vulneribus conciderunt.

Cùm igitur] Conclusio.

Quod est Sol in mundo] hoc est, patefactio in Ecclesia.

His illustribus testimoniis] Vsus patefactionis diuinæ.

Non nosset per sapientiam] Hinc aliqui inferũt: Ergo nulla est notitia naturalis de Deo. Respondeo. Mundus Deum non cognouit integrè per notitiam naturalem, aut ex creatione rerum. Non enim hoc Pauli dicto tollitur notitia naturalis, nec tollitur ratiocinatio de Deo, sed discernitur Euangelica notitia Dei, quæ est integra, à philosophica, quæ est mutila & manca.

Stultam prædicationem] non quòd talis sit, sed quia impiis & hypocritis ita videtur.

Cùm peteret Philippus] Cap. 14. Iohannis: Omnes homines ardent desiderio videndi ipsam diuinitatem, quæ est in hac vita inuisibilis. Hoc desiderio impulsus Philippus Apostolus ad Christum

ſtum dixit: Domine oſtende nobis Patrem, id eſt, oſtende & ipſam diuinitatem, & arcana Dei conſilia in gubernatione. Ad hanc quæſtionem intempeſtiuam reſpondet Chriſtus: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me. Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Hoc dictum ita declarat Baſilius, enarrans caput primum Iohannis: Mens illuſtrata luce Spiritus ſancti ad Filium reſpicit, & in eo veluti in imagine Patrem cernit. Et Auguſtinus tractat. 1. in Iohan. A Chriſto incarnato nemo recedat, donec perueniat ad Chriſtum ab æterno patre natum. Hæc congruunt cum Pauli dicto: Nos omnes retecta facie gloriam Domini in ſpeculo intuentes, ad eandē imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu, id eſt, per verbum Euangelij Spiritus ſanctus eſt efficax, & nos renouat ad imaginem Filij, in qua cernimus Patrē. Quæramus autem Chriſtum in hac vita inuolutum faſciolis maternis, id eſt, ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis.

Verbum & teſtimonium] Cùm Deus non poſsit cerni oculis corporis in hac vita, tradidit duo media, per quæ rectè agnoſci, & ab omnibus aliis naturis, quæ non ſunt Deus, diſcerni poteſt. Primum auribus percipitur, quod eſt verbum, vt in primo præcepto dicitur: Ego ſum Dominus Deus tuus. Alterum incurrens in oculos, & quaſi viſibile verbum, eſt teſtimonium ſeu miraculum, id eſt, opus naturæ omnipotētis, quod nulla creatura efficere poteſt, vt eductio populi per mare rubrum, & miranda defenſio in deſerto. Sed de hac ſententia infrà plura dicentur, in enarratione primi præcepti.

Sic in primo præcepto] Exemplum regulæ de modo cognoſcendi Deum.

Præcipuè duabus rebus] Secundū caput de diſcrimine veræ & falſæ inuocationis Dei.

Ruunt vel in contemtum Dei, vel æternas deſperationes. Effectus dubitationis aut eſt contemtus Dei Epicureus, aut deſperatio. 1. Corinth. 10. dicit Paulus: Non apprehendit vos tentatio niſi humana. Hinc colligimus duplices eſſe tentationes. Alias humanas, ortas ab humana imbecillitate, id eſt, à ſtultis opinionibus aut affectibus. Alias Diabolicas, quales ſunt iſtæ duæ extremæ, contemtus Dei & deſperatio. Contra has tentationes petimus: Et ne nos inducas in tentationē. i. ne ſinas nos impulſos ruere vel in profanitatē, vel in deſperationem.

Econtra verò Ecclesia Dei affirmat]

Altera pars ἀντιθέσεως. Maxima pars cõcionum Propheticarum est perpetua ἀντίθεσις, scilicet comminationum & promissionum, beneficiorum & pœnarum, obedientiæ & contumaciæ.

Mirabili & inenarrabili consilio]

In consilio de nostra redemtione tres virtutes Dei lucent, quarum prima est iustitia postulans parem compensationem pro peccato. Deinde misericordia, quæ non voluit perire totum genus humanum. Tertia est sapientia, quæ mirabiliter temperauit iustitiam & misericordiam.

Deus est essentia spiritualis]

Quatuor sunt partes huius definitionis, sicut illa initio tradita est à Domino Philippo. Prima recitat proprietates Dei. De his proprietatibus Dei duæ res nos cõmonefaciũt. Lex Dei, & creatio hominis. Nam Deus talis est, qualem se in Lege expressit. Deinde bruta res non est causa naturæ intelligentis, iuxta regulam Dialecticam: Impossibile est causam esse deteriorem effectu toto genere. Secunda monstrat discrimen personarum. Tertia loquitur de actione generali, id est, de creatione & prouidentia. Postrema de actione speciali, id est, de collectione Ecclesiæ. Ista paululum mutata sunt in recenti editione Examinis Theologici.

Omnipotens]

Deus ita est liber & omnipotens, vt tamen non discedat à sua rectitudine & à cæteris proprietatibus. In hanc sententiam Augustinus præclarè dixit lib. 5. de ciuitate Dei cap. 10. Rectè omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non faciẽdo quod non vult. Quod si accideret, nequaquam esset omnipotens. Et Tertullianus aduersus Praxeam: Planè Deo nihil difficile est, sed si tam præruptè (audacter, petulanter) in præsumtionibus nostris hac sententia vtamur, quidquis de Deo cõfingere poterimus; quasi fecerit quod facere potuerit.

Rhetores in statu coniecturali tradunt duos locos, voluntatem & facultatem. Nam ad actionem naturæ rationalis requiruntur illa duo. Sic in sacris literis cùm aliquid probare volumus, prius de voluntate Dei dicendum est, & ea probanda expresso verbo, antequam disputemus de omnipotentia. Vt de resurrectione mortuorum expressa

preſſa eſt voluntas Dei. Iohan. 6. & alibi. De hac quia conſtat, tutò nos conuertimus ad omnipotentiam Dei. Contrà verò cùm multi ſic argumentantur.

Deus eſt omnipotens.

Ergo hoc vel illud poteſt facere.

Reſpondeo. A poſsibilitate & omnipotentia Dei ad voluntatem ſine reuelatione, non valet conſequẽtia. valet autem à voluntate reuelata ad poſsibilitatem & omnipotentiam Dei. A poſſe ad velle nihil ſequitur. Deus enim ita moderatur ſuam omnipotentiam, vt nõ incurrat in cæteras proprietates, ſeu vt non turbetur illarum harmonia.

Specie columbæ] Coruus aſpernatur doctrinã Eccleſię, & eſt odioſus clamator, ſerens λογομαχίας, quas Galenus coruorum contentiones nominat: Columba non deſerit arcam, id eſt, Eccleſiam, nec clamat, ſed gemit, & geſtat ramum oleæ virentis, id eſt, puræ & ſalutaris doctrinæ. De hac allegoria Auguſtinus tractatu 6. in Iohannem, & D. Lutherus in cap. 8. Geneſ.

Felle columba caret, roſtro non lædit, & vngues
Poſsidet innocuos, granaq; pura legit.

In hanc patefactionem] Athanaſius: Ito ad Iordanem, & videbis, ſcilicet patefactionem diuinitatis maximè illuſtrem, & diſcrimen perſonarum. Dicat aliquis. Quomodo poſſum ire ad Iordanem?

Et quò non poſſum corpore, mente feror.

Sic de Deo ſentiendum] ἀξίωμα Theologicum, principiũ fide dignum ſine vlla probatione. Breuis eſt aphoriſmus, ſed ſuſtinet velut fundamentum totius ædificij, vniuerſam doctrinam Eccleſiæ.

Percurri vtcunque] Epilogus tertij capitis.

Has virtutes non eſſe accidentia.

In Deo non eſt accidens abſolutum, vt quantitas & qualitas. Sunt autem in Deo relationes, quæ non differunt realiter ab eſſentia. Hanc ſententiam confirmat Auguſtinus lib. 11. de ciuitate Dei cap. 10. In Deo non aliud eſt qualitas, aliud ſubſtantia, & tamen relatiuè quæque perſona ad alteram dicitur. Pater habet relationem ad Filium, Filius mutuam re-

lationem ad Patrem. Pater & Filius ad Spiritum ſanctum, & viciſſim Spiritus ſanctus habet relationem ad Patrem & Filium. Filius eſt patris Filius, Spiritus ſanctus eſt Spiritus non tantùm Patris, ſed etiam Filij. Hoc teſtatur Paulus Galat. 4. Quoniam autem eſtis Filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater.

Prima & notiſsima ceremonia] Primam ceremoniam appellat baptiſmum, quia eſt clauis, qua aperiuntur fores Eccleſiæ & regni cælorum. Vt autem per baptiſmum renaſcimur & inſerimur Chriſto & Eccleſiæ: ita in Cœna Domini accipimus alimenta conuenientia huic ſpirituali regenerationi.

Quem Deum agnoſces] Baptiſmus eſt mutua obligatio inter Deum & baptizatum, vt 1. Petri 3. ſcribitur: Baptiſmus eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ erga Deum per reſurrectionem Chriſti. Nam Deus obligat ſe ad communicationem ſuorum bonorum, nos viciſsim obligamur ad reddenda ἀντίδωρα, id eſt, ad veram agnitionem & celebrationem Dei. Stipulatio eſt verborum obligatio. Omnis obligatio contrahitur aut conſenſu, aut re, aut verbis, aut literis. Ad verbalem obligationem pertinet ſtipulatio, quæ plus habet momenti, quàm nuda promiſsio.

De gubernatione miranda ſanctorum] Pſalm. 4. dicitur: Dominus mirificat ſanctum ſuum, id eſt, mirabiliter regit, defendit, ſeruat, aliter quàm humana ratio iudicat. Bella non proceduntiuxta dicta, inquit Thucydides: ita Eccleſia non regitur humanis conſiliis.

Oues meæ vocem meam audiunt] Quinque ſunt officia paſtoris Chriſti, 1. paſcere, id eſt, docere & conſolari. 2. Regere Eccleſiam & ſingula membra. 3. defendere aduerſus vim & fraudem hoſtium. 4. Mederi vulneribus Eccleſiæ. 5. Geſtare imbecillas ouiculas. Eſaiæ 40. Sicut paſtor agnos recēs editos in campo, collocat in gremium, donec in ouile ventum eſt. Gremium eſt miniſterium. Ouile, vita æterna.

Intra ſeſe] Extra creaturas. Sicut vnitas habet ſingulare priuilegiū quod nullus

nullus numerus habet. Primùm enim non est numerus, cùm nõ sit ex multitudine collectus, & tamen est diuersa collocatione, seu diuerso respectu & consideratione, quadratum & cubus, & est radix vtriusq; tam quadrati, quàm cubi: ita Deus est vnus in essentia, & est trinus in personis. Nec vnitas mutat trinitatem, nec trinitas tollit vnitatem, sed ista dicuntur diuerso respectu. Cùm enim Deus intra sese describitur, personæ discernuntur. Cùm opponitur creaturis, fit mentio vnius æternæ essentiæ.

Dominus vnus est] scilicet essentialiter.

Iehoua] Fons omnis essentię, qui semper est, semper fuit, & semper erit. In Deo non est discrimen præteriti, futuri & præsentis.

Formans lucem & creans tenebras] id est, corpora lucida & opaca. Opacum corpus est terra. Lucida aut actu sunt talia, vt corpora cælestia & ignis, aut sunt potentia lucida, vt aër & aqua, quia sunt capacia lucis. Vel simpliciter creans bona & ordinans pœnas, quæ significantur appellatione tenebrarum, vt Micheæ 3. Cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est.

In tenebris] id est, in morte, morbis, calamitatibus.

Lux] id est, consolator, vinificator meus.

Vnus est Deus] Exclusiua opponitur commentitiis numinibus, non personis diuinitatis. Non enim excluditur à diuinitate Filius & Spiritus sanctus.

Ex quo, per quem] A quo, scilicet Patre, tanquam à fonte diuinitatis & diuinorum operum. Per quem, scilicet Filium, tanquam causam δημιουργικὴν, fabricatricem, architectatricem. In quo, scilicet Spiritu sancto, tanquam in causa τελειωτικῇ, perficiente opera Trinitatis.

De tribus personis Diuinitatis.

Intelligens] Ad differentiam brutæ naturæ. Asinus etsi sit individuum: tamen non est persona, quia non est singulare intelligens.

Incommunicabilis] propter proprietatem perſonalem, quæ non poteſt cum aliis indiuiduis communicari, vt Pater eſt perſona incommunicabilis, quia ſolus Pater eſt perſona gignens, non genita aut procedens.

Tres verè ſubſiſtentes, non commentitios] Statim ſubiicit ἀντίθεσιν, quæ eſt optima docendi ratio. Iuriſperiti dicunt: Ferro viam aperit, qui per contraria currit.

Ceſſerunt] Thucydides lib. 4. Non turpe eſt cedere amicos amicis, nec duci mentes oportet ſtultæ contentionis amore. Cedunt inter ſe corpora cæleſtia miris anfractibus, vt hoc veluti obſequio ſine contumacia harmonia retineatur. Omnes planetæ ſe accommodant ad motum Solis, & cedunt primo mobili, quod eſt rapidiſsimum. Huic rapiditati cedunt planetæ in obliquo circulo, qui dicitur Zodiacus.

Verbis in Eccleſia iam vſitatis vtamur] Quia mutatio phraſium, aut errores aut diſsidia parit.

Seruetus] qui fuit Hiſpanus, & per Aphricam vagatus in ſcholis Mahometicis, tandem venit Venetias, & ibi edidit ſcripta blaſphema in Filium Dei. Poſtea Geneuæ in Sabaudia ſupplicio affectus eſt. vide Schleidanum lib. 25.

• Cicero inquit: Magnum eſt in Repub. Vbi addũtur hæc verba: Quia non tantùm ſeruit auribus, ſed etiam oculis. Idem 3. officiorum. Ponit perſonam amici, cùm induit Iudicis, quia iuſtitia debet anteferri priuatis coniunctionibus.

Ad ſanctificandas mentes] Sanctum ſignificat ipſum Deum, & res, quibus ſe Deus communicat, vt homo conuerſus ad Deum, verè templum Dei ſanctum dicitur, quia Deus in eo habitat, & ei communicat ſua bona, ſapientiam, iuſtitiam, lætitiam.

Etſi autem omnes angelicæ] Concludit per occupationem vel præciſionem, qualis eſt illa Rom 1. O altitudo diuitiarum.

Iuſtinus

Iustinus Martyr in lib. de Trinitate, pagina 177. Etsi penitus diuinitas perspici non potest, tamen discendi cupiditas non est abiicienda, quia hac ipsa inquisitione Dei nos cum eo copulamur.

Quanquam hæc arcana] Duæ sunt Academiæ. Vna in hac vita, & altera in futura, cælestis, cuius nemo erit ciuis, nisi prius fit diligens discipulus in schola huius vitæ, vt dicitur 2. Corinth. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Fœtus in aluo] Esaias cap. 46. vtitur hac similitudine Anatomica, comparans Ecclesiam fœtui, qui gestatur in aluo materna, & nutritur non per os, sed per vmbilicum. κοτύλη appellatio mensuræ, acetabulum. Cotyledones sunt orificia venarum & arteriarum definentium in matricem.

Ad declarationem quid sit persona, solutiones horum argumentorum prosunt:

Hæc essentia diuina est Pater.
Hæc essentia diuina est Filius.
Ergo Filius est Pater.

RESPONDEO.

Nego consequentiam. Quia in syllogismo expositorio oportet medium esse singulare propriissimè dictum, hoc est, incommunicabile. Essentia autem diuina etsi indiuidua (id est, simplex & vna) est, tamen communicabilis est.

Aliud argumentum.

Idem non gignit seipsum.
Essentia est eadem.
Ergo essentia non gignit essentiam.

Respondeo ad maiorem: Idem, quatenus est incommunicabile, non gignit sese. Sed idem quod est communicabile, communicatur genito. Est autē essentia cōmunicabilis. Ergo cōmunicatur genito.

Summa hæc est: Essentia quantumuis est substantia intelligens, indiuidua: tamen est communicabilis Patri, Filio & Spiritui sancto. Aliàs Pater non posset gignere Filium, Filius non posset gigni, Spiritus sanctus non posset procedere. Sed persona est substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis.

Studiosis in Academia Lipsica

S. D.

SAEPE in Ethicis hæc commonefactio proponitur, quæ cõtinet doctrinam in omni vita necessariam, de fine & de mediis. Qui finem expetit, non fugiat media ad finem ducentia. Non enim cæco impetu currẽdum est sine cogitatione finis, & sine prudentia eligẽte media salutaria, sed & mens iustum finem intueri, & voluntas quadam excelsa constantia eligere & tueri legitima media debet. Iohannes autem Apostolus & Euangelista vno versu locum totum conficit de fine & mediis studij Theologici cap. 20. inquiens: Hæc scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus sit Christus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Nam finis, ad quem studia doctrinæ Christianæ referuntur, non est vanus honor, nec voluptas fugax & euanescens, sed salus animarum, vt Petrus inquit: τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν σωτηρία ψυχῶν. Media verò ad hanc metam ducentia sunt duo articuli, vnus de persona, alter de officio Christi. De persona firmissimè statuendum est iuxta diuinas patefactiones recitatas in Prophetícis & Apostolicis scriptis: In hoc Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, nato ex virgine, crucifixo pro nobis & resuscitato, duas esse naturas, diuinam & humanam sic vnitas, vt sit vna persona. Nomen officij est Christus, id est, rex & Sacerdos Ecclesiæ, vnctus ab æterno Patre non quidem balsamo, sed Spiritu sancto. Agnoscamus igitur hunc Christum Deum & hominem, & gratias agamus Deo pro hoc immenso beneficio, quòd Filium voluit assumere humanam naturam, & hunc Filium Deum & hominem voluit esse redemtorem &

Sal-

Saluatorem & caput Ecclesiæ, quod merito & efficacia sua omnia perficit. Huius sapientiæ ad salutem animarũ necessariæ, bona & magna pars piis auditoribus proponitur in loco de Filio Dei, cuius explicationem Deo adiutore inchoabo die 2. Iulij, in auditorio Collegij Paulini, hora vsitata, & iunioribus sum hortator, vt eadem diligentia hanc partem doctrinæ Christianæ cognoscant, quam hactenus præstiterunt in percipiendo primo articulo de essentia diuina & de tribus personis diuinitatis. Deum precor, vt regat studia docentium & discentium doctrinam Ecclesiæ propriam, & alias artes necessarias huic vitæ mortali. Bene ac feliciter valete. Die Pentecostes, qua celebratur memoria admirandæ patefactionis Spiritus sancti, quem æternus Pater & Filius eius, Dominus noster Iesus Christus in Apostolos, & in cœtum ipsis coniunctum, liberalissima bonitate effuderunt.

M. V. S.

PRAEFATIO IN LOCVM DE FILIO DEI obiter excepta.



VEMADMODVM ij, quorum nauis in mari versatur, vel ad paruam cynosuram, vt Phœnices, vel ad clarissimos Septentriones, vt Græci, respiciunt, vt directius gubernent nauigationis suæ cursum: ita nos versantes in studiis doctrinæ Christianæ, de duabus rebus cogitemus. Primùm de fine nostræ diligentiæ. Deinde de mediis, per quæ recto cursu contendere possumus ad metam optatam. De fine studiorum concionatur Petrus 1. cap. breui aphorismo. Credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Et nos in symbolo Apostolico omnes articulos referimus ad spem resurrectionis & vitæ æternæ. Ideo enim credimus Euangelio, vt in hac vita habeamus remissionem peccatorum, & post hanc vitam resuscitati ex morte, fruamur possessione & hæreditate vitæ æternæ. De mediis ducentibus ad hanc metam optatam & desiderabilem, semper meminerimus duo insignia dicta, quorum alterum ipsius est Christi, Iohan. 17. alterum est Euangelistæ Iohan. 20. Ita enim Christus in ardentissima precatione ante postremum agonem inquit: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Hic disertè coniungit duos articulos necessarios ad salutem. Prior est vera agnitio essentiæ Dei mittentis hunc Mediatorem ad Ecclesiam, alter est vera agnitio personæ missæ, id est, ipsius Mediatoris ad Ecclesiam. Iohannes verò cap. 20. sic inquit, monstrãs scopum non modò sui Euangelij, sed totius sacræ Scripturæ. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Cùm igitur hactenus de priori articulo necessario ad salutem animarum, videlicet de essentia Dei dictum sit: sequitur locus de persona ad Ecclesiam missa, in quo decem capita sunt obseruanda:

Primum continet præcipuas appellationes Filij Dei apud Iohãnem & Paulum. Cur vocetur vnigenitus, quare λόγος respectu Patris & Ecclesiæ, cur imago.

Galenus in explicatione Aphorismorum: Non est docentis omnia simul dicere, sed singula sunt suis locis designanda.

Secundum

Secundum continet testimonia de diuinitate Messiæ, de qua nobis cum Iudæis & Turcis, & omnibus blasphemis acerrima est contentio.

Tertium est historicum, repetens præcipuarum Synodorum iudicia contra blasphemos, qui post Apostolos sparserunt venenata dogmata, contumelioſa aduersus Filium Dei, & pestifera Ecclesiæ.

Quartum continet refutationem blasphemiæ Samosateni.

Quintum continet refutationem blasphemiæ Arij.

Sextum continet solutiones argumentorum quorundam Arij.

Septimum est doctrina de vnione duarum naturarum in Christo, id est, de propositione Iohannis: Verbum caro factum est.

Octauum continet refutationem Nestorij & Eutychis, quorum alter fuit Episcopus, alter Monachus. Et vt Nestorius distraxit λόγον ac carnem: sic Eutyches contrariam hyperbolen defendit, de confusione naturarum in Christo.

Nonum complectitur doctrinam de communicatione Idiomatum.

Decimum habet explicationem quæstionis de fuga mortis in Christo, an fuerit vitiosa.

LOCVS SECVNDVS
DE FILIO DEI.

De præcipuis Filij Dei appellationibus.

CAP. I.

MAGNA varietas est appellationum, quas Prophetæ & Apostoli Filio Dei tribuunt, sed maximè illustres sunt, quæ apud Iohannem & Paulum extant. Nam Iohannes nominat hunc Filium vnigenitum & λόγον. Paulus εἰκόνα seu imaginem. Filius vnigenitus dicitur, vt discernantur à Christo filij adoptionis. Vnicus est enim Filius vnigenitus, qui est de essentia Patris, Deus de Deo, lumen de lumine. Sed homines renati nominantur filij adoptionis, quia propter vnigenitum diliguntur, qui factus est frater noster, assumta humana natura, vt nos vicissim efficeremur fratres ipsius, videlicet participes diuinæ naturæ, & tamen alia est essentia creata hominis, & alia est diuinitatis, quæ separabiliter est in renatis, qui sunt templa Dei. Hæc declaratio apud Nazianzenum extat in fine 2. orationis περὶ λόγου.

Adoptio est actus legitimus, quo is, qui filius natura non est, pro filio suscipitur & habetur, vt Paulus Aemylius ex familia Scipionum adoptauit Scipionem Aemylianum. Nos sumus natura filij iræ, sed propter Christum filij adoptionis & gratiæ.

Deus non communicat nobis suam essentiam, ita vt nos dij efficiamur. Semper enim manet discrimen inter Creatorem & creaturam: sed sic efficimur participes naturæ diuinæ, quia Filius assumsit naturam humanam, est caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris, & nos vicissim inserimur carni Christi velut membra, & alimur ac viuificamur eodem Spiritu, quo viuificatur caro Christi. Propter hanc insertionem

nem in carnem Christi, & propter mansionem in Christo, dicimur participes naturæ diuinæ.

Idem Filius dicitur λόγος, & respectu Patris, & respectu nostri. Respectu Patris, quia sicut in hominibus verbum cogitatione formatur, quod est imago rei cogitatæ, vt cùm homo cogitat de amico, illa cogitatione mox format imaginem eius. Ita Pater sese perfectè intuens & intelligens gignit imaginem suam seu eloquitur verbum, quod est ipsius integra & substantialis imago. Differūt enim imagines in creaturis ab hac imagine in diuinitate. Quia imagines in creaturis sunt vmbræ euanescentes, sed Filius æterni Patris est imago subsistens, viua, & manens ὁμούσιος Patri, id est, de essentia Patris.

Mens est quasi pictor. Cogitatio est quasi pictura imaginum, quæ sunt in homine non essentiales, sed actus euanescentes.

Huius declarationis, quæ rectè sumitur ex vocabulo imaginis, locupletes testes sunt Tertullianus, Basilius, Nazianzenus, Augustinus & Lutherus. Sic enim Tertullianus in lib. aduersus Praxeā scribit: Etsi Deus nondum sermonem suum miserat, tamen eum, cum ipsa & in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacitè cogitando & disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans atque disponens sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat, idque quò faciliùs intelligas, ex te ipso recognosce, vt ex imagine & similitudine Dei. Vide cùm tacitè tecum ipse congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum. Hic sermo, est Filius Dei primogenitus, vt ante omnia genitus & vnigenitus, & solus ex Deo genitus.

Basilius enarrans exordium Euangelij Iohánis: Quare, inquit, dicitur λόγος? Vt ostendatur, quòd ex mente prodierit, & sine passione mentis genitus sit, imago Patris totum in se ostendens Patrem, & perfectus existens per sese, sicut & noster sermo totius cogitationis est effigies.

Gregorius Nazianzenus in 2. orat. περὶ λόγου. Dicitur λόγος, quia se habet ad Patrem, sicut verbum ad mentem, non tantùm quia mens pariens verbum, nihil patitur, sed etiam quia perpetuò

coniunctum est Patri, & quia annunciat nobis Euangelium.

Augustinus lib. 9. de Trinitate cap. 12. In homine est quædam imago Trinitatis. Ipsa mens, & notitia mentis, tanquam proles eius, & amor, & hæc tria vnum, atque vna substantia, nec minor proles, dum tantam se nouit mens, quanta est, nec minor amor, dum tantum se diligit, quantam nouit & quãta est. Idem tractat. 14. in Iohannem prolixè hanc sententiam declarat.

Lutherus enarrans caput 1. Genes. Verbum duplex est, creatum & increatum. Verbum increatum est diuina cogitatio manens in Deo, & idem cum Deo, & tamen distincta persona, sic Deus se nobis reuelat, quòd sit dictor, habens apud se Verbum increatum, per quod mundum & omnia creauit. Huiusmodi cogitationibus boni Patres, Augustinus & Hilarius se oblectarunt. Sed huius arcani consideratio erit sapientia, quam in vita æterna integrè discemus.

Ceterum respectu nostri dicitur λόγος, quia est persona, quam æternus Pater mittit ad Ecclesiam, quæ profert Euangeliũ ex sinu æterni Patris, & nos alloquitur, seruat ministerium Euangelij, colligit Ecclesiam immediatè, & mentibus nostris ostendit voluntatem æterni Patris, ac dicit consolationem, quam sonat vox Euangelij, & assensionem per Spiritum sanctum confirmat. Hæc declaratio nominis λόγος simplicior & dulcior est, quàm altera de modo generationis.

Sicut prior respectus τοῦ λόγου ad Patrem, arcanus est, nec penitus in hac vita perspici vel exhauriri potest: sic alter, videlicet ad Ecclesiam, magis accõmodatus est ad captum nostræ imbecillitatis, & affert piis mentibus gratam & salutarem cõsolationem.

Congruunt autem ad hanc declarationem plurima dicta, vt quòd Esaias cap. 9. nominat eum consiliarium, videlicet proferentem hoc mirandum consiliũ de redemtione & saluatione ex sinu æterni Patris, & postea cap. 41. nominat eum Euangelistam. Et Dominus ipse respondet interrogantibus quis sit: πρῶτον ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, id est, prorsus hoc sum, quod loquor vobis,

Sinus Patris non intelligatur de parte corporis, sed de arcana deliberatione & consilio diuinitatis, cuius non sunt participes angeli aut aliæ creaturæ.

Vetus translatio habet: principium

Sum

Sum hic λόγος, qui ab initio cum Ecclesia loquitur, & eam colligit.

cipium quod & loquor vobis.

Hæc versio est obscura, & præbuit interpretibus occasionem currendi extra viam, vt dicitur. Nam prouerbium est: Bene quidem currit, sed extra viam, cùm scilicet de eo fit sermo, qui multa bona dicit, sed non pertinentia ad institutum. Sic enim & interpretes illi disputarunt, cur Filius vocetur principium, cùm hæc appellatio Patri magis conueniat, qui est fons diuinitatis & diuinorum operum. Sed non est opus hac disputatione. Nam πλὼ ἀρχλὼ apud Græcos vsurpatur aduerbialiter, vt Latinè dicitur, principiò, prorsus, omnino. Exemplum huius significationis apud Sophoclem in Antigone:

Ἀρχλὼ γ' ϑηρᾶν ὐπρέπει τ' ἀμήχανα.

Omnino venari non decet impossibilia.

Congruit hoc dictum Sophoclis cum illa sententia Aristotelis lib. 6. Ethic. Nulla est deliberatio de re impossibili, id est, non sunt tentanda impossibilia.

Ex psalm. 35. de Filio Dei inquit Dauid: Dic animæ meæ, salus tua ego sum. Nam λόγος illustrat mentem agnitione misericordiæ, bonitatis & præsentiæ Dei, iuxta hæc dicta Iohan. 1. Illuminat omnem hominem. Matth. 11. & cui voluerit Filius reuelare.

scilicet qui illuminatur. Quasi dicat: Omnes quotquot accipiũt lumen, non aliunde accipiunt nisi à solo Christo.

Sic Irenæus lib. 3. cap. 20. dulcissimè inquit: Filium propterea dici λόγον, quia sit persona loquens cum Patribus, & semper adsit suæ Ecclesiæ. Ipse enim, vt ait Tertullianus aduersus Praxeam pag. 417. ad humana semper colloquia descendit ab Adam vsque ad Patriarchas & Prophetas, in visione, in somnio, in ænigmate, in speculo, ordinem suum præstruens [*præparans*] ab initio semper.

Suprà dictum est de sex modis patefactionis diuinæ. Inter alios autẽ etiam hi recensentur: visio prophetica & somnium. Aenigma & speculũ sunt verba Pauli, quibus vtitur 1. Corinth. 13. vbi discernit sapientiam huius vitæ à sapientia æternæ Academiæ: videmus, inquit, in speculo, in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, id est, postea fruemur clarissimo conspectu Dei. Non tantùm essentiam & voluntatem Dei vide-

bimus, ſed etiam cauſas & conſilia omnium mirandorum operum Dei, vt creationis, conſeruationis & reparationis hominum, & incarnationis Chriſti &c.

In ſcholis ita dicitur: Duplex eſt notitia. Vna abſtractiua, altera intuitiua. Abſtractiua eſt, qua cõcipimus imaginem rei abſentis aut inuiſibilis, vt quando cogitas de Patre abſente, aut de Deo, qui non conſpicitur viſibiliter: hæc notitia multò eſt obſcurior, quàm intuitiua, quæ eſt præſentis rei & in oculos incurrentis contemplatio, vnde dicitur: Omnis intuitiua notitia eſt optima definitio rei. Cùm coràm vides abſynthium aut mel, nõ eſt opus definitione. Cum igitur Paulus has duas ſpecies notitiæ confert, loquitur de abſtractiua, inquiens, In ænigmate, per ſpeculum &c. Per ænigma intelligit verbũ, quod ænigma appellat, non quòd per ſe & ſimpliciter ſit obſcurum & incertum, ſicut ſunt ænigmata inuoluta, ſed relatiuè. Cùm enim confertur verbum cum ſapientia vitæ æternæ, tunc verè vocatur ænigma, id eſt, quiddam tectum & aliud ſignificans. Speculum eſt ſpiritualis experientia pauorum & conſolationum fidei eluctantis ex pauoribus, quæ experientia maximè illuſtrat doctrinam de iuſtificatione, vt quod à Paulo dicitur: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam, Hoc longè aliter intellexit Paulus, quàm Origenes.

Primùm igitur in paradiſo promiſsionem edidit de futuro ſemine & futura liberatione à peccato & morte.

Verba primæ promiſsionis ſunt: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Breuis eſt aphoriſmus: Semen mulieris eſt Filius Dei, natus ex ſemine Abraham & Dauid iuxta carnem. Rom. 1. Caput ſerpẽtis eſt regnum Diaboli, cuius præcipui nerui ſunt peccatum & mors. Hebr. 2. Diabolus habet imperium mortis. Eſt autem ſumta metaphora à natura ſerpentis. Nam ſerpens in dimicatione tantùm defendit caput, quo ſaluo, facilè reliqua membra diſſecta poteſt conglutinare ſucco herbæ, quæ dicitur ſerpentaria. Chriſtus igitur Saluator non tãtùm caudam & ventrem ſerpentis Diaboli contriuit, ſed in arcem inuaſit, id eſt, in caput, quod deſtruxit & comminuit, id eſt, peccatum & mortem ſuſtulit.

Poſtea cùm Noah collocutus eſt, mãdans ei, vt arcam extrue-

Noah ex mandato Dei ædificauit arcam, & ſingulas rimulas

ret.

ret. Nec dubium est, Mosen de Filio Dei loqui, cùm inquit Genes. 7. Clausit eum Dominus deforis. [*forinsecus*] obstruxit bitumine, præterillam partem, per quã & ipse ingressus fuit, & animalia. Ne igitur per ianuam posset vis aquæ se insinuare in arcam, & obruere vel animalia vel familiam Nohæ, Filius Dei non dubitauit hunc laborem in se suscipere, & claudere deforis arcam. Dicat aliquis, Vnde scis Mosen loqui de Filio Dei? Respondeo. Probo ex 1. cap. Iohannis: Omnia per ipsum facta sunt. Hoc dictum non tantùm referendum est ad generalem Dei actionem, creationem scilicet & conseruationem rerum, sed etiam ad omnes mirandas liberationes, quibus Deus ornauit, seruauit ac defendit suam Ecclesiam. Est autem non postrema Ecclesiæ liberatio, conseruatio Noah & familiæ eius.

Ludit enim in orbe terræ & delectatur hominum conuersatione, vt prouerb. 8. dulcissimè dicitur.

Quomodo ludit? non tantùm in creatione, sed etiam in collectione Ecclesiæ. Quàm miranda spectacula sunt, formatio corporis Adæ ex limo terræ, & inspiratio animę in hoc corpus. Quàm mirandum spectaculum est ædificatio Euæ ex costa Adæ: sed non minus mirandum spectaculum, seu lusus Filij Dei est conseruatio Noah in diluuio, eductio populi ex Aegypto, conseruatio Ionæ in ventre Ceti, Danielis inter leones, trium virorum in flammis ardentibus. Paulus 1. Corinth. 10. apertè docet, Christum fuisse comitem populi educti ex Aegypto. Bibebãt autem de Spiritali comitante eos petra, petra autem erat Christus. Et in eodem cap. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus interempti sunt.

Rectè etiam de Filio Dei intelligitur congressus Genes. 18. Cùm apparuit Deus Abrahæ in valle Mamre, vbi tres viros hospitio excipit, & vnum adorat, videlicet inter angelos euntem Filium Dei.

Genes. 32. hic Dominus luctatur cum Iacob, & sua promissione in eo accendit ingentem lætitiam. Ait enim Iacob post arduam & difficilem luctam: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Et postea vocatus ad vitæ exitum, his

Lutherus: Filius Dei sæpe tam arctè aliquẽ amplectitur, vt excutiat ei lacrymas. Lucta Iacob est agon mortis, Deus det vt simus Israël, id est, victores.

verbis benedictionem filiis Ioseph pronunciat, Genes. 48. Benedicat his pueris angelus, qui me eripuit ex omnibus malis. Hic nō dubium est, nominari angelum Filium missum ad Ecclesiā, quia semper fuit, & est custos suæ Ecclesiæ: & proprietates sunt diuinæ naturæ, liberare à cūctis malis, à peccato & morte, & à furoribus Diabolorum, & restituere iustitiam & vitam æternam.

Dicat aliquis: Ergo tu excludis humanam naturam. Respondeo. Non. Etsi enim hęc sunt propria diuinæ naturæ: tamen fiunt in carne assumta, sicut dicitur: Semen mulieris conteret caput serpentis. Nec sunt iam actiones Christi extra essentiam humanæ naturæ, imò & ante incarnationem Filius fuit efficax in Ecclesia propter promissionem traditam de semine mulieris.

Sic & cum Mose loquitur in rubo, Exodi 3. Ego ero, qui ero, id est, Ego ille promissus liberator vobis adero, qui aliquantò pòst, ero frater vester, assumta humana natura, & vos liberabo à peccato & à morte, & inter vos resurgens ex morte, regnum æternum incoabo. Sed longiores hoc loco sumus, quàm necesse est.

Discamus igitur confirmati tot testimoniis, Filium Dei λόγον, adfuisse Ecclesiæ inde vsque ab initio, & statuamus nunc quoque eum adesse Ecclesiæ, opitulari piis, depellere Diabolum: & sicut in epistola Iohannis dicitur, destruere opera Diaboli.

Auguſt. ſermon. 174. de tempore. Quis non incurreret in dēntes leonis huius, nisi vicisset leo de tribu Iuda, vt Apocalyp. 5. scribitur, imò agnus vicit lupum.

De

De diuina natura in Christo.

CAP II.

COLLIGENDAE sunt confirmationes præcipuæ maximeq; illustres de natura diuina in Messia, non tantùm ad refutandos Iudæos recentes & alios, qui Christo diuinitatem detrahunt, sed ad nos ipsos confirmandos, vt in omni inuocatione statuamus Christum non tantùm esse Mediatorem pro nobis interpellantem, sed etiam esse datorem bonorum corporis & animi. Propter has duas causas, propter refutationem blasphemiæ & inuocationem nostram, duo sunt argumenta tenenda, quibus probatur diuinitas Filij Dei, quorum alterum à proprio cultu diuinæ naturæ, alterum ab omnipotentia sumitur.

Certissima & maximè illustris confirmatio de diuina natura in Christo sumi potest ex duabus proprietatibus diuinis videlicet ex inuocatione, & omnipotentia, quas vniuersa Scriptura Prophetica & Apostolica Christo tribuit. Nam inuocatio, qua petimus liberationem à peccatis, & à morte, & donationem iustitiæ & vitæ æternæ, & conseruationem naturæ & vitæ corporalis, soli Deo, qui est omnipotẽs, tribuenda est, quia solus Deus hęc bona dare potest, & solus videt corda petentium, & discernit veram inuocationem à simulata.

Multis argumentis refutari potest Ethnica consuetudo inuocãdi homines mortuos, sed hoc est maximè reale, quòd inuocatio soli Deo tribuenda est, iuxta dictum: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Item psalm. 50. dicitur: Inuoca me, id est, non alios, in die tribulationis, & ego eripiam te, & tu glorificabis me. Sed quæritur: Cur solus Deus sit inuocandus? Respondeo. Duæ sunt causæ: 1. Quia solus Deus est dator bonorum corporis & animi. Sicut enim solus est cõditor rerũ ex nihilo, & conseruator, ita etiã solus & vult & potest dare bona corporalia & spiritualia. 2. Quia solus Deus est καρδιογνώστης, inspector cordium, solus perspicit latebras humani pectoris, quid quisque in se admittat,

qua mente, qua pietate religionem colat, piorum q; & impiorum rationem habet.

Extant autem clara & perſpicua teſtimonia, quæ & præcipiunt inuocationem Chriſti, & hoc modo inuocantibus exauditionem promittunt, vt pſalmo 45. Et cõcupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus tuus, & adorabis eum.

Totus pſalmus 45. eſt epithalamium & carmẽ nuptiale Chriſti ſponſi, & ſponſæ Eccleſiæ. Sunt autem duæ partes huius pſalmi. Prima continet encomium ſponſi, qui laudatur à formæ dignitate, ab eloquentia, à ſapientia, à glorioſis victoriis & triumphis, denique nihil omittitur, quod pertineat ad exaggerationem & amplificationem laudum Meſsiæ. In altera parte Spiritus ſanctus per apoſtrophẽ alloquitur Eccleſiam, & eſt conciliator nuptiarum inter Chriſtum & Eccleſiam. Audi, inquit, filia, & vide, & inclina aurẽ tuam, & obliuiſcere populũ tuũ, & domũ patris, atq; ita cõcupiſcet rex decorem tuum. Eccleſia in hac vita valde deformis eſt. Deformatur enim tribus rebus. 1. peccato, quod adhuc circumfert in carne. 2. cruce & ingentibus miſeriis, quia nullus cœtus hominum tam eſt ærumnoſus quàm Eccleſia. 3. Scandalis multiplicibus, quia doctores excitãt diſsidia dogmatum ſæpe non neceſsaria, & lacerant vnitatem Eccleſiæ. Quanquam autem Eccleſia talis eſt, imbecillis, ærumnoſa & ſcãdalis deformata: tamen ſponſus Meſsias pronuntiat eam eſſe formoſam, quia amplectitur Euangelium, vtitur Sacramentis, rectè inuocat Deum, & præſtat reliquos cultus placentes Deo, iuxta ἀπαύγασμα Euangelij. Nunquam fuit ſqualidior Eccleſia, quàm nunc eſt in hac ſenecta, & tamen hanc etiam nunc amat Chriſtus, iuxta dictum: Quæ minimè ſunt pulcra, ea videntur pulcra amanti.

Et pſalm. 72. Et adorabunt ipſum ſemper. Iohan. 14. Quicquid petieritis à Patre in nomine meo, faciam. Matth. 18. Vbi duo aut tres cõgregati fuerint, in medio eorum ſum.

Quanquam omnes pſalmi & ſinguli verſus pſalmorum ad verbum ediſcendi ſunt: tamen in toto opere velut heſperus inter nocturnos ignes eminent pſalmi Prophetici de Meſsia & Eccleſia. Ioan. 14. inquit Chriſtus: Quidquid petieritis à Patre in nomine meo, hoc faciam. Iohan. 16. dicit: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hæc dicta ita

ita inter ſe congruunt: Iohann.14 loquitur Chriſtus de ſe, tanquam de vero Deo, fonte & datore omnium bonorum cum Patre & Spiritu ſancto. Iohan.16 dicit de ſe, tanquam Mediatore, propter quem Deus nobis eſt propitius, & ſua bona communicat. Eſt igitur Chriſtus inuocandus, non tantùm vt Mediator, ſed etiam vt perſona, quæ natura eſt Deus.

Meminimus etiam Reuerendum patrem D. Lutherum ſæpe dicere: In veteri Teſtamento illuſtre teſtimonium eſſe diuinitatis Meſsiæ, quod iubet eum inuocari, & hac proprietate Meſsiam à ceteris Prophetis diſcerni. Id grauiſsimum teſtimoniũ querebatur obſcuratum & labefactatum eſſe translata inuocatione ad alios homines, ac propter hanc ſolam cauſſam dicebat, conſuetudinem alios inuocandi improbandam eſſe.

Matthæus Euangeliſta tria habet peculiaria dicta, quæ longè ſuperant opes & voluptates, & gloriam totius mundi, & hæc dicta non leguntur apud alios Euangeliſtas. Primum eſt cap. 11, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. In hoc dicto eſt pictura Chriſti medici, & Eccleſiæ grauibus morbis oppreſſæ. Secundum eſt cap.18: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. Quod eſt intelligendum de honeſtis congregationibus publicis & priuatis Eccleſiæ & ſcholarum. Tertium eſt in capite vltimo: Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Hoc etiam eſt plenum conſolationis de perpetua præſentia & auxilio Chriſti, quo adeſt toti corpori & ſingulis Eccleſiæ membris.

De omnipotentia manifeſtiſsima ſunt dicta in Scriptura Prophetica & Apoſtolica, quòd Meſsias redditurus ſit iuſtitiam & vitam æternã. Propria eſt autem diuinæ naturæ omnipotentia. Iohan.10: Ego vitam æternam do illis.

Integra ſententia valde eſt cõſolatoria: Oues meæ vocẽ meam audiunt, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & nemo rapiet eas ex manibus meis, quia ego & Pater vnum ſumus. In hoc dicto eſt pulchra deſcriptio Eccleſiæ, quæ eſt grex ouium ſequẽtium ductum & auſpicia paſtoris boni Ieſu Chriſti, à quo hic grex accipit non modò vitam æternam, ſed etiam defenſionem certam aduerſus inſidiatores & graſſatores Diabolos.

Iohan. 15: Ego ſum vitis, vos palmites, ſine me nihil poteſtis facere. Iohann 20: Chriſtus dat Spiritum ſanctum, quod ſolius diuinæ naturæ proprium eſt.

Iohan. 15 additur: Sine me nihil poteſtis facere. Nihil, ſcilicet Deo placens & ſalutare, cùm vobis, tum aliis. In parabola autem de vite hæc conſideranda ſunt: 1. Quæ ſit vitis. 2, Qui ſint palmites. 3, Quis ſit vinitor ſeu cultor vineæ. 4, Quæ ſint opera huius vinitoris. 5, Quæ ſint inſtrumenta ſeu organa, quibus vtitur in cultura vineæ. 6, Qui ſint fructus. Vitis eſt Chriſtus: nos ſumus palmites. Pater eſt vinitor, qui purgat omnem palmitem ferentem fructus. Præcipuus autem labor eſt vinitoris, luxuriam reſcindere, ne ſuccus deſit partibus frugiferis. Inſtruméta ſunt variæ calamitates, quæ diuinitus immittuntur piis. Fructus autem ſunt æterni, tam docentium, quàm diſcentium. Sic enim ſequitur in parabola: In hoc glorificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.

Talia dicta multa ſint in cõſpectu, quia non ſolùm de dogmate nos confirmant, ſed etiam dulciſsimas promiſsiones & conſolationes tradunt, quibus eſt verè efficax ipſe Filius Dei, & nos alloquitur.

Summa ſecundi capitis comprehendi poteſt his duobus argumentis.

I.

Scriptura iubet Chriſtum inuocari:
Solus Deus eſt inuocandus.
Ergo Chriſtus eſt Deus.

Argumentum ſumitur ex proprio, & valet conſequentia. Quia cuicunque tribuitur proprietas perpetua eſſentiæ, eidem tribuitur ipſa eſſentia, vt cui tribuitur rationale inter creaturas viſibiles, huic neceſſariò tribuitur humana natura. Cùm igitur ſolus Deus ſit inuocandus, & Chriſtus ſit inuocandus iuxta mandatum & promiſſiones Scripturæ, Chriſtum natura Deum eſſe, neceſſe eſt.

II.

Omnipotentia eſt proprietas diuinæ naturæ.
Chriſtus eſt omnipotens.
Ergo eſt Deus.

Sumitur & hoc argumẽtum ex loco proprij, & valet conſequentia ex ſuperiore regula.

Hiſtorica

Hiſtorica commemoratio de hæreſibus aduerſus Filium Dei ſparſis, & de Synodis, quarum iudiciis illæ condemnatæ ſunt.

CAP. III.

VALDE prodeſt extare veras hiſtorias certaminũ Eccleſię, vt ſciamus omnibus tẽporibus horribiliter Diabolos turbare Eccleſiam, & muniamus nos aduerſus Diabolorũ inſidias, vera cognitione doctrinæ, precatione & iudiciis veræ Eccleſiæ, quæ manifeſtos furores hominum fanaticorum refutauit.

Tria ſunt arma Eccleſiæ aduerſus Diabolos & eorum organa. Primum eſt cognitio veræ doctrinæ. Alterum eſt precatio. Non enim tantùm diſputando vincuntur aduerſarij, ſed multò magis precando, vt de Ario legimus, contra quem cùm Epiſcopus Alexander totam nóctem fuiſſet precatus, mane cõſpecta eſt vis precationis. Nam cùm Arius vellet ire in templũ inuito Epiſcopo, fretus factione aulica, inter eundum ſeceſsit, ibi inſtar Iudæ profudit ſua viſcera. Ita Lutherus etiam ſuper pſalmum 120 inquit: Non tantùm verbis & diſputationibus congrediendum eſt cum hoſtibus & hæreticis, ſed multò magis precatione. 3, Perpetua confeſsio & conſenſus Eccleſiæ, qui ſecundum verbum Dei maximi faciendus eſt, modò conſentiat cum fundamento.

Quemadmodum igitur medici venena accuratè deſcribunt, vt à ſalutaribus remediis diſcerni, & maiori cura vitari poſsint: ita nos, Deo iuuãte, pauca ex monumentis hiſtoriæ Eccleſiaſticę de hæreſibus & iudiciis Synodorum repetemus, quò facilius ſimilia certamina iudicari poſſint. Nam eadem fabula ſemper

Dioſcorides duos libros ſcripſit de venenatis beſtiis, 6 & 7.

Thucyd. li. 3, pa. 39: Multa acciderunt in ciuitatibus atrocia,

in mundo agitur, mutatis duntaxat χήμασι, hoc est, personis & appellationibus.

quæ & fieri solent, & fient semper, donec eadem erit hominũ natura, seu crudeliora, seu mitiora, seu specie nonnihil mutata, vt causſæ motuum & tempora ferent.

Primùm autem de Samosateno, & de Synodo Antiochena dicam.

Hæresis ab electione nomen habet, ab αἱρέω, eligo. Est autem hæresis, vt definit Augustinus & Lutherus, pertinax error, pugnans cum Scriptura diuinitus tradita, id est, cum fundamẽto. Differunt enim error & pertinacia. Humanum est labi, errare, hallucinari: diabolicum est in errore perseuerare, nec se subiicere iudicio Ecclesiæ veræ. Iam quærat aliquis, quæ sint causſæ tantæ pestis, quia nulla nocentior Stygiis se se extulit vndis: vt 3 Aeneid. Virgilius de Harpyis inquit. Respondeo: Duæ sunt causſæ efficientes hæreseos. 1, Odium Diaboli aduersus Filium Dei & Ecclesiam. 2, Leuitas humanorum ingeniorum incitata vel ambitione, vel curiositate, vel studio contradicendi. Ab his duabus causſis omnes hæreses ortæ sunt, & orientur deinceps.

Causſæ finales, quas Diabolus prospicit, sunt: 1, vt Filium Dei afficiat contumelia. 2, vt disſipet Ecclesiam, & multi homines erroribus fascinati ruant in æternas pœnas. Hæresis enim recensetur inter opera carnis, propter quæ ira Dei venit super impios. Sed alios fines Deus prospicit, permittens Diabolum sic grassari, videlicet vt exploret fidem credentium, & hac δοκιμασίᾳ discernat constantes & synceros à leuibus & fucatis doctoribus & auditoribus. Imò & doctrina fit illustrior, & explicatur dexteriùs, motis certaminibus. De hac causſa Deuter. 13: Non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non. Et Paulus 1 Cor. 11, Necesse est hæreses esse, id est, necessitate consequẽtiæ, vt manifesti inter vos fiant δόκιμοι, id est, synceri & probati. Nam, vt inquit Prosper: Sicut tyranni exercent patientiam Ecclesiæ, sic hæretici acuunt sapientiam Ecclesiæ: Tolle, inquit Seneca, imperia dura, quid virtus erit? Altera causſa, quam Deus prospicit, est, vt confusio opinionum & cultuum sit pœna impiorum, qui propter contemtum ministerij & veritatis, omni vento doctrinæ circumferuntur. Sic psalm. 81, querelam instituit Deus.

Et

Et non audiuit populus meus voçem meam, & Iſrael nõ voluit me. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, Ibant in adinuẽtionibus ſuis. 2 Theſſal. 2, triſtis eſt cõcio de Antichriſto: eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt, ſed conſenſerunt iniquitati.

SAMOSATENVS.

Cùm Zenobia mulier Arabica, quæ Antiochiam & Syriam tenebat, doctrinam Iudaicam didiciſſet, & huic reginæ familiaris eſſet Paulus Samoſatenus Antiochenus Epiſcopus, vt eam ad Chriſtianos inflecteret, doctrinam de Meſsia transformauit in Iudaicas opiniones, quas poſt Apoſtolos Ebion & Cerinthus ſparſerant. Negauit enim λόγον in narratione Iohannis intelligi oportere de perſona, & aſtutè corrupit ſententiam Iohannis, cùm contenderet, λόγον intelligi poſſe decretum, ſeu ſonum euaneſcentem promiſsionis. Hæc in illo Gynæceo Zenobiæ, & inter alios homines curioſos, magnos plauſus ciebant. Eſtque defenſus Samoſatenus à Zenobia circiter decennium. Cùm igitur Samoſatenus hoc incendium excitaſſet, ad id extinguendum aliquoties vicinarum prouinciarum Epiſcopi conuenerunt. Inter quos præcipuus fuit Gregorius Neocęſarienſis, cuius vera laudatio extat apud Baſilium in libro de Spiritu ſancto, cap. 29.

Nicephorus lib. 6.

Euſebius lib. 7 in Eccleſiaſtica hiſtoria.

hoc ipſum eſt τὸ κακὸν κακῷ ἰᾶσθαι, malum malo ſanare.

Summa autem Confeſsionis in Synodo Antiochena recitatæ, hæc fuit, videlicet à Patre æterno natum eſſe Filium coæternum & conſubſtantialem, & hunc dici λόγον, & aliam eſſe Patris, aliam Filij perſonam, & hunc Filium cum Patre & Spiritu ſancto condidiſſe creaturas, & miſſum eſſe ad Eccleſiam ab initio, & allocutum eſſe Patres, & cuſtodem fuiſſe Eccleſiæ, ſicut Paulus inquit 1 Cor. 10, adfuiſſe Chriſtum Patribus in deſerto.

Hanc ſententiam de Filio Dei perpetuam eſſe in ſcriptis Propheticis, eãdemq; ex ipſorũ

Synodi non gignunt noua dogmata, aut nouos articulos

Apoſtolorum recenti ſermone acceptam eſſe Synodus affirmauit. Conuictus igitur impietatis Samoſatenus, Epiſcopi dignitate priuatus, & ab Eccleſia Catholica excluſus eſt, cúmque Synodi iudicio pertinaciter repugnaret, edicto Aureliani Imperatoris, qui Zenobiam vicit, in exilium pulſus eſt.

fidei, ſed tantùm ſunt teſtes veræ ſententiæ acceptæ à Prophetis & Apoſtolis.

Aurelianus Imperator fuit filius hominis obſcuri in Pannonia, videlicet æditui, & tamẽ fauore Dei euectus eſt ad faſtigium Romani imperij. Fuit autem cuſtos diligentiſsimus & ſeueriſsimus veteris diſciplinæ militaris. Iuſsit aliquando militem ſtupratorem ſuæ hoſpitæ alligari duabus arboribus incuruatis, vt his aſſurgentibus laceraretur. Hic Imperator, quanquam Ethnicus, tamen Epiſcopis petẽtibus opem tulit, & in exilium abire iuſsit Samoſatenum, nolentem cedere de poſſeſsione Epiſcopatus.

ARIVS.

Cùm pax, heroica virtute & felicitate Conſtantini, imperio reddita eſſet, & ab eodem Eccleſia Chriſti benignè foueretur, presbyter quidam Alexandrinus Arius à Diabolo impulſus eſt, vt ſereret impium dogma cõtra diuinitatem Chriſti, cuius hæc ſumma erat: Non eſſe coæternum Patri λόγον, ſed creaturam ex nihilo conditam (ἐκ τῶν μὴ ὄντων) & fuiſſe aliquando Patrem, cùm nondum eſſet Filius. Scribunt autem φιλαρχίας οἴστρῳ πυρούμενον, id eſt, dominandi cupiditate flagrãtem, & dolore repulſæ motum eſſe Arium, cùm non factus eſſet Epiſcopus, vt aduerſaretur Alexãdro Epiſcopo. Veriſimum eſt enim Iuſtini Martyris dictũ de cauſſis omnium hæreſium: Ex ambitione & hoſtilis animi odio, omnes hæreſes, quaſi ex equo Troiano prodierunt.

Nicephorus lib. 7 & 8. Theodoretus libro 1.

Iuſtinus Martyr, quæſtione 4 ad orthodoxos, ἐκ φιλοδοξίας ἢ ἀπαιδευσίας τῶν αἱρεσιαρχῶν, πᾶσαι αἱ αἱρέσεις τὰς ἀφορμὰς ἐσχήκασι τῆς συστάσεως αὐτῶν. Nicephorus lib 14, cap. 53 inquit: Fauoris quidem affectio acutum non vidit, hoſtilis verò animi odiũ nihil prorſus cernit, πρόσθεν γὰρ ἐξὺ ὄψεως ἀπη-

ἀντιπάθεια ἡ ὅλως ἐνοχὴ ἀρᾷ: hoc est, vt Aristoteles 2 de anima inquit: Intus existens prohibet extraneum. Et Ptolemæus in centiloquio, Amor & odium impediunt vera iudicia. Augent enim minima, & minuunt maxima.

Cùm igitur Arius traxisset in suam sententiam aliquot Episcopos, & iam non obscura discordia esset, Synodus Nicena à Constantino Imperatore coacta est, quæ durauit triennium, & aliquãto diutius. Huius Synodi summus gubernator fuit Eustathius Antiochenus Episcopus. Nam doctrina de Filio Dei etiam antea grauissimis testimoniis Antiochiæ illustrata fuerat in refutatione Pauli Samosateni. Neque verò solus sententiam dixit, tanquam Balæna præsidens ouibus, sed eidem Synodo interfuerũt multi senes, qui sub Diocletiano in suppliciis constantiam suam ostenderant, & ornati erant à Deo testimoniis miraculorum. In hac Synodo rursus damnatum est impium dogma Samosateni, deinde & Arianum.

Apud Aristophanem (in tragœdia, quæ dicitur σφῆκες, statim in exordio) Leon turbulentus ciuis in Repub. Attica, celebratus à Tucydide lib. 3, comparatur Balænæ præsidenti ouibus. Habet autem hæc Balęna præconem coruum. De hac pictura loquens Alcibiades, qui fuit τραυλὸς, blæsus, non potuit R pronũtiare, dixit præconem esse κόλακα, cùm deberet dicere κόρακα. Hæc pictura est imago concilij Tridentini. Papa est Balæna armatus satellitio multorum regum, & dicit se esse collocatum extra aleam iudiciorum, se esse ἀναμάρτητον καὶ ἀνυπεύθυνον. Oues, quibus præsidet, sunt miseri homines, quos vel fraude decipit, vel vi cogit. Prȩcones Papæ sunt Staphylus, Canisius, qui habent colla coruorum, vel iuxta Alcibiadem sunt corui Ecclesiæ, & adulatores Papæ: κόρακες Ecclesiæ, & κόλακες Papæ.

Postea Nouati & Meletij error damnatus est, qui docuerũt lapsos redeuntes ad pœnitentiam non recipiendos esse.

Nouatus fuit presbyter Ecclesiæ Romanæ, cõtra quem scripsit Cyrillus. Meletius fuit Episcopus Aegyptius, vir magnæ authoritatis, quem refutauit Epiphanius. Fuit autem hæc hæresis arrogantissima, quia superbè alios peccatores infra se collocatos ex alto despexit.

In Synodis diſcernenda ſunt ἔργα à parergis, vt exempli cauſſa, ἔργα in Synodo Nicena fuerunt explicatio & diiudicatio dogmatum. Nam ſententiis huius Synodi, nõ modò Samoſatenus & Arius ſunt damnati, ſed etiam Nouatiani, qui à Nouato Romanæ Eccleſiæ presbytero ſic dicti, non rectè ſenſerunt de pœnitentia eorum, qui lapſi ſunt poſt baptiſmum. Πάρεργα autem huius Synodi partim fuerunt ceremonialia, partim politica. Ceremonialia fuerunt, vt conſtitutio de celebratione Paſchatis. Decretum eſt enim vt in toto orbe vno & eodem die quotannis celebraretur Paſcha. Hæc ceremonia non eſt neceſſaria ad ſalutem & vnitatem Eccleſiæ, ſed tãtùm prodeſt ad εὐταξίαν. Politica conſtitutio fuit, vt Epiſcopus Alexandrinus eſſet inſpector Eccleſiarum in Oriente, Romanus eſſet inſpector Eccleſiarum in Occidente. Hæc fuerunt ſemina Pontificiæ poteſtatis.

Exitus autem Arij congruit ad regulam: Diſcite iuſtitiam moniti, & nõ temnere Diuos. Cùm enim poſt Synodum Nicenam, Ariana factio perfeciſſet, vt Arius ab exilio reuocatus, templũ Conſtantinopolitanum occuparet, pulſo Alexandro eius Eccleſiæ Epiſcopo, in eo itinere Arius deflectens de via, & ſubita conſternatione oppreſſus effudit inteſtina, & extinctus eſt. Hoc exemplum docet vtrunq; & veritatis defenſionem petendam & expectãdam eſſe à Deo, & puniri inſignibus exemplis hoſtes veritatis.

Hic verſus eſt optimus in toto poemate Virgiliano, & eſt ſtatus omnium Tragœdiarum & hiſtoriarum Ethnicarum, quæ nihil aliud ſunt, quàm luculentę conciones de ira Dei aduerſus atrocia delicta.

Apud Herodotum lib. 2 de rege Aſſyriæ Sennacherib extat huius verſiculi exemplum, qui cinxit obſidione Hieroſolymam. Huic poſt mortem erecta eſt ſtatua, cum hac inſcriptione, Εἰς ἐμὲ τὶς ὁρέων, εὐσεβὴς ἔσω. Huius regis non tantùm exercitus eſt trucidatus ab Angelo, ſed ipſe etiam interfectus à filiis in templo.

In Synodo Nicena Arius mulctatus fuit exilio, ſed poſtea fuit reuocatus à Conſtantino Magno, qui fuit præſtans & heroicus vir, de cuius laudibus extant libri ab Euſebio ſcripti. Sed veriſimum eſt dictum Eccleſiaſtæ 7: Non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non

non peccet. Indixerat Synodum Nicenam Constantinus, & sua autoritate & præsentia perfecerat, vt legitimo ordine controuersia Arij cognosceretur & diiudicaretur. Sed vt res humanæ sunt mutabiles, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, qui valebat autoritate & gratia apud Imperatorem, effectum est, vt Arius damnatus ab exilio reuocaretur in vrbem regiam Constantinopolim. Cumq; conaretur factio Eusebiana pellere sanctum virum Alexandrũ, & Arium in locum eius substituere: Alexander ad precés se conuertit, & petiuit defensionem veritatis, & repressionem Arianæ & Eusebianæ factionis. Hæ preces non fuerunt irritæ. Nam interitus Arij opus & effectus fuit non morbi, sed precationis, vt loquitur Nazianzenus: εὐχῆς ἔργον, ὐ νόσου.

NESTORIVS.

Non tantùm ambitio, & huic affinis impatientia multos impellunt, vt falsa dogmata spargant, sed etiam ignoratio veræ doctrinæ, de qua inquit Paulus Rom. 10. Habent zelum Dei, sed non secundum scientiam. Nam homines non rectè instituti in Euangelio, sequuntur humanas imaginationes, vt cùm Nestorius Episcopus in vrbe Constantinopoli esset indoctus, & super bè contemneret probata veterum scripta, sparsit hoc plausibile dogma: τὸν λόγον affuisse homini Christo per assistétiam seu societatem, sicut affuit Eliæ & aliis Prophetis, nec fuisse duas naturas in Christo, vnione hypostatica vnitas. Ideo solitus est dicere: Noli gloriari Iudæe, non enim Deum crucifixisti, sed hominem. Hæc controuersia, quæ non fuit λογομαχία, diiudicata est in Synodo Ephesina, anno Christi 435. anno Theodosi posterioris 24. Fuitque præcipuus

Ζῆλον ἄζηλον. zelum sine scié-tia. Alibi dicitur. Quod iustum est, iustè persequaris. Et 2. Petri 1. Præstate in fide virtutem, in virtute scientiam, id est, fides vestra non sit otiosa, sed efficax, luceat in bonis operibus, & manete intra metas, nõ erumpite quodam ardore cæco & stolido. Aristophanes inquit: Sæpe bona causa deformatur agendo. Horatius de vitandis contrariis hyperbolis:

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte,
Dum vitant stulti vitia, in cõtraria currunt.

Paulus 1. Cor. 10. contrarium docet, vbi ait, Indęos Dominum gloriæ crucifixisse.

Synodi gubernator Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, qui rectiſsimè docuit, aliter λόγον in Chriſto eſſe, aliter in Elia & aliis Prophetis.

Præſentia, qua Deus ſanctis adeſt, eſt ſocietas ſeparabilis. Inhabitatio τοῦ λόγου in carne eſt perſonalis & inſeparabilis vnio.

Poſt hanc Synodum, in qua patres ducenti congregati veras ſententias contra Neſtorium dixerunt, autor praui dogmatis in loca barbarica, infra Thebas Ægyptias relegatus eſt, vbi in exilio ſcribitur mortuus eſſe, lingua conſumta à vermibus. Alij ſcribunt hiatu terræ abſorptum eſſe.

quæ habuerunt centum portas.

Per quæ quis peccat, per illa punitur. Plerunque modus pœnæ congruit cum modo peccati.

EVTYCHES.

Quemadmodum plantator imperitus, cupiens incuruum tenellæ arboris ſtatum corrigere, interdum immodica inflexione peccat: ita Eutyches Monachus, dum acrius impietati Neſtorij reſtitit nimio contentionis ſtudio, in contrarium malũ incurrit, & à doctrina recta aberrauit.

Multa ſcripſit Nicephorus libris quindecim vtilia, ſed optima ſunt, quę reliquit in lib. 14. & 15. de actis Synodicis Synodi Epheſinæ contra Neſtorium, & Chalcedonenſis cõtra Eutychẽ. Hæc enim in Euſebio non reperiuntur.

Baſilius in epiſtola ad Maximum Philoſophum vtitur ſimilitudine de plantatore imperito. In articulo de Filio Dei ſunt duo extrema velut ſcopuli in mari. Vnum eſt diuulſio ſeu diſtractio duarum naturarum, quæ ſunt vnitæ vnione hypoſtatica. In hunc ſcopulum incurrit Neſtorius, qui dixit, virginem Mariam non eſſe Deiparam. Alterum eſt confuſio naturarum & proprietatum cuiuſque. In hunc ſcopulũ incurrit Eutyches. Ante annos non multos quidam auſus eſt defendere hanc hyperbolen, quòd Chriſtus ſit paſſus ſecundum vtranque naturam. Hoc portentum ſimile eſt blaſphemiæ Eutychianæ.

Dixit enim naturam humanam conuerſam eſſe in λόγον, nec tribuit

tribuit proprietates suas cuique naturæ, sed cõtendit τὸν λόγον mortuum esse, & naturam humanam esse ipsam τὸν λόγον naturam: denique vniuersam doctrinam de communicatione Idiomatum deleuit.

Hoc exemplum docet, qua moderatione falsa dogmata refutanda sint, ne ad contrarias hyperbolas delabamur, & malũ, vt dicitur, malo sanemus.

κακὸν κακῷ ἰᾶσθαι. prouerbium Herodoti.

Anno igitur secundo Martiani Imperatoris, non longè ante expugnationem Romæ Vandalicam, Synodus conuenit in vrbe Chalcedone, quæ è regione Bizantij sita est, in qua sexcenti & triginta Episcopi fuerunt edicto Imperatoris cõuocati, qui primùm omnes testati sunt, se amplecti Nicenæ Synodi symbolum: deinde cõmuni consensu damnauerunt dogmata Nestorij & Eutychis. Necesse est autem piis vetera certamina & veræ Ecclesiæ iudicia nota esse, vt de nostræ ætatis controuersiis rectiùs iudicare possimus. Adiuuatur enim Ecclesia primæ & incorruptæ antiquitatis Confessione, quæ commonefacit nos de natiua sententia Prophetarum & Apostolorum.

Roma ter fuit expugnata, ab Hunnis, Vandalis, & Gothis.

Bizantium domus meretricis. Ibi Arius profudit sua viscera, vt significaretur, colluuiem Mahometicam occupaturam esse illam amœnissimam sedem Thraciæ.

Refutatio Samosateni.

CAP. IIII.

CVM Seruetus Hispanus, qui diu fuit in Academiis Mahometicis in Numidia, nostra ætate renouârit blasphemiam Samosateni, qui contendit, λόγον in narratione Iohannis Apostoli non significare personam subsistẽtem, viuam, intelligentem, incommunicabilem, ac distin-

ctam à Patre & Spiritu ſancto, ſed euaneſcentem cogitationem, ſeu vocem tranſeuntem, aut propoſitum non viuum, neque ſubſiſtens: neceſſe eſt Eccleſiam veris & firmis teſtimoniis contra Serueticum furorem præmunitam eſſe, vt Filio Dei debitus honos tribuatur.

Quatuor firmiſſima teſtimonia ſunt opponenda Samoſateno & Michaëli Seruetо Hiſpano. Primum eſt ipſa ſeries dictorum in 1. cap. Iohannis. Secundum eſt diſcrimen inter Filium vnigenitum & Filios adoptionis. Tertium ab inuocatione Filij. Quartum à perpetua huius Domini præſentia in Eccleſia, quia Chriſtus affuit Eccleſiæ etiam ante aſſumtionem naturæ humanæ.

Ac primum quidem teſtimonium opponendum huic furori, rectiſsimè ſumitur ex ipſa ſerie narrationis apud Iohannem, qui de Chriſto inquit: In mundo erat, & mũdus per ipſum factus eſt. Hęc perſpicua aſſeueratio de humana naturâ aſſumta ex virgine propriè accipi non poteſt. Neceſſe eſt igitur in Chriſto eſſe & manere naturam diuinam conditricem cum Patre & Spiritu ſancto. Et in eadem narratione addit Iohannes: Verbum caro factum eſt. Nulla autem cogitatio aut vox euaneſcens aliam ſibi naturam adiungere poteſt.

Hoc dictum explicari non poteſt ſine doctrina de communicatione Idiomatum. Creare res ex nihilo, eſt proprium ſolius naturæ diuinæ & omnipotentis. Quòd autem Iohannes dicit: Per Chriſtum factum eſſe mũdum, id nec debet, nec poteſt aliter intelligi, quàm per κοινωνίαν τῶν ἰδιωμάτων, vt exempli cauſa, Sola anima numerat, ratiocinatur, non corpus, & tamẽ propter arctiſsimam copulationem animę & corporis dicimus de tota perſona: Homo intelligit, numerat, ratiocinatur: ita quanquam ſolius diuinæ naturæ opus eſt fabricatio ex nihilo, & ſuſtentatio vniuerſitatis rerum: tamen propter arctiſsimam copulationem ſeu hypoſtaticam vnionẽ carnis & λόγου, ea, quæ ſunt naturæ diuinæ propria, tribuuntur toti perſonæ, non in abſtracto, ſed in concreto. Mundus fuit factus diu ante Chriſtum ex virgine natum, ſed non ante λόγον, quia cauſa vniuerſaliter antecedit effectum vel tempore vel ordine naturæ. Cùm igitur per humanam naturam non fit conditus mundus, neceſſe eſt in Chriſto alteram eſſe naturam, ſcilicet diuinam.

uinam. Hæc conſequentia non poteſt ne quidem à Diabolis, quanquam impudentiſsimis ſpiritibus negari.

Alterum teſtimonium eſt, quòd toties Scriptura hunc vnigenitum Filium à filiis adoptionis diſcernit, vt doceat ipſam Chriſti ὑπόστασιν eſſe diuinam, & integram ac ſubſtantialem imaginem Patris.

Sic inuocatio Filij Dei, de qua Prophetæ & Apoſtoli expreſsè concionantur, eſt firmum & illuſtre teſtimonium, quòd λόγος ſit ὑφιστάμενος, & omnipotens, vt pſalm. 2. dicitur: Oſculamini Filium. Beati omnes, qui confidunt in eo.

Omnes pſalmi quoad formã orationis, aut ſunt epigrammata, aut elegiæ. Epigrammata autem ſemper ferè concluduntur epiphonemate aut exclamatione, quæ totum negotium breuiter comprehendit. Tale epiphonema etiam eſt in pſalm. 2. Beati omnes qui confidunt in eo. Pulcrum eſt autem quod in eodem pſalmo dicitur, paulò ante hoc epiphonema: Oſculamini Filium. Eſt enim oſculum non ſimulatum, certiſsima nota, ſignum, & indicium veri amoris, quia cum oſculo caſto & ardenti, ſpiritus quidam ex noſtris cordibus in rem amatam transfunditur. Venit igitur Filius Dei, vt nos dulciſsimo oſculo complecteretur, & poſtulat à nobis, ne defugiamus hunc complexum. Quia hoc oſculum Chriſti eſt certiſsimũ pignus amoris quo Filius Dei Eccleſiam complectitur. Deinde ſimul eſt tranſfuſio Spiritus ſancti in noſtra pectora. Sed multi impij & hypocritæ pro oſculo Chriſto dant colaphos, aut oſculum Iudæ.

Et pſalm. 45. Et concupiſcet rex decorem tuum, quia ipſe eſt Deus tuus, & adorabis eum.

Ornatus Eccleſiæ triplex eſt. Primùm ornata eſt remiſsione peccatorum, & imputatione iuſtitiæ propter Filium Dei. Deinde ornata eſt donatione Spiritus ſancti, & renouatione ad vitam æternam. Tertiò ardet vero amore ſponſi Chriſti, vt in Canticis Salomonis dicitur. Huic enim vni ſponſo addicta eſt, nec eſt polluta vllis idolis. Talem ſponſam Meſsias formoſam eſſe pronũtiat, etiamſi in hac vita ſit imbecillis, & cruce ac ſcandalis deformetur. Verum eſt enim illud Theocriti, τῷ γὰρ ἔρωτι τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται.

Huc adiungantur certiſsima teſtimonia de perpetua præſentia

Filij Dei in Eccleſia, vt Paulus affirmat eum adfuiſſe patribus in deſerto. 1. Corinth. 10. Bibebant ex ſpirituali comitante eos petra, petra autem erat Chriſtus.

In declamationibus Philippi extat oratio de Moſe feriente petram in deſerto. Et eadem de re extat Epigramma lib. 1. epigram. Philip. Summa autem hæc eſt: Moſes iuſſus erat voce diuina percutere petram, ea virga ſeu baculo, quem manu tenebat in gubernatione populi Dei. Etſi autem Moſes ad mare rubrum fuerat præſenti & infracto animo, & mandatis Dei ſine tergiuerſatione ἀπροφασίστως obtemperauerat: tamen iuſſus percutere petram, trepidat, & multa in animo agitat, nec ſemel, ſed bis impingit baculum petræ. Quid hæc conſternatio & trepidatio Moyſi ferientis petram ſignificat? Moſes repræſentat Legem & politiam populi Iudaici. Nam & Lex Dei inflixit vulnera Chriſto, & hæc politia à Moſe conſtituta, auſa eſt cruentas manus iniicere Chriſto. Hęc futura Moſes plenus Spiritu ſancto velut gubernator in ſpecula proſpiciens, toto pectore contremiſcit, nec poteſt ſine ſingulari motu animi ferire petram. Sed vt petra percuſſa à Moſe largum flumen effundit, quo & homines & iumenta recreantur, ita petra Chriſtus à Lege & politia Moſaica percuſſus, effundit Spiritum ſanctum, & cum eo omnia bona cæleſtia. De hoc myſterio loquitur Paulus 1. Cor. 10. Bibebant ex ſpirituali comitante eos petra. Hęc verba in hãc ſententiam enarrat Auguſtinus tractatu in Iohan. 45. Videte ergo fide manente, ſigna variata, ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus, quod in altari Dei ponitur, & illi pro magno Sacramento eiuſdem Chriſti biberunt aquam profluentem de petra: nos quid bibamus, norunt fideles. Si ſpeciem viſibilem intendas, aliud eſt: ſi intelligibilem ſignificationem, eundem potum ſpiritalem biberunt.

Differunt igitur tantùm ſigna & ratio temporis, ſed eadem eſt fides, vt Paulus Epheſ. 4. oſtendit. Sic Petrus in Actis cap. 15. Per gratiã Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Illorum ſigna ſignificabant venturum, noſtra repræſentant exhibitum Dominum. Homo quidam ἀμυσὸς, qui ſibi valde placebat in ſuo theatro, audebat contendere: noſtrum Pater noſter clementius audiri à Diuinitate, quàm preces Abrahæ. Interrogatus cur ſic ſentiret, reſpondit, Quia Chriſtus nobis eſt exhibitus, illi expectabant venturum. Nihil poteſt dici ſtultius. Nam excipe diſtinctionem temporis & ſigna, nihil differt fides ipſorum à noſtra. Ideo Chriſtus ait,

Lazarum

Lazarum in sinum Abrahæ deportatum fuisse, vt testetur, Abraham esse patrem omnium credentium: Roman. 4. Et omnes saluandos saluari eodem modo, quo saluatus est Abraham.

Et Irenæus auditor Polycarpi dulcissimè inquit lib. 3. cap. 20. semper adfuisse Ecclesiæ Filium Dei λόγον, qui deinde assumsit naturam humanam. Non igitur λόγος sermo euanescens intelligatur, sed viua & intelligens imago Dei, sicut & symbola testantur, & Ignatius auditor Iohannis Apostoli, nominat Christum λόγον ἰσοτύπον.

Extant paucæ epistolæ Ignatij. Iohannes Apostolus vixit post resurrectionem Christi annos 68. teste Sophronio & Nicephoro. Reliqui Apostoli omnes interfecti sunt ante excidium postremum Hierosolymæ. Vixit igitur annos ferè centum, vsque ad tempora Traiani, nec tantùm fuit Episcopus, sed habuit scholam in vrbe Epheso, ex qua prodierunt Ignatius martyr, Polycarpus martyr, & Papias Episcopus, qui omnes celebrantur ab Eusebio & Nicephoro. Ductus autem est Ignatius Romame x vrbe Antiochia, & obiectus est bestiis in circo: cumq; bestiæ vellent ei parcere diuinitus repressæ, incitauit eas contra se, & iussit à lictoribus irritari, ac dixit: Cupio fieri panis Deo gratus. Non autẽ potest coqui panis, nisi prius comminuto frumento à lapide molari. De Polycarpo vide Eusebium lib. 4.

Refutatio Arij.

CAP V.

QVVM Arius fateatur λόγον esse personam, facilior est blasphemiæ Arianæ, quàm Samosatenicæ refutatio. Quòd enim λόγος non sit creatura, testatur narratio Iohannis: In principio erat λόγος, id est, ante omnes res conditas. Item: Omnia per ipsum facta sunt. Hæc vniuersalis sententia comprehẽdit omnia, quæ ab æterno non fuerunt, sed ortus sui principium habent.

In verbis Iohannis est sedes huius materiæ: In principio erat

λόγος, id est, tunc, cùm omnes creaturæ inciperent esse, λόγος erat. Ergo λόγος fuit ab æterno, ante creationem rerum. Nihil enim fuit ante hunc mundum, nisi solus Deus. Et hic λόγος erat apud Deum, id est, erat persona distincta à Patre. Et ille λόγος erat Deus. Ne quis autem eludat appellationem Dei, sequitur confirmatio sumta ab effectu. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est. Hæc vniuersalis comprehendit omnes res positiuas, id est conditas à Deo, quasi dicat, Quidquid conditum est à Patre, per Filium est conditum. Peccatum verò & mors cùm sint priuationes & destructiones ordinis, non sunt res conditę, sed aliam habent causam efficientem & autorem, scilicet Diabolum & genus humanum.

Quid? quòd inter Creatorẽ & creaturam nullum est medium. Quare cùm λόγος Deus sit, nequaquã creaturis annumerari potest.

Iustinus lib. de Trinitate, fol. 173. Omnis, inquit, natura aut est increata, aut creata, & inter hæc duo nullum potest dari medium. Et sicut natura increata est δεσποτικὴ, præst cum imperio: ita creata est δουλικὴ, seruilis, & obligatur ad præstandam Deo obedientiam. Non est autẽ Filius Dei φύσις creata, quia per ipsum omnia facta sunt. Ergo est natura Deus.

Eandem sententiam confirmant hæc Pauli dicta Colos. 1. Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus ante omnẽ creaturam, quia per ipsum condita sunt omnia, quæ & in cælis & super terram sunt, & visibilia & inuisibilia. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt, & ipse est ante omnia, & vniuersa per ipsum consistunt.

Locus Pauli Colos. 1. est splendida προσωπογραφία, seu descriptio personæ Christi. Primùm nominat Christum imaginem Dei. II. vocat primogenitum. Iam Lege Mosaica primogenitus habebat duas prærogatiuas. 1. erat dominus reliquorũ fratrum 2. accipiebat duas partes proportionales hęreditatis. Hoc fuit ius primogenituræ. Significat igitur primogenitura dominũ, quod complectitur duo, auxilium & iudicium. Christus est primogenitus noster, id est, est noster opitulator & iudex: opitulator piorum, iudex impiorum. Deinde cùm addit Paulus: Omnia per ipsum & in ipsum

ipsum sunt condita, docet his verbis, Filiũ Dei esse causam efficientem δημιουργικὴν, & causam finalem mundi & Ecclesiæ. Per Christum condita sunt, tanquam per causam efficientem δημιουργικὴν. In ipsum condita sunt, quia tota natura rerum & Ecclesia sustentatur propter Filium.

Et Ebræos 1. Per Filium, quem constituit hæredem omnium, per quem & secula fecit, qui est fulgor claritatis, & effigies substãtiæ eius, ferens omnia verbo potentiæ suæ. Sed quoniam Euangelium Iohannis tam est refertum testimoniis, vt vix tria verba contexantur, vbi non hic IESVS Deus & homo in vna persona prædicetur: longiorem collectionem testimoniorum omittam.

Iurisconsulti quando explicant suis auditoribus materiam aliquam, monstrant sedem materiæ: sic in explicatione de duabus naturis in Filio Dei fundamenta sunt tria capita: primum Iohannis, primum ad Colosſ. primum ad Hebræos. Lutherus ante obitum edidit scriptum de nouissimis verbis Dauidis. In eo & copiosè & populariter tractat articulum de Trinitate & de duabus naturis in Christo.

Solutio obiectionum contra diuinitatem Christi.

CAPVT VI.

SICVT mali mores sunt occasiones bonarum legum: sic cauillationes aduersariorum præbent occasionem explicandi materias vtiles.

Etsi multa argumenta opponuntur doctrinę de natura diuina in Christo: tamen præcipua obiectio sumitur à morte Christi:

Natura diuina nec patitur, nec moritur.
Christus autem mortuus est.
Non est igitur natura Deus.

Argumentum de morte Christi contra eius diuinitatem, est commune omnium sectarum extra Ecclesiam.

Ad hanc obiectionem, quæ maximè videtur labefactare articulum de diuinitate Filij, Epiphanius in refutatione Dimeritarum pag. 433. grauiſsimè reſpondet.

Fuit quidam vir doctus & bonus poëta Apollinaris, qui negauit Chriſtum aſſumſiſſe animã rationalem, ſed λόγον functum eſſe officio & munere mentis humanæ. Hæc opinio eſt falſiſsima, quia pugnat cum dicto Iohannis: Verbum caro factum eſt. Caro ſignificat totum hominem, qui conſtat ex corpore & anima, habet omnes vires & potentias naturæ proprias ſine peccato. Apollinariſtæ autem vocantur Dimeritæ, quia tribuunt carni Chriſti duas tantùm partes, videlicet corpus & animam, quæ complectitur inferiores potentias ſine rationali, & loco tertiæ partis, ſcilicet animæ rationalis collocant λόγον.

Miranda eſt Eccleſiæ confeſsio, quæ affirmat Chriſtum reuera paſſum eſſe, & reuera paſsionis expertem fuiſſe. Nam diuinitas Chriſti nihil omnino paſſa eſt, cùm ſit coëſſentialis Patri, eamque ob cauſam nullis alterationibus aut doloribus obnoxia. Caro autem Chriſti paſſa eſt, nec tamen diuinitas vnquam ſeparata eſt ab humana natura, ne quidem in ipſa paſsione. Simul enim adfuerunt diuina & humana natura Chriſti, quando in cruce Chriſtus paſſus eſt carne, manente nihilominus diuinitate impaſsibili, vt iuſtificationem nõ in carne ſolùm haberemus, ſed etiam in diuinitate, & vt ſalus nobis per vtramque naturã diuinam & humanam contingeret. Neque enim Chriſtus perſona eſt nihil habens præter naturam humanam, ſed eſt Filius Dei, idemque reuera homo. Nititur ergo ſpes noſtra non homine, ſed Deo. Etſi enim Deus

Damaſcenus Græcus Theologus inquit: Quod λόγος ſemel aſſumſit, nunquam deſeruit, neque deſeret, vt vulgò dicimus: vnio duarũ naturarum in Chriſto eſt inſeparabilis. λόγος poſt aſſumtam naturam humanam nec ab anima nec à corpore diſceſsit, aut deinceps diſcedet in omni æternitate. Quàm dulce erit videre vnionem hypoſtaticam duarum naturarum in Chriſto poſt hanc vitam. Sed an non, dicat aliquis, anima eſt ſeparata à Chriſto cùm moreretur? Reſpõdeo. Veriſimum eſt, in morte Chriſti factam eſſe ſeparationẽ noſter

noster nō subiectus est passioni: tamen extra passionem salutē nostram non perfecit.

animæ & corporis, quia scribitur: Et inclinato capite tradidit spiritum suum: sed λόγος natura diuina nec deseruit animam in inferno, nec corpus in sepulchro. psalm. 16. quem etiam citat Petrus Actor. 2. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Quanquam igitur verè est separata anima à corpore: tamen λόγος non est separatus. Et die tertia resurrexit iterum Christus diuina potentia, resuscitato corpore & copulato cum anima. Sed quare λόγος non discedit ab humana natura? Vt, inquit Epiphanius, haberemus iustificationem non tantùm in carne Christi, sed etiam in ipsa diuinitate, id est, vt simus iusti propter Deum & hominem Iesum Christum.

Et Tertullianus in lib. de Trinitate, prodigiosum errorem de passione diuinæ naturæ his verbis refutat. Quis non sine vllo magistro atque interprete ex se se facilè cognoscat, non illud in Christo mortuum esse quod Deus est, sed illud in eo mortuū esse quod homo est?

Athanasius in libro de incarnat. Verbi. Corpus assumsit, quod mori posset, quia morte placanda erat ira æterni Patris. Manere autē in morte fuit impossibile propter vnitam diuinam naturam, quæ mori nō poterat. Sed hęc quidem de prima & prę cipua obiectione respondisse satis est.

Diuinitas nihil passa est. Caro Christi passa est. Nam & corpus sensit horribiles lacerationes, & anima sustinuit dolores & pauores inenarrabiles, vt Christus inquit: Tristis est anima mea vsque ad mortem.

Sequitur altera obiectio sumta ex dicto: Pater maior me est.

Ariani nullum dictum contra Orthodoxos adeo vrserunt vt Iohan. 14. Pater maior me est. Nos ex doctrina Dialectica de Prædicamentis, sic respondemus. Pater maior me est, non in prædicamento substantiæ, sed in prædicamēto relationis, id est, eadem est essentia Patris & Filij, sed differunt relationes, quia Pater non mittitur, sed ipse mittit legatos ad Ecclesiam, quorum alter est Filius, vt sit redemtor, alter Spiritus sanctus est, vt sit sanctificator. Quòd

igitur attinet ad hanc miſsionem legatorum ſeu relationem, non abſurdè dicit Chriſtus: Pater maior me eſt. Sed hæc relatio non euertit diuinitatem Chriſti.

Ad hoc dictum vera & neceſſaria reſponſio eſt: Miſsio & obedientia Filij non tollunt æqualitatem potentiæ.

Regula Cyrilli, qui gubernauit Synodum Epheſinam.

Etſi enim Chriſtus factus eſt Patri obediens vſque ad mortem crucis, tamen tertia die exaltatus eſt, & declaratus Filius Dei potens, per reſurrectionem & donationẽ Spiritus ſancti, vt Rom. 1. ſcribitur. Diſcernamus igitur deſcriptiones perſonæ à dictis, quæ de officiis loquuntur, nec imaginemur humilitatem Filij Dei aliquid de perſonæ maieſtate decerpere.

Quærat aliquis, cur Roman. 1. Paulus faciat mentionem reſurrectionis Chriſti, cur non potius alia recenſeat miracula? Reſpondeo ex Auguſtino lib. 10. de ciuit. Dei cap. 32. Duo ſunt Chriſti miracula propria, quæ non leguntur de aliis ſanctis. 1. Natiuitas ex virgine, de qua Eſaiæ 7. dicitur: Omnes alij ſancti ſunt propagati ex Adam & Eua, id eſt, ex commixtione ſeminum Patris & matris. Alterum miraculum eſt reſurrectio Chriſti ex mortuis. Sicut enim Chriſtus animam volens & propria potentia poſuit, ita eandem recepit tertia die poſt mortem, vt Iohan. 10. dicitur. Item Petrus Actor. 2. inquit: Impoſsibile erat Deum à morte teneri. Non igitur ſicut Lazarus, fuit reſuſcitatus Chriſtus, ſed propria potentia reſurrexit.

Tertia obiectio.

Honorans eſt minor honorato.
Filius honorat Patrem.
Ergo eſt minor Patre.

RESPONDEO.

Simpliciter neganda eſt maior, quia honos & obedientia non tollunt æqualitatem eſſentiæ & potentiæ, ſed diſtinguunt ordinem perſonarum.

Hæc obiectio tantùm oritur à ſuperbia mentis humanæ, quæ hanc habet perſuaſionem: de noſtra dignitate & exiſtimatio ne tantum detrahi, quantum aliis tribuitur,

tribuitur, ſed rectiùs ſentiunt etiam philoſophi Ethnici, qui dicunt: Honor eſt honorantis, non honorati: vt exempli cauſa: viuente & regnante Carolo Quinto Imperatore, adeo verecundè & modeſtè ſe geſsit Ferdinandus, vt fratrem Domini loco haberet, & ſe gereret tanquam miniſtrum aut legatum Caroli Imperatoris. Hæc obediẽtia & reuerentia nihil imminuit de alterius fratris potentia. Sed hic honos quem frater fratri exhibuit, fuit teſtimonium de ordine perſonarum. Eadem eſt natura vtriuſque, idem pater, idem regnum, ſed frater fratri tribuit honorem propter diſtinctionẽ perſonarum.

Quarta obiectio.

Hebr. 3. Qui eſt fidelis ei, qui fecit eum. Et Actor. 2. Dominum & Chriſtum fecit eum.

Ergo Chriſtus non eſt Patri æqualis.

RESPONDEO.

Loquitur textus non de eſſentia, ſed de officio. Nominibus officij rectè additur verbum *fecit*, quod ſignificat libera voluntate ordinari, ſeu conſtitui, ſicut verbo conſtituendi vtitur pſalmus 2. & Paulus 2. Cor. 5. Eum, qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos eſſemus iuſtitia Dei per eum. Hîc manifeſtum eſt, Paulum nequaquam loqui de eſſentia, ſed de officio.

Bona eſt diſtinctio & retinenda in Eccleſia: Alia dicta loquuntur de eſſentia, alia de officio, id eſt, alia de prædicamento ſubſtãtiæ, & alia de relatione. Dictum Pauli 1. Cor. 5. eſt inſigne & memorabile, in quo appellatio peccati bis repetitur, ſed diſsimili ſignificatione. In priori membro ſignificat fundamentum ſeu materiale, id eſt, defectum, inclinationem, actionem pugnantem cum Lege Dei. Tale malum non fuit in Chriſto cõcepto efficacia Spiritus ſancti, & nato ex virgine. Nam in eius ore non fuit inuentus dolus, teſte Eſaia 63. In altero membro vſurpatur pro altero extremo, id eſt, pro termino ſeu reatu. Reatus eſt obligatio ad pœnam. Chriſtus factus eſt peccatum, quiddam reum pro nobis, ſuſtinens iram Dei & pœnas, quas noſtra peccata merebantur. Ad quem autem finem? Vt nos eſſemus iuſtitia Dei, per eum, id eſt, vt eſſemus iuſti, primùm imputatione, deinde effectione nouæ obedientiæ ſeu illius incoatione. Quia Chriſtus non tantùm imputat in regeneratione ſuam iuſtitiam, ſed ſimul donat

Spiritum ſanctum viuificantem & renouantem nos. Et tamen ſemper verum eſt, nos eſſe iuſtos coram Deo tantùm imputatione. Quia etſi nunquam poſſunt ſeparari incoatio & effectio nouarum qualitatum ab imputatione: tamen ſunt diſtinguenda.

Quinta obiectio.

Subditus eſt minor ſuperiore, cui ſubijcitur
Filius ſubijcietur Patri, vt 1. Corinth. 15. dicitur.
Ergo eſt minor Patre.

Reſpondeo ad dictum Pauli: Filius ſubiicietur Patri, reſpectu officij ſeu regni, vt agnoſcat Eccleſia regnum eſſe diuinitatis, & differre vitam æternam à regno Chriſti in hac vita, non re, ſed modo rei.

Differunt regnum Dei & regnum Chriſti, non re, ſed modo rei. Sed vnde hæc phraſis ſumta eſt? Reſpondeo. 2. Corinth. 5. Paulus breui dicto diſcernit regnum Chriſti in hac vita à regno Dei in vita æterna. Nunc ambulamus per fidem, & non per ſpeciem: διὰ πίστεως, Lutherus: Jetzt haben wir es im Glauben/darnach werden wir es haben im ſchawen. In hac vita regnat Chriſtus per verbum & fidem, quæ eſt ex auditu, & non ex viſu. In vita æterna non credemus aut ſperabimus, ſed videbimus illa bona, quæ in hac vita fide & ſpe amplexi ſumus: Ita etiam diſcernit 1. Corinth. 13. Nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Eſt & hæc ſimilitudo illuſtris: Sicut differunt ius ad rem, & ius in re: ita differunt regnum Chriſti & regnum Dei. Tu es hæres paternorum bonorum patre viuente, & habes ius ad rem, ſed nondum habes ius in re, quia nondum habes poſſeſsionem, nondum es dominus. Sed mortuo patre adis hæreditatem, & habes ius in re. Nunc habemus vt filij Dei ius ad rem, In vita æterna habebimus ius in re, quia coràm videbimus Deum, qui non amplius regnabit per verbum, fidem & Sacramenta. Sed his ſublatis regnabit immediatè per viſionem. Et vt breuiter dicam: In hac vita dominatur auditus, quia fides ex auditu: In vita æterna florebit viſus.

De

De vnione duarum naturarum in Chriſto.

CAP. VII.

VEriſsimè à Nazianzeno dictum eſt, de copulatione diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto: Admiratione huius fœderis accẽdi pectora, etiamſi penitus perſpici opus tam arcanum non poteſt. Quamobrem aſsiduè conſideremus, quanta res ſit, quòd diuina perſona ſe demittit, & aſſumit maſſam noſtræ naturæ, quantus amor ſit in Filio Dei erga nos, quanta miſericordia æterni Patris, quòd Filium mittit ab initio, vt Eccleſiam colligat, & in ea ſit efficax. De his tantis rebus, quæ ſuperant omnium creaturarum ſapientiam, teneãtur aliquot inſignia dicta piæ vetuſtatis.

D. Philippus in quodam epigrammate amplificans hoc myſteriũ incarnationis, ſic inquit:

O rem mirandam, mirando fœdere iuncta eſt
Humani generis languida maſſa, Deo.
Hoc mirum fœdus ſemper mens cogitet, vno
Hoc eſt, ne dubita, fœdere parta ſalus.

Et Paulus 1. Timoth. 3. in fine ſic exclamat: Sine omni controuerſia magnum eſt myſterium pietatis, quòd Deus apparuit in carne, iuſtificatus eſt in Spiritu, apparuit angelis, prædicatus eſt in gentibus, creditus eſt in mundo, aſſumtus eſt in gloria. Et Eccleſia in hymno canit: O admirabile commercium, creator generis humani, animatum corpus ſumens de virgine naſci dignatus eſt, & procedens homo ſine ſemine, ſuam Deitatem nobis donauit.

De amore quidem Trinitatis erga genus humanum præclarè dixit Clemens Alexandrinus. Diligitur à Deo homo. Quomodo enim non diligatur, propter quem vnigenitus ex ſinu Patris demittitur? Et Tertullianus in lib. de carne Chriſti, pag. 23. Amauit vtique quem magno redemit.

De humilitate verò admiranda in Filio Dei, Auguſtinus tractatu 25. in Iohannem exclamat: Quid ſuperbis homo? Filius Dei

propter te humilis factus est: puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, & humilis factus est.

Idem tractatu 78. in Iohannem, de dignitate naturæ nostræ dulcissimè inquit: Naturæ humanæ gratulandum est, quòd sic assumta est à Verbo vnigenito, vt immortalis constitueretur in cælo, atque ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram Patris.

Cogitandæ sunt & causæ, quare Filius missus sit, & quare copulatæ sint in Messia diuina & humana natura.

De causa missionis Filij semper in conspectu sint sententiæ Athanasij & Augustini. Sic enim Athanasius in libro de incarnat. Verbi inquit: Congruebat Filium assumere humanam naturam, vt per imaginem Dei essentialem homo restitueretur, conditus vt esset imago Dei creata, quia per Verbum, quo diuinitas patefit, restituitur imago.

Verba Augustini in libro de Ecclesiast. dogmatibus cap. 2. hæc sunt: Non Pater carnem assumsit, neque Spiritus sanctus, sed Filius tantùm, vt qui erat in diuinitate Dei Filius, ipse in homine fieret hominis Filius, ne filij nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna natiuitate Filius.

Augustinus enarrans psalmũ 70. & de hoc mysterio incarnationis loquens, admonet tres quæstiones pia meditatione cõsiderandas esse. 1. Quis sit Mediator Dei & hominum. 2. Quid Mediator assumserit. 3. Propter quos assumserit.

Quid de prima quæstione: Quis sit Mediator, respondendum sit, manifestum est ex primo capite Iohannis. Coloss. 1. & Ebr. 1. De secunda quæstione, quid assumserit: respondet Iohannes 1. cap. Et Verbum caro factum est. Sed cur mauult vti appellatione carnis, quàm hominis? Disertè dicit: Verbum caro factum est, vt hac appellatione describat imbecillitatem, quam propter nos volens assumsit λόγος. De qua imbecillitate multi sunt loci Paulini. De tertia quæstione respondet Symbolum Nicenum. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est.

Causæ verò copulationis diuinæ & humanæ naturæ in Mediatore

tore piè cogitetur. Ac prima quidē, quare Mediator sit homo, non est obscura. Cùm genus humanum peccauerat, cōgruebat ordini iustitiæ, vt aliquis in genere humano pœnam persolueret, ideo Filius intercessor assumsit humanam naturam.

De hac causa dicitur in hymno:

Vt carne carnem liberans,
Non perderet quos condidit.

De hac causa extat concio Andreæ Apostoli, qua proconsulem Achaiæ dicitur instituisse: Primus homo per lignū prævaricationis mortem induxit, ideo necessarium hoc erat genere humano, vt per lignum passionis mors, quæ ingressa fuerat, pelleretur, & quoniam de immaculata terra factus fuerat primus homo, qui per lignum prævaricationis mortem intulerat: necessariò de immaculata virgine natus est perfectus homo, in quo Dei Filius, qui primum fecerat hominem, vitam æternam, quam perdiderūt homines per Adam, repararet, ac per lignum crucis, lignum concupiscentiæ excluderet, expanderet in cruce immaculatas manus, pro manibus incōtinenter extensis, pro suaui cibo arboris vetitæ, escā fellis acciperet, & in se susciperis mortalitatem nostram, suam nobis immortalitatem offerret.

Hanc concionem Andreæ Apostoli recitat Petrus Galatinus ex monumentis bonæ fidei lib. 6. Atrocissimum fuit certamen inter Iohannem Reuchlinum virum Hebraicè & Græcè doctissimum, I. V. Doctorem, & inter quosdā Monachos, qui propter Hebraicæ linguæ defensionem, tanquam rem Ecclesiæ pernicio sam intendebant litem capitalē Reuchlino. Ac nisi quidam docti Cardinales in aula Pontificia, & hic Petrus Galatinus susscepissent patrocinium Reuchlini, vix euasisset cruentas manus Monachorum. Summam concionis Andreæ complexus est Nazianzenus quinque versibus:

Τὸν μὲ ἀναπλάσων, ξροτέλωθεὶς
ἐς φύσιν ἦλθεν.
Ὥς κεν ἀιθλεύσασα κὴ ἐκ θανάτοιο φονῆα
Νικήσας, γευσίντε χολῆ, κὴ χεῖρας ἀθέσμους.
Ἥλοῖσι, σαυρῶτε φυτὸν, κὴ ὑψόθι γαῖαν
Πρὸς ζωλὼ παλίνορσιν Ἀδὰμ κὴ κῦδος ἀνάξῃ.

Hunc quidem vt resurgere faceret, Deus mortalem naturam assumsit.

Et pugnans morte mortis autorem
Vicit, gustum felle, & manium errorem
Clauis, cruce lignum, & sublimitate terram.
Vt in vitam reduceret Adam, & gloriam restitueret.

Secũda causa quare sit Deus. Nulla creata potentia sola potuisset sustinere iram Dei, & in tanta magnitudine dolorum Deo verè tribuere laudem iustitiæ. Necesse est autem in pœna, quæ debet esse placatio, puniẽti tribui laudem iustitiæ.

Quantum onus sit & moles peccatum, ostenditur in veris pauoribus conscientiæ, vt testãtur exempla Ieremiæ & Iob, quorũ vterque sentiens & gustans iram Dei, maledicit diei natali, & illis nuntiis, qui famam sparserunt de natiuitate ipsorum. Si Iob fuisset Mediator, fingamus hoc declarandi causa per antithesin, non potuisset placare iram Dei, quia is qui vult alterum placare, debet sustinere pœnam, ita vt tribuat ei laudem iustitiæ.

Tertia causa. Peccati infinita malitia est: vt igitur esset pretiũ infinitæ bonitatis, & æquiualens, hic Mediator etiam Deus est.

Magnitudo peccati potest aliquo modo æstimari ex mole miseriarum humanarum publicarum & priuatarum. Sed nullũ est euidentius signum, monstrãs quãta res sit peccatum & ira Dei aduersus peccatum, quàm dignitas & amplitudo victimæ, id est, pretij seu remedij. Hippocrates lib. 1. Aphorismorum 6. inquit: Extremis morbis extrema remedia exquisitè opponenda sunt. Quorundam morborum tanta est κακοήθεια, vt sit vtendum vstulatione & sectione. Non potuit autem placari ira Dei, obedientia vllius angeli aut hominis, sed necesse fuit interuenire Filij obedientiam in nostra carne. Ideo vel ex hac re æstimari potest ipsius peccati & iræ diuinæ magnitudo.

Huius causæ consideratio commonefacit nos de horribili magnitudine peccati, & de merito Filij Mediatoris, quod longè antecellit omnibus omnium peccatis, iuxta dictum Rom. 5. Gratia exuberat supra delictum.

In eo capite Paulus tanquam orator cælestis, amplificat amorem Dei & Christi erga nos: de quo textu Augustinus inquit: Hoc esse inuictissimum scutum aduersus

uersus ignita Diaboli tela, ſuggerentis deſperationem propter concurſum & multitudinem tentationum. De amore Dei inquit: Commendat autem charitatem ſuam in nos Deus, quoniam ſi cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multò igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius, multò magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius. Argumentatur à fortiori. Poſtea à contrariis amorem Chriſti exaggerat. Vix enim pro iuſto quis moritur, nam pro bono forſitan quis audeat mori, vt qui alteri benefacit inter homines, vel mouetur obligatione, qua debet officium, vel mouetur ſpe commodi & vtilitatis & gloriolæ. Cur pater filio benefacit? quia naturaliter obligatus eſt ad hoc officium. Num verò Chriſtus etiam his cauſis mouetur?

Reſpondeo. Chriſtus nihil debuit nobis, & nihil potuit à nobis expectare. Neceſſe autem eſt eum magna vi amoris moueri, qui alteri benefacit cum ſuo dolore, cùm nihil ei debeat, neque poſsit vtilitatem ab eo expectare.

Chriſtus pro nobis moritur, nihil nobis debens, nec ſperans à nobis aliquid commodi.

Ergo eſt in Chriſto ingens & inenarrabilis amor erga Eccleſiam.

Vix aliquis moritur pro iuſto, id eſt, pro re iuſta, cùm videlicet obligamur naturaliter ad hoc officium præſtandum.

Quarta cauſa eſt. Creatura non eſt viuificatrix, ſed vt Iohannis 1. ſcriptum eſt: In ipſo vita erat. Ideo hic redemtor Deus eſt, vt vincat mortem, & reſtituat humanæ naturæ vitam. Sicut enim initio in creatione λόγος fuit viuificator, ita & nunc credentes ei inſerti, rurſus per eum viuificantur.

Irenæus li. 3. quærens cauſam, quare Mediator non tantùm ſit homo, ſed etiam Deus, hãc quartam cauſam recitat. Fuit homo, vt moreretur, & fuit Deus, vt reſuſcitaret & viuificaret tum ſuã, tum noſtram carnem. Non enim tantùm vicit mortem in ſua perſona & corpore, ſed etiam in noſtro, tanquam in ſuis membris. Sed hæc victoria nunc non apparet, ſicut Paulus Coloſſ. 3. inquit: Vita noſtra eſt abſcondita in Chriſto. Et Auguſtinus hoc pulcrè docet. Arbores, inquit, viuunt, non tantùm in æſtate, quando florent & fructus gignunt, ſed etiam hyberno tempore. Sed tunc non conſpicitur vita

arborum quæ latet in radice, sed verno tempore ascendit succus & diffundit folia, ibi cernimus arbores viuere. Sic cogita Christum radicem abscónditam esse in Deo, in qua simul nostra latet vita, quam olim in lucem referet, quia Christus nostra corpora glorificabit, & suo corpori reddet conformia.

Quinta. Hic Mediator assiduè interpellat pro Ecclesia, & semper & vbique adest Ecclesiæ, eamque seruat & protegit, quæ beneficia etsi fiunt à Filio in natura assumta, & toti personæ tribuuntur: tamen sunt actiones diuinę naturæ & omnipotentis.

Lutherus in nouissimis verbis Dauidis enarrans primas & antiquissimas promissiones de Messia, probat ex illis diuinitatem Christi ab effectibus illius propriis, quales sunt conterere caput serpentis, quod explicat Iohannes in sua epistola cap. 3. destruere opera Diaboli, item benedicere, id est, liberare à maledictione Legis, peccati, mortis. Hæc non sunt opera humanæ naturæ, sed diuinæ. Et tamen fiunt in natura assumta.

Has causas sæpe consideremus, sed ita, vt cùm de iustitia & magnitudine misericordiæ Dei cogitamus, corda simul inflammentur gratiarum actione erga Deum, & deploratione nostri stuporis & ignauiæ, quòd pectora nostra non ardent studio hæc cogitandi, nec gratiarum actione.

Refutatio Nestorij & Eutychis.

CAPVT VIII.

CErtissimum est, duas in Christo nato ex virgine naturas esse & manere: λόγον & assumtam naturam humanam, & vtranque retinere suam proprietatem, nec faciendam esse aut diuulsionem aut confusionem naturarum.

Nestorius finxit, λόγον non aliter habitasse in

in natura humana Christi, quàm habitat in aliis sanctis, siue angelis, siue hominibus. Hæc fuit summa commenti Nestoriani. Ecclesia autem discernit Christum ab aliis sanctis, non tantùm hominibus, sed etiam angelis, vt facit epistola ad Hebræos cap. 1. & 2. & 3. Hoc discrimen Christi & aliorum sanctorum illustrat refutatio Nestorij. Habitat quidem Christus in sanctis, & est in eis efficax, sed longè alia ratione habitat λόγος in suo templo, quod assumsit ex Maria virgine. Eutyches verò defendit aliam hyperbolen, quæ non minùs est perniciosa, quàm commentum Nestorii. Sicut enim Nestorius distraxit & diuulsit duas naturas λόγου & carnem, id est, negauit vnionem hypostaticam duarum naturarum in Christo: ita Eutyches monachus incidit in contrariam hyperbolen, & confudit duas naturas, earumq; proprietates. Sunt autem hæc duo extrema velis remisq; fugienda, distractio duarum naturarum, & confusio proprietatum. Nestorius diuellit, Eutyches confundit duas naturas. Nos vitatis his extremis, teneamus mediam viam, fateamur vnitas esse naturas inseparabiliter & personaliter, & tamen inconfusè & impermixtè.

Ad huius simplicis & veræ sententiæ, quam amplectitur & confitetur Ecclesia, declarationem, prodest consideratio quatuor modorum præsentiæ Dei. Quorum primus est præsentia vniuersalis, qua Deus & substantia omnibus locis adest, & potentia vbique efficax est, vt in versu dicitur: Enter, præsenter, Deus est, & vbique potenter. Hac præsentia conseruat Deus res omnes, donec sunt, & quales sunt, & tamẽ ita adest rebus omnibus, vt agens liberrimum, separabile, & aliud à creaturis, & multa in causis secundis moderans. De hoc modo præsentiæ Augustinus in epistola ad Dardanum, epist. 57. citans & illustrans Prophetarũ dicta. Esaiæ 66. Ieremiæ 23. Psal. 139. inquit: Sic est Deus per cuncta diffusus, vt non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine

Hæc verba (Donec sunt, & quales sunt) adduntur, vt ostendatur vnde sit peccatum in natura hominis. Deus enim seruat naturam talem, qualis nunc est, vt, leprosi gignunt leprosos, calculosi, calculosos. Ita Adam post lapsum contaminatus peccato, tales procreauit filios, qualis ipse fuit.

onere continens mundum. Nõ tamen per ſpatia locorum, quaſi mole diffuſa, ita vt in dimidio mundi corpore ſit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atq; ita per totum totus: ſed in ſolo cælo totus, & in ſola terra totus, ſolus, & nullo contentus loco, ſed in ſe ipſo vbique totus. Et in epiſt. 3. Nouit vbique totus eſſe, & nullo contineri loco, nouit venire recedendo, vbi erat, nouit abire non deſerendo, quò venerat.

Hæc clauſula prudenter oppoſita eſt imaginationi Epicureæ, quæ extat apud Ciceronem in perſona Balbi 1. de natura Deorum, quo in loco Stoicum Deum vocat laborioſum & miſerrimũ.

Vniuerſalis præſentia dicitur, quia ſecundum hanc Deus adeſt omnibus creaturis, ſine vlla exceptione, & adeſt non tantùm efficacia, ſeu potentia, ſed etiam ipſa ſubſtantia. Teſtimonia de hoc gradu ſunt Eſaiæ vltimo. Cælum ſedes mea, terra ſcabellum pedum meorum. Ieremiæ 23. Ego cælum & terram impleo, ſcilicet ſubſtantia & potentia. Sic Pſalmus 139. qui pertinet ad locum de creatione, ſplendidè philoſophatur de hac vniuerſali præſentia, ſiue de vbiquitate Dei. Quò ibo à Spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es, ſi lectum ſtrauero in infernum, ecce ades: ſi ſumſero pennas auroræ, & habitauero in extremis meis, etiam illic manus tua deducet me.

Totus ille pſalmus eſt philoſophica concio de præuiſione Dei, qua omnia cernit: de prouidentia, qua omnia ſuſtentat & conſeruat: de vbiquitate Dei, qua omnibus rebus adeſt: de miranda fabricatione corporis humani, & conſeruatione vitæ humanæ. Atque hoc loco obiter monendi ſunt iuniores, de tribus modis, quibus res dicuntur eſſe in loco. 1. Corpora ſunt in loco circumſcriptiuè, quia ſuperficies concaua corporis continentis ambit & circundat conuexam ſuperficiem corporis locati ſiue contenti ſecundum omnes dimenſiones. Hoc modo vinum eſt in vaſe aut cantharo. 2. Spiritus, vt angeli boni & mali, & animæ rationales ſunt in loco definitiuè, id eſt, non ita includuntur ſuperficiei, ſicut corpora. 3. Solus Deus eſt in loco repletiuè, quia replet cælũ & terram & omnes creaturas in iis. Ita tamen in his eſt repletiuè, vt nullo loco affixus, aut incluſus ſit, ſed ſit totus in toto, & in qualibet parte totus.

Secundus modus eſt præſentia Dei in beatis angelis & hominibus,

nibus. [*scilicet in vita æterna*]

Differt autem hic modus à priori, quòd in illa arcana conseruatione, quæ ad omnes creaturas pertinet, non conspicitur Deus, hìc verò cõspicitur Deus, vt 1. Corinth. 13. dicitur: Tunc facie ad faciẽ videbimus. Et fit non solùm cõseruatio naturarum, sed & cõmunicatio lucis, sapientiæ, iustitiæ & lætitiæ Dei. Quanquã autem non discedit à beatis angelis & hominibus [vt Augustinus lib 22. de ciuitate Dei, cap. 1. inquit: Angelis in summo bono permanentibus, vt de sua sine fine permãsione certi essent, tanquam ipsius præmium permansionis dedit:] tamen adest eis tantùm societate, non personali vnione.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt.

De hoc modo illustria testimonia sunt, 1. Corinth. 15. Deus, inquit, erit omnia in omnibus, id est, Deus non tantùm conseruabit in omni æternitate subsṭãtias corporum & animarum, ne intereant, sed etiam communicabit coràm & visibiliter omnibus & singulis beatis bona, quæ in ipso sunt optima & pulcerrima, lucem sapientiæ, iustitiæ & lætitiæ inenarrabilis, quam nec oculus vidit, neque auris audiuit, neque cor hominis in hac vita comprehendit, vt 1. Corinth. 2. dicitur. Et 1. Cor. 13. discernit Paulus hanc vitam ab æterna cõsuetudine Dei. Nunc in ænigmate per speculum videmus, tunc autem facie ad faciem.

Tertius modus est præsentia seu specialis actio in Ecclesia, qua fiunt conuersio & sanctificatio, & nullo modo fit vnio personalis, sed separabiliter adest renatis Deus in hac vita, vt Saulem trucidantem sacerdotes, & quærẽtem præsidia inconcessa, deserit Deus, nec consolatur eum in agone, sed finit eum impelli à Diabolis.

Saul vno die in oppido Nobe, quod situm est inter Ioppen & Arimathiam, interfecit 80. sacerdotes, quòd exulanti Dauidi hospitium præbuerant: Deinde infelicissimus fuit ante & post prælium, in quo tandem fuit interfectus. Consuluit magicam mulierem de exitu prælij contra mandatum diuinum. A Diabolo enim, neque consilium, neque auxilium est petendum.

De hac præsentia Augustinus in epistola ad Dardanum: Faten-

dum est, inquit, vbique esse Deũ per diuinitatis præsentiam, sed non vbique per habitationis gratiam. Deus igitur vbique præsens est, & vbique totus præsens, nec vbiq; habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est & propitius.

Differunt hæ duæ propositiones: Deus est vbique, & Deus habitat in sanctis. Prior loquitur de generali præsentia, altera de speciali. Ex partibus autem symboli hæc etiam discernuntur. Primus articulus de creatione complectitur vniuersalem præsentiã Dei. At tertia pars Symboli loquitur de tertio modo, id est, de speciali actione in Ecclesia. Testimonia autem de hoc modo sunt Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Paulus Ephes. 3. Christus habitat in nobis per fidẽ. 1. Corinth. 6. aliquoties hæ asseuerationes repetuntur: vos estis templa Dei & Spiritus sancti. Ex his dictis rectè extruitur tertius modus præsentiæ Dei.

Quartus modus est præsentia secundæ personæ diuinitatis τοῦ λόγου in ea massa naturæ humanæ, quam assumsit Filius Dei, ita vt sint vnitę duæ naturę vnione personali, quæ non tantùm est copulatio inseparabilis, sed etiam talis, vt duæ naturæ fiant vna persona, & natura humana ita sustentetur à diuina, vt si ab ea desereretur, prorsus in nihilum redigeretur.

De hoc quarto modo concionatur secunda pars Symboli, in qua dicimus: Credo in Iesum Christũ Filium eius Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.

De hac præsentia loquitur Paulus, cùm inquit Coloss. 2. In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis σωματικῶς, hoc est vnione inseparabili & personali. Et Iustinus Martyr inquit: Crede vbiq; esse Verbum per essentiam, & eximio quodam modo in suo templo.

Verba Iustini sunt fol. 181. πίστευε καὶ παρεῖναι πανταχοῦ κατ' οὐσίαν τὸν λόγον, καὶ κατ' ἐξαίρετον ἐν τῷ οἰκείῳ ναῷ. Hæc phrasis sumta est ex secundo capite Iohannis: Destruite templum hoc, & ego intra triduum reædificabo illud. Nos sumus templa Dei, quia in nobis habitat Christus per fidẽ. λόγος autem

autem habitat in suo corpore eximio quodam modo, id est, habitat in eo personaliter, inseparabiliter, σωματικῶς.

Nota sunt etiam verba Athanasij in lib. de incarnatione Verbi: Non ita est in corpore λόγος, vt alibi nō sit, nec ita mouet corpus, vt desit aliis creaturis, sed mirando modo, cùm λόγος sit, à nullo comprehenditur, sed ipse comprehendit omnia, & cùm in omni creatura sit, tamē alia substantia est à creaturis.

Quartus modus neque euertit tres priores, neq; pugnat cum reliquis gradibus, quia λόγος etsi assumsit humanam naturā: tamen neque Patrem, neque gubernationem mundi deseruit, sed semper mansit in Patre, & in sinu Patris, & singulas creaturas sustētauit. Multò etiam minus discesit à beatis angelis, aut à sanctis in hac vita, sed verè habitauit per fidem in pectoribus nostris. Non igitur λόγος est in carne, sicut anima in corpore. Etsi enim scriptores hac vtuntur similitudine: tamen verum est, nullum simile esse idem, aut currere quatuor pedibus. Anima enim ita est in corpore, vt non sit extra corpus, quod agitat & viuificat. λόγος non est ita affixus corpori, vt non possit simul esse in cælo, in sinu Patris, & in singulis non modò creaturis, sed etiam sanctis.

Etsi autem Iustinus qualicunque similitudine vnionem hypostaticam duarum in Christo naturarum declarat: Sicut anima gestat corpus humanum: sic gestatur ab imagine coæterna Patris, natura humana in Christo: tamen ipse fatetur hoc exemplum nō prorsus congruere, sed secundum aliquid. Nam animæ nostræ, etsi cogitant res extra corpus, tamen eas non mouent, non enim agitant Solem, quanquam moueri eum cernunt. Non sic est λόγος in assumta natura: non enim incluſus est, sed ipse continet corpus, & simul est in sinu æterni Patris, & adest creaturis. Hanc sententiam confirmat Augustinus in tertia epistola, inquiens: Verbum Dei, per quod omnia facta sunt, sic assumsit corpus ex Virgine, & sensibus apparuit mortalibus, vt immortalitatem suam non corruperit, vt æternitatem suam non mutauerit, vt potestatem suam non minuerit, vt administrationem mundi non deseruerit, vt à sinu Patris, id est, à secreto quo cum illo & in illo est, non recesserit.

Et tractatu 14 in Iohannē: Intus ergo erat totus ille, & sic intus

in carne, vt apud Patrem maneret, non enim deseruit Patrē, quando venit ad carnem.

Rectissimè & verissimè dicitur: vnionem duarum naturarum in Christo esse inseparabilem, quia λόγος nunquam discessit vel à corpore, vel ab anima Christi. Etsi enim verum est, ipsam animam moriente Christo, separatam fuisse à corpore, non tamen propter hanc asseuerationem imaginandum est, hanc vnionem personalem, aut λόγον à se ipso esse mutatum, quod de Hectore Virgilius inquit: Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo. Talem mutationem non cogitemus de λόγῳ. λόγος verè assumsit corpus & animam, idque inseparabiliter. Quod enim semel assumsit, vt Damascenus inquit, hoc nunquam deseruit, aut deseret. Sed interea etiam verissimum hoc est, quòd λόγος generali & vniuersali præsentia vnà cum Patre sit vbique. In summa, λόγος semper fuit, & ante & post assumtam naturam cum beatis angelis & hominibus, & habitauit per fidem in sanctis in hac vita.

His fundamentis iactis, quæ nulla sophistica conuelli & labefactari possunt, facilis est refutatio Nestorij & Eutychis. Sint igitur testimonia in conspectu, quæ perspicuè affirmant, in Christo nato ex virgine, & esse, & manere duas naturas, diuinam & humanam, inseparabiliter & personaliter vnitas.

Lucæ 1: Vnde mihi hoc, quòd mater Domini ad me venit? Et in eodem capite: Nascetur ex te Filius Altissimi.

Nestorius ausus est negare hanc propositionem: Maria est Deipara, seu mater Filij Dei. Quia, inquit, si facitis Mariam Dei matrem, tunc ex Deo facitis bimestrem, aut trimestrem. Sed verissima est propositio: Maria est Deipara, sicut angelus inquit: Nascetur ex te Filius Altissimi. Particulam EX TE, grauiter vrgent Basilius & Athanasius: si dixisset, Nascetur in te, habuissent hæretici patrociniū, qui dixerunt, Christum non assumsisse carnem ex virgine, sed attulisse corpus cæleste in aluum virginis. Dicit igitur EX TE, id est, ex tua nascetur carne, & ex tuo sanguine veram & integram humanam naturam assumet.

Luc. 2: Hodie natus est Saluator Dominus.

Galat. 4: Misit Deus Filium suum natum ex muliere.

Olim Monachi acerrimè disputarunt, vtrum Maria in pec-

1 Cor.

1 Cor. 2: Dominum gloriæ crucifixerunt.

cato originis cõcepta fuerit, nec ne. De hac propositione fuit longa & vehemens disputatio inter Franciscanos & Dominicanos. Sed nihil opus fuisset hac disputatione: quia solus Filius Dei & carnem habuit veram, & non habuit peccatum. Solus est ἀναμάρτητος. Sed dicunt Monachi: Quomodo ergo ex Maria potuit nasci? Aut enim ipsa non est concepta in peccato originis, aut si est immunda, nihil natum ex ea fuit, nisi immundum. Respondeo: Illa massa, quam sibi copulauit λόγος, est sanctificata à Spiritu sancto, vt in Symbolo dicitur: Cõceptus à Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Sed cur Paulus Galat. 4 inquit: Misit Deus Filium suum natum ex muliere, cùm Maria & ante & post partum sit virgo? Respondeo. Paulus nihil decerpit de laude virginitatis Mariæ, sed intuetur in primam promissionem: Semen mulieris conteret caput serpentis.

Actor. 20: Deus Ecclesiam sanguine suo redemit.

Deus in sua natura nec sanguinem, nec carnem habet, quia est Spiritus. Sed ita loquitur Paulus, quia illa persona, quæ passa est, est reuera homo & Deus.

Matth. 22: Si Filius Dauidis est, quomodo vocat eum Dominũ?

Ieremiæ 23: Germen Dauidis vocabitur Iehoua iustitia nostra.

Osiander vsus est hoc dicto, velut Gorgone, contra articulũ de iustificatione. Sed qua in re aberrauit, dicat aliquis, cùm textus dicat Iehoua, quod est nomen essentiæ diuinæ: annon igitur iusti sumus iustitia Christi essentiali? Respondeo: Dictum Ieremiæ de tota persona loquitur. Expressè enim complectitur duas naturas. Germen Dauidis, inquit, vt significet in hac persona esse naturam humanam, eandem personam nominat Iehouam propter naturam diuinam. Cùm autem officium redemtionis sit totius personæ, rectè refertur particula postrema, Iustitia nostra, non ad alteram naturam seorsum, sed ad totam personam. Christus enim iustus est duobus modis, essentialiter, & perfecta obedientia, quam Patri præstitit in morte & passione. Nam vt Paulus inquit Rom. 5: Sicut per vnius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur

multi. Ergo cùm loquimur de iuſtitia imputatiua, rectè amplificatur & celebratur obedientia Chriſti perfecta, quia propter hanc nos recipimur. Poſtea verò cùm dicimus de nouitate ſpirituali, de iuſtitia & ſanctitate, quæ ſequuntur iuſtitiam imputatiuam, id eſt, cùm dicitur de effectione in nobis, rectè fit mentio eſſentialis iuſtitiæ Chriſti, quia λόγος ſua eſſentia in nobis eſt efficax, dat Spiritum ſanctum, & regenerat nos ad vitam æternam.

Philipp. 2: Qui cùm eſſet in forma Dei, formam ſerui aſſumſit.

1 Petri 4.: Chriſtus paſſus eſt pro nobis carne.

Forma ſignificat eſſentiam & proprietates eſſentiæ, vt Chriſtus cùm eſſet in forma Dei, id eſt, cùm eſſet natura Deus, omnipotens, ſapiens, liberrimus, aſſumſit formam ſerui, id eſt, naturam humanam integram, habentem omnes partes & vires naturæ humanæ proprias ſine peccato.

Act. 2 & pſalm. 16: Non relicta eſt anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem.

Lucæ 24.: Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

De hoc dicto legatur epiſtola Auguſtini ad Dardanum, vbi inquit: λόγος fuit cum latrone in paradiſo, cum anima in inferno, cum carne in ſepulcro, id eſt, λόγος tunc quoque fuit vbique, nec fuit ſeparatus à corpore vel anima.

1 Iohann. 4.: Omnis Spiritus, qui non fatetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt.

His & ſimilibus teſtimoniis confirmati, execremur Neſtorij impietatem, qui finxit, λόγον adeſſe Chriſto, vt ſocium, ſicut omnibus ſanctis adeſt: & Eutychis prodigioſum errorem, qui confuſionem naturarum excogitauit.

De

De communicatione Idiomatum.

CAP. IX.

SICVT in articulo de Deo duo potißimùm conſideranda ſunt, vnitas eſſentiæ diuinæ, & diſcrimen trium perſonarum: ita in hoc articulo de Filio Dei duo capita præcipua obſeruatione digna ſunt, quorum alterum eſt de vnione hypoſtatica perſonali duarum naturarum in Chriſto, quæ eſt inſeparabilis: alterum de diſcrimine & proprietatibus vtriuſque naturæ. Vtrique verò capiti ſeruit doctrina de cõmunicatione Idiomatum, videlicet, vt retineatur vnitas perſonæ Chriſti, & diſcrimen aç proprietates naturæ diuinæ & humanæ in Chriſto. Non quidem eſt facienda ſeparatio aut diuulſio & diſtractio duarum naturarũ in Chriſto, ſed quod ſemel aſſumſit λόγος, hoc nunquam deſerit in omni æternitate. Interea tamen ſciendum eſt, naturas ipſas in hac hypoſtatica vnione non eſſe cõfuſas, ſed ſuas cuique proprietates tribuendas eſſe, & tamen propter vnionem hypoſtaticam fieri communicationem proprietatum, quando loquimur de tota perſona. Hanc doctrinam quidam hoc tempore deprauant. Multi enim fingunt neſcio quam phyſicam communicationem Idiomatum, quæ reuera eſt Eutychiana confuſio naturarum.

Suprà aliquoties dictum eſt, perſonam eſſe ſubſtantiam indiuiduam, intelligentem, incommunicabilem, quæ non ſuſtentatur, nec conſeruatur ab alia. Cùm igitur humana natura in Chriſto ſuſtẽtetur à diuina, ſeu à λόγῳ, ita vt non eſſet humana, niſi ſic ſuſtentaretur, non ſunt duæ perſonæ diuina & humana, ſed ſunt vnica perſona.

Poſſet aliquis ex manca & mutila perſonæ definitione ſic argumentari:

Perſona eſt ſubſtantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis.

In Chriſto ſunt duæ ſubſtantiæ indiuiduæ, intelligentes, incommunicabiles.

Ergo in Chriſto ſunt duæ perſonæ.

RESPONDEO.

Nego Maiorem, quia est mutila & manca definitio. Deest enim hæc particula (quæ nec sustentatur, nec conseruatur ab alio.) Habet natura humana in Christo suum intellectum & suam voluntatem, habet diuina etiam suum intellectum & suam voluntatem, sed ideo non sequitur, in Christo esse duas personas, quia λόγος sustentat carnem, id est, corpus & animam. Hæc igitur postrema particula facit, vt non possim dicere, in Christo esse duas personas. In homine sunt anima & corpus: anima sustentat corpus: & corpus sustentatur ab anima. Hæc duo constituunt vnam personam.

Vt autem intelligi possit doctrina de communicatione Idiomatum, cuius fons est articulus de vnione hypostatica, quædam definitiones dextrè intelligendæ sunt.

I. Idioma est proprietas vni naturæ conueniens, vt proprietates diuinæ naturæ sunt, esse omnipotentem, esse vbique. Proprietates humanæ naturæ sunt, crucifigi, mori.

II. Abstractum significat naturam secundum se consideratam, vt diuinitas, vel diuina natura, humanitas, vel humana natura.

In Dialecticis traditur discrimen abstracti & concreti: & his appellationibus vsi sunt veteres, & nostra ætate Lutherus in lib. de conciliis, & in enarratione quatuor capitum Iohānis, 14, 15, 16, 17. Hoc ideo dicitur, ne quis putet illa vocabula esse noua. Corpus non numerat, non intelligit, non ratiocinatur. Anima propriè numerat, iudicat, ratiocinatur. Hæc verissimè dicuntur in abstracto, quando considerantur singulæ naturæ. Sed cùm in concreto, de toto dicitur homine, rectè dicitur: Homo numerat, intelligit, ratiocinatur: ita sola seu vnica natura diuina est omnipotens, est conditrix & conseruatrix rerum, sola seu vnica est vbique. Contrà humana natura non habet has proprietates, sed suas habet, conuenientes naturæ finitæ & creatæ. Et tamen cùm loquimur de tota persona, rectè dicimus per communicationem Idiomatum: Christus est vbique, omnipotens, conditor & conseruator. Item, Deus est passus, crucifixus &c.

III. Concretum significat totum agens, naturam sustentantem, & naturam sustentatam.

IV. Est igitur cõmunicatio Idiomatum, forma loquendi, qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur personæ in cõcreto, vt significetur in ea persona duas naturas esse vnitas vnione hypostatica.

Communicatio Idiomatum dicitur forma loquendi, vt intelligamus non esse physicã confusionem naturarum, vel proprietatum cuiusque naturæ, sed esse phrasin loquendi dialecticam. Aliqui faciunt duplicem communicationem Idiomatum, vnam physicam, alteram dialecticam: sed nobis sit persuasum ex verbo Dei & puriore antiquitate, physicam communicationem Idiomatum esse Diabolicum mendacium, quo nihil est contumeliosius aduersus Christum. Nam si fingimus physicam communicationem, sumus Eutychiani, miscemus inter se naturas. Sed cur hac loquendi forma vtimur? Additur in definitione communicationis Idiomatum caussa finalis, vt significetur, in ea persona duas naturas esse vnitas vnione hypostatica, id est, ne fingas duos Filios, duos Mediatores, duos Christos. Verissimum est, solam seu vnicam diuinam naturam esse vbique. Sed in concreto verissimum etiam hoc est, Christus est vbique communicatione Idiomatum, ne fingamus duos Filios aut Mediatores.

Hac doctrina de communicatione Idiomatum opus esse, intelligi potest ex multis dictis Christi, Iohan. 8: Antequam Abraham natus est, ego sum.

Hic quæritur, an natura humana Christi fuerit ante natum Abrahamum? Nequaquam. Abraham vixit bis mille annis ante incarnationem Christi. Ergo impossibile est, hoc dictum de natura humana intelligi, sed in concreto rectè dicitur: Antequam Abraham natus est, ego sum. Vnde Paulus Galat. 4: Vbi venit plenitudo tẽporis, scilicet prædicta à Prophetis, misit Deus Filium suum natum ex muliere.

Matt. 18: Vbicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Iohan. 3: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. Matth. vltimo: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

Hoc dictum sic enarrat tota antiquitas, Cyprianus, Cyrillus, Tertullianus, Augustinus, Christum loqui de præsentia maiestatis seu diuinitatis, non de præsentia carnis.

Talia dicta plurima obuia ſunt, quæ illuſtrantur ex doctrina de communicatione Idiomatum.

Diſertè autem dictum eſt, communicationem fieri in concreto, nō in abſtracto. Vt enim neceſſe eſt retineri vnitatem perſonæ, ſeu vnionem hypoſtaticam: ita neceſſe eſt agnoſci duas naturas in Chriſto nato ex virgine, nec facienda eſt naturarum confuſio: vt Auguſtinus inquit in epiſtola ad Dardanum: Cauēdum eſt, ne ita diuinitatem hominis aſtruamus, vt veritatem corporis auferamus. Nequaquam igitur dicimus, Natura diuina dormit, vulneratur, moritur, & verè tamen ſunt propoſitiones in concreto: Chriſtus eſt mortuus, Deus eſt mortuus. Ideo enim prædicata communicantur, quia hæ duæ naturæ, λόγος & natura aſſumta ſunt vnum ὑφιστάμενον, vt dicimus: hic homo numerat, quanquam tantùm mente numeret.

Illi qui defendunt communicationem Idiomatum phyſicā, quid aliud agunt, quàm quòd Chriſto detrahunt naturam humanam, & Eccleſiæ eripiunt cōſolationem, quam habemus in carne Chriſti? Si Chriſtus tantùm eſt Deus, non eſt Mediator, non iuſtificat nos ſua obedientia, non habemus ſpem reſurrectionis. Ex hoc enim loco, quòd ſit verus homo Chriſtus, explicat Paulus articulum iuſtificationis Rom. 5, & ſpem facit reſurrectionis. 1 Cor. 15: Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Sed hîc rurſus aliqui obſtrepunt, cogitantes, fuiſſe Chriſti corpus immutatum per reſurrectionem & aſcenſionem. His reſpōdet Auguſtinus in epiſtola ad Dardanum: Chriſtus ſua reſurrectione & aſcenſione dedit ſuo corpori immortalitatem, ſed non abſtulit veri corporis modum.

Simus autem in cogitatione & ſermone de Deo, & de rebus diuinis memores dicti Syracidæ 3, Quæ præcepit tibi Deus, ſanctè cogita.

Ariſtoteles, citante Seneca in 7 naturalium quæſtionum, præclarè dixit: Nunquam nos verecundiores eſſe debere, quàm cùm de Deo agitur. Si enim intramus templa

templa compositè, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam subducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimur, quantòh oc magis facere debemus, cùm de Dei natura disputamus, ne quid temerè, ne quid imprudenter aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur.

Etsi enim omnis sermo verecundus esse debet, tamen in sermone de mysteriis diuinis non tantùm luceat verecundia, sed etiam reuerentia, iuxta regulam ab Augustino traditam lib. 10 de ciuit. Dei, cap. 23: Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.

Si quis plura desiderat scire de hoc articulo, legat commentarium Philippi super 3 caput ad Coloss. vbi explicat hæc verba: Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris.

Explicatio quæstionis de fuga mortis in Christo.

CAP. VLT.

OCCASIO huius quæstionis sumitur ex historia passionis, in qua legitur hæc precatio Christi: Pater mi, si possibile est, transeat à me iste calix, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Ex his verbis extitit quæstio, an fuga mortis in Christo fuerit vera, & non vitiosa, id est, sine peccato: an verò fuerit exemplum nostræ infirmitatis, quod doceat, quanta sit imbecillitas humanæ naturæ in adeunda morte, & quòd sancti debeant suam voluntatem subiicere voluntati diuinæ in omnibus ærumnis & media morte. Hanc quæstionem non solùm tractat Petrus Longobardus (quē alio nomine appellant

Magiſtrum ſententiarum) in lib. 3, diſtinct. 17: Sed eadem quæſtio agitata eſt in ſexta Synodo Oecumenica, quam indixit Conſtantinus Quintus. Extat autem deſcriptio huius Synodi in lib. 3 Chronicorum Philippi, in fine. Nam à reliquiis Eutychianis hæc diſputatio agitata eſt: An ſit in Chriſto tantùm vna volũtas, an verò diſtinctę voluntates. Synodus autem rectiſsimè pronuntiauit, duas eſſe diſtinctas in Chriſto voluntates, vnam diuinam, alteram humanam, & qui huic ſententiæ contradixerunt, appellati ſunt μονοθεληταὶ. Habet autem hæc ſententia illuſtria teſtimonia in ſacris literis. Matth. 11 Chriſtus ipſe inquit: Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrẽ quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Hoc dictũ tribuit naturæ diuinæ ſuam voluntatem, quæ congruit cum voluntate Patris. Eſtq; magna conſolatio propoſita in hac ſententia, quæ affirmat, vnam & eandem eſſe voluntatem æterni Patris & Filij de noſtra ſalute, ne fingamus aliam Dei volũtatem eſſe patefactam in Euangelio, & aliam abditam latere intus in conſilio diuinitatis incluſam. Prodeſt autem ad agnitionem & inuocationem Dei, & gratiarum actionem excitandam, ſcire, quòd non tantùm voluntas humana in Chriſto voluit pati, ſed etiam diuina voluntas conſenſit cum voluntate humana, approbauit illius obedientiam, & vt Irenæus inquit: Quieuit, vt poſſet caro crucifigi & mori. Quare meritum Chriſti non tantùm ad humanam naturam referẽdum eſt, ſed etiam ad diuinam voluntatem. Vtraque enim voluntas, & diuina & humana in Chriſto voluit hanc obedientiam in paſsione. Si tantùm humana voluntas eam voluiſſet, meritum non eſſet ſufficiens, non eſſet æquale. Quia autem vtraque voluntas voluit & approbauit hanc obedientiam, ideo meritum Chriſti eſt ſufficiens pro omnibus peccatis totius mundi.

In Chriſto nerui ſentiunt lacerationem, & ingenti dolore afficiuntur, & fugiunt mortẽ prorſus ſecundum naturam. Hæc pars propterea non peccat, quia nerui ita conditi ſunt, vt percipiant obiecta conuenientia cum quadam delectatione, & fugiãt ac reformident contraria: deinde cor naturali & ordinata appetitione

In doctrina de affectibus traditur diſtinctio appetitionum in natura humana, & conſtituuntur tres gradus.

Primus eſt appetitus naturalis, qui eſt fames & ſitis, id eſt, appetitio cibi & potus, & delectatio

titione abhorret à morte, quam oſtendit præcedens cogitatio. Nam ordinatè natura ſupra vires onerata gemit, nec frágitur ſine aliquo ſenſu doloris. Sed in voluntate maior eſt dolor, qui ſequitur agnitionem iræ Dei iraſcentis peccatis humani generis. Hic dolor ſecum etiam corrapit, in quo tanti ſunt motus, vt ſanguis effluat. Quanquam autem fuga aliqua erat in volũtate & corde Chriſti ſine peccato, quia natura etiam ordinatè deſtructionem refugit, ac incolumis manere cupit: tamen ſimul in voluntate & corde ardẽtior affectus erat amor Dei & obedientiæ Deo præſtandæ, qui vicit illam trepidationem. Ideo dicit Chriſtus: Veruntamẽ non quod ego volo, ſed quod tu vis, fiat. Hac vera ſententia conſiderata, nunc de contrariis, quæ opponuntur, breuiter reſpondeamus.

ac dolor in neruis, qui ſunt inſtrumenta tactus. Nam naturalis appetitus, aut eſt in orificio ventriculi, vt fames & ſitis: aut eſt in neruis, quos condidit Deus ad hũc vſum, vt ſint organa ſeu inſtrumenta ſenſus & motus. Conſtat autem ex hiſtoria Euangelica, Chriſtum ſenſiſſe famem & ſitim. Ideo nõ dubium eſt, Chriſtum ſenſiſſe etiam in paſſione acerrimos dolores ortos ex laceratione neruorum. Omnis enim dolor oritur vel ex δυσκρασίᾳ, id eſt, ab intemperie quatuor primarum qualitatum, vel à ſolutione continui. Quando nerui aut nimis calidi fiunt, aut extremè frigidi, aut ſicci, aut humidi, ex tali intemperie ſentitur dolor, & oriuntur morbi, qualis eſt articularis, podagra. Sic quando ſoluuntur nerui per laceratione, cùm ſcilicet fit diſtractio τῆς ἑνώσεως, etiam grauiſsimum dolorem experimur. Hic infimus gradus ideo non peccat, quia agit naturaliter ſine deliberatione.

Secũdus gradus eſt in corde, & vocatur appetitus ſenſitiuus, quia ſequitur ſenſum, id eſt, cognitionem ſeu perceptionem obiecti. In corde ſentitur triſtitia, lætitia, amor, ira. Supremus gradus eſt voluntarius. Nam in veris motibus congruit cor cum voluntate, & viciſsim voluntas cum corde. Cor naturaliter fugit mortem, quia omnis natura amat conſeruationem ſui, & odit deſtructionem. Et in magnis motibus cor ſecum aliquo modo rapit voluntatem, ſicut flumen rapidum, qualis eſt Danubius, ſecum rapit naues. Iam quæritur, an fuerit fuga mortis in Chriſto vitioſa?

Reſpondeo, Non. Primus gradus non peccauit, quia agit natura-

liter ſine deliberatione. In ſecundo & tertio gradu etiam eſt naturalis fuga mortis, quæ etſi in nobis læditur contagione peccati originalis: tamen in Chriſto nulla talis eſt ἀταξία. Quòd autem ſit naturalis in omnibus hominibus fuga mortis, id duobus dictis confirmatur.

1. Auguſtinus tractatu in Iohannem 123, enarrans caput vltimum Iohannis, vbi Chriſtus ad Petrum inquit: Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Quam hiſtoriam diligenter deſcribit Egeſippus, & in explicatione eius ſic inquit Auguſtinus: Affectus infirmitatis, quo nemo vult mori, adeo eſt naturalis, vt eum Petro nec ſenectus abſtulerit.

2. Euripides in Alceſtide:

Μάτην ἀρ' οἱ γέροντες εὔχονται θανεῖν
Γῆρας ψέγοντες, κ' μακρὸν χρόνον βίου
Ἥν δ' ἐγγὺς ἔλθῃ θάνατος, οὐδεὶς βούλεται
Θνήσκειν. τὸ γῆρας δ' οὐκέτ' ἐς αὐτοῖς βαρύ.

Fruſtrà ſenes optant mori
Senectutem reprehendentes, & longum ſpatium vitæ.
Vbi enim mors aduenerit, nemo vult mori.
Neque ſenectus ipſis grauis eſt.

Priuſquam autem ad contraria veniamus, etiam hoc monẽdum eſt. Poſſunt in voluntate & corde contrarij eſſe affectus, ſed in gradibus diſsimilibus. Nam fortiores affectus vincunt imbecilliores, quod oſtendit Ouidius in breui & erudito verſiculo:

Sed minor eſt acri laudis amore dolor.

Vt miles collocatus in prima acie, qui certò ſcit ſibi moriendum eſſe, etſi dolet propter præſens periculum, tamen eſt in eo generoſus amor patriæ, Imperatoris, gloriæ, qui amor vincit omnem metum & trepidationem. Ita in Chriſto amor Eccleſiæ & Dei vicit omnem trepidationem cordis & voluntatis. Verè enim de Chriſto vſurpari poteſt verſiculus Virgilij 4 Aeneid.

Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes.

Et ille in 6 Aeneid. Vicit iter durum pietas.

Pietas, id eſt, amor Dei & Eccleſiæ, vicit iter durum, mortis ſcilicet & inferorum: ita in nobis alios omnes affectus vincat amor Dei & Eccleſiæ.

I Obiectio

I Obiectio.

Magis fortis minùs dolet.
In Christo est perfecta virtus.
Ergo Christus in aditu mortis minùs dolere debebat.

Respondeo ad Maiorem. Ex causis discrimina dictorum & factorum sumenda sunt. Habuit autem Christus plures & maiores causas pauorum & dolorum, quàm alij homines. Iacuit enim Filius Dei prostratus coram Patre, sentiens iram eius aduersus nostra peccata effusam in ipsum, perinde ac si ipse polluisset se meis, tuis, & omniũ tetris sceleribus.

Maior potest explicari exemplis Stephani & Laurẽtij. De Stephano Bembus scripsit: Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat. Quid significat ouãs? Respondeo. Plutarchus in vita Marcelli discernit triumphum ab ouatione. 1, Triumphantes vehebantur curru. Illi, quibus decreta erat ouatio, erant pedites. 2, In triumpho adhibebantur tubæ canentes classicum. In ouatione canebatur tibiis. 3, In triumpho immolabatur bos: in ouatione, ouis, vnde est appellatio ouationis. Stephanus igitur ibat ouans, id est, triumphans, nam ouatio est paruus triumphus, & spe, scilicet vitæ æternæ leuabat sua damna. De Laurentio scribitur, quòd iacens in craticula insultarit tyranno. Sed cur Christus magis doluit quàm Stephanus aut Laurentius? Respondeo. Discrimina actionum & dictorum non tantùm ex obiectis sumenda sunt, sed ex fontibus & veris causis. De causis autem, quæ fuerũt principales in dolore Christi, integrum caput Esaiæ 53 dicit: Omnes sicut oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, seu vt textus Hebræus habet, Fecit in eo concurrere omnium nostrum peccata. Et in eodem capite dicitur: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Concurrerunt igitur peccata nostra in Christo, sicut canes concurrunt ad ceruam deiiciendam: quemadmodum etiam psalmo 22 Christus comparatur ceruæ à canibus agitatæ. Canes fuerunt partim Iudæi, partim gentes.

II Obiectio.

Non obtemperare omnibus viribus Deo, est peccatum.

In Chriſto eſt aliqua fuga mortis.
Ergo obedientia in eo non fuit integra.

RESPONDEO.

Etſi hæc lucta verbis deſcribi non poteſt: tamen firmiſsimè retinendum eſt quod dicitur Hebr. 4, Chriſtum tentatum eſſe ſine peccato. Hæc reſponſio ſuprà ſatis declarata eſt.

Maiorem explicat dictũ Chriſti: Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus tuis &c.

III. Obiectio.

Pugnantia non poſſunt eſſe in eodem.
Chriſtus ſemper fuit beatus.
Non igitur potuit in eo eſſe talis conſternatio, qualem Marcus ca. 14 deſcribit: Cœpit quaſi cum ſtupore cõſternari, & vehementer angi animo.

Marcus conſternationẽ Chriſti his verbis deſcribit: καὶ ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Nullus Euangeliſtarum tam ſignificantibus vſuseſt verbis, atque Marcus, in deſcribenda lucta Chriſti morituri.

RESPONDEO.

Simpliciſsima huius argumenti explicatio ſumitur à temporum diſtinctione, quam tradit pſalmus octauus. Siuiſti eum pauliſper indigere Deo, ſed gloria & honore coronabis eum.

Diſtingue tempora, & concordabis Scripturas.

Pſalmus octauus, qui citatur in epiſtola ad Hebræos 2, deſcribit duo tempora Chriſti. Vnum Chriſti patientis & humiliati. Alterum Chriſti gloriosè reſuſcitati & regnantis. Hac temporum diſtinctione conſiderata, facilis eſt ſolutio. Semper fuit beatus Chriſtus, ſed hæc beatitudo non ita fulſit, nec tam fuit conſpicua in paſsione, quàm poſtea fulſit in reſurrectione & glorioſo triumpho Chriſti aſcendentis in cælum.

Sed has tantas res in tota æternitate contemplabimur, & de eis Filium Dei nos docentem audiemus. Inchoari tamen has cogitationes

tiones in hac vita neceſſe eſt, vt ſimus pars illius agminis, de quo pſalm. 8 ſcriptum eſt: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.

Hoc dictum pſalmi 8, quod repetitur à Chriſto Matth. 21 eſt pulcerrima deſcriptio Eccleſiæ, quæ eſt cœtus infantium & lactentium. Comparatur autem Eccleſia primùm infanti, quia in hac vita non poſſunt ſatis enarrari miranda Dei opera, de quibus nos tanquam infantes tantùm balbutimus, & ex parte prophetamus, vt 1 Cor. 13 dicitur. Deinde comparatur Eccleſia lactenti, quia Eccleſia ſemper aliquid lactis, id eſt, doctrinæ & conſolationis haurit ex maternis vberibus verbi diuini. Atque ſic veriſsimum eſt dictum Auguſtini: Eccleſia verbo generatur, nutritur, augetur, roboratur: generatur enim verbo, quia baptiſmus eſt aqua in verbo, vt Epheſ. 5 dicitur: mundans Eccleſiam lauacro aquæ in verbo. Quibus autem conſtamus, iiſdem etiam nutrimur, vt homo conſtat ex quatuor elementis, ergo cõmodo quatuor elemẽtorum vſu etiam nutritur. Sic Eccleſia verbo generatur. Ergo etiam verbo nutritur. Nam lac maternum eſt verbum, de quo 1 Petri 2 dicitur: Sicut modò geniti infantes τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα bibite, vt ex eo creſcatis in ſalutem. Vnde apparet, Eccleſiam verbo etiam augeri & roborari vſque ad exitum vitæ.

EXPLICATIO TEXTVS LOCORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANTHONIS De Filio Dei.

SIC autem deſcribitur Filius] λόγος]

Primum caput de appellationibus Filij Dei.

Appellatur λόγος reſpectu Patris & Eccleſiæ. Reſpectu Patris, quia eſt imago à Patre genita. Omne enim verbum eſt quiddam cogitatione natum. Eſt autem duplex verbum, aliud increatum, vt ſolus Filius Dei: aliud creatum, quale eſt noſtrum verbum euaneſcens. Reſpectu Eccleſiæ, & quia publicè inſtituit ac conſeruat miniſterium Euangelij, & quia priuatim in

noſtris cordibus dicit conſolationem, monſtrat voluntatem æterni Patris de noſtra ſalute, & ſimul dat Spiritum ſanctum.

Lumen de lumine] In epiſtola Canonica Iohannis dicitur: Deus eſt lux, id eſt, lucida eſſentia, in qua nihil eſt tenebrarum, nihil caliginis, ſed omnia ſunt plena fulgoris & radiorum maieſtatis diuinæ. Hæc ſententia Iohannis congruit cum pſalmo 139: Et dixi, forſitan tenebræ tegent me, & nox lucida circum me. Quia tenebræ non obtenebrant te, & nox ſicut dies lucebit, & tenebræ ſunt, ſicut lux ipſa. Cùm igitur Deus ſit lumen, rectè dicit Symbolum Nicenum, Filium natum eſſe ex Patre, ſicut lumen de lumine. De natura autem lucis illud conſideratione dignũ eſt: Omnis natura, quò plus habet lucis, eò eſt præſtantior, & propiùs accedit ad ſimilitudinem Dei, vt angeli ſunt lucidi Spiritus. Sic animæ rationales ſunt lucidi Spiritus. Deinde corpora cæleſtia ideo præſtant inferioribus, quia ſunt actu lucida. Aqua & aer ſunt corpora potentia lucida, id eſt, ſunt capacia lucis. Terra eſt ignobile elementum, quia eſt corpus opacum, nec natura lucidum, nec lucis capax. Gemmæ etiam ſunt in pretio, aliæ plus, aliæ minùs, prout plus aut minus habent lucis. Sic in noſtro corpore ſpiritus vitales & animales ſunt lucidæ flammulæ, quarum lux ſuperat ſplendorem Solis.

A noſtra mente exempla capiamus] Quia exemplum Dei quiſque eſt in imagine parua. Mens humana eſt quaſi quoddam ſpeculum & liber Dei. Sicut enim intuentes in ſpecula, facies noſtras contemplamur, vt earum imagines videamus, ita non poſſumus aliunde ſumere meliorem declarationem rerum diuinarum, quàm à noſtra mente & anima rationali.

Aliqua notari veſtigia poſſunt] Auguſtinus lib. 22 de ciuitate Dei, cap. 24: In homine non penitus extincta eſt quædam velut ſcintilla rationis, in qua factus eſt ad imaginem Dei. Eadem ſententia copioſiùs repetitur in lib. de Spiritu & litera, cap. 28.

Mens humana cogitando mox pingit] In homine ſunt duæ potentiæ præcipuæ: Vna intelligens, cuius propriiſsima actio eſt formare imagines. Omnis enim cogitatio eſt formatio imaginũ. Mens eſt quaſi

qtasi pictor, cogitatio est pictura. Cogitationes enim sunt simulacra rerum, de quibus cogitamus. Altera volens, quæ non quidem gignit imagines, sed ciet, seu mouet spiritus, qui sunt flammulæ sparsæ per arterias in toto corpore. Ab hoc exẽplo sumi potest declaratio qualiscunque. Quantum enim discrimen est inter Creatorem & creaturam, inter rem infinitam & finitam, tantum est discrimen inter nostras cogitationes & Dei. Sicut ipse apud Prophetam inquit: Meæ cogitationes non sunt sicut vestræ cogitationes. Vt igitur mens gignit imagines: sic Pater Filium gignit, & sicut nostrum cor effundit spiritus in arterias, quibus viuificat totum corpus, vnde vitales spiritus appellantur: ita Spiritus sanctus non gignitur sicut Filius, sed procedit à Patre & Filio tanquam agitator, motor, lætificator & viuificator. Semper autem hic obseruetur ἀξίωμα vtilissimum. Omnes comparationes congruunt secundum quid, non congruunt simpliciter.

Proprietas ergo discernens Filium]

Proprietas Patris est, non genitum esse, nec aliunde procedere. veteres Theologi, qui barbarè locuti sunt, dixerunt: Innascibilitatem esse proprietatem Patris: Proprietas Filij est genitum esse, & esse imaginem. Proprietas Spiritus sancti est procedere à Patre & Filio.

Nam verbo vnionis]

Differunt vnitas & vnio. In Christo sunt duæ naturæ vnitæ, sed hæ duæ naturæ non sunt vnum. Monotheletæ pepererunt ingentia certamina in Græcis Ecclesiis, præsertim in vrbe regia Constantinopoli. De hac hæresi scribit Zonoras tomo 3. fol. 70. μίαν φυσικὴν θέλησιν, καὶ μίαν ἐνέργειαν δῶν δογματίζοντι ἐπὶ χριστῦ. Mox verò sequitur: Ὃ σωφρονίν μέντοι Ὃ ἱερῦ Ὃ ἐν ἱεροσολύμοις ἀρχιερατεύοντ☉, τότε τὺς ὑφ' ἑαυτὸν ἀχιερεῖς συναθροίσαντ☉, καὶ συνοδικῶς ἀπεδείξαντ☉ τὺς μίαν λέγοντας θέλησιν καὶ ἐνέργειαν ἐπὶ τῶν δύω φύσεων Ὃ χριστῦ, μίαν ἀντικρὺς καὶ φύσιν κηρύτλειν. Non igitur vnum est vnitas & vnio. Duæ in Christo sunt naturæ vnitæ personaliter & inseparabiliter. Hæc propositio vera est, sed altera est falsissima: Duæ naturæ in Christo vnitæ, sunt vna natura.

Hanc secundam personam assumsisse certo tempore]

Duplicia sunt discrimina personarum, Alia sumũtur ab actio-

nibus interioribus, vt à generatione & processione. Alia à beneficiis erga Ecclesiam, vt ab incarnatione ac redemtione & à sanctificatione. Vt autem primum discrimen est arcanum, ita alterum est dulce & plenum consolationis.

Misit Filium, vt esset redemtor] Christus dicitur & redemtor & liberator humani generis. Est autem redemtor respectu Dei, seu Legis diuinæ, cuius iustitiæ soluit λύτρον debitum pro nostris peccatis. Nam omnis Lex obligat vel ad obediẽtiam, vel ad pœnam. Respectu Diaboli est liberator, quia latroni non soluitur pretium, sed vi & armis extorquetur ei præda. Homo incidit in latrones Diabolos, & ab his non tantùm fuit spoliatus, sed etiam horribiliter sauciatus in omnibus potentiis animæ & corporis. Et quanquam multa promiserat homini ante lapsum, sicut inquit: Eritis sicut Dij: tamen promissa nec præstitit, nec præstare potuit. Cùm igitur Diabolus tanquam latro non solùm deceperit hominem, sed etiam tanquam mancipium ex paradiso rapuerit, non cõgruit iustitiæ, vt Diabolo aliquid soluatur pro homine captiuo. Quare cùm Christus in cruce soluisset λύτρον, tertio die resuscitatus egit triumphum de Diabolo, quem vinculis constrictum palàm ostentauit, vt Paul. Coloss. 2. dicit.

In corda renascentium] Regeneratio duos motus cõplectitur, mortificationem, & viuificationem, seu deductionem ad inferos, & reductionem ab inferis, seu, vt vulgò loquimur, contritionem & fidem.

Templum Dei estis] Nulla creatura bruta est templum Dei, non Sol, Luna, aut elementa, aut plantæ, sed soli angeli & homines conuersi ad Deum, sunt templa Dei. Nam vt Augustinus inquit: Deus vbique est præsentia maiestatis suæ, sed tantùm per gratiam habitat in credentibus.

Vocatur actio specialis Dei] Articulus de creatione & conseruatione rerum describit generalem actionem Dei, quæ generalis appellatur, quia pertinet non tãtùm ad homines & angelos, sed etiam ad omnes creaturas, sine exceptione. Specialis actio Dei est sanctificatio, quæ describitur in tertia parte Symboli, dicitur specialis, quia est propria solius Ecclesiæ. Sed vnde hæ appellationes sumtæ sunt? Paulus 1. Timoth. 4. tradit hoc

hoc discrimen, inquiens: Deus est saluator omnium hominum, maximè verò fidelium. Hæc sententia Pauli sumta est ex psalmo 36. vbi Dauid inquit: Homines & iumenta saluabis, Domine: quibus verbis describit generalem actionem Dei. Postea addit: Quàm pretiosa misericordia tua Deus, & filij hominum, in tegmine alarũ tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. In his tribus versibus, venustissimis figuris actio Dei specialis describitur.

In nomine Patris & Filij] Diserte dicit in nomine, non in nominibus, vt vnitas essentiæ significetur: deinde articuli in Græco textu singulis personis additi, confirmant dogma de discrimine trium personarum. Hoc modo vrget pondera verborum Epiphanius contra Sabellianos, pag. 224. Eodem modo Paulus Galat. 3. vrget pondera verborum in promissione tradita Abrahæ: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit in seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semine tuo, qui est Christus. Quorsum, inquiat aliquis, pertinet hæc diligentia Grammatica, qua Paulus vtitur, discernẽs numerum singularem à plurali? vt scias non esse multas causas iustificationis & saluationis, seu benedictionis cælestis, sed vnam, quæ est vnum nomen, vnum meritum, scilicet benedicti seminis, id est, Christi. In verbis igitur Pauli est præclara refutatio Synecdoches Papisticæ, qua dicitur homo iustificari fide & dilectione. Paulus contrarium dicit, nõ in seminibus, sed in semine, id est, non partim fide, partim dilectione. Sic igitur & Epiphanius vrget singularem numerum: In nomine, ne quis fingat plures essentias diuinas.

In hac prima ceremonia] Sic vocatur baptismus, quia est quasi clauis aperiens fores Ecclesiæ & regni cælorum. Nam per baptismum regeneramur & inserimur Ecclesiæ. Differunt baptismus & Cœna Domini, vt generatio & nutritio. Baptismus est lauacrum regenerationis & renouationis ad vitam æternam, vt ad Titum 3. dicitur: Cœna Domini est nutrimentum hominis regenerati. Sicut enim non possumus carere cibo & potu in corpore naturali: ita non possumus carere ad nutritionem spiritualem carne & sanguine Christi.

Vt miſericordia & potentia horum] Nulla creata potentia poteſt nos liberare à tyrānide Diaboli, & à morte æterna, ſed ille liberat nos, de quo dicit Propheta Oſeas cap. 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero, inferne.

Tecum in baptiſmo fœdus facit] 1. Petri 3. Baptiſmus appellatur ſtipulatio, quæ magis obligat quàm nuda promiſsio. Deus obligat ſe ad danda æterna bona, tu viciſsim te obligas ad reddenda ἀντίδωρα, ad præſtandos cultus, quos ipſe poſtulat.

In nomine, id eſt, inuocatione] Cauſa formalis baptiſmi. Nã mandatum Chriſti & inuocatio nominis diuini, conſtituunt baptiſmi formam.

In agnitionem] Cauſa finalis baptiſmi.

Cumq; par ſit potentia] Valet conſequentia: Patris & Filij par eſt potentia.

Ergo Pater & Filius ſunt ὁμούσιοι, quia potentia non eſt accidens in Deo, ſed eſt ipſa eſſentia Dei, Non differunt in Deo eſſentia & potentia.

Præterea conſtat Patrem & Filium] Hoc conſtat ex incarnatione Verbi, quia Pater non aſſumſit humanam naturam, nec paſſus eſt in cruce, ſed Filius factus eſt homo.

In hanc ſententiam Baſilius] pag. 581. ὡς γὰρ παραλάβομεν παρὰ τοῦ Κυρίου, οὕτως βαπτίζομεθα, ὡς δὲ βαπτιζόμεθα, οὕτως πιστεύομεν· ὡς πιστεύομεν, οὕτως καὶ δοξολογοῦμεν, οὕτε χωρίζοντες πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὕτε συνθέντες πατρὸς ἢ πρεσβύτερον ἢ δεύτερον τὸ πνεῦμα λέγοντες. In his verbis Baſilij pulcerrima eſt gradatio.

Colligenda erunt primò teſtimonia de Filio] Hîc incipit caput ſecundum, in quo eſt confirmatio articuli de diuinitate Chriſti.

Eſt autẽ præcipua probatio] Sedes materiæ, vt Iuriſconſulti loquuntur.

Quem

Quem quidem ſcribunt eò ſcripſiſſe Euangelium] Occaſio Euangelij ſcripti à Iohanne, orta eſt à furoribus Ebionis & Cerinthi. Sicut enim ex malis moribus ſæpe bonæ leges natæ ſunt: ita duo hæretici blaſphemi Ebion & Cerinthus mouerũt Iohannem Apoſtolum, vt ſcriberet luculentam narrationem de duabus naturis in Chriſto.

Cerinthus] Iohannes Apoſtolus fuit Epiſcopus in vrbe Epheſo (vbi & Paulus & Timotheus collegerunt Eccleſiam ſuo miniſterio) nec tãtùm gubernauit miniſterium Eccleſiæ in celeberrima vrbe Ioniæ Epheſo, ſed etiam habuit cœtus ſcholaſticos. Quia ex eius ſchola prodierunt ſanctiſsimi martyres, Ignatius, Polycarpus & Papias. Cùm autem viuente adhuc & graſſante Cerintho veniſſet in balnea publica, & audiuiſſet Cerinthum vna cum ſuis applauſoribus lauare, & ſimul dicere blaſphemias aduerſus Filium Dei, pedem mox retulit, & hortator fuit ſuo comitatui, vt diſcederent ex eo loco, fore enim, vt ruina balneorum blaſphema multitudo obrueretur. Hanc prædictionem res & euentus comprobauit. Hæc hiſtoria continet exemplum punitæ blaſphemiæ, & congruit ad comminationem ſecundo præcepto additam. Legatur autem de tragico exitu Cerinthi Irenæus lib. 3. Epiphanius in refutatione Cerinthi. Et Euſebius lib. 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 27. & 28.

Primò] Nazianzenus in fine ſecundæ orationis de Filio Dei: Et Baſilius in concione de fide, hoc argumentum, quod ſumitur à diſcrimine vnigeniti & filiorum adoptionis, eruditè vrgent, non ſolùm ad refutãdos blaſphemos, ſed etiam ad nos ipſos confirmandos. Sumitur autem hæc ratio à pondere verbi (VNIGENITI). Sunt enim optima & firmiſsima argumenta in Theologia & Iure, ab etymologia ſeu pondere verbi ſumta. Quia verba ſunt notæ rerum. In omni diſputatione ſemper debet eſſe maior ratio defenſionis, quàm refutationis aliorum. Sophiſtica eſt infinita, & homo ingenioſus poteſt multa proponere, quæ ſunt inextricabilia, ideo magis eſt elaborandum in confirmatione, quàm in refutatione, id quod etiam oſtendit lex militaris apud Plutarchum in vita Pelopidæ ducis Thebani. Miles amittens clypeum erat infamis, ſed amittens gladium nulla notabatur infamia, Ratio huius legis eſt, quia ſemper debet nobis maior curæ eſſe defenſio noſtri corporis, quàm læſio hoſtium.

Plenitudo diuinitatis] Hoc dictum extat Coloss. 2. Est autem in eo illustre discrimẽ Christi & aliorum sanctorum. In aliis sanctis habitat Deus separabiliter, docens & mouens eos, & non totam sapientiam & omnia dona eis tribuit. Sed in Christo habitat σωματικῶς, hoc est, vt sint vna persona λόγου & assumta natura, & sint hæ duæ naturæ inseparabiliter iunctæ in omni æternitate, & cùm λόγος in persona Christi sit essentialiter Deus, est in hac persona plenitudo potentiæ, sapientiæ, iustitiæ, vitæ & omnium bonorum diuinorum. sed declaremus hęc paulò copiosiùs. Duo igitur sunt discrimina Christi & aliorum sanctorum. Prius est, In sanctis in hac vita Spiritus sanctus habitat separabiliter, nec cõstituit cum anima & corpore sanctorum vnam personam. In Christo λόγος sic habitat, vt nunquam discedat à natura assumta, & simul λόγος & natura humana constituant vnam personam. Alterum est: In aliis sanctis, vt Mose, Iosepho, Daniele, Dauide, est particularitas donorum & imperfectio. Sunt certa quædam dona, non omnia in omnibus, sed singula in singulis, & alia in aliis, nec ea sunt perfecta. Deus enim vni non dat omnia, vt 1. Corinth. 12. dicitur. Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidẽs singulis prout vult. In Christo autem est plenitudo & essentiæ & proprietatum diuinarum, scilicet potentiæ, sapientiæ, iustitiæ, lætitiæ, vitæ & omnium bonorum diuinorum. Hæc duo discrimina pulcrè mõstrantur in dicto Pauli. Nam plenitudo diuinitatis opponitur particularibus donis & imperfectis, quę sunt in sanctis, de quibus præclarè inquit Augustinus: Non cogitemus, quid adsit nobis, sed quid desit. Deinde vocabulum σωματικῶς: opponitur illi præsentiæ Spiritus sancti, qua Deus adest sanctis patribus, scilicet separabiliter & effectiuè, non vt constituat cum eis vnionem personalem.

Præcipit Christum adorari] Hæc est secũda ratio, quę proponitur in forma Enthymematis. Christus est inuocandus. Ergo est natura Deus. Valet consequentia per regulam: cui tribuitur proprium quarti modi, quod vni soli essentiæ conuenit, huic etiam essentiam tribui necesse est, vt exempli causa: Hic lapis trahit ferrum. Ergo est magnes. Quia nullus est alius lapis præter magnetem, qui trahat ferrum: Sic inuocatio non est tribuenda vlli creaturæ, sed soli Deo, vt Moses inquit Deuter. 6. Dominum Deum tuum inuocabis, & illi soli seruies, scilicet cultu inuocationis & tota obedientia. Corpora & opes nostræ debent seruire

uire Magistratui, sed anima debet Deo seruire. Deest autem maior in enthymemate, qua addita magis fit perspicua consequentia.

Matth. 11. Venite ad me] scilicet medicum animarum vestrarum. Qui laboratis, id est, oppressi estis grauibus & insanabilibus morbis. Ego reficiam, scilicet merito & efficacia: Merito: dans remissionem peccatorum. Efficacia, simul donans & effundés in pectora vestra Spiritum sanctum. Iam cogita, quàm dulce sit hoc dictum Christi: Medicus, excellens non solùm scientia eius artis quam profitetur, sed etiam felix in medicatione, vocat ad se omnes ægrotos sine exceptione, oppressos morbo graui & mortifero, nec tantùm vniuersis, sed etiam singulis liberalissimè promittit sanationem morborum & vulnerum, quæ Diabolus naturæ nostræ inflixit in primo lapsu. Confugiamus igitur ad hunc Medicum, freti ipsius merito & efficacia, nec dubitemus, quin paternè & benignè sanaturus sit ea vulnera, quæ ope humana sanari non possunt.

Iohan. 3. Qui credit, habet vitam æternam] Quæro, quomodo credentes in hac vita habeant vitam æternam? Respondet Paulus Rom. 8. Spe salui facti sumus, id est, nos habemus ius ad rem, & spe possidemus vitam æternam. Item Coloss. 3. Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. 1. Iohan. 3. Nunc Filij Dei sumus, & nõdum apparuit, quod erimus. Scimus autẽ, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est. Et omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Interea tamen illa ipsa fides credens in Christum, est gustus vitæ & lætitiæ æternæ: quam oportet in hac vita incoari, vt postea cõsummetur in tota æternitate.

Esaiæ 11. In die illa radix Iesse] Iesse fuit pater Dauidis. In eo autem capite describit regnum Christi, & disertè de eo dicit: Gloriosum eius erit sepulchrum: vbi gloriam Christi vocat non inanem famam, aut pompam, quam nõ sentit mortuus, sed glorioſas actiones intelligit personæ viuentis & regnantis. Quia Christus non manſit in morte, sed tertio die resurrexit, & insultauit suis hostibus, canens hoc ὀπίκιον: Absorpta est mors in victoria &c.

2. Thess. 2.] Ipse Dominus noster Iesus

Christus dedit consolationem æternam. Dicit æternam, ad differentiam consolationis philosophicæ, quæ est meditatio mortis, seu est funebris querela, deplorans humanam miseriam, nec satis intelligens causas & remedia malorum humanorum peccati & mortis. Cato Vticensis fuit optimus philosophus. Fuit & Pompeius præclarè eruditus, sed quid profuit eis philosophia in magnis doloribus? Nihil. Quia non monstrat remissionem peccatorum, nec præsentiã & auxilium Dei in ærumnis, nec ostendit liberationem. Hæc bona sunt propria Euangelij, quæ nunquam destituunt credentes, nec in vita, nec in morte.

Genes. 28. Deus Abraham & angelus]

Talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse à prædicatis propriè intellectis. Liberare ab omnibus malis non est opus creaturæ, sed proprium beneficium solius Dei. Ergo in citato loco nomen angeli necesse est intelligi de Filio Dei.

De externa significatione honoris]

Refutatio Iudaicæ cauillationis.

Vbique terrarum]

Tertullianus in lib. de Trinit. pag. 610. Si homo tantummodo Christus, quomodo adest vbique inuocatus, cùm hæc hominis natura non sit, sed Dei, vt adesse omni loco posit? Hoc dicto refutatur naturæ humanæ in Christo Vbiquitas, quæ est inane commentum. Sed dicat aliquis: Est tamen inseparabilis vnio diuinæ & humanæ naturæ in Christo. Ergo vbicunque est diuina, etiam est humana? Respondeo. Verum est quod dicitur, est inseparabilis vnio. λόγος nunquam deserit naturam semel assumtam, sed λόγος non est in natura humana, sicut anima inclusa est in meo corpore. Vbicunque meum est corpus, ibi animam esse necesse est, nec anima simul est extra corpus. Non autem sic est λόγος in Christo homine, sed ita est in natura humana inseparabiliter, & personaliter, vt simul sit etiam extra naturam humanam in omnibus mundi partibus repletiuè, in sanctis hominibus & angelis speciali præsentia. Nam vnio personalis duarum naturarum non euertit generalem actionem præsentiæ maiestatis, nec impedit specialem, qua λόγος est efficax in hominibus renatis. Si quis autem fingit vbiquitatem humanæ naturæ, is primò facit confusionem naturarum & proprietatũ. Deinde euertit

hoc

hoc argumentum, quod probat Christi diuinitatem, & sumitur ab inuocatione. Nec potest vel ex Scriptura, vel ex vllo probato scriptore veteri probari, quòd natura humana ipsa, perinde vt λόγος sit omnipotēs, aut sit vbique. Habet quidem caro Christi suas quasdam & peculiares actiones & efficaciam, quæ maior est in Christo etiam secundum humanitatem, quàm in omnibus hominibus & angelis. Omnipotentia autem & vbiquitas sunt proprietates propriissimæ naturæ diuinæ atque infinitæ.

Ad Iohannem accedo] Basilius in enarratione primi capitis Iohannis: Hæc concio est adamantinus murus, quem hæretici nec vi manifesta, nec impia fraude euertere possunt. Quare singulas voces in hac diligentissimè obseruemus, & tanquam sigilli imaginem nostris pectoribus imprimamus. Hæc ille. Sciant autem studiosi, quatuor esse partes huius concionis præcipuas, quarum prima est descriptio personæ Filij Dei. Secunda continet testimonium Baptistæ de Mediatore, & discrimē Christi & aliorum sanctorum. Tertia pars est doctrina de beneficiis Messiæ, & de fide applicante nobis hæc ipsa beneficia. Quarta pars exponit discrimen doctrinarum Legis & Euangelij.

In principio] Principium hoc loco significat temporis inchoationem, & omnium creaturarum primam originem, quasi diceret Moses: Cùm nondum esset tempus & nullæ creaturæ, hoc modo esse cœperunt, videlicet Deo dicente, seu iubente. Cùm igitur λόγος fuerit ante initium temporis & creaturarum: sequitur, λόγον esse æternum, & procul segregandum ab omnibus creaturis, quæ habent sui ortus principium, & quidem in tempore. Habet quidem Filius principiū à Patre, sed sine tempore.

Nam Græcus articulus testatur] Articuli adduntur subiectis, non prædicatis. Semper autem vocabulum angustius habet rationem subiecti. Vocabulum autem communius tenet locum prædicati: vt, Deus est nomen magis commune quàm λόγος: Ergo natura vocabulorum postulat, vt prædicati loco ponatur Deus.

Narratio enim instituta ad descriptionem] Verba sunt intelligēda de subiecta materia, id est, de ea sententia, de qua principaliter loquuntur.

Ego dixi, dij estis] Psalmus 82 totus coneionatur de officiis magistratuum, & minatur pœnas Tyrannis. Inter cetera autem hæc etiam verba pronuntur: Ego dixi: dij estis, scilicet, non natura. Nam mox sequitur: Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. Talia autem sunt subiecta, qualia permittuntur esse à prædicatis. Constat igitur, appellationem Dei ad homines trásferri in hoc psalmo, respectu officij, quod Aristoteles 5 Ethicorum vno verbo describit, inquiens: Magistratus est custos Legis, scilicet diuinæ & legum humanarum, quæ sunt probabiles, nec pugnant cum Lege Dei. Hæc custodia Legis duo complectitur: defensionem iustorum. 2, pœnas atrociter delinquentium. Sed nomen Dei apud Iohannem significat naturam diuinam, quæ condidit & conseruat omnia, quæ est omnipotens, non moritur, sicut magistratus, qui metaphoricè dicitur Deus propter similitudinem officij.

Photinus] Photinus fuit Episcopus in Sirmio vrbe Pannoniæ, regnante Constantio Constantini Magni filio. Hic renouauit blasphemiam Samosateni, & habuit multos applausores, & defensorem ipsum Imperatorem. Constantinus pater, fuit bonus & laudatus Princeps, sed filius eius Constantius fuit degener, nec imitatus est pietatem & virtutem paternam, sed quadam leuitate ingenij amplexus est dogma Arianum & Photini.

Vt in architecto est idea] Samosateni blasphemia est cõfusio Euangelij, & Platonicæ philosophiæ. Nam Plato in Timæo, cuius particulã interpretatus est Cicero, ponit tria principia rerum, Deum, ideam, & materiã. Et vocat ideam imaginem futuri ædificij, quam cogitatione format architectus, & postea manum in ædificatione ad illud exemplũ mente conceptum & informatum dirigit. Etsi autem non dubium est, magna arte & deliberatione Deum vsum esse in fabricatione rerum, vt testatur narratio Moysi: Faciamus hominem &c: tamen hæc Platonica philosophia de idea, non est miscenda concioni apud Iohannem. Habet suam laudem philosophia manens intra suas metas. Sed confusio doctrinarum est summopere execrãda. Sunt enim quatuor genera corruptelarum doctrinæ Christianæ. Primum genus est confusio philosophiæ & Euangelij, cuius plurima exempla leguntur in scriptis Sophistarum, qui nominantur Theologi Scholastici. De hoc genere

genere rectè intelligitur dictum Pauli Coloss. 2: Nemo vos decipiat per philosophiam & inanem impostu̇ram. Secundum genus complectitur humanas traditiones, quarum moles immensa in Papatu oppressit lucem veræ doctrinæ. Tertium genus continet fictos Enthusiasmos, id est, illuminationes & reuelationes, quas iactant fanatici doctores, vt Mahometus fictis Enthusiasmis fucum fecit imperitis hominibus, quasi cum Deo & angelis colloqueretur. Scribitur enim Mahometus laborasse morbo comitiali; hanc deformitatem vt tegeret, finxit se cum Angelis & Deo colloqui. Quartum genus sunt ementita miracula seu præstigiæ dæmonum, qualibus confirmata est inuocatio mortuorum.

Gregorius] Huius Gregorij vera laudatio extat apud Basilium in li. de Spiritu sancto, cap. 29.

Verbi viuẽtis, sapientiæ subsistentis. Epitheta adduntur ad differentiam verbi euanescentis, siue sit in mente, siue sit in ore. vulgò dicitur: Aliud verbum est mentis, aliud vocis, & vt Basilius loquitur: Duplex est λόγος, alius νοημαπκὸς, verbum cogitatum, actus quidam intelligendi, alius προφορικὸς, verbum enuntiatum. In creaturis vterque λόγος est euanescens & fugax, & similis somnio & vento. At Filius Dei est λόγος subsistens ὑποστάμενος & viuus, ac permanens in secula. Sicut enim non habet principium temporis, sic non habet finem.

Testimonium veteris & purioris Ecclesiæ] Etsi fides nititur verbo Dei, non humana authoritate, tamẽ pietas Deo grata est, & nobis salutaris, audire doctrinam Ecclesiæ, & confessionẽ perpetuæ sententiæ ab Apostolis acceptæ, vt significatur dulcissimè in dicto Samsonis, Iudicum 13: Nisi mea vitula arassetis, non inuenissetis, scilicet ænigmatis solutionem. Samson est imago Christi: per vitulam intelligitur Ecclesia, quæ non gignit nouũ genus doctrinæ, sed est Grammatica sermonis diuini, & eiusdem Dialectica, monstrans ordinem, & simul est testis de perpetuo consensu doctrinæ.

Omnia per ipsum & in ipsum condita] His vocabulis caussa efficiens & finalis intelligitur. Nam per

Christum, tanquam causſam efficientem δημιουργικὴν, res ſunt conditæ, & in ipſum, ſeu propter ipſum ſunt conditæ. Efficiens & finis ſæpe coincidunt, teſte Aristotele 2 phyſicorum, materia non coincidit cum reliquis tribus cauſsis, quia proprium eius eſt pati, reliquæ tres agunt.

Eſſe & manere in Christo diuinam naturam] Hæc non eſt otioſa ταυτολογία. Nam ſunt aliqui, qui imaginantur, Christum poſt reſurrectionem & aſcenſionem amiſiſſe proprietates corporis. Sed Augustinus in epiſtola ad Dardanum reſpondet: Christus per gloriam reſurrectionis & aſcenſionis dedit ſuo corpori immortalitatem, & alia dona quibus antecellit omnibus creaturis, angelis & hominibus, ſed non abſtulit veri corporis modum.

Nunc & veterum ſcriptorũ dicta] Quinque confirmationes opponendæ ſunt Samoſateno. Prima eſt ipſa ſeries narrationis apud Iohannem. 2, Diſcrimen Filij vnigeniti & filiorum adoptionis. 3, Inuocatio Filij Dei. 4, Perpetua præſentia Filij Dei in Eccleſia. 5, Confeſsio Eccleſiæ.

Mutilata dicta] Cicero in 5 Tuſculan. Non ex ſingulis verbis, ſed ex perpetuitate & conſtantia æſtimandi ſunt philoſophi. Et Iuriſcõſulti dicunt: Inciuile eſt, lege non integrè citata iudicare & reſpondere. Has regulas meminerimus contra fallaciam diuiſionis, qua dicta authorum truncantur & mutilantur. Semper videndum eſt, quæ ſit perpetua ſententia, & quid in toto ſcripto ſenſerit author, nec ſingula verba ſunt detorquenda contra mentem authoris ad peregrinã ſententiã.

In libro aduerſus Praxeam] In hoc libro duæ traduntur aureæ regulæ, quæ formant iudicium de omnibus controuerſiis Eccleſiaſticis. Prior regula hæc eſt: Aduerſus vniuerſas hæreſes teneamus hanc regulam: id eſſe verum quodcunque primum (id eſt, ab Apoſtolis acceptum) id eſſe adulterinum, quodcunque poſterius. Ex hac regula ſequitur, nullum dogma recipiendum eſſe, ignotum primæ & puriori Eccleſiæ. Altera regula: Oportet ſecundum plura intelligi pauciora: id eſt, non tota Scriptura euertenda eſt propter pauca verba, quæ duriuſculè ſonare videntur iuxta τὸ ῥητὸν.

Irenæus]

Irenæus] Irenæus audiuit Polycarpum discipulum Iohannis Apostoli, & multò ante Nicenam Synodum vixit, tempore Imperatoris Seueri, & deinde in Sirmio, regnãte Maximiano, admodum senex, propter confessionem Euangelij supplicio affectus est. Eusebius li. 5 hist. Ecclesiast. vbi & hæc insignia dicta Irenæi leguntur: Dissonantia ieiunij non turbat fidei consonantiam, id est, similitudo ceremoniarum humanarum non est necessaria ad vnitatem Ecclesiæ. Item, Quæ à pueris discimus, cum anima coalescunt, & adhærent ei. Irenęi dictum posterius ex oratione ad Florinum, extat apud Eusebium lib. 5 Ecclesiast. histor. cap. 20: αἱ ἐκ παίδων μαθήσεις, συναύξουσι τῇ ψυχῇ, ἑνοῦνται αὐτῇ. Alterum dictum in eodem libro est, cap. 24. Quidam enim putant, vno tantùm die obseruari debere ieiunium, alij duobus, alij verò pluribus, nonnulli etiam quadraginta, ita vt horas diurnas nocturnásq; computantes diem statuant. Quæ varietas obseruantiæ, non nunc primùm, neque nostris temporibus cœpit, sed multò ante nos, ex illis, vt opinor, qui non simpliciter, quod ab initio traditum est, tenẽtes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam postmodum decidere. Et tamen nihilominus omnes isti etiam cùm in obseruantia variarent inter semet ipsos, & pacifici fuerunt semper nobiscum, & sunt, nec dissonantia ieiunij fidei consonantiam rupit.

Alexander Magnus ante expeditionem Asiatiçam vel Persicã, gessit bellum cum Sirmio rege Pannoniæ. Ab hoc nomen est vrbis Sirmij in Pannonia.

Origenes περὶ ἀρχῶν] Origenes scripsit librum de locis Theologicis, quem appellat περὶ ἀρχῶν, de principiis seu elementis doctrinæ Christianæ.

Verbum fit caro] Caro habet triplicem significationem & vsum in Scriptura. Primò significat totum hominem, id est, corpus & animam, vt Iohan. 1, Verbum caro factum est. Deinde significat solum corpus, vt 1 Cor. 15: Alia caro est hominis, alia piscium. Tertiò vsurpatur pro errantibus opinionibus & affectibus huius corruptæ naturæ, vt Galat. 5: Manifesta sunt opera carnis, id est, ἀταξία, quæ lapsum secuta est. In prima significatione pars pro toto sumitur. Altera significatio

tantùm eſt partis. In tertia ſignificatione non ſubſtantia, ſed accidens intelligitur.

Nec de voce] iuxta regulam. Nulla vox aut cogitatio euaneſcens aliam ſibi naturam adiungere poteſt.

Permiſcendi] Hoc verbo vtitur ſæpe Auguſtinus in libro de Trinit.

Origenes etſi ſimilitudinem huius] Similitudines in articulis fidei ſunt periculoſiſsimæ, quia neceſſe eſt multas addi cautelas & reſtrictiones propter ea, quæ non ſunt eadem. Articuli autem fidei, quò ſimpliciùs traduntur, eò miliùs explicantur.

Satis clarè refutauimus] Ario tria opponantur: primũ caput Iohannis, dicta de omnipotentia Filij, & dicta de inuocatione Filij.

Non tantùm nuncupatione] Sicut Magiſtratus qui habet ius nominis diuini, ſed non eſt natura Deus.

Eſſe & manere] Perpetuò hæc verba coniungit, vt oſtendat nunc etiam proprietates naturarum eſſe diſtinctas. Tertullianus in lib. de reſurrectione carnis, pag. 80: Chriſtus eſt homo, etſi Deus: Adam nouiſſimus, etſi ſermo primarius: caro & ſanguis, etſi noſtris puriora. Idem tamen & ſubſtantia & forma, qua aſcendit, talis etiam deſcenſurus, vt angeli affirmant Act. 1, agnoſcendus ſcilicet eis, qui illum conuulnerauerunt.

Dominus meus, & Deus meus] Magna eſt emphaſis, teſte Luthero, in pronominibus Scripturarum. Nemo poteſt dicere ad Chriſtum, Dominus meus, ſine fide.

Nomen Dei proprium] videlicet Iehoua, quod ſignificat fontem omnis eſſentiæ. Solus Deus propriè & verè eſt, reliquæ res omnes ſuum eſſe habent à Deo, is enim rebus omnibus eſſe communicat.

Secundum carnem] particula diſtinctiua diligenter obſeruanda.

Meta-

Metaphoricè] Sicut de magiſtratu, cui nomen Dei tribuitur propter ſimilitudinem officij, quod gerit.

Quæ ſunt propria naturæ diuinæ] Illuſtre exemplum loci à proprio. Propria naturæ diuinæ ſunt: creare, ſuſtentare & reſuſcitare mortuos. Hæc opera tribuuntur Chriſto. Ergo tribuitur ei natura diuina, quæ ſola has proprietates habet.

Pater meus vſque modò operatur, & ego] Ex hoc dicto natum eſt prouerbium Theologicum: Deus eſt merus actus, id eſt, nunquam otioſus eſt, aut quieſcit, & tamen λόγῳ quieuit in paſsione, ſed nõ ab omni actione: verùm quieuit in non depellenda morte carnis aſſumtæ. Nec eſt quidquam magis mirandum, quàm hoc ipſum Sabbathum & quies τῷ λόγῳ in paſsione, ſed hanc ſapientiam in vita æterna diſcemus. Sed hîc dicat aliquis: In Geneſi ſcriptum eſt, Quieuit Deus ab omni opere ſuo. Reſpondeo: Sabbathum creationis non pugnat cum hoc dicto Iohannis, quod de perpetua ſuſtentatione rerum loquitur. Quieuit Deus, quia poſtea nullas nouas ſpecies creauit, ſed tamen perpetuò conſeruat & ſuſtentat ſpecies rerum, quas ſemel ordinauit.

Sicut Pater reſuſcitat mortuos] Sicut duplex eſt mors, ita duplex reſurrectio ex morte. Mors corporis eſt diſceſſus animæ à corpore. Mors animæ eſt diſceſſus Dei ab anima, quia animæ vita eſt Deus, ſicut corporis vita eſt anima. Reſurrectio corporis eſt noua copulatio animæ cum corpore. Reſuſcitatio animæ ſpiritualis, eſt copulatio Dei cum anima. Eſt igitur Chriſtus vtroque modo reſuſcitator, & quia in hac vita nos reducit ad Deum, tanquam ad caput, à quo eramus auulſi, Epheſ. 1, & quia rurſus copulat cum corporibus noſtris animas.

Sine me nihil] ſcilicet Deo placens, & animæ noſtræ ſalutare. Poſſumus peccare ſine Chriſto, ſed nõ poſſumus grata Deo facere ſine Chriſto.

Aſcendentem vbi erat priùs] Cyprianus in expoſitione Sym-

boli Apostolici: Ascendit ergo ad cælos, non vbi Verbum Deus antè non fuerat, quippe qui erat semper in cælis, & manebat in Patre, sed vbi Verbum caro factum antè non sedebat.

Adesse vbique, propria sunt diuinæ naturæ] Sicut omnipotentia est naturæ diuinæ proprietas, ita etiam vbiquitas, seu πανταχοσία. Si tu tribuis naturæ humanæ vbiquitatem, necesse est eidem etiam tribui omnipotentiam. Si tribuis omnipotentiam, ipso facto fateris per humanam naturam omnia esse condita, & ita facis infinitam cōfusionem naturarum & proprietatum. Vbiquitas est talis proprietas, quam Deus nulli creaturæ tribuit, nec naturæ etiam humanæ in Christo. Habet quidem natura humana Christi multa dona, priuilegia, seu prærogatiuas, quibus antecellit omnes creaturas, sed tamē humanæ naturæ ea non sunt tribuēda, quæ nec debent, nec possunt tribui sine confusione naturarum. λόγος non ita affixus est & inclusus carni, sicut anima corpori, quia si hocita esset, Christus deseruisset gubernationem mundi, non fuisset cum Patre, nec cum beatis angelis, nec habitasset in sanctis. Ita autē λόγος est vnitus cum carne, non vt tantùm sit in carne, sed vt nunquam discedat à carne, quam vnitam sibi habet personaliter. Interea autem secundum essentiam diuinitatis suæ non discedit à Patre, angelis & sanctis hominibus.

Hoc est nomen] Dictum Ieremiæ complectitur vtramque naturam Messiæ, & de officio seu beneficio dulcissimè concionatur: Suscitabo germen Dauidi, & regnabit rex. Hæc verba in Chaldaica versione ita reddita sunt: Excitabo Dauidi Messiam iustum. Sed de refutatione Iudæorum legant Studiosi Galatinum, lib. 3, cap. 7. Dictum Ieremiæ duas naturas describit. De humana dicit: Suscitabo Dauidi germen. Ita loquitur etiam Paulus Rom. 1, nominans Christum Filium Dauidis secundum carnem. De diuina natura inquit Ieremias: Vocabitur nomē eius Iehoua. De officio dicit: Erit iustitia nostra. Id Paulus 2 Corinth. 1, sic exprimit: Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos fieremus iustitia Dei per illum. Et 1 Cor. 1: Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio & redemtio. Esaiæ 7: Christus dicitur Emanuel, non tantùm ideo, quòd assumsit naturam humanam, factus caro de carne nostra, & os de ossibus

oſsibus noſtris, ſed etiam quia habitat in ſanctis per fidem, Epheſ. 3.

Eſaiæ nono] Galatinus lib. 3 cap. 17 citat Chaldaicam verſionem, quæ refutat præſtigias Iudaicas, permanens in ſecula ſeculorum Meſsias. Vocatur autẽ Meſsias admirabilis, reſpectu perſonæ, doctrinæ & gubernationis. Quid eſt enim magis mirandum, quàm copulatio duarum naturarũ in Chriſto? Quid tam porrò mirandum eſt, quàm doctrina Euãgelij diſſentiẽs à ratione, & modus, quo Chriſtus Eccleſiam colligit, gubernat, protegit & ſeruat. De his rebus aliâs ſæpe dicitur. Deinde nominatur conſiliarius, quia profert ex ſinu æterni Patris cõſilium, ſeu decretũ de redemtione, & pios regit in vocatione & in ærumnis. Tertiò appellatur Deus fortis, quia in noſtra infirmitate efficax eſt, & per nos triumphum agit de Diabolo. Quartò dicitur princeps pacis, id eſt, tranquillitatis ortæ à fide, ſpe & bona conſcientia, Rom. 5. Poſtremò tribuitur Meſsiæ appellatio æterni Patris, quia omnibus temporibus colligit Eccleſiam, cui donat iuſtitiam & vitam æternam. Quòd autem El Gibbor ſit deſcriptio veri Dei, teſtatur Eſaias cap. 10: Reliquiæ reuertentur, reliquiæ Iacob ad Deum fortem.

Galatinus fuit patronus Reuchlini contra Monachos, doctiſſimus vir in Hebraica & Chaldaica lingua. Scripſit autem aliquot libros ad defenſionem veritatis fidei contra Sophiſticam recẽtium Iudæorum, qui omnia teſtimonia Prophetica de Chriſto eludere conantur.

Ante dies mundi] Cõferatur cum hoc dicto ſententia Prophetæ Habacuc, cap. 1, Nunquid tu Domine, à principio? Hîc certum eſt, orationem referri ad verum Deum, cui tribuitur æternitas, ſignificata vocabulo principij. Sed hæc ſtudioſi linguæ Hebraicæ, priuata diligentia attentiùs conſiderent.

Bibebant ex ſpirituali] Auguſtinus tractat. 45 in Iohannem: Videte igitur fide manente ſigna variata, ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus, quod in altari Dei ponitur, & illi pro magno Sacramento eiuſdem Chriſti biberunt aquam profluentem de petra. Nos quid bibamus, norũt

Nullum dictum Pauli toties citatur, aut explicatur, quàm hoc ipſum 1 Corinth. 10, ab Auguſtino.

fideles, si speciem visibilem intendas, aliud est, si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt. Eadem fides Ecclesiæ est omnibus temporibus, & beneficia Christi ad omnes homines in Ecclesia pertinent, sed signa mutantur propter certas causas. vide epistolam 5 Augustini de causis, cur mutata sint Sacramenta.

Rex decorem] Vera Ecclesia est ornata remissione peccatorũ, Spiritu sancto, imputatione iustitiæ, & deinde æterna iustitia & vita, Huic vni sponso addicta, & non polluta vllis idolis, ardens dilectione huius sponsi.

Psalm. 72] Hic totus psalmus de regno Christi cõcionatur, quod discernit ab omnibus aliis regnis. Primùm obiectis. Nam potestas politica regit locomotiuam, & coercet externa membra, vt sint in officio. Christi regnum non tantùm coercet externos mores, sed arguit etiam ac sanat corda. Deinde beneficiis. Potestatis politicæ beneficia sunt disciplina & corporum pax. Regni Christi beneficia spiritualia & æterna sunt, videlicet iustitia & pax conscientiarum coram Deo. III. Forma gubernationis. Nam alij reges & Principes eligunt ministros idoneos ad gerendam Rempub. instructos sapientia & eloquentia. Christus verò eligit stulta huius mundi, vt pudefaciat sapientiam sapientum. Forma etiam executionis in defensione & pœnis differunt. Nam politica potestas armis defendit subditos, & contumaces vi corporali punit, seu gladio. Sed Christus per vocem Euangelij dat æterna bona, & punit contumaces non vi corporali, sed verbo, videlicet legitima excommunicatione. IV. Gloria. Nam gloria imperiorum est præstantia consilij in togata gubernatione, & in armis fortitudo ac felicitas. Propria verò Ecclesiæ gloria in hac vita, est vera Dei agnitio, inuocatio, professio veræ doctrinæ, conseruatio perpetua Ecclesiæ, etiamsi in aliqua membra sæuitur, magnitudo animorum in vincendis omnibus illecebris & terriculamentis impiis, virtutum multarum decus, in quibus præsentia Dei cernitur. V. Præsidiis. Præsidia regni politici sunt exercitus & opes necessariæ ad sumtus domesticæ gubernationis, & ad bella gerenda. Ecclesia verò non est munita præsidiis visibilibus, sed tegitur à Filio Dei, & habet custodes angelos. VI. Stabilitate & duratione. Nam omnes politiæ habent fatales periodos, quibus circumactis ruunt. At huius regni nõ erit finis, quia rex est æternus. VII. Limitibus. Nã omnibus regnis

regnis sunt fatales limites, vltra quos non possunt progredi, vt Romani imperij limes fuit Euphrates, vltra quem progressi Iulianus & Crassus infeliciter pugnauerunt. Regnum Christi complectitur totum terrarum orbem.

Non politia peritura] Beneficia Messiæ pertinent ad vniuersam Ecclesiã. Iam si Messias tantùm daturus esset imperia mundi, vt somniant Iudæi, nihil prodesset Abrahæ aut Dauidi: vt Camillo aut Scipioni nihil prodest Augustus.

Quòd si obiicitur] Caput quintum, in quo est solutio præcipuarum obiectionũ Arij, & aliorum blasphemorum aduersus Filium Dei.

Quædam propria vni naturæ] Vt exempli caussa: Multa sunt propria corporis, quæ non impediunt præsentiam animæ, corpus dormit, habet suas excretiones conuenientes culinæ. Hæ quanquam sordidæ actiones, non obstant quò minùs adsit animus: ita imbecillitas humanæ naturæ non impedit præsentiam θ λόγυ.

Petrus dicit Christum passum esse carne] Hæc est particula distinctiua.

Irenæus eruditè] lib. 3, cap. 21.

Admirandam humilitatem Filij quiescentis] Variæ species Sabbathi monstrãtur in sacris literis. Primum est sabbathum creationis. Ita in Genesi, Quieuit Deus, condito homine, id est, nullas nouas species post hominem conditum creauit, vt ipso facto ostẽderet, hominem esse præstantissimam creaturam, in qua Deus velit acquiescere. Secundum est pædagogicum seu ceremoniale, de quo dicitur in tertio præcepto. Huius Sabbathi ceremonialis significatio præcipua est quies animæ à peccatis, & intentio in opera pertinentia ad laudem & celebrationem Dei. Tertium est hæc miranda quies, quam egit Filius Dei in passione & morte. Vt autẽ à Sabbatho Christus inchoauit futuram gloriam: ita necesse est Ecclesiam prius pati, atque ita inchoare Sabbathum æternum, quod est quartũ & perpetuum, in quo tantùm faciemus opera sancta. In eo nullus erit vsus culinæ, coniugij, ministerij, politiarum, sed videbimus Deum facie ad faciem.

Magnitudinem iræ] Magnitudinem iræ Dei multa quidem signa ostendunt, vt moles pœnarũ publicarum & priuatarum, sed nullum est euidẽtius testimonium iræ Dei, quàm dignitas victimæ placantis iram Dei. Non enim potuit hæc ira placari vllius creaturæ obedientia, sed placata est intercessione & obedientia Filij.

Humanam naturam non solam esse redemtricem] Quia meritum, quo sumus redemti, non est tantùm humanæ naturæ, sed etiam diuinæ voluntatis in Christo, quia vtraq; voluntas diuina & humana in Christo voluit hanc obedientiam. Monotheletæ tribuunt Christo tantùm vnam voluntatem, sed falsò. Nam & λόγος, & caro propriam habet voluntatem. Christus non tantùm redemit nos effusione sanguinis, sed redemit nos principaliter sua voluntaria obedientia, quę tamen non facta est sine effusione sanguinis. Epistola ad Hebr. 10 citat dictum psalmi 40: Ecce venio, vt faciam, Deus, volũtatem tuam. Addit autem Paulus: In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Item Hebr. 5 dicit, Christum esse exauditum propter suam reuerẽtiam, id est, propter spontaneam obedientiam & subiectionem, quam præstitit æterno Patri. Non igitur meretur principaliter nobis remissionem peccatorum laceratio, quæ facta est in corpore Christi, sed obediẽtia. Quemadmodum vstulatio in Laurentio non est principaliter cultus Dei, sed obedientia Laurentij est λογικὴ λατρεία. Rom. 12: Si absque obedientia fuisset laceratus Christus, passio eius nobis non profuisset. Hoc autem non ideo dicimus, vt guttas sanguinis in cruce effusi, aut reliquos Christi dolores excludamus à passione & merito redemtionis, sed distinguimus ordinem causarum. Principalis enim causa nostræ redemtionis est obedientia Christi, & vtraque voluntas, quæ voluit & approbauit illam obedientiam. Hæc verò obedientia fulget in illa laceratione corporis & effusione sanguinis, sicut Paulus inquit: Factus est obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Magister sententiarum in ea fuit opinione, Christum esse Mediatorem tantùm secundum naturam humanam. Idq; probat hoc dicto Pauli, Vnus est Mediator Dei & hominum homo Iesus Christus. Sed hoc firmissimè retinendum est: Christum esse Mediatorem & redemtorem secundum vtramque naturam, quia officium est personæ, non vnius tantùm naturæ.

Philipp.

Philipp. 2: Qui cùm eſſet in forma Dei] Forma hoc loco ſignificat eſſentiam & proprietates eſſentiæ. Habitus, in Græco eſt χῆμα, quod modò eſt in quarta ſpecie qualitatis, & ſignificat certum poſitum linearum & figurarum. 2, Modò apud Rhetores ſignificat geſtum orationis, vt exclamatio. 3, Modò affectum. 4, Modò ſignificat laruam ſeu habitum. Apud Paulum ſignificat idē quod affectus.

Illud ſciatur] Doctrina de communicatione Idiomatum.

Prædicatio] Diſertè dicit prædicatio, ne quis intelligat phyſicam confuſionem naturarum.

Retineamus] Quia mutatio formarum loquendi, aut errores, aut diſsidia parit. Salomon: Non transferas terminos, quos poſuerunt patres tui, id eſt, non temerè diſcedas à piæ vetuſtatis conſenſu & authoritate.

Pater maior me eſt] Relatione mittentis, non eſſentia. Idem alibi de eſſentia inquit: Ego & Pater vnum ſumus, Iohan. 10. Hoc dictum Auguſtinus tractatu 36 in Iohannem ſic enarrat: Quòd dixit VNVM, liberat te ab Ario: quòd dixit SVMVS, liberat te à Sabellio. Sit etiam in conſpectu dictum Cyrilli: Miſsio & obedientia Filij non tollunt æqualitatem potentiæ.

Tanquam mittentem fontem] Diabolus non poteſt delere Eccleſiam, quia Pater eſt fons doctrinæ Euangelicæ, approbator & defenſor. Nec tantùm doctrinæ, ſed etiam Eccleſiæ amplectentis hanc doctrinam. Seruat enim Deus Eccleſiam propter doctrinam, vnde pſalm. 2 dicitur: Ego, ſcilicet Pater æternus, conſtitui regem meum, ſuper Sion montem meum. Et Filius inquit: Prædicabo de decreto, quod Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ex his verbis ſequitur hæc concluſio, quòd nec doctrina, nec Eccleſia doctrinæ cuſtos poſsit vnquam funditus deleri: quia quod Deus conſtituit, nulla creatura poteſt euertere. Sic apud Eſaiam 46 inquit: Conſiliū meum ſtabit, & omnis volūtas mea fiet.

De regnante Chriſto] de primo & tertio ſtatu Chriſti.

Quæ Pater facit] Iohan. 5: Quia opera Dei externa ſunt communia.

Pater glorifica me] Caput 17 Iohannis eſt perpetua precatio Mediatoris omni tempore, nec vlla legitur ardentior precatio quàm hæc, recitata à Chriſto ante poſtremum agonem. Sunt autẽ loci precationis Chriſti quatuor præcipui. Primus eſt, cùm petit ab æterno Patre conſeruationem verædoctrinæ, & propagationem vſque ad finem mundi. Pater, inquit, ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas. Deinde cùm precatur à Patre, vt maneat cõcordia inter doctores & diſcipulos Euangelij, quia præcipua Eccleſiæ ornamenta ſunt puritas doctrinæ & concordia. Perfice, inquit, vt ſint in nobis vnum. Tertius locus eſt petitio, vt detur Eccleſiæ vita æterna, & vt ſic diligatur Eccleſia, ſicut Filius vnigenitus ab æterno Patre diligitur. Sit, inquit, tua dilectio in eis, qua me diligis. Poſtremus locus eſt applicatio ſacrificij Chriſti ad ſingulos credentes. Ego, inquit, ſanctifico me pro eis, vt & ipſi ſint ſanctificati in veritate. Item: Oro non pro eis tantùm, ſed & pro omnibus credituris per verbum eorum in me. Hanc precationem Filij Dei exauditam eſſe non dubium eſt, iuxta dictum æterni Patris: Hic eſt Filius meus dilectus. Et Hebr. 5: Exauditus eſt propter reuerentiam.

Sæpe locum habet & hæc reſponſio] Triplex eſt ſtatus Filij Dei. Primus ab omni æternitate vſque ad incarnationem. 2, ab incarnatione vſque ad reſurrectionem ex morte. 3, à reſurrectione vſque ad finem mundi, & deinceps ad omnem æternitatem. Hoc triplici ſtatu conſiderato, non difficilè eſt intelligere & iudicare, quò ſingula dicta referenda ſint, & quòd non pugnent inter ſe ſentẽtiæ diuerſo reſpectu pronuntiatæ.

De humiliato ac patiente] De ſecundo Chriſti ſtatu.

De regnante] De primo & tertio ſtatu.

Deus meus, quare me dereliquiſti] Triſtiſsima querela, ſuperans omnium creaturarum ſapientiam.

Humanam naturam] Auguſtinus lib. 14, cap. 2 de ciuitate Dei, triplicem vſum vocabuli

buli carnis in Scripturis, multis exemplis confirmat.

Integram] Diserte dicit integram, ad refutandos Dimeritas & μονοθελητὰς, quos refutat Epiphanius, in titulo contra Dimeritas. Dimeritæ dicebant, Christum tantùm assumsisse corpus, & illas partes animæ, quæ nobis sunt communes cum bestiis. Loco rationis & voluntatis constituebant λόγον. Vocantur Dimeritæ, quia duas tantùm partes Christo tribuunt, corpus & animam inferiorem, hominibus cum bestiis communem. Monotheletæ sunt, qui tantùm vnam voluntatem tribuunt Christo, siue humanam, siue diuinam.

Sine peccato & mortalem] Mortalem, scilicet vsque ad resurrectionem. Nam Paulus Rom. 6 inquit: Scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.

Esurit, sitit] Iohan. 4, vbi à muliere Samaritana petit aquam.

Lætatur] Matth. 11.

Irascitur] Marc. 3: καὶ περιβλεψάμενος μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν. Et cùm circumspexisset eos in iracundia, condolescens super cæcitate cordis eorum. Ira autem in Christo est heroica, quæ non prohibetur in dicto: Qui irascitur fratri suo. Nam addita est in Græco particula εἰκῇ, frustrà, vbi non excluditur ira vocationis & caritatis.

Dolet] Marci 3 & 8, vbi inquit: Misereor super turbam.

Lachrymat] Lucæ 19, vbi deplorat excidiũ vrbis & templi. Et Iohan. 11, cùm vellet resuscitare Lazarum.

Deus meus, quare me] Querela Christi non est vox desperantis, vt in illo versu Vergiliano dicitur: Vna salus victis nullam sperare salutem: Sed luctantis cum extrema desperatione. Aliud est luctari, aliud opprimi desperatione.

Ingenti mœstitia] Signa ingentis mœstitiæ in

Christo sunt: primum, pŏdera verborum apud Marcum, cap. 14: Cœpit quasi cum stupore consternari, & vehementer angi animo. Secundum, asseueratio Christi, Tristis est anima mea vsque ad mortẽ. Tertium, precatio ter repetita: Si fieri potest, transeat à me calix iste. Quartum, missio angeli ad eum confirmandum. Quintum, sudor cruẽtus, cuius nullum simile exemplũ legitur in omnibus historiis.

θρόμβοι] Galenus: θρόμβος ἐστὶ αἷμα πεπηγὸς, id est, sanguis coagulatus, seu concretus.

Christum fuisse lapidem] Augustinus tractatu 60 in Iohannem: Pereant argumẽta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum, habeant eas iustis de causis animi Christiani, nec philosophorum, Stoicorũ, vel quorumcunq; similium consentiatur errori.

Iram Dei] Vt Esaias inquit cap. 53: Vidimus eum percussum à Deo irato propter nostra peccata. Aliud est ferro lacerari, aut à bestiis, aliud percuti à Deo irato, qui est ignis consumens.

Magnum quiddam] Psalm. 90: Domine, quis nouit potentiam iræ tuæ, & quis metuit iram tuam?

Quod verò disputant de fugâ] Explicatio quæstionis de fuga mortis in Christo.

Qui pœnâ pro nobis subiit] Quando mactatur ouis, tantùm referuntur oculi ad laceration em corporis & effusionem sanguinis, quia ouis non intelligit, quo consilio interficiatur. In Christo autem, qui est victima pro genere humano, principaliter consideranda est obedientia, quam præstitit Patri, sicut Paulus inquit: Factus est obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis: postea etiam consideremus crudelissima vulnera Christi in morte & passione. Sed de hac re suprà dictum est.

Studiosis

Studiosis in Academia Lipsica

S. D.

BASILIVS *in opere de Spiritu sancto, cap. 16. his verbis discernit officia trium personarum diuinitatis: Pater, inquit, ἐστὶν ἡ πηγὴ καὶ αἴτιον τῶν ἀγαθῶν, id est, fons & causa bonorũ aternorũ ac salutarium: Filius ὁ ἀποστελλας, id est, persona diuinitatis, quæ mittit Spiritum in corda credentium, ac distributionem bonorum aternorum: Spiritus sanctus ὁ διαιρούμενον, id est, tertia persona diuinitatis, quæ credentibus distribuit bona æterna, siue vt Paulus inquit, τὰς διαιρέσεις τῶν χαρισμάτων. Et in eodem capite, differens de creatione, Patrem nominat rerum creatarum omnium causam δημιουργικὴν, Filiũ δημιουργικὴν: Spiritum sanctum τελειωτικὴν. Nam voluntate Patris, vt ipse declarat, omnia extiterunt, & Filij efficacia ex nihilo facta, & præsentia Spiritus sancti perfecta sunt. Cùm igitur hactenus in repetitione locorum Theologicorum dictum sit de aterno Patre, & Filio eius Domino nostro Iesu Christo: ordo doctrinæ postulat, vt deinceps dicatur de Spiritu sancto, quis sit, & cur Ecclesia donetur. Nam & olim fuerũt, & nunc sunt aliqui, negantes Spiritum sanctum esse personam à Patre & Filio distinctam. Multi etiam non discernunt virtutes in renatis, & heroica dona non renatorum, atque ita confusionem faciunt Ecclesiæ & Ethnicorum. Hos errores refutari necesse est, & rectè erudiri iuuentutem, vt discat Spiritum sanctum esse personam, per quam Deus viuificat, renouat, sanctificat & instaurat corda nostra, accensa noua luce & nouis motibus congruentibus Legi Dei, atque ita fieri illa templa Dei, in quibus habitat tota diuinitas. Hæc est κοινωνία, qua se Deus pijs communicat, & quam Paulus Corinthijs precatur in posteriore epistola, capite vltimo:*

Gratia Domini nostri Iesu Christi, & dilectio Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum vobis omnibus. Eodem modo nos quoque precemur, vt Deus semper Ecclesiam aternam inter nos colligat, & eam luce sua doctrina & Spiritu sancto gubernet. Ordiar autem Deo iuuante, dulcissimum locum de Spiritu sancto, die proximo Mercurij, qui est 18 Augusti, & die 16. explicationem Methodicam virtutis continuabo, ad quam cognoscendam sua quemque virtus incitabit. Bene ac feliciter valete. die 15 Augusti. Anno 63.

Victorinus Strigelius.

LOCVS

LOCVS DE SPIRITV SANCTO.

IN Loco de Spiritu ſancto nouem capita ſunt obſeruanda. In primo dicitur de vocabulo Spiritus. Non enim vno modo, ſed diuerſis vſurpatur. In ſecundo recitatur definitio perſonæ Spiritus ſancti, & ſimul docetur, quo ordine tres perſonæ diuinitatis in nobis ſint efficaces. Tertium caput eſt confirmatio huius hypotheſis, quòd Spiritus ſanctus ſit perſona. Nam de hac quæſtione & olim motæ ſunt controuerſiæ, & hodie adhuc à reliquiis Serueti, Campani & ſimilium agitantur. Quartum continet explicationem huius quæſtionis, An Spiritus ſanctus fuerit etiam ante incarnationem Verbi. Huius quæſtionis occaſio ſumitur ex capite 7. Iohannis: Nondum erat Spiritus ſanctus, quia Chriſtus nondum erat glorificatus. Quintum eſt explicatio quæſtionis de proceſsione Spiritus ſancti: an Spiritus ſanctus non tantùm à Patre, ſed etiam à Filio procedat. Fuerunt de hac quæſtione acerrima certamina inter Eccleſias Græcas & Latinas. Sextum caput eſt vberrimum & plenum conſolationis, de beneficiis ſeu effectibus Spiritus ſancti, quid publicè, quid priuatim præſtet Eccleſiæ & ſingulis membris, quæ non ſunt mortua, ſed viua. Septimum eſt reſponſio de hac quæſtione: Quomodo detur, & quibus detur Spiritus ſanctus. Non enim ſatis eſt agnoſcere perſonam & beneficia Spiritus ſancti, niſi teneas doctrinam de applicatione.

Octauum eſt, quomodo rurſus excutiatur Spiritus ſanctus. Nonum oſtendit, quomodo ſit transferenda ad vſum tota doctrina de Trinitate.

De vocabulo Spiritus.

CAPVT I.

1. NOMEN Spiritus in genere ſignificat agitationem, aut naturam ſeu vim agitandi. Cùm igitur venti agitent aërem, ſæpe hæc vox ſignificat ventos, vt Iohan. 3. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò
2. vadat. Sic cùm vita ſit quædam agitatio, eadem vox vſurpatur pro vita, vt pſal. 104. Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.

Eccleſia non gignit nouã doctrinam, ſed tantùm eſt Grammatica, Dialectica & teſtis. Grãmatica, quia enarrat vocabula & phraſes, iuxta cuiuſcũq; linguæ Hebraicæ & Græcæ conſuetudinem & proprietatẽ. Ad hanc diligentiã Grammaticam neceſſaria eſt illarũ linguarum cognitio, quæ ſunt quaſi faſciolæ, quibus inuolutus eſt Chriſtus. Huc pertinet dictum Iohannis 5. Scrutamini Scripturas. Dialectica eſt, quia mõſtrat ſeriem partium in concionibus Prophetícis & Apoſtolicis, vt in epiſtola ad Romanos oſtendit, vbi ſit propoſitio principalis, vbi confirmatio propoſitionis, vbi Paulus digrediatur à propoſito, vbi ad propoſitum redeat. Poſtremo eſt teſtis de vera ſententia accepta à Prophetis & Apoſtolis. Ad hoc tertium officium Eccleſiæ referantur piæ Synodi, Nicena, Conſtantinopolitana, Epheſina & Chalcedonenſis.

3. Interdum ſignificat motus ſeu impetus hominũ creatos, tum bonos tum malos, vt pſalm. 76. Qui aufert Spiritum Principibus. Regit enim Deus animorum impetus, vt Annibali non dat impetum, poſt pugnam Cannenſem, mox ducendi exercitũ Romam. Ideo Annibal dixiſſe fertur, cùm anno octauo ſecundi belli Punici tria millia paſſuum ab vrbe caſtra locaſſet, & acies inſtructas tempeſtas dire-

Hannibal poſt cladem Cannenſem, in qua multa millia Romanorum ciuium deleta ſunt, non duxit exercitum Romam, ideo alius quidam Princeps Carthaginenſis dixit: Hannibal, tu ſcis vincere, ſed victoria vti neſcis, quia ſi duxiſſet victorẽ exer-

miſſet

missset, potiundæ sibi vrbis Romæ, modò mentem non dari, modò fortunam.

citum ad mœnia, haud dubiè tota Italia fuisset potitus. Sed Deus aliter rexit ipsius voluntatem & cor, quia Carthago non debuit potiri monarchia, sed Roma, iuxta vaticinium Danielis. Anno octauo belli secundi Punici duxit exercitum in agrum Romanorum, & locauit castra tria millia passuum ab vrbe, & cùm acies instructæ vtrinque & Romanorum & Carthaginensium starent, & inter se essent conflicturæ, tempestas prælium diremit. Post reditum vtriusq; exercitus in castra, magna fuit serenitas cæli. Altero die cùm rursus vellent congredi, eadem tempestas diremit prelium. Igitur animaduertens diuinitus se impediri, dixit, potiundæ sibi vrbis Romæ modò mentem non dari, modò fortunam. Liuius lib. 6. decad. 3. Hæc pertinẽt ad locum communem, quòd imperia sint fatalia, seu quòd potestates fato dentur, vel vt Paulus inquit Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo. Quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Carthago longè potentior fuit tempore belli Punici secundi, quàm Roma, sed Deus prædixit, Romam fore dominam orbis terrarum. Similis historia extat in Iosepho lib. 11. ἀρχαιολογίας, quæ repetitur in Chronicis Philippi. Alexander Magnus, capta Tyro, mox duxit exercitũ victorem hostili animo in Iudæam, quia Iudæi noluerant mittere auxiliares copias rogati ab Alexandro, & habebant suæ recusationis honestissimam causam. Nam Persis erant tributarij, & non tantùm iuramento, sed etiam beneficiis deuincti. Summus autem Pontifex Iaddus veste sacerdotali cum cœtu Sacerdotum processit obuiam Alexandro. Quo conspecto, Alexander desiliens ab equo, prior pacem petiuit. Interrogatus cur tantum honorem haberet Sacerdoti, respondit: Ego ante hanc expeditionem Asiaticam per quietem vidi imaginẽ proximè accedẽtem ad huius sacerdotis similitudinem. Quare cùm illa imago mihi promiserit victoriam & successum, iustum est, vt parcam huic vrbi, in quam postea ingressus, nihil fecit hostiliter. Remisit etiam tributa ab Ocho Tyranno impositа, ac regiis muneribus templum ornauit. Huic Alexandro etiam Spiritum abstulit Deus, & vt Virgilius inquit:

--ponunq; ferocia Pœni
Corda volente Deo.

In dicto Christi Iohan. 4. significat essentiam spiritualem: Deus

est Spiritus, id est, non moles corporea, sed essentia viua, intelligens, incorporea, efficax. Hæc varietas significationum obseruanda est in scriptis Propheticis & Apostolicis, ac prudenter iudicandum, vbi vocabulum Spiritus vsurpetur pro essentia diuina, quæ est communis Patri & aliis personis, & vbi propriè significet personam Spiritus sancti, distinctam à Patre & Filio.

Quid sit Spiritus sanctus.

CAPVT II.

SPiritus sanctus est tertia persona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, & est substantialis amor & lætitia coæterna inter Patrem & Filium, & nobis sic manifestata est, quòd mittatur in corda credentium, vt tales motus, amorem & lætitiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse.

Hæc definitio describit personam & officium Spiritus sancti.

Discernantur autem personæ diuinitatis, & actiones earum in nobis, sobriè & piè considerentur. Nam per verbum vocale, verè Filius Dei dicit consolationem in corde, & ita ostendit Patrem, & simul tunc perfunditur cor Spiritu sancto, qui est causa lætitiæ in Deo. Hęc in experientia intelligi possunt. Et ad hanc sententiã multa dicta Scripturæ & piæ vetustatis congruunt.

Iohan. 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Sicut virtus sumit initium à natura, & perficitur doctrina, teste Fabio, ita pietas sumit initiũ à lectione vel auditione verbi, & perficitur experientia spirituali in pauoribus & cõsolationibus, vt 1. Corinth. 12. dicitur: ᾧ μὲν διὰ τοῦ πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας. Quid significat σοφία? Sapiẽtia phrasi Scripturæ significat cognitionem totius doctrinæ à Deo traditæ, & experientiam spiritualem, quę illustrat doctrinam, vt Paulus aliter intelligit propositionem: Fide iustificati pacem habemus: quàm Orige-

Origenes aut Pelagius, quia Paulus nõ tantùm habet ſpeculationem & θεωρίαν, ſed etiam ſenſum. Nam ſenſit pauores in contritione, ſicut ipſe inquit: Reſponſum mortis in nobis habuimus, & præterea expertus eſt efficaciam Euangelij in conſolationibus.

Matth. 11. Nemo nouit Patrem, niſi Filius, & cui Filius voluerit reuelare.

2. Corinth. 3. Nos reuelata facie, gloriam Domini intuentes, in eandem imaginem trãsformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.

Paulus 2. epiſtola ad Corinth. cap. 3. inſtituit ſplendidam concionem de diſcrimine Legis & Euangelij, vel noui & veteris Teſtamenti. Sumit autem diſcrimina ab effectibus. Lex eſt miniſterium mortis, vel vt alibi dicit: Lex iram operatur. Euangelium eſt miniſterium Spiritus & vitæ. In hanc cõmemorationem ingreſſus, enarrat allegoriam de facie Moyſi, quæ extat 2. lib. Moyſi cap. 34. Moyſes deſcendens de monte ex colloquio Dei, tantum habuit fulgorem, tantum lucis in facie, vt nemo auditorum potuerit illum fulgorem ferre. Vt igitur poſſet colloqui cum populo, mandato Dei velauit faciem. Quid ſignificat hæc allegoria? Reſpõdet Paulus, Velum Moyſi non auferetur, niſi homines ad Chriſtum conuertantur: id eſt, Lex non rectè intelligitur, niſi in vera cõuerſione & pauoribus, ad quos accedit fides. Facies velata Moyſi, ſignificat admirationem propriæ ſapientiæ & iuſtitiæ, vel opiniones Phariſaicas de Lege & diſciplina externa, quia Phariſæi ſomniant ſe Legi ſatisfacere per opera externa, & ignorant accuſari à Lege internam cordis immunditiem. Reuelata autem facies Moyſi eſt verus intellectus Legis, non ſpeculatiuus, ſed practicus, qui ſentitur in contritione & pauoribus, in quibus ne relinquamur, Filius Dei λόγος dicit animæ noſtræ: Salus tua ego ſum. Item: Confide fili, peccata tua tibi remittuntur. In hac lucta, retecta facie intuemur in lucem Dei à Filio monſtratam, & transformamur ad imaginem Filij Dei, quoad notitias & affectus, & creſcit hæc lux in nobis, ſicut dies ab aurora ad meridiem.

Id eſt, cùm fide cernimus fulgorem Domini, videlicet ipſum Chriſtum oſtendentem nobis miſericordiam æterni Patris, qua agnita, accedimus ad Deum, non fugimus vt Saul. Sed verè agnoſcimus, Deum eſſe bonum & præſentem, nos recipi & ſaluari ab

eo propter Filium. In hac Filij luce nos quoque transformamur, id est, accipimus radios per Filium in nos sparsos, dato Spiritu sancto, videlicet notitiam Dei & nouos motus, quos accendit & cõfirmat Spiritus sanctus, audita voce Euangelij.

Physicum axioma est de actione & passione: Omne agens in agendo assimilat sibi patiens, vel substantia, vel qualitate, vt ignis vrens stipulas, vertit stipulas in ignem, atque ita assimilat sibi stipulas substantia. Idem ignis calefaciens fornacem, assimilat sibi fornacem qualitate, id est, calore: ita Filius Dei λόγος in vera conuersione agit nobiscum, & in nobis, & finis huius actionis est, vt in nobis restituatur imago Dei, vt fiamus conformes Filio Dei, non substantia, sed qualitate: id est, notitiis in mente, & affectibus in voluntate.

2. Timoth. 1. Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis & modestiæ.

Spiritus sanctus vocatur Spiritus roboris, quia confirmat nos contra dubitationes, quæ fidem oppugnant & languefaciunt. Item corroborat nos contra metum in periculis, vt in Laurentio & Stephano est Spiritus roboris, quo adiutore, vincit vterq; impia terriculamenta tyrannorum, & fortiter perfert supplicium. Deinde Spiritus sanctus nominatur Spiritus dilectionis, id est, flamma veri & ardentis amoris inter æternum Patrem & Filium, inter Deum & Ecclesiam, & inter nos ipsos. Pindarus scribens de Argonautis, dicit ipsorum voluntates à Iunone Adamantino clauo amicitiæ copulatas esse. Nos in Ecclesia verè dicere possumus, Spiritum sanctum esse illum adamantinum clauum copulationis inter Deum & Ecclesiam, & inter ipsa Ecclesiæ membra. Tertiò, est Spiritus modestiæ, non superbiæ Diabolicæ. Nam sicut Diabolus est superbissimus spiritus, ita Spiritus sanctus habitans in nobis, nostra pectora flectit ad humilitatem & modestiam, quę est agnitio propriæ infirmitatis, & obedientia in vocatione ac ærumnis.

Rom. 14. Regnum Dei non est cibus & potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto.

Iustitia hoc loco significat imputationẽ iustitiæ propter Christum Mediatorem, & incoationem conformitatis cum Lege Dei, vnde Rom. 8. dicitur. Ideo misit

misit Deus Filium suum, vt in nobis restituat ius Legis, id est, vt non tantùm simus iusti imputatione, seu acceptа remissione peccatorũ, sed etiam vt restituatur in nobis imago Dei, quæ restitutio nunc incoatur, in vita æterna perficietur. Pax est tranquillitas cordis, quæ comitatur fidem, spem & bonam conscientiam. Simeon Luc. 2. de hac pace dicit: Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, Quia viderunt oculi mei salutare tuum &c. Gaudium est effectus iustitiæ & pacis, & est consolatio opponenda peccato, morti, Legi accusanti ac damnanti, tyrannidi Satanæ, & omnibus miseriis. Tale gaudium sensit Laurentius in craticula, Stephanus inter saxa volitantia, sicut dicitur in versu:

Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat.

Sic Basilius in quadam epistola inquit: Mens nostra illustrata à Spiritu sancto, ad Filium respicit, & in eo, velut in imagine Patrem cernit.

Nazianzenus in cõcione de Spiritu sancto: Ex lumine Patre lumen accipimus Filium in lumine Spiritu sancto. Lux huius vitæ est quasi vmbra & simulacrum vitæ æternæ. Vita æterna erit plena lucis, & expers tenebrarum, quia Deus est lux. Et quò quæque res plus habet lucis, eò propius accedit ad similitudinem Dei. Tenebræ sunt familiares Diabolis.

Athanasius. Quandocunque in homine dicitur esse Spiritus sanctus, est ibi per λόγον. id est, per Filium Dei, & per verbum vocale.

Augustinus in 4. de Trinit. cap. 20. Quotidie mittitur Filius in corda sanctorum, aliter autem mittitur, vt sit homo, aliter vt sit cum homine. Etsi igitur fit viuificatio per omnes personas: tamen fit eo ordine, de quo dixi: Filius voce Euangelij ostendit Patrem, & Spiritum sanctũ effundit in corda nostra, qui confirmat assensionem seu fidem de reconciliatione, & accedit mo- Vt sit homo, id est, λόγος, copulat sibi carnem non sociali vnione, sed personali & inseparabili. Vt sit cum homine, scilicet sociali vnione, & inhabitatione separabili in hac vita. Sicut est ordo personarum in

tus, amorem & lætitiam, qualis est ipse.

diuinitate: ita etiam est ordo actionum, quas in nobis personæ diuinitatis efficiunt.

Quòd Spiritus sanctus sit persona.

CAPVT III.

IN articulo de Filio Dei fuerunt nobis præcipua certamina cum Samosateno & Serueto, de illa quæstione, an λόγος apud Iohannem significet personam: Ita in loco de Spiritu sancto præcipuũ χριτήριον est, an Spiritus sanctus sit ὑφιστάμενος distinctum à Patre & Filio.

Macedonius & quidam alij blasphemi contenderunt, Spiritũ sanctum nõ esse personam, sed tãtùm significare agitationem creatam in hominibus, aut certè ipsum Patrem agitantem, sine alia persona. Sed hanc blasphemiam refutauit Synodus, quã Theodosius Magnus in vrbe Constantinopoli cõuenire iussit, anno trecentesimo octuagesimo quinto, & veram doctrinã de Spiritu sancto illustrauit.

πνευματόμαχοι.

Theodoretus lib. 5. cap. 8. 9.
Nicephorus lib. 12.

Ambrosius in concione funebri de Theodosio Imperatore: Dilexi virum, qui cùm corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quàm de suis rebus angebatur. Principis est virtus maxima nosse Deum.

Est autem Theodosij exemplum memoria & imitatione dignum, qui, cùm hæretici eluderent testimonia Prophetica & Apostolica, iussit proferri testimonia ex piis scriptoribus, qui ante dissidia illa fuerant, vt con

Non est nouum neque reprehendendum, allegare dicta Patrum post recitata Scripturæ testimonia. Idem fecit Basilius in sensu

sensu purioris antiquitatis conuicti hæretici cederent. Idem si nunc quoque fieret, multæ dissensiones rectè tolli possent. Etsi enim fides nititur ipso verbo Dei: tamen vocem purioris Ecclesiæ docentis & commonefacientis audire pium est, iuxta dictũ Iudicum 14. Nisi arassetis vitula mea, non inuenissetis.

opere de Spiritu sancto, capite 29. vbi colligit dicta veterũ, Gregorij Neocæsarienſis, Eusebij Palæstini, & quorundam aliorum.

Israëlitæ fuerunt partim agricolæ, partim bellatores, partim pastores; sicut nunc sunt Heluetij, apud quos pauci sunt mercatores. Fortes viri apud Iudæos gesserunt bella pro Ecclesia, reliqui ad præliandum non idonei, aut agros coluerunt, aut rem pecuariam exercuerunt. Ideo metaphoræ in scriptis Propheticis plerunque sumuntur vel à re militari, vel ab agricultura, vel à re pecuaria, vt Esaiæ 9. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores, capta præda, quando diuidunt spolia. In hoc loco metaphoræ sumuntur ab agricultura & re militari. In aliis locis etiam vsurpantur metaphoræ à re pecuaria. vt Iudic. 14. Nisi arassetis mea vitula, non inuenissetis. Hic Samson comparat suam sponsam vitulæ, quæ non est ignaua, sed arat. Sic Ecclesia est vitula colens agrum Dei.

Quòd igitur Spiritus sanctus sit persona distincta à Patre & Filio, id confirmat illustre testimonium, scilicet patefactio diuinitatis in baptismo Christi, de qua Athanasius inquit: Ito ad Iordanẽ, & videbis: quasi dicat, quia in primis illustris est patefactio in baptismo Christi, hanc sæpe inter precandum cogites, ac velut in illa amœnissima ripa Iordanis, spectator mente consistas, vbi Iohannes baptizat Filium Dei, & tota diuinitas cum perspicuo discrimine personarum se ostendit. Nam æternus Pater sonat vocem de Filio: Hic est Filius meus dilectus, quo delector; deinde conspicitur oculis Filius, qui vndis abluitur. Est igitur alia persona Patris, alia Filij.

Plinius de Iordane inquit, quòd sit flumen amœnum, & quãtum loci natura patitur, ambitiosum. Bethabara est locus vbi populus traductus est per Iordanem, non procul à Iericho, quæ distat quinque miliaribus ab Ieruſalem.

Psalm. 115. describuntur idola. Os habent, sed non loquuntur,

oculos habent, sed non vident, aures habent, sed non audiunt, id est, idola sunt muta, cæca, surda. Muta sunt, quia non tradunt certam doctrinam de nostra salute, & veris cultibus. Cæca sunt, quia non vident hominum facta pia & impia, nec vel puniunt, vel remunerantur. Surda sunt, quia non possunt audire preces, nec opem ferre inuocantibus. Noster autem Deus est loquens, id est, patefecit se Ecclesiæ tradito verbo, non est surdus, sed exauditor precum, vt in psalm. 118 dicitur: In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus. Er hat mir raum gemacht/do die gantze Welt mir zu eng war. In latitudine exaudiuit, patefacto scilicet exitu. Latitudo opponitur angustiis, & significat consolationem, auxilium, mitigationem & liberationem. Est enim verissima regula: Tentatus ardenter inuocat, inuocans exauditur, & sentit se iuuari vel interiori consolatione, vel externa liberatione.

Conspicitur & Spiritus sanctus specie columbæ, alas pandens super Mediatorem. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non appareret peculiari specie corporali, quia accidētia non sunt extra subiecta, aut si esset ipse Pater, non discerneret à se Spiritum sanctum. Inquit autem Iohan. 1. Super quem videris Spiritum sanctum &c.

Species columbæ fuit φάνωσις, non ὑπόστασις. Spiritus sanctus non assumsit sic columbam, vt Filius Dei assumsit carnem.

Est vtilissima regula, quæ refutat etiam Papisticum commētum de transsubstantiatione panis & vini, qua nihil magis absurdū est & abominandū. Nam impossibile est mutari substantiam vini & panis, manentibus accidentibus, cùm extra subiecta nō sint accidentia.

Secundum testimonium est admiranda patefactio Spiritus sancti, quem in Pentecoste æternus Pater & Filius suus, Dominus noster Iesus Christus, ex arcano consilio diuinitatis in pectora Apostolorum miserunt, vt testimonium perspicuū exta ret, verè effundi & in ceteros

Quòd Spiritus sanctus non sit agitatio creata in angelis & hominibus, sed sit persona creans vnà cum Patre & Filio, & sanctificans eos, in quos effunditur: quinque testimoniis confirmatur in hoc capite. Primum sumi-

pios

pios Spiritum ſanctum, iuxta promiſsionem diuinam, & noſtra corda Deo copulari hac amoris flamma ex pectore æterni Patris & Filij in nos tranſmiſſa. Hæc autem perſona, quæ in Pentecoſte cõſpicitur & effunditur in Apoſtolos, eſt perſona diſtincta à Patre & Filio, ſicut Petrus Actor. 2. clarè dicit: Dextera Dei exaltatus, accipiẽs promiſſum Spiritũ à Patre, effudit eum.

tur ex hiſtoria baptiſmi Chriſti. 2. Sumitur ex hiſtoria Pentecoſtes, id eſt, manifeſtæ effuſionis Spiritus ſancti in Apoſtolos. 3. Hauritur ex formula noſtri baptiſmi. 4. Traditur à Filio Dei apud Iohannem 14. & 15. 5. Extat apud Paulum 1. Cor. 12.

In ſecundo teſtimonio obſeruandum eſt diſcrimen inter veterem Pentecoſten & nouam. In veteri Pentecoſte, id eſt, die 50. poſt eductionem populi ex Aegypto, Deus promulgauit Decalogum in monte Sinai, ſpectante & audiente maxima hominum multitudine, & quidem edidit hanc vocem inter tonitrua & fulgura, trementibus non tãtùm hominibus, ſed etiam ipſis ſaxis & rupibus montis Sinai. Hac terribili ſpecie ſignificatum eſt, quis ſit vſus Legis proprius & principalis, videlicet oſtendere peccatum & iram Dei, & incutere inenarrabiles pauores conſcientiis. Quod enim tunc publicè factum eſt in multitudine illa audiente vocem Legis cum magna conſternatione, id priuatim ſinguli pij in ſuis cordibus experiuntur, quando Deus non tantùm verbo arguit, ſed etiam circumdat ſigna reatus (ſic enim pœnæ appellantur) & ferit corda ſenſu iræ ſuæ, quemadmodum Ezechias inquit apud Eſaiam cap. 38. Quaſi leo contriuit omnia oſſa mea. Et vt Paulus Rom. 7. inquit: Per Legem peccatum fit excellenter peccatum. In noua Pentecoſte, non Lex promulgata eſt, non politia noua conſtituta, ſed manifeſta luce Pater æternus & Filius coæternus effuderũt Spiritum ſanctum non creatum, ſed creantem & ſanctificantem, id eſt, copulantem cum Deo omnes angelos & homines, quibus communicatur, ſeu in quos effunditur: Sicut Chriſtus inquit Luc. 11. Quantò magis Pater dabit Spiritum ſanctum petentibus.

Tertiũ teſtimoniũ eſt ipſa baptiſmi formula à Filio Dei tradita, iubens baptizari hominem, in nomine Patris, Filij & Spiritus ſancti. Iam verò cõſtat, Patrẽ, & Latina lingua caret articulis, Græca & Germanica habet articulos. Nõ igitur poſſumus poni

Filiũ Christum personas distinctas esse, quare & nomine Spiritus sancti, persona distincta significatur. Si enim Spiritus sanctus tantùm significaret ipsum Patrem agitantem aut mouentem res, bis nominasset Patrem, & esset otiosa ταυτολογία. Deinde cùm hęc forma baptismi doceat pariter inuocare Spiritum sanctum cum Patre & Filio, pariter ei tribuit omnipotentiam. Nam inuocatio, qua petimus liberationẽ à peccatis & à morte, & donationem iustitiæ & vitæ ęternæ, soli Deo, qui est omnipotens, tribuenda est, quia solus Deus hæc bona dare potest, & solus videt corda petentium, & discernit veram inuocationem à simulata.

dus huius cõformationis intelligere sine Græco textu, vbi singulis personis addũtur articuli, τῦ πατρὸς, τῦ ὑῦ, τῦ ἁγίυ πνεύματος. Sicut enim Patri & Filio proponitur articulus monstrans personas distinctas: sic idem additur appellationi Spiritus sancti propter eandem causam. Hoc modo Epiphanius vrget Græcos articulos, & alij Græci scriptores idẽ faciunt. Deinde in baptismo inuocatur tota Trinitas. Ex quo perspicuum est, Spiritum sanctũ esse omnipotentem. Nam inuocatio nulli creaturæ est adhibenda, sed est honos soli Deo competens.

Quartum testimonium Iohan. 14. Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis: Cùm ait alium, discernit à Patre & Filio hunc paracletum. Non igitur significat Spiritus, ipsum Patrem agitantem, quia Filius nõ mittit Patrem. At Christus inquit Iohan. 15. Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Sunt & hęc personæ propria, alius paracletus, qui docebit vos, & quæ audiet, loquetur. Si Spiritus significaret hoc loco agitationẽ creatam, esset doctrina, non do-

Scriptura vniuersa libenter vtitur vocabulis Iurisconsultorum. Sic Spiritum sanctum nominat paracletum, id est, aduocatum. Baptismũ nominat Petrus stipulationem bonę conscientię. Est autem stipulatio vocabulum proprium iuris. Sic vocabula fœderis & Testamenti nõ rectè declarari possunt, sine adminiculis Iurisprudentiæ. Sciendum enim est, quid sit Testamentum, quæ requirantur in Testamento, & quod sit ius Testamenti. Ita Spiritus sanctus nominatur aduo-

ctor

ctor alius, à Patre & Filio audiens & accipiens.

catus. Quia aduocati hęc sunt officia in foro seu iudicio. 1. Monere suam partem. 2. Regere eam consilio. 3. Hortari. 4. Consolari. 5. Dicere pro eo cuius est aduocatus. Eadem officia Spiritus sanctus publicè & priuatim Ecclesiæ præstat. Priuatim monet nos, regit consilio, hortatur, consolatur corda in pauoribus & ærumnis, & dicit pro nobis, id est, impellit corda ad inuocationem. Publicè in ministerio est efficax, flectit auditorum mentes ad assensionem, & ipsos Doctores monet, regit consilio, in explicatione & propugnatione doctrinæ, cui nulla humana infirmitas par esse potest, vt Paulus 2. Cor. 3. Fiduciam autem huiusmodi habemus per Christum erga Deum, non quòd idonei simus ex nobismet ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed si aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros noui Testamenti, non literæ, sed Spiritus. Sed obiiciat aliquis, Quo modo Spiritus sanctus dicitur aduocatus, cùm Christus eodem nomine appelletur in epistola Iohānis Canonica cap. 2. Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis, & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi?

RESPONDEO.

Christus dicitur aduocatus, item Spiritus sanctus dicitur aduocatus, sed non eodem respectu. Nam Christus est aduocatus respectu intercessionis, applicans nobis sua merita, & perferens nostras preces ad æternū Patrē. Spiritus sanctus est aduocatus, quia clamat ad Deum pro nobis, gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. id est, impellit nostra corda, & excusitat ea ad veram inuocationem. Ideo nominatur à Zacharia Spiritus gratiæ & precum. Videtis igitur quàm necessaria sit collatio locorum, & lectio priuata Bibliorum. Iuniores debebant diligēter legere epistolas Pauli, tum propter res ipsas, tum propter eloquentiam, quam non tantùm in Cicerone aut Demosthene inuenietis, sed multò magis in scriptis Paulinis. Philippus Melanthon dicere solebat, Paulum esse summum oratorem, & verius eum posse dici tonantem & fulminantem, quàm Periclem. Nec putandum est, homines Ethnicos esse eloquentes: Ipsum Deum mutum aut infantem esse. Hanc opinionem reprehendit psalm. 94. Qui plantauit aurem, non audiret? aut qui finxit oculum, non videret?

Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem ſcientiam. Idem dicit pſalmus quodin phyſicis recitatur: Impoſsibile eſt effectum toto genere præſtantiorem eſſe ſua cauſa: & ἀνάπαλιν: Impoſsibile eſt cauſam toto genere deteriorem eſſe ſuo effectu.

Quintum teſtimonium. 1. Cor. 12. clarè diſcernit Paulus Spiritum ſanctum à donis creatis, autorem ab effectibus, Omnia, inquit, hæc efficit vnus & idem Spiritus, & diſtribuit vnicuiq; ſicut vult. Eodem modo loquitur Rom. 8. Ipſe Spiritus dat teſtimoniũ Spiritui noſtro, quòd ſimus Filij Dei. Diſcernit hîc quoque mouentem & conſolantem Spiritum ſanctum à conſolatione, qua cor erigitur & viuificatur. Hæc perſpicua teſtimonia amplectamur, nec ſinamus ea Sophiſticis cauillationibus eludi.

Omnia dona ſunt particularia, non ſunt totalia. Ideoq; debebamus eſſe modeſti, & cogitare illud Auguſtini, quod in Pſalmis recitat: Non ſpectandum tãtùm quid adſit, ſed etiam quid deſit. Quatuor enim potiſsimum ſunt cauſæ, quæ nos ad humilitatem hortantur. Exquibus 1. Corinth. 12. duæ recitantur, efficiens & finalis. De materiali idem Paulus docet 2. Corinth. 4. Poſtrema cauſa ab exẽplo, tractatur à Paulo Philip. 2. Inuitamur igitur ad humilitatem. 1. A cauſa efficiente donorum, de qua inquit Paulus 1. Cor. 12. Hæc omnia efficit vnus atque idem Spiritus. Quid igitur ſequitur? Hoc ſequitur quod idem Paulus dicit 1. Corinth. 4. Quid habes, quod non accepiſti? Quod ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Bona eſt conſequentia. Omnia accepimus à Deo. Ergo non poſſumus gloriari de donis. Huc pertinet illud, quod communi prouerbio de aſino circumfertur: Non es Deus aſelle, ſed Deum vehis. In Aegypto enim quotannis idolum Iſidis, quæ fuit coniunx Oſiridis, imponebatur aſello, & ita circumuehebatur religionis cauſa, ſicut apud Papiſtas adhuc die corporis Chriſti mõſtratur panis &c. Aſellus vidẽs homines in genua procumbere propter idolum, quod adorabãt, ac putans ſibi hunc exhiberi honorem, exultauit, ac tantùm præ lætitia non excuſsit idolum, Ibi accepit plagas cum hac obiurgatione: Non es Deus, tu aſelle, ſed Deum vehis, id eſt, tibi non habetur honos, ſed idolo. Ita cùm videmus propter dona, quibus alij excellunt aliis, nobis exhiberi reuerentiam ac honorem, dicendum

eſt

eſt cum Pſalmo: Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

2. A cauſa finali donorum. Vnicuique verò datur (inquit Paulus 1 Corinth. 12) manifeſtatio Spiritus, ad id quod expedit, id eſt, omnia dantur ad publicam Eccleſiæ vtilitatem. Ergo per contrarium ſenſum, non dantur ad oſtentationem, ad contemtum aliorum, ad augendam ſecuritatem. Nam cùm abutimur donis, facilè illa à nobis aufferri poſſunt. Quid enim ſumus nos miſeri homines, etiam magnis donis prædiți? Sumus corniculæ AEſopicæ veſtitæ alienis plumis, aut ſumus aſelli, qui Deum circumferimus.

3. A cauſa materiali donorū ſeu à ſubiecto, de quo Paulus 2 Cor. 4. Habemus autem theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis, vt virtutis eminentia ſit Dei, & non ex nobis, dum in omnibus premimur, at non anxij reddimur. Quòd autem ſimus vaſa teſtacea, teſtatur primùm Scriptura, vt Eſaiæ 40: Omnis caro fœnum, & ſicut flos agri gloria eius. Et pſalm. 103.

Eſt homo perſimilis fœno per prata virenti,
Vt breuis in pingui, quæ roſa floret, agro.
Quam ſimul attigerint vrentis flamina venti,
Aret, & exigua victa calore iacet.

Deindè idem teſtatur experientia. Nam homines ſani coguntur fateri rem ita ſe habere.

4. Ab exemplo Filij Dei, quod debet eſſe maximè efficax argumentum humilitatis. Sic inquit Auguſtinus:

Puderet te fortaſsis imitari humilem
hominem, imitare ſaltem humilem Deum.

Quòd Spiritus ſanctus fuerit antequam Filius Dei aſſumſit humanam naturam.

CAP. IV.

IN quarto capite explicatur hęc hypotheſis, quòd Spiritus ſanctus gubernauerit Eccleſiam inde vſque ab initio, non tantùm poſt Chriſtum glorificatum. Sumitur autem huius hypotheſeos occaſio ex 7 capite Iohannis, vbi dicitur: Spiritus ſanctus nondum erat, quia Chriſtus nondum erat glorificatus: οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη. Et Actor. 19: Cùm Paulus quibuſdam diſcipulis diceret: Num Spiritum ſanctum accepiſtis, poſteaquam credidiſtis? At illi dixerunt ad eum: Imò neque an Spiritus ſanctus ſit, audiuimus. Hinc quæſtio extitit: An Spiritus ſancti perſona extiterit, antequam Filius Dei carnem indueret.

Cùm Iohannes cap. 7 dicat: Nondum erat Spiritus, quia Chriſtus nondum erat glorificatus, quæri à multis ſolet, an fuerit perſona Spiritus ſancti, & an fuerit efficax ante glorificationem Chriſti in reſurrectione & aſcenſione.

ſcilicet per reſurrectionem & aſcenſionem. Diſcernendi ſunt enim tres articuli, quorum primus eſt de paſsione, ſecundus de reſurrectione, tertius de aſcenſione. Differunt enim ſicut pugna, victoria & triumphus. Paſſio Chriſti eſt lucta ſeu pugna acerrima, in qua redemtor noſter congreſſus eſt cum noſtris hoſtibus, Lege, peccato, morte, Diabolo, inferno. Reſurrectio eſt victoria huius luctæ contra hoſtes, de qua Propheta Oſeas cap. 13 hoc canit ἐπινίκιον: Ero mors tua, ὁ mors: morſus tuus ero, inferne. Et Paulus 1 Corinth. 15 idem repetit, Vbi tuus, mors, aculeus? vbi tua, inferne, victoria? Aſcenſio eſt ampliſsimus triumphus, in quo noſtri hoſtes iam victi, ſunt ducti in pompa, & demonſtrati omnibus angelis, & reſuſcitatis ex morte Chriſtus enim non ſolus aſcendit in cælum, ſed cum magna multitudine

tudine sanctorum. Hoc dictum est Thaddæi Apostoli, qui apud Eusebium lib. 1 Eccles. historiæ, in oratione ad regē Abgarum inter cetera inquit, cap. 15, in fine, se dicturum populo, πῶς κατέβη μόνος ὁ χριστὸς, ἀνέβη δὲ μετὰ πολλῶν ὀχλῶν πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ. Eo in capite extat epistola Abgari ad Christum, & Christi responsio. Huic dicto Thaddæi suffragatur narratio Matth. 27, de sepulcris sanctorū apertis &c.

Non difficilis est huius quæstionis explicatio, consideratis dictis Prophetarum & Apostolorum, quæ testantur inde vsque ab initio Ecclesiam gubernatam & sanctificatam esse Spiritu sancto, sicut Petrus de Prophetis ait 1 Petri 1, exquisiuisse eos de reuelanda salute, scrutantes quod tēpus significaret Spiritus Christi, qui in eis erat. Et 2 Petri 1 dicitur: Spiritu sancto inspiratos, locutos esse sanctos.

In Symbolo Nicæno: Qui locutus est per Prophetas.

Sic Esaiæ 59 expresè scriptum est: Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui deinceps & in sempiternū. Hoc testimonium non tantùm confirmat articulum de persona Spiritus sancti, sed etiam docet nos de regno Christi, cuius proprium beneficium est donatio Spiritus sancti. Affirmat enim eundem Spiritum esse in Esaia & in tota Ecclesia ad omnem æternitatem.

Hoc dictum quod citat Paulus in epistola ad Romanos cap. 11, docet, quæ, qualis & vbi sit Ecclesia. Est cœtus Deo confœderatus per verbum & Sacramenta, in quo sonat pura & incorrupta vox Legis & Euangelij, & cuius viua membra reguntur à Spiritu sancto.

Cùm igitur semper eodem Spiritu sancto omnes electi sint sanctificati, necesse est intelligi dictum Iohann. 7 de manifesta ostensione Spiritus sancti, qui de Christo resuscitato & regnāte, illustribus miraculis, fortitudine martyrum in suppliciis,

Omnes electi eodem Spiritu sancto sunt sanctificati. Hoc probat Paulus duplici propositione, affirmatiua & negatiua, Rom. 8: Qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filij Dei. Item: Qui Christi Spiritum non habet, non est eius.

perpetua ſerie doctorum in Eccleſia, & pœnis hoſtium Euangelij teſtificatus eſt.

Chriſtus aliquoties apud Iohannem repetit hanc vocem: Spiritus ſanctus teſtificabitur de me, id eſt, de mea perſona & officio. Eſt autem duplex teſtimonium Spiritus ſancti. I. Publicum, quod incurrit in oculos omnium hominum, cuius quatuor ſunt gradus. Primus continet miracula, vt ſunt reſuſcitatio mortuorum, donum linguarum, donum ſanationis. Secundus eſt fortitudo martyrum in ſuppliciis, qui non tantùm confeſsione ſua, ſed etiam ſanguine obſignarunt doctrinam Euangelij, & vt in Apocalypſi dicitur: qui venerunt ex afflictione magna, & dilatauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas per ſanguinem agni. Tertius eſt perpetua ſeries doctorum in Eccleſia, quales non habet vlla religio, excepta Chriſtiana. Nunquam enim defuerũt Eccleſiæ pij doctores, etſi aliàs plures, aliàs pauciores fuerint. Etiam in Papatu fuerunt, qui taxarunt errores ſedis Romanæ. Quartus complectitur pœnas tragicas omnium hoſtium & contemtorum Euangelij, vt hæreticorum, tyrannorum & multorum hypocritarum. I I. Priuatum. Nam priuatim teſtificatur Spiritus ſanctus de doctrina Euangelij. Primùm in conuerſione ad Deum, vbi dat teſtimonium Spiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei, Rom. 8. Nam credens ſcit ſe credere, vt inquit Auguſtinus. Deinde in quotidiana inuocatione, iuxta illud: Effũdam ſuper vos Spiritum gratiæ & precum. Spiritum gratiæ in conuerſione ſcilicet, Spiritum precum, in quotidiana inuocatione, quanquam hæc duo non poſſunt ſeparari. Tertiò in cruce, in magna vi tempeſtatum, in concurſu malorum, in media morte.

Apparet autem vſitatè Spiritus ſancti appellationem initiò in Eccleſia vſurpatam eſſe pro manifeſta oſtenſione, ſeu teſtimonio exhibiti Spiritus ſancti, ſicut fiebat initiò Eccleſiæ, vbi primùm ſpargebatur Euangelium ab Apoſtolis. Sic in Actis 19 loquuntur quidam diſcipuli: Ne quidem, quòd ſit Spiritus ſanctus, audiuimus.

patefactione, ſeu reuelatione.

Paulus, cùm relicta Corintho veniſſet Epheſum, muenit duodecim diſcipulos, qui etſi baptizati fuerant baptiſmo Iohannis, tamen ignorabant, quid eſſet Spiritus ſanctus. Hæc verba non ſunt intel-

intelligenda, quasi Iohannes non tradiderit integram doctrinam Euangelij suis auditoribus, sed quòd manifesta effusio Spiritus sancti, fuerit proprium ornamentum Christi glorificati.

De processione Spiritus sancti.

CAP. V.

GRæcæ Ecclesiæ recentiores dicuntur in Synodo Basilienſi mouisse certamẽ de processione Spiritus sancti, id est, an sit ex essentia Patris & Filij, & contenderunt, Spiritum sanctum à Patre procedere, id est, ex Patris essentia esse, ac per Filium tanquam canalem mitti, nec esse ex essentia Filij. De hac quæstione statuamus, vt Latinæ Ecclesiæ statuunt, Spiritum sanctum ab æterno Patre, & Filio coæterno procedere, id est, esse ex essentia æterni Patris & Filij, sicut Christus expressè inquit Iohan. 16: Ex meo accipiet, quia omnia quæ Pater habet, mea sunt.

In Synodo Cõstantienſi, qua Iohannes Huſs supplicio fuit affectus, factum est decretum, vt confecto decennio iterum celebraretur Synodus. Iuxta hoc decretum intra decennium est coacta Synodus Basileæ. Ad eam Synodũ accesserunt etiam Græci missi à Palæologis, qui tunc tenebant imperium ante captam Constantinopolim. Mota est igitur quæstio à Græcis de processione Spiritus sancti, an sit Spiritus sanctus de essentia Filij, sicut est de essentia Patris: vtrùm verò à Patre mittatur per Filium, tanquam per canalem.

Est igitur Spiritus sanctus aliquid essentiæ Filij, seu etiam Filio ὁμούσιος, vt Epiphanius contra πνευματομάχους inquit: Spiritus verè est ex Deo, & non alienus à Patre & à Filio, sed ὁμούσιος Patri & Filio. Hæc probatio satis firma est piæ menti, quæ non

Epiphanius cõtra πνευματομάχους, fol. 383: οὐ μόνον δὲ ὁ υἱὸς, ἀλλὰ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα συμπαρέπλεον ὑπὸ καὶ πατρὶ, καὶ τὰ ἴσα ἐργαζόμενον, δωρευμενόντε καὶ χαριζόμενον ὡς βούλεται.

quærit cauillationes ad labefactandum textum. Huc referatur & illud, quòd Christus ipse Iohan. 20 afflat Spiritum sanctum Apostolis. Hic flatus non à solo Patre, sed etiam à Filio procedit. Nolo autem prolixiùs de his arcanis disputare, quæ reuerenter cogitanda sunt, nec immorándum est speculationi, sed magnitudo amoris diuini in hoc ipso testimonio consideretur. Necesse est enim verum & ingentem in Deo erga nos amorem esse, qui hunc ipsum ignem amoris sui in nos transfundit, cuius vera est essentia diuina, & nos sibi copulat societate non tantùm creati doni, sed missi in pectora nostra sui Spiritus. Præclarè ergo Augustinus sermone 43 de verbis Apostoli: Magna est misericordia Dei, qui donum dat sibi æquale, quia donum eius Spiritus sanctus est.

ὡς καὶ αὐτὸ ὄντως ὂν θεοῦ ὄν, καὶ οὐκ ἀλλότριον πατρὸς καὶ υἱοῦ, ἀλλ' ὁμούσιον πατρὶ καὶ υἱῷ.

Regula Siracidæ 3: Quæ tibi præcepit Deus, hæc reuerenter cogita.

De beneficiis Spiritus sancti.

CAP. VI.

NON satis est nosse quid sit existimandum de persona tertia diuinitatis, quæ appellatur Spiritus sanctus, sed etiam piè cogitandum est, quæ beneficia ab hoc fonte ad nos miseros permanent. Sunt autem duplicia beneficia. Alia omnibus piis communia & necessaria, quæ non habentes, sunt ac manent hostes Dei. Alia verò sunt dona Spiritus sancti, quæ non ad omnes pertinent, sed tantùm ad aliquas personas & certas vocationes, vt quanquam excellētia dona sunt donum linguarum & interpretationis Scripturæ, tamen non sunt necessaria omnibus saluandis. At beneficia Spiritus sancti omnibus necessaria promittuntur vniuersaliter omnibus electis, & quidem grátis. Sicut Christus Lucæ 11 inquit: Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ, ὁ ἐξ οὐρανοῦ δώσει πνεῦμα ἅγιον τοῖς αἰτοῦσιν

αἰτῆσιν αὐτὸν. Etsi igitur non habemus dona Ioſephi vel Moyſi: tamen ſciamus nos eſſe in numero electorum, ſi habuerimus dona omnibus ſanctis neceſſaria, cuiuſmodi ſunt vera fides & inuocatio, vera patientia in ærumnis & morte &c. Ex hac breui σκιογραφία intelligi poteſt, quàm ſit neceſſaria doctrina huius capitis, præſertim in tentationibus.

Poſtquam perſonam Spiritus ſancti vtcunque deſcripſimus, beneficia conſideremus, quorum alia communia ſunt omnibus veris & viuis Eccleſiæ membris, alia ſunt certarum perſonarum & vocationum.

Sicut in Ethicis differunt cõmunes virtutes ab heroicis (loquor autẽ de forma diuiſionis, non de rebus ipſis) ita differunt in Eccleſia communia dona omnibus ſanctis neceſſaria, à donis, quibus Deus ornauit certas perſonas & certos gradus vocationum. Heroica virtus Achillis aut Samſonis nõ eſt mihi aut tibi neceſſaria. Nam poſſumus eſſe viri boni, etſi non ſumus bellatores heroici. Ita poſſumus ſaluari, etſi non habemus dona Danielis aut Ioſephi. Latro in cruce, & Ioſeph, ſunt æquales & ſunt inæquales. Aequales ſunt, quòd attinet ad gratiam, quæ eſt vniuerſalis, iuxta dictum Chriſti: Venite ad me omnes, qui laboratis &c. Item Pauli: Gratia exuberat ſupra peccatum, quia vterque ſaluatur gratis propter Filium Mediatorem. Sed ſunt inæquales, quòd attinet ad dona. Alia dona habet latro, alia Ioſeph, & quidem præſtantiora. Sed quia mentio facta eſt illorum membrorum Eccleſiæ, quæ dicuntur viua membra, monendi ſunt diſcentes, duplicia eſſe membra Eccleſiæ, alia viua, alia mortua. Viua ſunt membra ſanctificata à Spiritu ſancto, iuxta dictum Pauli Rom. 8: Qui ducuntur Spiritu Dei, hi ſunt filij Dei. Et ab his membris Eccleſia nominatur ſancta κατὰ συνεκδοχὴν, quia ſemper à principali fit denominatio ſeu nuncupatio. Alia verò membra dicuntur mortua, vt ſunt omnes hypocritæ, qui etſi de doctrina conſentiunt cum viuis, nec ſunt manifeſti hoſtes Euangelij: tamen in corde ſunt ſine vero timore Dei, ſine fide, & pluris faciunt opes ac voluptates, quàm Deum. Videamus igitur, vt viua ſimus membra, ſicut Paulus monet: Explorate vos ipſos, an habeatis Spiritum ſanctum. Papa nec viuum, nec mortuum eſt Eccleſiæ membrum, viuum non eſt, quia non habet Spiritum Chriſti. Nam certè Spiritum Chriſti non habet, qui hoſtis eſt Euangelij. Mortuum non eſt, quia non conſentit cum verè piis,

de doctrina, sed eam damnat tanquam hæresin. Quomodo igitur gloriatur se esse caput Ecclesiæ, cùm non sit membrum?

Prioris generis sunt, tota hominis regeneratio & renouatio ad vitam æternam, vera agnitio & inuocatio Dei, consolatio in ærumnis, constantia in confessione, denique multarum virtutum decus. Hæc dona omnibus necessaria, splendidè describuntur in dictis Propheticis & Apostolicis, vt Dauid psal. 51 petit à Deo, non modò remissionem peccatorum, sed etiam Spiritum firmum, sanctum & spontaneum, id est, gubernatorem mentis, voluntatis & cordis, confirmãtem nos contra fluctus dubitationum, & contra metum in periculis, & excitantem motus Legi diuinæ congruentes, & lætificantem, vt acquiescamus in Deo, & habeamus initia vitæ æternæ.

Psalmus 51 est præcipuus in toto psalterio, & congruit ad dictũ insigne Pauli Rom. 5 de gratia Dei, & de dono per gratiam. Gratia significat remissionem peccatorum, donum per gratiam significat donum Spiritus sancti. Primùm igitur Dauid in eo psalmo petit gratiam, id est, remissionem peccatorum. Huic petitioni mox adiungit alteram de donatione Spiritus sancti, inquiens:

Cor mundum crea in me, Deus, & Spiritum firmum innoua in visceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu spontaneo sustenta me.

In his tribus versibus, primò sciẽdum est, quid sit cor mundum, deinde quæ sint epitheta Spiritus sancti. Cor mundum dicitur cor fide purificatum, vt Petrus Actor. 15 inquit: Et qui nouit corda Deus, testimonium præbuit illis, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, nihil discreuit inter nos & illos, cùm fide purificauerit corda eorum. Postea tria sunt epitheta. Nam Spiritus sanctus dicitur 1 firmus, quia efficit in nobis πληροφορίαν, id est, firmam assensionem, victricem omnium dubitationum & pauorum. 2, sanctus, quia excitat in nobis sanctos motus, id est, Deo placentes & congruentes ad normam Legis. 3, Principalis seu spontaneus, quia flectit corda ad obedientiam, non solùm in vocatione & priuata vita, sed etiam in media morte.

2 Timoth.

2 Timoth. 1: Dedit nobis Deus Spiritum non timiditatis, sed roboris, dilectionis & modestiæ. Confirmat enim hic Spiritus corda nostra, vt firmiter verbo Dei assentiãtur, & accendit dilectionem, castitatem & totius Decalogi virtutes.

οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ θεὸς πνεῦμα δειλίας, ἀλλὰ δυνάμεως, καὶ ἀγάπης, καὶ σωφρονισμοῦ. Proponite vobis Abrahamum, qui habuit Spiritum non timiditatis, sed roboris, quia Paulus Rom. 4 his verbis prædicat fidem Abrahæ. Verùm ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatẽ, sed robustus factus est ex fide, tribuẽs Deo gloriã, certa persuasione cõcepta, quòd is, qui promiserat, idem potens esset ei præstare. His verbis describitur fides & Spiritus fortitudinis Abrahami contra dubitationes. Postea Spiritus fortitudinis in periculis apparet ex historia Genes. 14. Cùm enim quinque reges opulentissimi abduxissent inter alios captiuum Loth, mox ille cum paruis copiis ter centum & octodeçim vernis, ausus fuit persequi quinque reges, & hac parua manu profligauit eos. Quòd autem Abraham fuerit castus & modestus, quòd habuerit dilectionem erga Deum, coniugem, filios, & omnes homines, tota eius vita testatur.

Zachariæ 12: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Disertè Spiritum sanctum nominat Spiritum gratiæ, quia dat testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Rom. 8, & est arrha hæreditatis nostræ: deinde nominat Spiritum precum, quia flectit nos ad inuocationem, & ad vniuersam obedientiam Deo placentem.

Vocabulo arrhæ vtitur Paulus 2 Corinth. 1: Deus vnxit nos, obsignauit nos, deditq; arrham Spiritus in cordibus nostris. Tribus vtitur vocabulis, vnctionis, obsignationis, & arrhabonis. Vocabulũ vnctionis sumitur ex psal. 45: Propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ, id est, Spiritu sancto præ consortibus tuis. Christus est vnctus non balsamo, quod nascitur in hortis, sed Spiritu sancto. Sic enim appellat Spiritum sanctum Iohannes, 1 Iohan. 2, Vnctio docebit vos. Eodem Spiritu sancto nos quoque vngimur, qui sumus membra Christi. Altera appellatio sigilli sumta est ex Esaia, 8 cap. Liga testimonium, obsigna Legem in discipulis meis. Sed quod est illud sigillum? Spiritus sanctus. Tertiũ vocabulum arrha seu arrhabo nõ habet originem Græcam, nec La-

tinam, ſed Hebraicam. Nam Araf ſignificat propriè mixtionem, & poſtea per metalepſin ſignificat ſponſionem, quia qui ſpondet pro altero, immiſcet ſe negotiis alienis. Arrha in emtionibus eſt aliquid datum ad hoc, vt ſit teſtimonium confirmatæ emtionis, vel in ſponſalibus, vt ſit teſtimonium de futuris nuptiis. Ita donatio Spiritus ſancti eſt teſtimonium certiſsimum reconciliationis cum Deo, & præſentiæ Dei, & venturæ hæreditatis vitæ æternæ. Vtitur hac voce Tertullianus de reſurrectione carnis, pag. 80. Quemadmodum nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cælum, pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ. Securæ eſtote caro & ſanguis, vſurpaſtis & cælum & regnum Dei in Chriſto, id eſt, Chriſtus aſcendens in cælum, ſecum intulit cælo arrham noſtræ ſpei, id eſt, carnem noſtram in ſua perſona, & in Pentecoſte miſit arrham Spiritum ſanctum, ne dubitemus de reſurrectione & vita æterna.

Galat. 5: Fructus Spiritus ſunt, dilectio, gaudium, pax, longanimitas, humanitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia. His donis, quæ ſunt omnibus neceſſaria, reſtituitur in nobis vita & iuſtitia æterna, & renouatur imago Dei, & rurſus fit miranda copulatio naturæ noſtræ cum Deo.

Vt autem bonitas Dei immenſa magis illuſtretur & celebretur, collatio cogitanda eſt piorum & impiorum. Tota mundi hiſtoria inde vſque à Cain oſtendit, malos Spiritus efficaces eſſe in impiis, qui cùm ſint blaſphemi, mendaces, crudeles, immũdi, maximam partem generis humani contaminant idolis, blaſphemiis, libidinibus, mendaciis, iniuſtis cædibus & aliis ſceleribus. Sed ne tales furores in toto genere humano exiſtant, Deus ſubinde excerpit aliquam partem, videlicet veræ Eccleſiæ membra. Hæc gubernata à Spiritu ſancto, & defenſa aduerſus Diabolos, celebrant Deum, cuſtodiunt doctrinam Euangelij, inuocant in fide, gratias agunt, obediunt ei in vita, vocatione & ærumnis, & in tota æternitate eum celebrabunt.

Obedientia piorum verſatur in tribus rebus: 1, in vocatione. 2, in priuatâ vitâ. 3, in ærumnis & media morte.

In vocatione quales eſſe debeamus, deſcribit Paulus 1 Cor. 4. Illud requiritur in diſpenſatoribus, vt fidelis aliquis reperiatur. Fidelitas complectitur veritatem & beneficentiam, vt Deus eſt fidelis, id eſt,

id est, verax & beneficus: verax in seruandis promissis, beneficus in communicatione bonorum. Ita minister est fidelis, cùm est verax & beneficus. Verax esse non potest, nisi teneat integram doctrinam Christianam. Deinde beneficus est, cùm est assiduus & diligens in communicatione doctrinæ & earum rerum, quas profitetur. Si quis docet Grammaticam aut Dialecticam, fieri potest, vt earum rerum fit peritus. Sed multi non sunt fideles. Non enim cum aliis ea, quæ ipsi cognouerunt, communicant. Fidelitas excludit affectatam ignorantiam, & affectatam omissionem.

In vita autem priuata, quales requirat Paulus, ostendit ad Titum, cap. 2: Illuxit enim gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate, & mundanis concupiscentiis, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo præsenti: sobriè erga nos ipsos: iustè erga alios: piè erga Deum.

Quales autem in ærumnis & media morte esse debeamus, Petrus 1 epist. 5 ostendit his verbis: Humiliamini sub potenti manu Dei, potenti scilicet ad puniendum & ad liberandum.

Alterius generis beneficia sunt χαρίσματα, vt donum linguarũ, interpretatio Scripturæ, donũ medicationis, prædictio futurorum, διακονίαι, vt singularis felicitas in re militari, aut in gubernatione togata. Ἐνεργήματα, vt donum faciendi miracula, vel in propriis periculis, vel in alienis. De his gradibus donorũ concionatur Paulus 1 Cor. 12.

Dona non omnibus necessaria habent tres gradus. Ad primum pertinent χαρίσματα. Ponit enim Paulus nomen generis pro specie κατ' ἐξοχήν. Ad secundum pertinent ministeria διακονίαι, quæ à puluere nomen habent. Διάκονος, quasi dicas, discursans per puluerem. Tertius complectitur ἐνεργήματα, id est, magna & rara miracula, vt resuscitatio mortuorũ. Item, quòd Petrus vno verbo interficit Ananiam. Hæc diuisio extat apud Paulum 1 Cor. 12: Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσὶ, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα· καὶ διαιρέσεις διακονιῶν εἰσι, καὶ ὁ αὐτὸς κύριος· καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσὶν, ὁ δὲ αὐτὸς ἐστι θεὸς, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. Quare autẽ Deus initiò dederit Ecclesiæ donum linguarũ, tres sunt caussæ. 1, Vt hoc donum esset adminiculũ propagationis Euangelij inter varias gentes, quarũ sunt diuersæ linguæ. 2, Vt hoc donũ esset testimoniũ præsentiæ Spiritus sancti in Ecclesia. De hac caussa

dicitur 1 Corinth. 14: Verè Deus est in vobis. 3. Vt hoc donum esset testimonium de vocatione gentium ad societatem Ecclesiæ.

DE REGENERATIONE.

IN sermone Pauli sæpissimè vsurpatur vocabulum regenerationis, quod à multis non satis intelligitur. Necesse est igitur iuniores doceri, quid sit regeneratio, quæ sint eius partes, quæ causæ. His enim quæstionibus explicatis, facilius intelligi poterit, præcipuum & maximè necessarium beneficium Spiritus sancti esse regenerationem. Etsi enim multa sunt præclara dona Spiritus sancti in vniuersam Ecclesiam, & in pios singulos: tamen omnibus aliis, vel ipsa necessitate antecellit beneficium regenerationis.

Cùm autem regeneratio sit maximum maximéque necessarium Spiritus sancti beneficium, dicendum videtur in hoc capite, quid sit regeneratio, & quæ sint eius tum partes, tum causæ.

Est igitur regeneratio tota conuersio hominis ad Deum, quæ complectitur mortificationem & viuificationem, id est, contritionem, fidem & nouam obedientiam. Nam in vera pœnitentia seu conuersione ad Deum, duo sunt motus, mortificatio & viuificatio, iuxta dictum 1 Reg. 2: Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.

In eo loco recitatur valde memorabilis historia de parentibus Prophetæ Samuelis. Habuit autem pater Samuelis in matrimonio duas vxores, vnam fœcundam, alteram sterilem. Neque verò tantùm sterilis erat altera, quadam naturæ ἀδυναμίᾳ, sed etiam propter ætatem erat effœta. Cùm autem vir sanctus pater Samuelis libenter suscepisset ex Anna sterili sobolem, vterque coniugum coniunctis votis à Deo petunt sobolem, & quidem masculam, quæ posset Deo seruire in munere docendi. Has preces exaudit Deus, & contra naturæ ordinem facit fœcundam Annam sterilem, donat ei filium ingenio & omnibus virtutibus præstantem. Fuit enim Samuel vnus ex summis Prophetis. Quare Anna, vt declaret suam gratitudinem Deo pro acceptis tantis beneficiis, recitat carmen εὐχαριστήριον: Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit: id est, vt in lib. Iob. 5 ca. dicitur: Beatus homo, qui corripitur à Deo, increpationē Dei ergo ne re pro-

reprobes. Quia ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt. Sunt enim duo præcipua opera Dei in iis, qui renascuntur, vnum quasi alienum, alterum proprium. Alienum opus Dei est (vt Esaias appellat) mortificatio seu deductio ad inferos, seu percussio, in qua sentitur onus peccati & iræ diuinæ aduersus peccatum, ex quo sensu existunt tanti pauores & consternationes, quas nulla mens satis cogitare, aut lingua verbis exponere potest, sed sumantur qualescunque descriptiones & imagines ex tristissimis querelis psalmorum, vbi sæpe comparantur pauores mortificationis sagittis: item siccitati æstiuæ, quæ omnia torrefacit & exhaurit. Est igitur alienum opus Dei, mortificatio, & est gradus ad alterum opus proprium bonitatis diuinæ, quod dicitur viuificatio seu reductio ab inferis, & sanatio vulnerum efficacissima.

Esa. 28: Vt faciat opus suum, alienum opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.

Significat autem mortificatio veros pauores & dolores in corde agnoscente iram Dei aduersus peccatum, de quibus doloribus dictum est, Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Esaiæ 38. In his doloribus verè & sine simulatione fit mortificatio carnis seu veteris & corruptæ naturæ.

Sanctus rex Ezechias, post gloriosam depulsionem exercitus Assyriorum ab vrbe Hierosolyma, incidit in morbum grauem. Vt autem omnes homines vocati ad vitæ exitum, ardentiùs cogitant de vita anteacta, & de præsenti luctu cum morte, quæ est omnium difficilima & acerrima: ita sanctus rex & benemeritus de Ecclesia in maximam animi consternationem incidit, in qua hæc verba etiam pronuntiauit, Sicut leo (cuius est maximum robur) contriuit Deus omnia ossa mea.

Etsi autem hi dolores in aliis maiores, in aliis minores sunt: tamen omnino aliquam in omni conuersione contritionem esse oportet, vt 2 Corinth. 7. dicitur: Contristati estis ad pœnitentiam, tristitia, quæ secundum Deum est, efficit pœnitentiam

1 Corinth. 10: Fidelis est Deus, qui non sinit vos tentari supra id, quod potestis, imò faciet vnà cum tentatione euentum, quò possitis sufferre: id est, Deus vtitur iustitia distributiua, & imponit cuique onus, seruata æqualitate Geometrica. Assignat cuiq;

ad ſalutem. Eſaiæ 66. Ad quem reſpiciam, niſi ad humiliatum & contritum Spiritu?

ſuam partem proportionalem, & vt Græci dicunt, τὸ ὁπιβάλλον μέρος.

Altera pars conuerſionis nominatur viuificatio ſeu conſolatio, quæ fit fide, iuxta dictũ: Iuſtus fide ſua viuet. In hacenim conſolatione victrice pauorum & dolorum Filius Dei viuificat cor, & ſimul dat Spiritum ſanctum, qui accendit nouos motus in corde, vt Rom. 8 ſcribitur: Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, clamantem Abba, Pater.

Hic aphoriſmus Propheticus, fuit ſymbolum Pauli Apoſtoli, ſicut Chriſti ſymbolum fuit dictum Oſeæ: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Oſtendit enim crebra repetitio, quòd Paulus & Chriſtus his dictis tanquã ſymbolis vſi ſint. Aphoriſmus autem ille à Paulo recitatur Ro. 1. Galat. 3. Hebr. 11, & docet, hominem fide vtrumque beneficium accipere, id eſt, iuſtificationem & viuificationem. Expreſsè enim facit mentionem iuſtitiæ & vitæ. Quicunque iuſtus eſt coram Deo, viuit etiam: & quicunque viuit, iuſtus eſt.

Cauſſa efficiens regenerationis eſt Filius Dei, qui per Euangelium viuificat corda, & dat Spiritum ſanctum. Etſi enim fit viuificatio per omnes perſonas, tamen quomodo ſimul tres perſonæ efficaces ſint, piè conſiderandum eſt. λόγος dicit conſolationem, & oſtendit hanc eſſe voluntatem Patris, quòd ſimus recepti, & lucet in mente vt aſſentiamur. Et Pater per Filium dat Spiritum ſanctum, vt ſcriptum eſt Actor. 2, promiſsionem Spiritus ſancti accipiens à Patre, effudit eum.

Inſtrumentum regenerationis eſt miniſterium Euangelij & Sacramentorum, vt ait Petrus 1 Petri 1: Renati eſtis, non ſemine corruptibili, ſed per ſermonem viuentis Dei, & manentem in ſecula.

Semen regenerationis eſt verbum, & idem verbum eſt lac regeneratorum. Quia iiſdem rebus nutrimur, quibus conſtamus, vt nos ſumus conflati ex quatuor elementis, Ergo nutrimur corporibus, quæ & ipſa ſunt mix-

mixta ex quatuor elementis. Ita in hoc negotio verbum Dei vocatur à Petro ſemen regenerationis. Et in eadem epiſtola capite 2 dicitur lac, id eſt, nutrimentum eorum, qui ſunt regenerati. Inde extruimus hoc axioma iuxta Auguſtinum: Verbo regeneramur, nutrimur, augemur & corroboramur.

Et Iohan. 3: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum Dei.

Ex aqua. i. miniſterio verbi & Sacramentorum. Nam κατὰ συνεκδοχὴν pars pro toto ponitur. Aqua eſt inſtrumẽtalis cauſſa regenerationis. Spiritus eſt vera cauſſa efficiens. Inſtrumento non propriè tribuitur actio, ſed impropriè.

Et ad Titum cap. 3: Secundum miſericordiã ſaluauit nos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit ſuper nos opulẽter per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.

Paulus duas definitiones baptiſmi conſtituit: vnam collectã ex partibus, quæ extat Epheſ. 5: Mundans eam lauacro aquæ in verbo. Nam duæ ſunt baptiſmi partes integrales, Elemẽtum aquæ, & verbum, quo hæc ceremonia eſt inſtituta, ſicut Auguſtinus inquit: Tolle aquam, non erit baptiſmus, tolle verbum, non erit baptiſmus. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramẽtum. Altera definitio eſt cauſſalis, quæ extat cap. 3 ad Titum. Secundum miſericordiam ſaluauit nos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti. Coniungit hîc Paulus duas cauſſas, efficiẽtem, videlicet Spiritum ſanctum, qui eſt efficax per miniſterium verbi. 2, Inſtrumentalem, lauacrum aquæ, quod vocatur lauacrum renouationis, non quòd ſine Spiritu ſancto habeat vim regenerandi, ſed quòd Spiritus ſanctus hoc organo vtatur ad homines regenerandos & renouandos.

Materia in qua, eſt mens, voluntas & cor: quia lux & motus ſpirituales accenduntur in natura à Deo priùs condita, quæ non mutatur ſubſtantia, ſed qualitate, vt multa dicta piæ vetuſtatis affirmant.

Fuit mihi acerrima contentio cum homine fanatico Matthia Flacio Illyrico de hac quæſtione, An peccatum ſit accidens: An iuſtitia vel originalis, vel ea, quæ nunc reſtituitur per Chriſtum,

sit substantia, An ipsa regeneratio sit mutatio substantiæ. De his ille sic pronũtiabat audacissimè, contra sententiam Scripturæ, & contra totam antiquitatem, peccatum non esse accidens, sed substantiam: iustitiam non esse accidens, sed substantiam, & in regeneratione fieri non tantùm mutationem accidentis seu qualitatis, sed etiam ipsius substantiæ.

Augustinus in Enchiridio, capite 31: Tunc ergo efficimur verè liberi, cùm Deus nos fingit, id est, formar & creat, non vt homines, quod iam fecit, sed vt boni homines simus, quod nunc gratia sua facit.

Idem tractatu primo in Iohannem: Pecora non illuminãtur, quia pecora non habent rationalem mentem, qua possint videre sapientiam. Homo autẽ factus ad imaginem Dei, habet rationalem mentem, per quam possit percipere sapientiam. Ergo Christus lux est non animalium quorumcunque, sed hominum.

Vir reuerendus Iustus Menius, cùm esset motà controuersia ab Osiandro de iustificatione, solebat eum appellare Alchimistam, & eius Theologiam Alchimisticam, propterea quòd nihil haberet in sua Theologia, nisi solas substantias, & nulla accidentia admitteret. Scitis enim quid tractent Alchimistæ: ex argento conficere volunt aurum contra naturæ ordinem, sed meri sunt impostores. Nam Deus non patitur confundi species, quarum cõseruatio & distributio est summum argumentum prouidentiæ diuinę. Sic Theologi Flacciani possunt appellari Alchimistæ, quia non habent accidẽtia, sed tantùm substantias. Et certè sunt substantiales Theologi, quia tantum pecuniæ medicando collegerunt, vt etiã possint cõdere monasteriũ.

Tertullianus de resurrectione carnis, pag. 75. Vetustatem & nouitatem hominis ad moralem, non ad substãtialem differentiam pertinere defendimus.

Chrysostomus enarrans caput 4 ad Ephes. Subiectum veteris & nouæ hominis idem est, mutatio autem est accidẽtalis.

Verba Chrysostomi sunt: τὸ μὲν ὑποκείμενον τὸ αὐτό, ἡ δὲ μεταβολὴ περὶ τὸ συμβεβηκός. Paulus ad Ephes. 4, cùm multa dixisset de homine vetere & nouo, quasi se ipsum explicaturus, tandem addit declarationem horum vocabulorum,

bulorum, Quapropter, inquit, depoſito mendacio loquimini veritatem quiſque proximo ſuo. Iraſcimini, & non peccate. Qui furabatur, non ampliùs furetur. Hæc declarant quid ſit vetus, quid nouus homo. Si es mendax aut fur, es vetus homo. Si autem non ampliùs furaris, aut calumniaris, prælucēte tamen fide, tunc es nouus homo.

Baſilius in quadam epiſtola, pag. 654. Tres ſunt modi creationis. Primus eſt fabricatio rerum ex nihilo: Secundus eſt mutatio ſubiecti in meliorem ſtatū. Tertius eſt reſuſcitatio ex morte. Accommodat autem ad ſecundum modum dicta pſalmi 51. Cor mundum crea in me ô Deus. Et Pauli Gal. 5. de noua creatura.

Baſilij verba ſunt: τρεῖς κτίσεις εὑρήκαμεν ὀνομαζομένας ἐν τῇ γραφῇ. μίαν μὲν καθ' ὑπόθεσιν, τὴν ἀπὸ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγήν. δευτέραν δὲ τὴν ἀπὸ τῆς χείρονος εἰς τὸ κρεῖττον ἀλλοίωσιν. τρίτην δὲ τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν. ἐν ταύταις εὑρήσεις συνεργὸν πατρὶ καὶ υἱῷ τὸ ἅγιον πνεῦμα. Primum modum creationis, id eſt, fabricationem totius vniuerſitatis rerum ex nihilo, deſcribit Moſes Geneſ. 1. Alter modus eſt regeneratio, quæ eſt mutatio non ſubſtantiæ, ſed qualitatis, vt aliquoties dicit Proſper diſcipulus Auguſtini. Quidquid in homine in melius mutatur, hoc fit à Creatore. Mutatur autem non ſubſtātia, ſed qualitate. De hoc modo pſalmus 51. loquitur: Cor mūdum crea in me ô Deus. Non petit nouam ſubſtantiam cordis creari, quæ iam condita eſt, ſed petit in hac ſubſtantia, quæ condita eſt, accendi nouam lucem & nouos motus placentes Deo. Sic Paulus Galat. 5. loquitur de noua creatura. Tertius modus, videlicet reſuſcitatio ex morte, non eſt prorſus noua ſubſtātiæ creatio. Nam hæc caro, quam nunc circumfers, eſt reditura, ſeu reſurget in die nouiſsimo, ſiue ſepeliatur in terra, ſiue diſſipetur in aēre. De hoc modo dicitur pſalm. 104. Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Nam hunc verſum Baſilius & ceteri ſcriptores intelligunt non de prima rerum fabricatione, ſed de reſuſcitatione mortuorum.

Sed non eſt opus teſtimoniis in re manifeſta, de qua omnes pij omnium ætatum conſentiunt.

Sic autem fit regeneratio, & fic fit homo templum Dei, ſicut Adam in prima conſolatione ſenſit ſe ſe ex morte liberari, quia eo-

Cauſa formalis regenerationis.

dem modo fiunt in omnibus conuerſio & conſolatio. Cùm Adam poſt lapſum à Deo arguitur, horribiliter expaueſcit, ac verè ſentit dolores mortis, & pericula inferni. His enim verbis pſalmus 116. mortificationem deſcribit. Tandem verò audit vocem promiſſionis, quæ affirmat: Semen mulieris contriturum eſſe caput ſerpentis, id eſt, vt Iohannes interpretatur 1. Iohannis 3. deſtructurũ eſſe opera Diaboli, peccatum & mortem.

Opera Diaboli duo ſunt præcipua: vnum eſt peccatũ, alterũ eſt mors, quæ eſt pœna peccati. Sed quomodo deſtruit Chriſtus hæc opera? Dupliciter. 1. merito ſuo. 2. efficacia. Merito quidem, quia ſoluit Deo Patri λύτρον pro noſtris peccatis & contumacia, vt Paulus inquit: Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei per illum. Efficacia verò, quia non tantùm imputat nobis Chriſtus ſuum meritum & obedientiam, ſed etiam in nobis eſt efficax, & re ipſa tollit ac delet ex noſtra natura peccatum & mortem, dat Spiritum ſanctum, & incoat in nobis nouam obedientiam, ſeu iuſtitiam & vitam.

Cum hac voce ſimul Filius Dei in mente primi parentis eſt efficax, dicit conſolationem, oſtendit hanc eſſe voluntatem Dei, vt Adam habeat remiſſionem peccatorum, viuificat eum, & confirmat aſſenſionem, ac effundit Spiritum ſanctum in cor Adæ, qui cùm ſit lætitia, iam lætatur Adam in Deo rectè agnito, ſeu agnita miſericordia, & accenduntur motus tales, qualis eſt ipſe Spiritus ſanctus, iuxta dictum Ieremiæ:

Dabo Legem meam in corda eorum. Hæc mutatio non quidem ſubſtãtiæ, ſed qualitatum eſt regeneratio ſeu vera conuerſio ad Deum.

Propheta eo in capite tradit diſcrimen veteris & noui Teſtamenti, ſeu quod idem eſt, Legis & Euangelij. Lex deſcribit iuſtitiam & vitam Deo placentem, præcipit quales nos eſſe debeamus, monſtrat, quæ obedientia Deo placeat. Sed nec iuſtitiam nec vitam exhibet nobis, quia noſtra natura non congruit ad normam Legis, vel vt Paulus Rom. 8. dicit: Lex per carnẽ infirmatur. Et Gal. 3. Si eſſet data Lex, quæ poſſet viuificare, verè ex Lege eſſet iuſtitia &c. Filius autem Dei per Euangelium reſtituit nobis vtrumque bonum; iuſtitiam & vitam. Hæc ipſa reſtitutio ſignificatur his verbis:

Dabo

Dabo Legem meam in corda eorum, id est, Antea eam scripsi in tabulis saxeis, nunc scribam per Spiritum sanctum in corda, & perficiam, vt illa sint conformia Legi. Dat igitur Filius Dei in regeneratione pro tenebris lucem, pro dubitatione assensionem, pro diffidẽtia fiduciam, pro fuga Dei, aditum ad Deum, sed hæc mutatio non est substantiæ, sed qualitatis.

Finis seu effectus regenerationis est incoatio nouæ & æternæ vitæ [*causa finalis*] quæ est noua & æterna lux, sapientia & iustitia, & renouatio imaginis Dei, quæ fit, Deo se nobis communicante, cùm Filius Dei voce Euangelij consolatur corda, & effundit in ea Spiritum sanctum, qui omnes virtutes necessarias iuxta Decalogum in renatis incoat, vt verbi causa, timorem Dei, fiduciam, dilectionem Dei, iustitiam erga proximos, veritatem, castitatem. Sic apud Ieremiam dicit Deus: Dabo Legem meam in corda eorum, id est, Accendam motus congruentes Legi in cordibus eorum. Et Paulus 2. Timoth. 1. trium virtutum. fortitudinis, dilectionis & modestiæ appellatione, complexus est totius Decalogi virtutes. Et Galat. 5. Recensentur fructus Spiritus, qui nihil aliud sunt, quàm conformitas cum Lege Dei.

Postremò constantissimè explodenda sunt deliria omnium Enthusiastarum, qui abducunt homines à ministerio vocis diuinæ, & negant Deum per hoc medium efficacem esse.

Contraria seu pugnantia.

Enthusiastæ dicuntur numine afflati, ἐνθουσιάζειν significat habere instinctum aliquem seu afflatum diuinum. Sunt autem duplices Enthusiasmi. 1. Alij à bono Spiritu afflantur & reguntur, vt Prophetæ, de quibus Petrus inquit 2. Petri 1. Non voluntate hominis allata est olim prophetia, sed à Spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines. 2. Alij sunt à malo Spiritu seu à Diabolo, qui est mendax & homicida. His nomen Enthusiastarum vsitatè tribuitur, vt sæpè vocabulum commune seu medium trãsfertur in malam partem. Sed quomodo differunt Prophetæ in Ecclesia ab Enthusiastis, qui habẽt afflatus Diabolicos? De hac quæstione respondet Paulus 1. Corinth. 14. Spiritus Prophetarum Prophetis subiiciuntur, id est, sancti homines, Prophetæ ita reguntur à Spiritu sancto, vt possint loqui vel tacere, & nõ

deturbentur de sua mente & sanitate. Fanatici verò Enthusiastæ non habent sibi subiectos Diabolos, sed Diaboli sic eos impellunt, vt fiant furentes, & non possint tacere, aut sese reprimere cùm volunt. Talis est in 6. Aen. Ethnica mulier Sibylla Enthusiastica.

--cui non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorq; videri,
Nec mortale sonans, affl ata est numine quando
Iam propiore Dei.

Diabolus deformat sua organa, inflat ea, & omnia in eis peruertit. Spiritus sanctus in suis organis sic est efficax, vt ea non deiiciat de gradu sapientiæ, modestiæ & verecundiæ.

Quòd autem per vocem Euangelij & administrationem Sacramentorum detur Spiritus sanctus, clarè testatur historia Apostolorum, vt cap. 2. scribitur: Agite pœnitentiã, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi in remissionẽ peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Et Actor. 10. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.

Lutherus in quadam publica concione his verbis laudabat Acta Apostolorum, Hic liber est, quo possumus frangere & comminuere caput Papæ. Certè si nõ extaret liber Actorum Apostolicorum, non haberemus exempla illustria, quę declarant, quale genus doctrinę sparserint Apostoli in mundo, & quàm fuerit efficax Spiritus sanctus per ministerium verbi, sed Papa diceret cum suis assecl is, nos fingere doctrinam pugnantem cum Apostolis, & multi Enthusiastæ dicerent, Deum non esse efficacem per hæc media, per verbum & Sacramenta. Vterosque igitur Papistas, & Enthusiastas euidenter refutare possumus ex historia Actorum Apostolicorum.

Hæc exempla cõgruunt cum dictis: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, instrumentum, per quod Deus est efficax ad salutem in credentibus. Item: Euangelium est ministerium Spiritus. Nec verò ita intelligatur hæc efficacia, vt cùm Sol spargit radios in doliũ,

Paulus 2. Cor. 3. discernit Legem & Euangelium, & expresiè sed

sed sciendum est oportere nos audire Euangelium, idque cogitare, & assensu amplecti, & repugnare dubitationi, quod cùm facimus, simul Spiritus sanctus est efficax in ipsa consolatione, & in hac lucta, vt præclarè dixit Augustinus tractatu 76. in Iohānem: Pater, Filius & Spiritus sanctus veniunt ad nos, dū venimus ad illos, veniunt subueniendo, venimus obediendo, veniunt illuminando, venimus intuendo, veniunt implēdo, venimus capiendo.

concionatur de efficacia ministerij. Recitat autem duo discrimina. Alterum ab effectibus propriis, alterum à modis, qui accedunt effectibus seu ab adiunctis. 1. Effectus proprius Legis est maledictio. Euāgelij effectus est pax & vita, vt Spiritus viuificat. Itē, Euangelium est ministerium Spiritus, quia non tantùm per hoc organon est efficax Spiritus sanctus, sed etiam verè datur per hoc medium. Vtitur autem Paulus ad declarationē effectus Euangelij argumento à minori. Si Lex est efficax, quantò efficacius est Euangelium. Alterum discrimen sumit ab adiunctis, vel à modis, qui accedunt effectibus. Lex politicam gloriam habet, incurrentem in omnium oculos, vt sunt certa sedes & glorioſæ victoriæ. Euangelium non habet similem gloriam: quia πολίτευμα nostrum in cælis est.

Quibus datur Spiritus sanctus.

CAPVT VII.

DE hac quæstione ipse Deus apud Ioëlem respōdet: Effundam, inquit, de Spiritu meo, super omnem carnem, & omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Occurrit autem præcipuis animorum nostrorum curis, & opponit consolationes maximè congruentes. Accusat nos horribilis immundicies nostra, & mens polluta fugit Deū. Nihil potest dulcius, nihil efficacius ad nos consolandos dici, quàm illud Ioëlis, quo etiam vtitur Petrus Actor. 2. die Pentecostes. Itaque lectio Ioëlis sit nobis vel ob hanc causam commendata,

quia ſuppeditauit Apoſtolis materiam primæ concionis habitæ ipſo die Pentecoſtes.

Huic terrori & fugæ opponitur appellatio carnis, quę ſignificat naturam miſeram, imbecillem, ream, pollutam. Etſi igitur nihil ſumus, niſi ἐκτρώματα, hoc eſt, rudes & informes maſſæ abortu editæ, immaturæ, contaminatæ, tamen largè effuſeq; donatur nobis Spiritus ſanctus, quia ſordes noſtræ à Filio Dei, quaſi quodam vmbraculo teguntur.

Deinde excruciat nos Euripidis cogitatio, quæ hoc verſu expreſſa eſt: Magna Deus curat, parua negligit. Huic dubitationi medetur particula vniuerſalis, bis repetita in promiſsione diuina apud Ioëlem: Effundam de Spiritu meo ſuper omnẽ carnem. Itẽ: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Duæ ſunt præcipuæ tentationes, quibus duriter excruciantur animi noſtri. Prior eſt de noſtra indignitate, & de noſtris miſeriis. Altera de particularitate. Prior tẽtatio ex Lege exiſtit, quę nos accuſat propter immunditiem & ſordes, quas in natura noſtra circumferimus inde vſque à principio ortus noſtri vſque ad finem vitæ. Sic enim argumentamur:

Peccatores Deus non exaudit.
Ego ſum miſer peccator.
Igitur non exaudiet me Deus, nec dabit mihi Spiritum ſanctũ ſuum.

Huic tentationi opponẽdum eſt dictum Ioelis, in quo appellatio carnis ſignificat naturam immundam, ream & pollutã: ſicut Paulus 1. Corinth. 15. vocat ſe magna humilitate ἔκτρωμα, quod ſignificat abortũ. Tales maſſæ immundæ, rudes & informes nos ſinguli ſumus.

Altera tentatio de particularitate ſeu de electione oritur ex ratione, quæ ſic argumentatur:

Deus dat æqualia æqualibus.
Ego & Ioſeph ſumus inæquales.
Ergo Deus non dat nobis æqualia.

Scio dari quidem Spiritum ſanctum & vitam æternam Ioſeph, ſed quomodo credam illa bona mihi etiam dari, cùm nihil ſim collatus ad Ioſeph. De hac obiectione reſpondet Ioel, & contra eam repetit vniuerſalem particulam, Super omnem carnem, & addit epiphonema: Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Hoc dictum vrget Paulus Rom. 10. Idem Deus diues in omnes, qui ipſum inuo-

inuocant. Includamus igitur & nos ipsos in hanc vniuersalem, nec disputemus sine Euangelio de prædestinatione.

Te igitur æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cæli & terræ, & hominum & Ecclesiæ tuæ, vnà cum Filio tuo & Spiritu sancto, supplices oramus, vt propter Filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam, Mediatorem & deprecatorem, nostri miserearis, ac Spiritu sancto tuo nos tibi copules, & in nobis veram lucem & iustitiam accendas. Liberalitas tua immensa in dando hoc munere, Filij dicto celebrata est, Lucæ 11: Quantò magis Pater cælestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Tu vis peti hoc munus, & petentibus affirmas te auidè daturum esse. Speramus igitur nostra vota exaudita esse.

Ardens precatio multò melior est, quàm disputatio: An detur Spiritus sanctus repugnantibus.

Quomodo excutitur Spiritus sanctus?

CAPVT VIII.

SIcvt consolatio proposita in Ioele fidem in nobis excusitat, confirmat & auget: ita doctrina huius capitis est dulcis nutricula timoris Dei. Multi enim habuerunt gubernatorem Spiritum sanctum, qui tamẽ velut equi indomiti sessorem excusserunt, vt Saulis initia fuerunt lætissima, sed exitus tragicus & tristissimus. Ac multò facilius est excutere hoc donum, quàm recipere. Non enim omnes lapsi resurgunt, sed multi opprimuntur desperatione. Ideo simus modesti, & vt Paulus loquitur Philip. 2. Cum timore & tremore salutem operemur, &c. Et psalm. 2. dicitur: Seruite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore. Debemus Deum diligere vt Patrem, & metuere vt Dominum & vindicem. Militemus igitur bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam: quod qui facient,

retinebunt Spiritũ ſanctum, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ &c.

Cùm aſſentitur homo errori in vno vel pluribus articulis fidei, ſine ſciens ſiue deceptus, amittit Spiritum ſanctum, iuxta dictũ: Qui non credit, iam iudicatus eſt. Iohan. 3.

Fons huius reſponſionis oritur ex hac diſtinctione. In hominibus renatis duo poſſunt eſſe gradus peccati regnãtis ſeu mortalis, quorum alter pugnat cum fide, alter cum bona conſcientia, id eſt, duo ſunt peccata, propter quę homo renatus ex amico Dei fit hoſtis, & ex filio chariſsimo fit mancipium Satanæ, videlicet: 1. Error in doctrina pugnans cum fundamento, id eſt, cum Decalogo & cum articulis fidei, quorum ſumma comprehenſa eſt in Symbolis, Apoſtolico, Niceno, Athanaſiano. 2. Lapſus contra conſcientiam, vt furtum, adulterium, homicidium, mendacium, periurium. Sed vnde ſumitur hæc diſtinctio? Ex celeberrimo dicto Pauli 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam. Item in eodem loco. Summa mandati eſt dilectio ex corde puro, id eſt, fide purificato, ex conſcientia bona & fide non ficta. Nolite putare, nobis tãtùm in extremo iudicio reddendam eſſe rationem vitæ & morum, ſed hoc ſingulis perſuaſum ſit, nobis reddendam eſſe rationem omnium maximam de fide noſtra. Hæc cùm ita ſint, vnuſquiſque diſcat doctrinam Eccleſiæ integram, puram & incorruptam, & videat quos doctores audiat, à quibus accipiat doctrinã, ne vel ſciens vel ignarus decipiatur. Sed an non ignorantia excuſat? Reſpondeo. Quædam ignorantia excuſat, ſed ignorantia Euangelij neminem excuſat, quia dicitur: Hunc audite. Deus ſemper collocauit Eccleſiã in medio generis humani, vt poſsit eius vox vndique ab omnibus exaudiri.

Etſi autem in omnibus ſanctis in hac vita caligo eſt, nec ſatis intelliguntur articuli fidei, & aſſenſio eſt languidior, aut etiam extruuntur ſtipulæ ſupra veram doctrinam: tamen hęc imbecillitas differt ab euerſione articuli fidei, ſeu ab aſſeueratione cõtraria. Neceſſe eſt enim fundamentum ita teneri, ne penitus

Sumtum hoc eſt ex 1. Cor. 3. Fundamentum nemo aliud ponere poteſt præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Quòd ſi quis ſuperſtruit ſuper fundamentum hoc, aurum, igno-

ignoretur vllus articulus fidei, aut ne contrarium asseueretur.

argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas, cuiusque opus manifestum fiet: dies enim declarabit. Et cuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Vtitur in hoc loco venustissima comparatione sumta ab architectis, quorum precipua cura est de fundamento, quod nisi probè fuerit iactum, quidquid superstruxeris, ruet. Iacto fundamento altera deliberatio est de exædificanda mole, quæ imponenda est fundamento, ibi alius marmoream domum ædificat, alius lateritiam, alius ligneam, alius stramineam, vt sunt cuiusq; facultates. Quæ est optima δοκιμασία seu probatio discernens ædificationem firmam ab infirma? Incendium, in quo stipulæ & ligna facilè concipiunt ignem. Marmor & lapides difficiliùs abigne vincuntur. Ita in doctrina Ecclesiæ, fundamentum est promissio gratiæ de Christo. Qui hoc tenet, fit saluus. Si credis Christum mortuum esse propter peccata tua, & resuscitatum propter iustificationem tuam, & hoc non tantùm sentis in corde, sed etiam ore confiteris in periculis vitæ, tunc saluus eris, Rom. 10. Huic fundamento, quo nititur nostra salus, alij doctores addunt gemmas, aurum, argentũ &c. id est, illustrãt articulos necessarios doctrinæ Christianæ. Vt Polycarpus, Irenæus &c. Alij, etsi retinẽt fundamentum, & fiunt salui: tamen addunt stipulas, id est, traditiones humanas, somnia carnis, quæ pereunt in incendio, id est, in tentationibus & aditu mortis. Sic Bernhardus retinet fundamentum, sed addit stipulas, de votis monasticis: & cùm peruenit ad vitæ exitum, in tentationibus sentit sola Dei misericordia opus esse ad salutem consequendam.

Præterea homo violans mandatum Dei contra conscientiam, amittit Spiritum sanctum, & rursus fit reus iræ Dei, & ruit in æternum exitium, si non fiat conuersio in hac vita. Sic Adam lapsu voluntario excusit Spiritum sanctum, & sibi ac posteris tristissimas pœnas accersiuit, sed recepta est hominum natura à Deo propter Filium Mediatorem, & prima copulatio, ad quam conditi eramus, eiusdem beneficio instaurata est. Quid dicam de Dauide, qui & ipse hunc gubernatorem excusit, & in multis piis, vt Pauli verbis vtar, dolore eum affecit? Dolet enim propter nostros la-

Eph. 4: Nolite contristare Spiritum sanctum. Nulla oratio tristior extat in toto Paulo, quàm hæc vox: Nolite cõtristare

pſus,& propter noſtras calamitates multas, quæ ſequũtur delicta. Quamobrem retineamus puritatem doctrinæ magna cura & ſolicitudine, conſideratis fontibus,& vitemus lapſus contra conſcientiã, ne Spiritus ſanctus ex noſtris pectoribus excutiatur. Denique omnes exuſcitemus nos ad hanc curam, vt & reſtituatur in nobis coniunctio cum Deo, & maneat integra. Spiritum ſanctum, quo eſtis obſignati. Stoicus aliquis iſta legẽs, obiiciat, An tu Deo tribuis dolorem & affectus humanos? Reſpondeo: Omittamus Stoica deliria, & nos aſſentiamur Scripturæ tribuenti Deo lætitiam, triſtitiam, iram & reliquos affectus, quos certum eſt in Deo eſſe veros, & nõ ſimulatos, etiamſi nos intelligere non poſſumus, quomodo in Deo ſint affectus illi. Huc pertinet regula Auguſtini: Si potes capere, cape. Si non potes capere, crede. Et Chryſoſtomus: Λεῖ δ πείθεσθαι τοῖς ὑπὲρ ἡμᾶς λεγομένοις, ὑπὲρ ἐρίζεσθαι, κἂν τὸν λόγον αὐτῶν ἀγνοῶμεν.

De applicatione doctrinæ hactenus traditæ ad vſum.

CAPVT POSTREMVM.

CElebratur dictum Ariſtotelis, quo ait, illam philoſophiam ſolam probandam eſſe, quæ habet vſum in aliqua parte vitæ, id eſt, quæ conducit vel ad ſapientiam, vel ad eloquentiam. Ita nos poſſumus dicere, eam doctrinam in Eccleſia valde eſſe probandã, quæ habet vſum in quotidianis exercitiis pietatis. Nam regnum Dei, vt Paulus inquit, non conſiſtit in ſermone, ſed in virtute, id eſt, in exercitiis pietatis. Eſt autem doctrinæ hactenus traditæ præcipuus vſus in cultu inuocationis, quæ eſt maxima Eccleſiæ virtus & propria, maximéq; neceſſaria, & præcipuum præſidium in publicis & priuatis miſeriis, denique eſt radix omnium aliarum virtutum. Quia, vt ait Macarius in quadam homilia: Inuocatio non tantùm eſt caput omnis boni, ſed etiam eſt illa virtus, qua à Deo impetrare poſſumus, omnia alia bona & omnes virtutes.

Cùm

Cùm finis sit totius doctrinæ de Deo & de tribus personis, vera Dei inuocatio, admonitiones aliquas recitabo de vsu huius doctrinæ in quotidiana precatione.

Multæ sunt causſæ, propter quas assiduè exercenda sit inuocatio, sed hæc non est postrema, quòd inuocatio sit præcipuum Ecclesiæ decus, & sit illa virtus, quæ discernit Ecclesiam ab omnibus aliis sectis. Magna est virtus Scipionis abstinentis ab aliena sponsa, & fortiter pugnantis pro patria, & parcentis suæ patriæ, & cum maxima patientia vincentis ædiles, Tribunos & Catonem incitatorẽ. Magna est iustitia Aristidis ciuis Attici, sed nec Scipio, nec Aristides hac virtute præditi fuerunt, quæ nominatur vera Dei inuocatio. Neque enim essentiam Dei aut voluntatem eius de nostra salute cognitam habuerunt. Ideóq; omnis ipsorum precatio aberrauit à Deo, & fuit coniuncta cum dubitatione, an Deus exaudiat preces. Ecclesia autem superat alias sectas vera inuocatione Dei. Quare vel ob hanc causſam sæpe recitantur piæ preces, vt sit illustris distinctio inter eos, qui sunt membra Ecclesiæ, & alios, qui sunt extra Ecclesiam.

Prima est. Omnis vera inuocatio, quæ fit ad Deum, complecti debet Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Nam in precatione Dominica Pater est nomen essentiæ, non tantùm vnius personæ. Et in formula baptismi nominatim tres personæ recensentur, & tribuitur eis par potentia & honor, videlicet liberatio à peccato & à morte, donatio iustitiæ & vitæ æternæ.

Tota diuinitas est Pater, respectu nostri & Ecclesiæ, sed respectu Filij Λόγου, prima persona specialiter appellatur Pater. Quãdo enim Deus confertur cum creaturis, seu opponitur creaturis, seu discernitur à creaturis, fit mentio vnius æternæ essentiæ. Quando verò intra se extra creaturas describitur diuinitas, ibi necesse est personas discerni.

Sic Polycarpus impositus rogo ardenti, tres personas in inuocatione complexus est: Deus Pater dilecti Filij tui Iesu Christi, per quem agnitionem tui accepimus, conditor vniuersæ creaturæ, te inuoco, te confiteor esse

Polycarpi precatio extat apud Eusebium li. 4 histor. Ecclesiast. pag. 38. vide de Polycarpo Chronicon Philippi in parte secunda,

verum Deum, te glorifico per Pontificem dilectum Filium tuum, cum Spiritu sancto, suscipe me, & fac me socium resurrectionis sanctorum tuorum.

& in oratione de vita Polycarpi 2 tomo declamat. Cuius summa hæc est: Polycarpus Episcopus Smirnæus fuit auditor & discipulus Iohannis Apostoli, qui in vrbe Epheso non tantùm rexit sanctissimum ministerium Euangelij, sed etiam habuit suam scholam, ex qua prodierunt præclari milites Christi, Ignatius, Polycarpus & Papias, & multi alij. Polycarpus autem, cùm vixisset annos 86, admodum senex raptus est ad supplicium, tempore M. Antonini philosophi, quod magno animo pertulit, vt hæc ipsius precatio declarat, quæ est contexta ex multis floscul is Scripturæ. Impositus igitur rogo, cùm vis flammarum eum non consumeret, sed ei parceret, (vt Virgilius in Aethna loquitur de duobus adolescentibus, qui suos parentes ex incendio humeris impositos extulerunt:

Erubuêre pios iuuenes attingere flammæ,
Et quacunque ferunt illi vestigia, cedunt,
Nam meritò pietas homini est tutissima virtus)

iussit tyrannus executor supplicij eum gladio transfodere: ita clausit suam vitam vir sanctissimus, de quo verè dicitur illud, quod in Apocalypsi de martyribus recitatur: Hi sunt qui venerunt ex afflictione magna, & dilatauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas per sanguinem agni.

Et Basilius in lib. de Spiritu sancto, cap. 29 hoc dictum Eusebij Palæstini citat: Sanctum Deum lucis conditorem per Saluatorem nostrum Iesum Christum cum Spiritu sancto inuocantes &c. Ac talis inuocatio illustre testimonium est de diuinitate Filij & Spiritus sancti, quia Deus solus videt corda petentium, & discernit veram inuocationem à simulata.

Nominat Deum φωταγωγὸν, lucis conditorem. Nam inter omnes qualitates nulla est melior, nulla præstantior, nulla iucundior quàm lux, quia & sese monstrat, & præbet conspiciẽda alia corpora. Et Deus ipse primo die creationis cõdidit lucem, vt ipso facto ostenderet, se esse lucẽ seu lucidam essentiam, experté caliginis & tenebrarum. Si Deus omnia corpora condidisset, & non addidisset lucem, quæ posset percipi ex eis vtilitas vel voluptas?

Secunda

Secunda admonitio. Simul etiam cogitet pia mens de distinctione personarum, vt discernatur inuocatio vera ab Ethnica inuocatione. Suprà autem de duplici discrimine personarum satis dictum est.

Discrimen personarum aliud est internum, quod sumitur ab arcanis actionibus, vt à generatione & processione. Solus Pater gignit, solus Filius nascitur, solus Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Aliud sumitur à beneficiis erga Ecclesiam. Pater mittit Filiũ & Spiritũ S. sed magno discrimine. Mittit Filium, vt fiat victima pro nostris peccatis, & sit perpetuus Mediator inter Deum ac homines, & sit interpellator ac deprecator. Spiritum sanctum effundit, vt sit sanctificator, vt nos regeneret & renouet ad vitam æternam, & in nobis restituat imaginem Dei.

Tertia admonitio. Quoties incipis precationem, non tantùm cogites, quem Deum, & quomodo patefactum & distinctum à commentitiis numinibus velis alloqui, sed etiam qualis sit Deus, & cur exaudiat. Est autem sapiens, beneficus, iustus, verax, iudex, castus, liber, misericors, recipiẽs nos propter Filium Mediatorem. Hæc omnia in qualibet inuocatione cogitari necesse est.

EXPLICATIO TEXTVS DE SPIRITV SANCTO.

SEPTIMA regula studiorum traditur à Platone in 2 epistola, his verbis: πολλάκις δὲ λεγόμενα καὶ ἀεὶ ἀκούμενα, καὶ πολλὰ ἔτη, μόγις ὥσπερ χρυσὸς ἐκκαθαίρεται μετὰ πολλῆς πεσγματείας. Etiam cum eadem doctrina sæpe repetitur, & multis annis auditur, vix tamen vt aurũ purgatur cum magnis exercitiis. Nam vt Epictetus inquit: εἰδέναι χρὴ ὅτι ῥᾴδιον δόγμα παραγινέσθαι ἀνθρώπῳ, εἰ μὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ αὐτὰ καὶ λέγηται, καὶ ἀκούῃ, καὶ ἅμα χρᾶται πρὸς τὸν βίον, id est, doctrina non potest radices agere in animo, nisi quis eadem ab aliis & audiat, & ipse dicat, & transferat ad vsum. Hæc dicta ideo nunc repeto, ne quis putet, se inanem laborem conferre in iisdem rebus toties audiendis, quarum crebra repetitio solet multis parere fastidium.

Nomen Spiritus in genere significat agitationem]

Definitio nominis. Nam alia definitio est nominis, alia rei. Talis est distinctio illa: Ius aliud est nominis, aliud rei. Vnde quæritur, vtrum Papa Imperatoribus conferat ius rei, id est, ipsum Imperium. Respondeo. Nequaquam. Nam ius rei confertur à septem Electoribus Imperatori. Papa sua renuntiatione seu coronatione tantùm confert ius nominis.

Significat agitationem, aut naturam, seu vim agitantem]

Seneca lib. 6 quæst. natural. Nobis placet hunc Spiritum esse, qui tanta posset conari, quo nihil est in rerum natura potētius, nihil acrius, sine quo nec illa quidē, quæ vehementissima sunt, valent. Ignem Spiritus concitat: Aquæ, si ventum detrahas, inertes sunt, tunc demum impetum sumūt, cùm illas agit flatus, qui potest dissipare magna spatia terrarum, & nouos montes subiectos extollere, & insulas non antè visas in medio mari ponere. Hæc Seneca in disputatione de causis terræ motus.

Nos verò hanc descriptionem Spiritus ideo attentiùs considerēmus, quia sicut lux primo die condita, testatur Deum esse lucidam essentiam: ita natura Spiritus, quæ est efficacissima, non solùm in reliquis mundi corporibus, sed etiam in nostro corpore, significat, Deum esse Spiritum agitantem & mouentem omnia, iuxta dictum Actorum 17: In ipso viuimus, mouemur & sumus.

Viuificat corda]

Hæc phrasis sæpe in Scriptura vsurpatur de persona Spiritus sancti. Iohan. 6: Caro nō prodest quicquam, Spiritus est qui viuificat.

Caro, id est, carnales imaginationes de manducatione Messiæ. Ante annos sex in colloquio VVormatiensi quæstio proponebatur Theologis: An caro Christi, seu corpus illius traiiciatur in ventriculum. Hæc verè est imaginatio Capernaitica.

Rom. 8: Sensus carnis, mors, sensus Spiritus est vita & pax. 2. Corinth. 3: Litera occidit, Spiritus viuificat.

φρόνημα, Gesinnet seyn. Est nomen generale, & complectitur actiones mentis & voluntatis, id est, opiniones & affectus corruptæ naturæ.

Hic est Filius meus dilectus]

Hæc verba sæpe cogitāda sunt, & vt

& vt nos confirment de hoc articulo, videlicet de discrimine personarum Patris & Filij, & vt nos commonefaciant de ingenti amore æterni Patris erga suum Filium & erga Ecclesiam, quæ est hæreditas *psal.2 & 18.* Filij. Verè enim à Paulo dictum est Ephes.1: Dilexit nos propter dilectum, id est, vt Iohannes inquit cap.1: Ex plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Et Filius Dei Iohann.17 hæc vota pro Ecclesia facit: Sit tua dilectio in eis, qua me diligis, id est, eadem σοργῇ complectaris Ecclesiam, qua me Filium vnigenitum complecteris. Eadem verba, quibus Pater æternus vtitur in baptismo Filij, extant apud Esaiam cap. 42: Ecce seruus meus, sustentabo eum, electus meus, quo delectatur anima mea. De hoc amore æterni Patris erga Filium & erga Ecclesiam admoneant nos σοργαὶ nostræ, quæ non tantùm sunt vincula societatis humanæ, sed etiam commonefactiones de vero & ardenti amore Patris erga Filium, & totius diuinitatis erga Ecclesiam, vt Iohannes in epistola inquit: Deus est charitas. Et psalm.103 dicitur: Sicut Pater miseretur filiorum, ita Dominus miseretur timentium se.

Mittitur in corda] Deus tribus modis se obligauit Ecclesiæ: primùm verbo seu promissione: deinde scripto: tertiò pignore, videlicet misso Filio vnigenito, & donato Spiritu sancto. Differunt autem causæ finales missionis Filij & Spiritus sancti, teste Paulo Galat.4: Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub Lege, vt eos, qui sub Lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum consequeremur. Et quoniam filij Dei sumus, misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra clamãtem, Abba, Pater. Cùm autem filij simus, erimus etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Hæc verba testantur, aliter mitti Filium, aliter mitti Spiritum sanctum. Filius mittitur in carne, vt sit redemtor: Spiritus sanctus mittitur non in carne, sed in verbo & Sacramentis, vt sit sanctificator. De hac triplici obligatione Dei erga Ecclesiam Augustinus psal.109 præclarè dicit: Fidelis Deus se nostrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiẽdo, sed tanta nobis promittẽdo. Parum erat promissio, etiam scripto se teneri voluit, velut faciens nobiscum chirographum promissorũ suorum. Non solùm autem scripturam cum hominibus fecit, vt crederent, sed etiam fidei suæ posuit Mediatorem vnicum Filium suum. Hæc Augustinus. Congruũt autem ista ad distinctionem, quæ traditur à Iurisconsultis,

qui dicunt quatuor modis obligationem contrahi. 1, verbis, id eſt, ſtipulatione. 2, Literis, vt ſunt chirographa. 3, Re ipſa, vt ſunt pignus & depoſitum. 4, Conſenſu, vt in emtione & venditione. Has ſpecies obligationis accommodat Auguſtinus ad obligationem Dei. Initiò Deus ſe obligauit tradito verbo & promiſsionibus: deinde vt eſſet promiſsionis memoria ad diuturnitatem ſtabilis, iuſsit promiſsiones per Prophetas tanquam ſuos notarios mandari certis monumentis literarum. Tertiò, vt tolleret ex mentibus noſtris omnem dubitandi occaſionem de voluntate ſua & noſtra ſalute, addidit verbis & literis duo pignora maxima, Filium in carne, & Spiritum ſanctum arrhabonem in cordibus noſtris.

Paracletus] Solutio obiectionis:

Qui confundit officia, confundit perſonas.
Scriptura videtur miſcere officia Chriſti & Spiritus ſancti, quia vtrumque appellat paracletum.
Ergo videtur confundere perſonas.

Reſpondeo ad Minorem. Filius eſt paracletus, 1 Iohan. 3, quia interpellat pro nobis, id eſt, quia applicat nobis ſua merita. Spiritus ſanctus eſt paracletus, quia mouet corda ad inuocationem.

Spiritus veritatis] id eſt, oſtẽdens veram doctrinam, flectens corda ad veræ doctrinæ aſſenſionem, & efficiens vera & æterna bona in cordibus hominum, non vmbras fugaces & euaneſcentes. Veritas propriè ſignificat congruentiam opinionum, ſermonum, geſtuum & rerum. Ita eſt quædam velut harmonia, ad quam requiruntur hæc quatuor, opinio, ſermo, geſtus & res ipſa. Hæc enim omnia quando inter ſe cõueniunt, tunc merẽtur laudẽ veritatis. Deinde ſignificat μετάληψιν ſeu propoſitum conſtans, dicendi vera, & ſeruandi promiſſa. Tertiò, per metalepſin vſurpatur veritas pro veris rebus & bonis, quæ non ſunt vmbræ, vt Iohan. 1, vbi traditur diſcrimen Legis & Euangelij. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Hoc loco veritas ſignificat vera & permanentia bona, non vmbras perituras. Magnum fuit beneficium politia Moſaica, templum, ſacerdotium. Sed hodierno die, qui eſt octauus Septembris, funditus eſt deleta Hieroſolyma à Tito. Talia bona nõ affert Chriſtus, ſed vera bona, ſapientiã, iuſtitiam, lætitiam in Deo, vitam & Spiritum ſanctum. Veritas igitur aut propriè ſignificat vel notitiam, vel μετάληψιν: aut improprie

priè significat per metalepsin res non euanescentes: sic Spiritus sanctus dicitur Spiritus veritatis, non tantùm quòd ipse sit verax, sed quòd etiam efficiat veraces, non hypocritas.

Vnus est Spiritus] Sequitur in eodem textu: Et singulis diuidit, vt vult. Hęc non possunt dici de motu creato, sed personæ conueniunt.

Spiritus Christi] Cur Spiritus sanctus dicitur Spiritus Christi, vel, vt dicitur Galat. 4: Spiritus Filij, misit Spiritum Filij sui? Respondeo. Quia Spiritus sanctus non tantùm à Patre, sed etiam à Filio procedit, deinde quia per eum, & propter eum hic Spiritus Ecclesiæ donatur.

Omnes electi omnibus temporibus] Hæc congruunt cum articulo Symboli: Credo Ecclesiam sanctam Catholicam. Sic autem vocatur Ecclesia respectu temporis & loci. Temporis, quia omnibus temporibus & ætatibus mundi aliqua fuit, est, & erit Ecclesia Dei: deinde respectu loci, quia Ecclesia non est alligata ad vnum aliquem locum, sed est sparsa per omnia Imperia, in quibus sonat vox Euangelij. Vnde Dauid Ecclesiam postremi temporis vocat dispersionẽ, id est, cœtum dissipatum, vagantem in mundo, sine certa sede. De nouo Testamento non est dubium, quia ipse Christus inquit: Ite in mundum vniuersum. Et in psalmo 19 dicitur: Exiuit sonus eorum in omnem terram. De Ecclesia autem veteris Testamenti videtur esse obscurior assueratio, sed sciendum est, non in sola Iudæa Deum fuisse notum, verùm etiam extra Iudæam. Nam Ioseph in Aegypto non tantùm fuit politicus gubernator, sed etiam doctor Ecclesiæ, vt testatur Genes. & psalm. 106. Item Daniel in Babylone quatuor summos Monarchas vocauit ad agnitionem Dei, Nabugdonosor Chaldæum, & filium eius Euilmerodach, deinde Dariũ Medum, & Cyrum Persam. Hi quatuor Monarchæ proposuerunt publicum edictum, quibus prohibuerunt blasphemiam aduersus Deum Israel, & simul præceperunt, vt hic Deus reiectis omnibus idolis, coleretur & inuocaretur. Deus igitur etiam ante Christum natum, non in sola Iudæa fuit notus, sed etiam in aliis regnis, vt in Aegyptio & Babylonico. Possemus huc etiam exemplum Naaman Syri referre. Est igitur Ecclesia omnium temporum & locorũ, in quibus auditur vox Euangelij. Hæc est magna consolatio, præsertim iis, qui sunt auulsi à

publico ministerio contra suam voluntatẽ. Meminerint iuniores & Augustini dictum, qui inquit: Nõ audeo fideles huius temporis anteponere iis, per quos nobis hæc prophetata sunt. Ratio huius asseuerationis sumitur ex Pauli dicto 2 Corinth. 4: Habentes eundem Spiritum fidei. Non est igitur assentiendum illis, qui vociferantur, Deum nobis magis propitium esse, quàm iis, qui vixerũt ante Christum natum, aut aliam esse κοινωνίαν sanctorum in nouo Testamento, quàm in veteri.

Hoc est fœdus meum cum eis] Omnibus piis notissima sit concio Esaiæ, cap. 59, quia continet dulcissimam doctrinam de beneficiis Christi, & de Ecclesia. Ostendit quid sit vera Ecclesia, & affirmat semper aliquam futuram esse: Veniet ex Sion redemtor, & auertet iniquitates Iacob, hoc est fœdus meum, &c. id est, hæc est vera Ecclesia, in qua sonat verbum, traditum Esaiæ de redemtore tollente peccatum, & in ea certò sanctificantur credentes Spiritu sancto. Talem Ecclesiam semper mansuram esse affirmat. Esaias amandus est propter exemplum Christi & Pauli, quorum vterque fuit diligentissimus lector Esaiæ. Deinde amandus est partim propter copiam bonarum rerum, partim propter splendorem elocutionis. Nam Esaias omnes Prophetas eloquentia superat.

Verba quæ misit] Zacharias & Haggæus fuerũt collegæ eiusdem muneris & officij. Nam post reditum populi ex Babylone, id est, annis ferè quingentis ante natum Christum, hi Prophetæ diuinitus excitati sunt, & sicut singuli Prophetæ habuerunt sua curricula & πολιτεύματα, in quibus Deo obedientiam præstiterunt, ita horum Prophetarum πολίτευμα fuit, hortari & incitare populum ad instaurationẽ Vrbis & templi. Fuit enim res valde impedita, ardua & difficilis, instaurare collapsam politiam, inter tot gentes inimicas, quæ vrebantur gloria populi Dei, & inuidebant ei hanc felicitatem diuinitus concessam per reges Persicos, Cyrum & Artaxerxẽ Longimanum, qui fuerunt valde benefici & liberales erga Ecclesiam populi Iudaici. Ac verè scribitur de instauratoribus vrbis, quòd vna manu ædificarint, & altera gladium tenuerint. Sæpe enim operę architectorum & fabrorum interruptæ sunt subitis incursionibus vicinorum, in quibus coacti fuerunt dimicare ædificatores. Ne igitur languefieret populus

pulus, neque abiiceret omnem conatum instaurationis: Deus excitauit Zachariam & Haggæum, & horum doctrina & consolatione ita confirmauit populum, vt gnauiter facerent suas operas, & perficerent totum ædificium vrbis & templi.

Brachio maiestatis suæ] Filius Dei nominatur à Prophetis brachium Domini, quia sicut manus in corpore nostro est organum organorum, sic omnia opera Dei fiunt per Filium in creatione & sustentatione rerum, item in gubernatione & defensione Ecclesiæ.

Narrabo tibi sermonem Syri cuiusdam] Hieronymus eundem locum enarrans, vtitur argumento à pondere verbi, Spiritus sanctus est viuificator, ergo est conditor, si conditor, ergo Deus. Basilius eruditissimas homilias scripsit in primum caput Geneseos, quas in Latinum sermonem, & quasi in suum succum conuertit Ambrosius, enarrans idem caput. Cùm autem dicitur de Spiritu Domini, qui ferebatur super aquas: in eo loco aquæ non significant elementum aquæ, sed totam massam cæli, terræ, maris & omnium creaturarum, quam postea sex diebus distinxit Deus. Spiritus sanctus igitur totam molem, totam materiam futuri ædificij suo calore viuificauit, pro modo & ratione cuiusque speciei deinceps formandæ.

Hi tres vnum sunt] scilicet essentialiter, non personaliter. Et eodem loco: Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres ad vnum sunt, id est, ad eundem finem & effectum referuntur, Spiritus, aqua, & sanguis, quia idem effectus est & finis verbi & Sacramentorum, iuxta dictum Augustini, tractatu 80 in Iohannem: Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum.

Cùm clamat, Hic est Filius meus] Matth. 3, & 17: Hæc vox primùm promulgata est in baptismo Christi, vt esset quasi publica renuntiatio huius Doctoris. Eadem vox deinde repetita est in monte Thabor, vt aliqui putant, vbi tres Apostoli, Petrus, Iohannes, Iacobus, fuerunt auditores huius vocis, & spectatores gloriæ Christi. Et hanc patefactionem magnificè laudat Petrus 2, cap. 1: Acceperat enim à Deo Patre gloriam & honorẽ, voce ad illum delata

huiuſmodi, à magnifica gloria: Hic eſt ille Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt. Et hãc vocem nos audiuimus è cælo delatam, cùm eſſemus vnà cum illo in monte ſancto. Iohan. 1 dicitur: Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti. Vbi viderunt Apoſtoli gloriam Chriſti? In baptiſmo, in monte Thabor, & paulò ante paſsionem. Iohan. 12, cùm hanc vocem æternus Pater ſonaret de Filio, Glorificaui & glorificabo. Deinde viderunt gloriam Chriſti in omnibus miraculis ipſius. Poſtremò ſummus gradus fuit gloriæ Chriſti reſurgentis & triumphantis de Diabolo, peccato & morte, & in aſcenſione ad cælum ducentis ſecum magnum agmen patrum. Sicut Thaddæus inquit, citante Euſebio: Solus deſcendit, ſed non ſolus aſcendit.

Teſtificatur poſtea] Duplicia ſunt teſtimonia Spiritus ſancti de Chriſto: alia publica, alia priuata. Publica ſunt, quæ in omnium oculos incurrunt, vt miracula, fortitudo martyrum in ſuppliciis, perpetua ſeries doctorum in Eccleſia, & pœnæ hoſtium Euangelij. Priuata ſunt ſenſus cõſolationis in conuerſione, inuocatio & conſtantia in confeſsione.

Noui Teſtamenti dicta magis ſunt perſpicua] Sicut vetus Teſtamentum eſt fons noui, quia Apoſtolicæ conciones hauriuntur ex ſanctiſsimis & auguſtiſsimis fontibus Prophetarum: ita nouum Teſtamentum eſt lux veteris.

Appellationes veteris & noui Teſtamenti dupliciter vſurpantur. 1, Propriè pro Lege & Euangelio. Nam vetus Teſtamentum eſt promiſsio certæ politiæ in terra Canaan, cum obligatione ad ſeruandam Legem. Nouum Teſtamentum eſt promiſsio æternorum bonorum cum obligatione ad credendũ. Hæc eſt principalis & propria ſignificatio. Deinde vſurpatur minùs propriè pro ipſis libris Propheticis & Apoſtolicis. Hac ſignificatione nunc vtimur, cùm dicimus, Vetus Teſtamentum eſt fons noui, & nouum eſt lux veteris. Rectè enim dicitur: Vetus eſt fons noui, quia Chriſtus ipſe & Apoſtoli deducunt nos ad fontes Iſrael, id eſt, ad ſcripta Prophetica. Sic Chriſtus Iohan. 5 inquit, Scrutamini Scripturas, id eſt, Propheticas. Et Apoſtoli in Actis ſemper allegant teſtimonia Prophetarum, vt Petrus Actor 2 citat teſtimonium Ioelis, & aliquot pſalmos. Et in domo Cornelij Actor. 10 Petrus de Chriſto inquit: Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, quòd remiſsionem peccatorum accepturus

cepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Et Paulus Roman. 3: Nunc verò absque Lege iustitia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio Legis & Prophetarum. Ecõtrariò nouum est lux veteris: quia collatio Euangelistarum & Epistolarum Pauli, Petri, Iohannis, valde illustrant Prophetas. In primis epistola Pauli ad Romanos est clauis, qua fores veteris Testamenti & Prophetarum aperiuntur.

Effundam de Spiritu meo super omnem carnem] Singula verba in dicto Ioelis sunt emphatica.

Effundam] In hoc verbo significatur liberalitas Dei, & cumulatissima bonitas in dando hoc munere, de qua etiam Paulus ait, Quem effudit Deus in nos πλουσίως, opulenter.

Meo] Hæc particula primò testatur non mitti creatam agitationem, sed Spiritum coessentialem Deo. Deinde significat quantus sit amor Dei erga Ecclesiam, cui communicat Deus Spiritum, cuius essentia verè est diuina. Lutherus aliquoties hanc regulam repetit ad Galatas. Emphases pronominum in Scripturis diligentissimè obseruandæ sunt, vt statim in primo capite ad Galatas inquit Paulus: Qui me dilexit, & se ipsum tradidit pro me. Hæc est fides specialis, quæ singulis applicat beneficia Christi.

Omnem] Hac particula vniuersali refutat imaginationem de particularitate.

Carnem] Appellatione carnis refutat tentationem de indignitate nostra: etsi igitur breue est dictum Ioelis, tamen singula verba singulas sententias continent.

Quod meminisse vtile est] Patrum scripta legenda sunt propter duas causas. 1, propter Ecclesiæ historiam. 2, propter doctrinæ antiquitatem & consensum.

Saluatorem] Cicero actione 4 in Verrem, negat σωτῆρα vno verbo Latino posse reddi, essèque eum qui salutem dederit. Saluatoris nomen recentius est, sed eo vtuntur Lactantius, Ausonius, & reliqui sacri scri-

ptores, quare & nos eo vtamur ſine metu cauillationis.

Quod recitamus in Symbolo]

Quinque ſunt cauſſę, propter quas Symboli verba quotidie recitanda ſunt. I, Quia in hac recitatione, ſi mens eſt pia, fit applicatio beneficiorum Filij Dei. Credo remiſsionem peccatorum, ſcilicet mihi quoque dari. II. Hæc recitatio commonefactio eſt de omnibus Dei operibus, de creatione, de redemtione, & de perpetua Eccleſiæ collectione. III, Nihil in ſummis periculis & in ipſa morte efficacius eſt ad cõſolationem, totius Symboli conſideratione. IV. Eſt & quotidie oſtendenda contra Diabolos confeſsio. V. Recitatio Symboli aſſuefacit nos ad cogitanda doctrinæ teſtimonia, patefactiones diuinas & miracula omnium temporum, vt fides confirmetur.

Reuerendus & illuſtris Princeps Georgius Anhaltinus, edidit parnum quendam libellum, in quo fratrẽ graui morbo oppreſſum cõſolatur. Inter ceteras conſolationes hanc ferè præcipuam vrget, quę ſumta eſt ex Symbolo, Totum, inquit, Symbolum, & omnes eius articuli, tanquam ad finem vltimum, referuntur ad hos tres articulos, Credo remiſsionem peccatorum: Credo reſurrectionem carnis: Credo vitam æternam. Reliquos omnes articulos amplecteris, vt habeas remiſsionem peccatorum & ſpem lætiſsimæ reſurrectionis, non ad iudicium, ſed ad vitam. Et verè dicit Auguſtinus in libro de ciuit. Dei, articulum de remiſsione peccatorum eſſe aſylum Chriſtianorum. Aſylum locus eſt, à quo nõ licet auellere ſupplicem. Tertullianus in lib. de reſurrectione carnis, appellat articulum de reſurrectione mortuorum, fiduciam Chriſtianorum.

Marcion]

Marcion fuit filius pij Epiſcopi, qui gubernauit Eccleſiam in vrbe Ponti Sinope, patria Mithridatis, & à patre propter vagas libidines excõmunicatus eſt. Cùm autem veniſſet Romam, anno à natali Chriſti 170, & non ſtatim abſolueretur à ſacerdotibus, impudenti oratione affirmauit, ſe ſparſurũ ſemina diſſenſionis Eccleſiaſticæ, quę non facilè opprimi atque extingui poſſent. Hunc ſermonem re atque euentu na-

Extat verſus Auſonij in epigrammatis de Cæſaribus Romanis, quem vſurpat de Marco Antonino philoſopho, qui fuit optimus Princeps, & filiũ habuit peſsimum Commodum. Hoc ſolo patriæ, quod genuit, nocuit. Ita de illo pio Epiſcopo licet diuiter

uiter comprobauit, quia author fuit fanaticarum opinionum, de duobus diis, de cælibatu, de iteratione baptiſmi, de abrogatione Legis: negauit præterea reſurrectionem corporum & naturam humanam in Chriſto. Hæc deliria latè graſſata ſunt, nõ modò in Aſia, ſed etiam in ipſa vrbe Roma, ac diu hæſerunt in Eccleſia. Nam ex hoc fonte Manichæi orti ſunt, & ſuperſtitiones Montani & Pepuſianorum, de quibus legant ſtudioſi plura apud Euſebium.

cere: Eum nulla re alia Eccleſiæ nocuiſſe, niſi quòd talem filium Marcionem genuerit.

Heſiodum] Iudicium Domini Philippi de Theogonia Heſiodi: Heſiodi Theogonia eſt partim phyſica, partim Ethica, partim phantaſtica.

Nec alias opiniones admittere] Trachea arteria eſt imago veræ Eccleſiæ. Vt enim arteria trachea omnem cibum reſpuit, & nihil niſi aerem recipit: ita Eccleſia eſt inimica Sophiſticæ, quæ falſa dogmata fucoſis prætextibus ornat, & nihil amat niſi puritatem doctrinæ à Deo traditæ.

Vt fœtus in matre] Hæc imago anatomica proponitur ab Eſaia, cap. 46. Nam Deus tres faſciolas condidit, quarum vna ſeruit nutritioni, reliquæ duæ defenſioni fœtus. Prima vocatur χόριον, id eſt, ſecundina: Secunda eſt ſimilis farçimini, tertia vocatur agnina. De harum faſciolarum vtilitatibus legant ſtudioſi libellum de anima. Diſcamus igitur ex hoc loco Eſaiæ, triplicem eſſe vitam hominis, primam in vtero: ſecundam in mundo: tertiam in omni æternitate. Vt autem fœtus præparatur ad hanc vitam, ſic nos præparamur ad futurã. Deinde vt fœtus non alitur per os, ſed per vmbilicum: ita Eccleſia in hac vita cernit Deum per verbum, tanquam per ænigma, & fruetur conſpectu eius æterno poſt hanc vitam.

FINIS LOCI DE SPIRITV SANCTO.

Studioſis in Academia Lipſica

S. D.

QVOD Cicero de doctrina phyſica dixit: *Nec pietas erga Deum, nec quanta huic gratia debeatur, ſine explicatione naturæ intelligi poteſt, id nos de creatione dictum eſſe ſtatuamus. Etſi enim conſilia Dei omnia in creatione enarrari non poſſunt: tamen initia huius doctrinæ vult Deus in hac vita cognoſci, iuxta dictum: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Conſpicitur in opere creationis multiplex ſapientia Dei, & immenſus amor erga genus humanum, cuius conſideratio excitat in piis pietatem & veram gratitudinem. Quantum enim conſilij & artis in fabricatione corporis humani ſapientiſſimus conditor adhibuerit, quis enarrare poteſt? Nam in ſingulis corporum partibus nihil eſt inane, nihil ſine cauſſa, nihil ſuperuacaneum, ſed omnia non modò ad vſum, verùm etiam ad venuſtatem apta ſunt. Quid? quòd omnia in hominis figura plena ſunt ſignificationum, quæ nos de maximis rebus admonent. Arteria trachea imago eſt Eccleſiæ. Sicut enim arteria trachea cibum reſpuit: ita Eccleſia inimica eſt ſophiſticæ, quæ falſa dogmata fucoſis prætextibus ornat. Deinde imago plurimarum rerum, quas Deus vult conſociatas eſſe, propoſita eſt in copulatione venarum & arteriarum, vt Eccleſiæ & ſcholarum, verbi & Spiritus ſancti, fidei & operum, magnarum & paruarum artium. Oraculũ eſſe dixerunt, Noſſe ſe ipſum. Quod etſi multa monet, tamen etiam huc accommodetur, vt illa, quæ in nobis ipſis admiratione digna ſunt, ſtudioſè aſpiciamus. Quis autem non iurè miretur animæ noſtræ naturam, in qua tanta eſt celeritas cogitationum, tanta memoria præteritorum, futurorum prouidentia, notitia numerorum, diſcrimen honeſtorum*

&

& turpiũ, ratiocinatio, iudicium? Hæ admiranda actiones in nobis sunt illustria testimonia sapientiæ & prouidentiæ diuinæ. Neque verò quicquam euidentiùs declarat, quanta sit hominis dignitas & excellentia, & quantus amor Dei erga genus humanum, quàm sabbathum creationis. Ideo enim post conditum hominem Deus nullam speciem nouam creauit, vt testaretur genus humanum esse vltimum opus, ad quod fabricatio aliarum rerum præcipuè directa fuerit, & in quo tanquam in domicilio & templo conditor habitare & acquiescere velit. Vt ergo pietas & gratitudo erga Deum pro tot ac tantis donis in nobis fiat ardentior, ordiar Deo iuuante, die Mercurij, qui est 15 Septemb. explicationem loci de creatione hominis & aliarum rerum. Nec dubito quin studiosi pietatis sine longiori cohortatione libenter hunc Locum sint audituri. Deum toto pectore oro, vt seruet in his regionibus cœtus rectè docentium & discentium, & eorum hospitia protegat. Bene valete. die 12 Septembris.

Anno 1563.

Victorinus Strigelius.

LOCVS DE CREATIONE.

QVANQVAM vniuerſa Scriptura ſacra & omnes eius partes ad hunc finem referuntur, vt non modò doctrinam, ſed etiam conſolationem, coniunctam cum patientia & ſpe firmiter teneamus: tamen articuli de creatione maximus vſus eſt in doctrina, in conſolatione, in gubernatione vitæ & morum, in quotidiana precatione & gratiarum actione. Primùm enim hic articulus docet nos de rebus maximis, videlicet de proprietatib⁹ Dei, & de amore Dei erga genus humanũ. Quòd.n. Deus ſit ſapiens, oſtendit pulcerrimus ordo corporum cæleſtiũ & inferiorum, qui eſt opus naturæ intelligentis & ſapientis. Quòd autem Deus ſit omnipotens, teſtatur magnitudo pẽnè incredibilis corporum cæleſtium, & ſuſtentatio omnium ſpecierum perpetua. Qua enim potentia omnes creaturæ ab initio conſtitutæ ſunt, eadem deinceps conſeruantur, gubernantur & ſuſtentantur. Quòd autem Deus ſit bonus & beneficus, & humano generi amicus, ipſo facto euidenter declarauit, quia omnes res hominis cauſa cõſtitutæ & paratæ ſunt. Homo eſt finis aliarum rerum omnium, vt rectè philoſophi dixerunt. Hanc doctrinam de creatione valde neceſſariam Eccleſiæ, tradit Dauid pſalm. 33. 104. 139. 148. Eandem doctrinam illuſtrat Iob in ſuo libro eruditiſsimo, & Salomon in Eccleſiaſt. & Philo in libro ſapientiæ. Nam hæc ſcripta omnia ſunt perſpicuæ aſſenerationes de creatione & de prouidentia Dei contra Epicureos. Deinde quod ad conſolationem attinet, ipſe Filius Dei apud Matthæum 6. & 10. ſumit præcipuas conſolationes opponendas noſtræ ſolicitudini & diffidentiæ, ex loco de prouidentia & creatione. Sic enim cap. 10. confirmans ſuos diſcipulos contra metum in periculis, inquit: Nónne duo paſſeres veneunt aſſe, & vnus ex illis non cadet in terram ſine Patre veſtro? veſtri verò etiã pili capitis omnes numerati ſunt. Ne igitur metuatis, vos pluris eſtis, quàm multi paſſerculi. Sic cap. 6. Chriſtus deducit nos ad locum de creatione & prouidentia, prohibẽs auaritiã, & impiam ac præpoſterã ſolicitudinem de victu & ijs rebus, quæ ad cultum corporis pertinent. Nonne anima pluris eſt quàm cibus, & corpus pluris quàm indumẽtum? Et Iob cap. 10. inquit: Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſsibus & neruis compegiſti me,

me, vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit Spiritum meum: licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia vniuersorum memineris. Hæc verè sunt physica & Anatomica, quæ cùm recitet vir sanctus in magna vi tempestatum & concursu calamitatum, satis significat, locum de creatione & prouidentia plurimùm seruire consolationi piorum. Tertiò, in gubernatione vitæ & morum præcipuum gubernaculũ est timor Dei, vt Salomon inquit: Initium sapientiæ timor Domini. Quis autem non timeat Deum, non modò rerum omnium conditorem, sed etiam cernentem & videntem, quid quisque agat, qua mente, qua pietate religionem colat? Præclarè ergo in psalmo 33. cùm describisset Dauid creationẽ & prouidentiam, inquit: Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem metuant omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Ita prodest ad timorem Dei in nobis excusitandum consideratio creationis. Quòd fidem augeat & cõfirmet, nemo sanus dubitare potest. Qui enim nos cõdidit, quomodo non diligeret suum opus? cùm sit naturalis copulatio inter causam efficientem & effectum. Nec fieri potest, vt Deus deserat opus manuum suarum. Quid? quòd Salomon prouerb. 6. deducit nos ad formicam exiguam bestiolam, & iubet nos eius exemplum imitari. Omnes denique creaturæ sunt picturæ, commonefacientes nos de virtutũ officiis, & dehortantes à flagitiis. Postremò, Prophetæ quoties Deo agunt gratias, quoties inuocant Deum, semper faciunt mẽtionem primi operis Dei, scilicet creationis & sustentationis. Ita Ieremias in sua precatione orditur ab hoc loco cap. 32. Tu Domine Deus, ecce tu fecisti cælum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extẽto, non erit tibi difficile omne verbum. Vides quomodo Propheta inter precandum se erigat mentione creationis. Idem nobis faciendum est, quoties recitamus in precatione hæc verba: Pater noster, qui es in cælis, id est, qui es conditor & conseruator liberrimus, qui vbique ades, & exaudis preces inuocãtium. Nec verò vlla res alia magis excusitat, & ardentiorem facit gratiarum actionem, quàm memoria & recordatio mirabilium operum Dei in corpore & anima. Ideo Psalm. 139. exclamat: Confitebor tibi, quia mirabiliter formatus sum, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet valde. Quare cùm hic locus de creatione, tot scriptis nostrorum vatũ sit luculenter enarratus, videlicet à Mose, Dauide, Salomone, Christo & omnibus aliis piis Doctoribus, & tantas res cõple-

ctatur, quantas vix queo dicere: meritò discentibus commendatus esse debet. Quem nos quidem in sex capita distribuemus.

Primum docet quid sit creatio, & quæ sint eius causæ. Efficiens & finalis.

Secundũ admonet nos de præcipuis circumstantiis huius operis.

Tertium docet de creatione hominis ad imaginem Dei, & quid sit imago Dei in homine.

Quartum complectitur asseuerationem de prouidentia, & confirmationem huius asseuerationis, quæ sumitur ex operibus Dei ordinariis & extraordinariis, & verbo Dei.

In quinto nouem demonstrationes colliguntur de prouidentia. Id etsi videtur esse philosophicum, tamen congruit ad dictum Pauli Rom. 1. Siquidem quæ sunt inuisibilia eius, ex creatione mundi, dũ per opera intelliguntur, peruidentur, ipsaq; æterna eius potentia ac diuinitas in hoc; vt sint inexcusabiles. Et de eadem sententia dicitur Actor. 17. vt quærerent Deum, si fortè palpent eum, quamuis non longè abũt ab vnoquoque nostrum, per ipsum enim viuimus, mouemur & sumus.

Sextum explicabit præcipuam obiectionem Epicuri contra prouidentiam:

Si esset prouidentia, bonis bene, malis malè esset,
Sed bonis malè est, & malis bene.
Nulla est ergo prouidentia.

Quid

Quid sit creatio, & de causis creationis.

CAPVT I.

SERVIVS, qui scripsit commentarios in Virgilium his verbis laudat librum sextum Aeneidos: Totus Virgilius refertus est multiplici sapientia, sed omnium maximè laude hac excellit liber sextus, in quo ferè tota philosophia Platonis comprehenditur: Ita possum dicere: Tota Scriptura est plena sapientiæ, quæ nunquam potest exhauriri in hac vita sed verè hic locus de creatione abundat copia & varietate rerum optimarum.

Creatio est actio externa Dei, qua Deus volens omnes res alias, inuisibiles & visibiles ex nihilo fabricauit suo consilio, vt æternam Ecclesiam sibi conderet, à qua agnoscatur & celebretur, & in qua tanquam in templo in æternum habitet.

Cõstituta definitione, causæ creationis considerentur. Efficiẽs est Deus æternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui vnà cum Filio suo coæterno, & cum Spiritu sancto suo totam molem istã, vt Tertulliani verbis vtar, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit: ratione qua disposuit: virtute qua potuit, de nihilo expressit: in ornamentum maiestatis suæ. vnde Græci nomen Mundo κόσμον accommodauerunt.

Actio externa dicitur ad differentiam internarum actionum. VOLENS, liberrimè, sine necessitate. ALIAS, quæ non sunt Deus. CONSILIO, sapientia. psalm. 104. Omnia in sapientia fecisti. ECCLESIAM, Angelicã & humanam. TANQVAM IN TEMPLO, Deus omnibus creaturis adest generali præsentia, sed in nulla creatura habitat, nisi in angelis & sanctis. Cùm dicitur habitare in templo Hierosolymitano, hoc dicitur metaphoricè, propter verbum & Sacramenta.

Cùm autem minùs sit totum dicere, quàm omnia, & in affectus

minùs penetret breuis hic veluti nuncius, repetam ex Tertulliano ſplendidam amplificationem, qua veluti claue aperiũtur, quæ vno verbo incluſa ſunt. Regula exigit veritatis, vt primò omnium credamus in Deum Patrem, & Dominum omnipotentem, id eſt, rerum omnium perfectiſsimum conditorem, qui cælum alta ſublimitate ſuſpenderit, terram deiecta mole ſolidauerit, maria ſoluto liquore diffuderit, & hæc omnia propriis & condignis inſtrumentis & ornata & plena digeſſerit. Nam in ſolidamento cæli luciferos Solis ortus excitauit, Lunæ candentem globum ad ſolatium noctis menſtruis incrementis orbis impleuit, aſtrorum etiam radios variis fulgoribus micantis lucis accendit, & hæc omnia legitimis meatibus circumire totum mundi ambitũ voluit, humano generi dies, menſes, annos, ſigna, tempora, vtilitateſque factura.

inſtrumenta Mundi ſunt elementa.

Plinius lib. 2. Luna eſt remedium nocturnarum tenebrarũ, & magiſtra omnium quæ in cælo obſeruata ſunt.

Deus condidit duo luminaria Solem & Lunam. Solem, vt eſſet fons lucis, quæ mundum vniuerſum illuſtrat. Lunam, vt eſſet remedium nocturnarum tenebrarum. His luminibus addidit quinque ſtipatores, videlicet planetas, Saturnum, Iouem, Martem, Mercurium, Venerem, qui mirabiliter temperant ſuos motus & accommodant ad Solem, vt harmoniam cum eius motu efficiant. In firmamento accendit innumerabiles ſtellas, quarum lux eſt diſsimilis. Nam aliæ ſunt primæ magnitudinis, quę ſuperant terram magnitudine centies & plus, vt ſigna Zodiaci, oculus Tauri, cor Leonis, ſpica Virginis, cor Scorpionis: Extra Zodiacum, vt Lyra, Arcturus &c. Ceteræ ſtellæ ſunt ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ magnitudinis, vſque ad ſextam magnitudinem extra Zodiacum.

In terris quoque altiſsimos montes in verticem ſuſtulit, valles in ima deiecit, campos æqualiter ſtrauit, animalium fruges ad varias hominum ſeruitutes vtiliter inſtituit, ſyluarum quoque robora humanis vſibus profutura ſolidauit, fruges in cibum

Sicut Scriptura diuidit hunc mundum in tres partes præcipuas, & maximè conſpicuas: in

elicuit,

elicuit, fontium ora reserauit, & lac singulis fluminibus infudit, post quæ, ne non ipsis etiam deliciis procurasset oculorum, variis florum coloribus ad voluptatem spectantium cuncta vestiuit.

cælum, terram, & mare: Ita Tertullianus in exordio libri de Trinitate, de his tribus partibus philosophatur. Primùm de corporibus cæleſtibus. Deinde de terra, postremò de mari. De montium vtilitatibus Plinius inquit lib. 36 cap. 1. Montes natura sibi fecit ad quasdam compages, telluris viscеribus densandis, simul ad impetus fluminum domandos fluctusq; frangendos, ac minimè quietas partes cohercendas durissima sui materia. Hæc Plinius. Nam vt in corpore humano sunt ossa, quæ continent corporis compagem: ita montes sunt turres, quæ continent murum totius terræ. Longus murus non potest esse firmus & stabilis sine turribus: ita terra similis pulueri, non diu maneret in eodem statu, si esset absque montibus: Deinde montes sunt oppositi rapiditati fluminum & æstibus marinis.

Ne non ipsis deliciis] Theodoretus in oratione secunda, pag. 35. de eadem sententia differens, inquit: καὶ τὸ ποικιλον τῆς θέσεως ὑπερέφερε μόνον, ἀλλὰ καὶ τέρπει τῶν ἀνθρώπων τὰς ὄψεις. φιλεῖ γὰρ τὰ μονοειδῆ παράγειν τὸν κόρον. Varietas in positu terræ, non solùm prodest ad nutritionem (alia enim feliciùs proueniunt in collibus, alia in planicie, alia in vallibus) sed etiam delectat spectantium oculos. Nihil enim ad delectationem aptius est quàm varietas.

In ipso quoque mari, quamuis esset & magnitudine & vtilitate mirabile, multimoda animalia, nunc mediocris nunc vasti corporis finxit, ingenium artificis de institutionis varietate testantia, quibus non contentus, ne fortè fremitus & cursus aquarum cum dispēdio possessoris humani alienum occuparet elementum, [*id est, terram*] fines littoribus inclusit, quò cùm fremens fluctus, & ex alto sinu spumans vnda veniſſet, rursum in se rediret, nec terminos concessos excederet, seruans iura præscripta, vt diuinas leges tantò magis homo custodiret, quantò illas etiam elemēta seruassent.

Homo est possessor mundi, villicus & atrienſis Dei.

Deus impressit singulis mundi partibus aliquas imagines virtutum, vt hæ picturæ nos inui-

tarent ad virtutum officia, & simul dehortarentur à vitiis. Ita Salomon deducit nos ad formicam ca. 6. Ito piger ad formicam. Ex quo dicto Augustinus hanc allegoriam eruit in psalm. 66. Christiani debent esse formicæ, id est, debent colligere tranquillo tempore, & in pace, grana verbi diuini, vt in hyeme, id est, in magna vi tempestatum & concursu calamitatum habeant firma solatia, quibus se sustentent. Sic Tertullianus proponit exemplum obedientiæ in mari, vt hoc exemplo admoniti, nos ipsi quoque discamus, nostras vires esse minores diuinis, & reuerenter nos Deo subiiciamus. Mare cùm æstuat & agitatur ventis, est quidem iracundum, & valde fremit, sed tamen quando primùm allisit suos fluctus littoribus, relilit, & in se redit quadam reuerentia erga conditorem. Cur igitur nos quoque non frangimus & domamus nostros stultos impetus propter Dei metum? Omnes creaturæ constantissimè suo creatori obtemperãt, excepto homine.

De copulatione maris & terræ Plinius libro 2. capite 65. Hoc ita formasse artifex natura credi debet, vt cùm terra arida & ficca constare per se, ac sine humore non possit: nec rursus stare aqua, nisi sustinente terra, mutuo amplexu iungerentur, hac sinus pandente, illa verò permeante totam &c. Qualis est copulatio inter marem & fœminam, talis est συμπάθια inter mare & terram. In libro Iob cap. 38. ipse Deus dicit de mari. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vtero procedens? Cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum? Ecclesia est similis terræ: Vt enim Ecclesia quiescit in medio mundi, ita ferè pij sunt quieti, non seditiosi, non turbulenti, sed fouentes concordiam salua religione. Vt autem mare fremit & æstuat, & conatur diluuio obruere terram, & tamen diuinitus coercetur: ita quamuis impia multitudo ignes & fulmina spirat: tamen Ecclesiam loco non potest mouere; quia Dominus fundauit eam, vt inquit Psalmus.

Post quæ hominem quoque mundo præposuit, & quidem ad imaginem Dei factum, cui

Anima est subiectum imaginis Dei, non corpus. Puerilis imaginatio est, tribuere Deo corpus.

mentem

mentem & rationem indidit & prudentiam, vt Deum posset imitari, cuius etsi corporis terrena primordia, cælestis tamen & diuini halitus inspirata substantia. Hęc Tertullianus in exordio libri de Trinitate.

Iohan. 1. dicitur: Deus est Spiritus. Ideo etiam anima, quę est spiritualis substantia, gerit imaginem Dei. Vnde Paulus inquit: Renouamini spiritu mentis vestræ.

Hunc locum Tertulliani recitaui propter rerum bonitatem, quæ sunt analogæ fidei. Deinde propter exemplum grandiloquentiæ.

Si quis autem quærit, quæ causa Deum impulerit, vt cælũ, terram, mare, angelos & homines conderet, autore vtar Augustino, qui in libro 11. de ciuitate Dei cap. 24. breui dicto totum locum de causa impulsiua creationis conficit. In eo quod dicitur: Vidit Deus, quia bonum est: satis significatur, Deum nulla necessitate, nulla suæ vtilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est. Hanc etiam Plato causam condendi mundi iustissimam dicit, vt à bono Deo bona opera fierent, siue ista legerit, siue ab his, qui legerant, fortè cognouerit, siue acerrimo ingenio inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerit, siue ab his, qui ista conspexerant, ipse didicerit.

Causa creationis impulsiua.

Augustinus fuit valde eruditus in philosophia Platonica. Plato fuit profectus in Aegyptum, cui vicina est Palæstina. Quare est verisimile, Platonem legisse Genesin, quia Platonis ætate libri sacri fuerunt conuersi in Græcã linguam à septuaginta interpretibus, liberalitate Ptolemæi Philadelphi.

Huc referatur & illa Eusebij sententia in lib. 4. demonstrat. Euangel. Deus cùm sit perfectè bonus, & omnis boni principium & fons, voluit plures habere socios suorum thesaurorũ.

Simile est dictum Theodoreti orat. 2. de prouid. Deus cùm sit bonus, & excellat bonitate admirabili & incredibili, & omnẽ mensuram superante, voluit iis etiam, quæ nihil sunt, ipsum esse donare.

Deinde finalis causa consideranda est. Ideo Deus condidit naturas intelligentes, quæ sunt præcipuum opus, vt se in eis patefaceret, & eis suam sapiẽtiam & bonitatem communicaret. Nam essentia optima voluit habere opera, in quæ riuulos suæ sapientiæ & bonitatis spargeret, & à quibus vicissim agnosceretur & celebraretur. Hanc esse causam diuini consilij inde manifestum est, quia effectu ipso Deus hoc ostẽdit, cùm transfudit in angelos & homines imaginẽ sui, id est, notitias multas, & in his notitiam Dei conditoris, & Legis, quæ congruit cum æterna & immota sapientia Dei, & ostendit qualis sit Deus. Simul etiã addidit angelis & hominibus liberam voluntatem, & hanc ornauit iustitia congruente cum mente & voluntate Dei. Hæc testimonia manifestè ostendũt hoc consilio conditas esse naturas intelligentes, vt Deus communicaret nobis suam sapientiam & bonitatem, & à nobis vicissim agnosceretur ipse, & sapientia & bonitas eius celebraretur. Deinde hæc ipsa transfusio lucis diuinæ in nos, testatur, hanc creaturam vero & non simulato amore diligi à Deo, cùm ei talia bona communicarit, quæ in ipso Deo sunt summa, scilicet sapientiam, libertatem voluntatis, & iustitiam cõgruentem cum ipsius volũtate.

Quanquã consilia Dei omnia exhauriri nequeunt: tamen quorundam operum diuinorũ causæ sunt nobis notę partim ex verbo Dei, partim ex consideratione rerum à Deo conditarum. Nã de causa impulsiua creationis docet nos psalmus 136. multoties repetens hunc versum intercalarem, Quoniam bonus, quoniã in seculũ misericordia eius. Qui facit cælos in sapientia sua, quoniam in seculum misericordia eius. Hinc discimus, Deum, cùm sit bonus, bonitate permotum esse vt conderet angelos & homines.

Causa finalis creationis æstimari potest ex ipso effectu seu opere. Cùm enim dicat textus, loquens de creatione hominis: Homo factus est ad imaginem Dei, non difficilis est ratiocinatio, quem ad finem homo sit conditus, cuius nos admonet ipsa similitudinis & imaginis appellatio. Imago propriè est repræsentatio archetypi. Homo est imago Dei, Ergo talis est copulatio hominis cum Deo, vt Deus se communicet homini tanquã imagini suæ, & vicissim homo conditorem suũ agnoscat & celebret. Omnes

Has

Has igitur cauſas creationis ſemper in mentibus noſtris circũferamus, & ſæpe cogitemus, vt nos ad agnitionem & amorem Dei exuſcitemus.

quidem creaturæ propter hunc finem ſunt conditæ, vt ſint præcones Dei, & teſtes de ſapientia, potentia & bonitate Dei. vnde pſalm. 19. dicit: Cęli enarrant gloriam Dei &c. Sed hoc eſt diſcrimen inter reliquas creaturas & homines atque angelos. Reliquæ creaturæ ſunt tantùm σιγῶντες κήρυκες, id eſt, muti præcones, qui celebrant Deum, monſtrantes veſtigia Dei, vt cælum oſtendit generi humano ſuam pulcritudinem & magnitudinem, & hoc ſpectaculo teſtatur, qualis ſit conditor, & ſimul inuitat nos ad celebrationem Dei. Non autem voluit Deus tantùm habere mutos præcones, ſed etiam intelligentes & loquentes, quare condidit angelos & homines, à quibus mente & lingua poſſet celebrari. Sol celebrat Deum, ſed non agnoſcit Deum, & non celebrat eum mente & lingua, ſed tantùm opere ipſo. vnde Theodoretus in oratione 4. de prouidentia: οὐρανὸς φαινόμενος, καὶ τότε μέγιθος, τότε κάλλος ὑποδεικνὺς, καὶ τῆς κορυφῆς τοῖς ἀνθρώποις παρέχων τὸ χρῆσιν, σιγῶν κηρύττει τὸν ποιητὴν, καὶ τὰς ἁπάντων γλώττας εἰς ὑμνῳδίαν κινεῖ. Cælum incurrens in oculos, & cùm magnitudinem, tum pulchritudinem oſtẽdens, ac tẽ ti vtilitatem hominibus præbens, tacitus præco eſt conditoris, & omniũ linguas ad celebrationem inuitat. Et Nazianzenus in concione de natiuitate Filij Dei, nominat reliquas creaturas mutos præcones magnificorum operum Dei.

De circumſtantiis creationis.

CAPVT II.

IN vulgari verſu comprehenduntur præcipuæ circumſtantiæ,

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando:

Quæ illuſtrant omnia dicta & facta, vt inquit Hilarius.

Quanquam nec conſilium Dei de creatione rerum exhauriri,

nec ipsum opus penitus perspici potest: tamen præcipuas circumstantias tanti operis & muneris, quæ in verbo patefactæ sunt, animo complectamur, vt Deo gratias agamus, quòd se patefecit in creatione mundi, quem sua bonitate vtilem, sapientia pulcerrimum, potẽtia maximum, vt ait Basilius in 1. concione de sex dierum operibus, fabricauit.

Ac prima quidem circumstantia creationis est, quòd creatio sit commune opus æterni Patris, Filij & Spiritus sancti, iuxta regulã suprà traditã: Opera diuinitatis externa sunt communia, seruata cuiusque personæ proprietate. Est igitur rerum creatarum omniũ causa ποιητικὴ, æternus Pater: δημιουργικὴ, æternus Filius, λόγος & imago Patris: τελειωτικὴ Spiritus sanctus, vt hæc copiosè declarat Basilius in libro de Spiritu sancto, cap. 16. Nam voluntate seu decreto Patris omnia extiterunt, & Filij efficacia ex nihilo facta, & præsentia Spiritus sancti perfecta sunt.

Apud medicos & physicos causa ποιητικὴ propriè illa est, quam dicimus lacessentem, seu irritatricem. Nos hîc appellatione causæ ποιητικῆς vtimur alio modo, pro causa inchoante aliquid: Ita æternus Pater est causa ποιητικὴ, quia est ἀρχὴ & πηγὴ operum diuinorum.

Secunda circumstantia est, quòd res sint ex nihilo conditæ. Testatur enim historia creationis, Deum ex nulla priori materia rudi & informi distinctas operum species finxisse, sed materiam vnà cum ipsis corporibus condidisse ex nihilo, solo verbo. Basilius quidem in secunda concione de sex dierum operibus, falsè refutat Stoicos ponentes duo coæterna principia, mentem & materiam. Quid est, inquit, absurdius, quàm æternitatem, quæ est solius Dei proprietas, tribuere rudi & indigestæ moli, qualis est opinione philosophorum, materia prima. Eusebius autem libro 7. præparat. Euangelic. citat dicta Origenis & Maximi, perspicuè refutantia somnium de æternitate materiæ, quæ, qui volet, inde assumat.

Summa prolixæ disputationis apud Eusebiũ hæc est: Si duo sunt principia, vt fingunt Stoici, coæterna, videlicet mens & materia prima, necesse est aut Deum fuisse in materia, aut materiam in Deo, aut fuisse hæc duo sepa-

separata. Si fuit Deus in materia, habuit locum minimè conuenientem suæ maiestati. Quid enim est deformius materia prima, quæ est expers omnium qualitatum? Si materia in Deo fuit, eadem sequitur absurditas. Quid enim est indignius maiestate Dei, quàm in se continere, & quasi in sinu fouere talem massam rudem & indigestam? Si fuit separata & locis distincta materia à Deo, fuit aliquod interuallum, & per consequens vacuum.

Tertia circumstantia, quòd Deus liberè & volens tunc cùm voluit, condiderit mundum, & quòd sit agens liberrimum, nec necessariò effuderit hanc machinam. De hac circumstantia conciònatur psalmus 115. Deus noster in cælo, omnia quæcunque voluit, fecit. Et psalm. 135. Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit, in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.

Quarta, quòd non discesserit à suo opere, sed adsit vniuersæ creaturæ, & rerum substantias seruet, sustentet cælum & motus cælestes, fœcundet terram, procreet fruges in terra, impertiat vitam animantibus. Huius præsentiæ in conseruatione & sustentatione rerum locuples testis est Paulus Actor. 17. In ipso viuimus, mouemur & sumus. Ebræ. 1. Ferens omnia verbo potentiæ suæ. Colos. 1. Omnia per ipsum consistunt. 1. Timoth. 6. Qui viuificat omnia. His testimoniis adiungantur duo insignia dicta, vnum Theodoreti, alterum Eusebij. Sic enim Theodoretus oratione prima de prouidentia inquit: Gubernat creaturam conditor, nec relinquit sine gubernatione nauem, quam fabricauit, sed idem est & fabricator nauis, & materiæ plantator, & nauis à se concinnatæ gubernacula perpetuò tenet. Et Eusebius lib. 7. præparat. Euangelicæ pag. 187. Theologia Hebræorum docet, non sic desertum, velut orphanum à patre relictum, vniuersum mundum à conditore, sed omni tē-

Theodoretus historicus & Episcopus, de prouidentia scripsit decem orationes, quæ sunt editæ superioribus annis Romæ.

Vocat non modò architectū nauis, sed etiam plantatorē materiæ, & gubernatorem nauis.

Eusebius in libris præparationis Euangelicæ, refutat Ethnicas religiones, & differit de gradibus testimoniorum, quæ confirmant certitudinem doctrinæ Christianæ. In libris de demon-

pore ipſius Dei prouidentia adminiſtrari, nec tãtùm opificem eſſe totius vniuerſitatis rerum, & fabricatorem Deum, ſed etiã Saluatorem & adminiſtratorem, & regem & ducem, ipſi Soli & Lunæ & aſtris, & vniuerſo cælo atque mundo ſemper præſidentem, & magno oculo & diuina potentia omnia aſpicientem, omnibus cæleſtibus & terrenis rebus præſentem: deniq; omnia in mundo ordinantem & gubernantem.

ſtratione, refutat ſomnia recentium Iudæorum, qui negãt Chriſtum apparuiſſe.

Baſilius inquit: Oculus Dei eſt ἀκοίμητος, nũquam dormit, neque dormitat.

Quinta, quòd non ſit alligatus ad cauſas ſecundas. De hac circumſtantia erudiendę ſunt piæ mentes, vt ſciant, Deum eſſe agens liberrimum, non alligatum ad cauſas ſecundas, ſed eas propter noſtros gemitus poſſe & velle aut moderari, aut impedire, aut mutare. Hanc piam ſententiam confirmant dicta, quæ teſtantur Deum tunc opitulari, cùm à creaturis deſerti ſumus. pſalm. 72. liberauit pauperem, cui non erat adiutor. pſalm. 10. Tibi derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adiutor. pſalm. 27. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autẽ ſuſcepit me. pſalm. 23. Etiamſi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo mala, quia tu mecum es. pſalm. 73. Cùm contabeſcunt caro mea & cor meum, tu petra cordis mei, & pars mea Deus in æternũ. pſal. 146. Dominus facit iudicium iniuriam patiẽtibus, dat eſcam eſurienti, ſoluit vinctos, illuminat cæcos, cuſtodit aduenas, pupillum & viduam.

Hæc facilè dicũtur, ſed in experientia ſunt difficilima. Cùm non indigemus, ſuauia nobis videntur: cùm verò in miſeriis & concurſu calamitatum ſumus, facilè illa nobis elabũtur. D. Erhartus Schnepfius ſolebat dicere: Es iſt nicht gut auff dem Herren Chriſto/ als auff dem Felß bloß ſitzen/ wir wollen alle haben ein fein weich vnd außgefüllt Küßlein. Item: Es thut ſehr wehe/ wenn ſich einer ſoll anhalten/ vnd jhm doch alle Nägel von der wandt ſeind verhawen. Quibus verbis volebat ſignificare difficilimam eſſe luctam fidei cum dubitatione, quoties à creaturis deſerimur, aut deſtituimur cauſis ſecundis.

Aduenæ, pupilli, viduæ, ſunt cœtus

cœtus pauperum, de quo dici potest illud Sophoniæ 3. Et relinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini.

His & similibus testimoniis confirmemus nos contra Stoicos furores, & petamus atque expectemus auxilium Dei in vocatione & negotiis necessariis, siue causæ secundæ nos adiuuent, siue destituant.

De creatione hominis, & de imagine Dei.

CAPVT III.

EST in concione Nazianzeni de natiuitate Filij Dei dulcissima philosophia de creatione mũdi & angelorũ & hominum. Illius concionis summa ferè est: Deus, qui est Spiritus, primùm omnium condidit agmina angelorum. Qui angeli nõ propagantur vt homines: sed simul sunt conditi. Et sicut Deus ipse est natura spiritualis, intelligens, benefica, iusta, casta &c. ita angeli sunt Spiritus incorporei, intelligentes, pleni lucis diuinæ & amoris erga Deum & Ecclesiam. Deinde Deus condidit mundum, id est, molem hanc vniuersam corporum cælestium & inferiorum. Hæc species opponitur Spiritui, & est quiddam toto genere diuersum à spirituali natura. Ne quid autem deesset de perfectione creaturarum, Deus addidit tertium genus, videlicet humanum, quod est mixtum & compositum ex spiritu & ex corpore. Et propter hanc causam homo rectè appellatur paruus mundus, quia respectu animæ est similis angelicæ naturæ, respectu corporis est exemplar totius machinæ corporeæ. Cerebrum est simile cælo: & sicut cælum non habet fulcra, quibus sustentatur: ita ventriculi cerebri non habent sustentacula. Et quanquam cerebrum est massa valde grauis, tamen non ruit, nemine, niti solo Deo sustentante. Cor in homine est imago Solis. Sicut enim Sol sua luce hunc mũdum illustrat, & est fons vitalis caloris: ita cor est fons spirituum vitalium, qui sunt vehicula vitæ. Culina seu infimus ventriculus est

exemplum terræ & aquæ. Sicut enim hæc duo inferiora elementa sunt impuriora reliquis superioribus: ita hæc pars corporis est sordidior, quàm reliquæ, cuius tamen nullus erit vsus in vita æterna. Verba Nazianzeni sunt: εἰς τὰ γενέθλια; Θεὸς δημιουργεῖ τὸν ἄνθρωπον ἄγγελον ἄλλον, προσκυνητὴν μικτὸν, ἐποπτὴν τῆς ὁρατῆς κτίσεως, μύστην τῆς νοουμένης, βασιλέα τῶν ἐπὶ γῆς, βασιλευόμενον ἄνωθεν, ἐπίγειον καὶ οὐράνιον, πρόσκαιρον καὶ ἀθάνατον, ὁρατὸν καὶ νούμενον, μέσον μεγέθους καὶ ταπεινότητος, τὸν αὐτὸν πνεῦμα καὶ σάρκα. Deus fabricauit hominem quasi angelum alterum, adoratorem mixtum, contemplatorem visibilis creaturæ, sacerdotem Dei, regem terræ & eorum, quæ sunt in terra qui gubernatur desuper, terrestrem & cælestem, mortalem & immortalem, visibilem & spiritualem, medium inter excellẽtiam & humilitatem, & inter carnem & Spiritum.

Tria sunt grauissima testimonia, quæ ostendunt, quanta sit naturæ humanæ dignitas & excellentia. Primum est fabricatio corporis, plena artis, cõsilij & significationis. Alterum natura animæ. Tertium creationis Sabbathũ. Hæc testimonia vult Deus aliquo modo aspici & considerari, & tantum de eis cogitari, quantum ipse patefecit.

Nosce te ipsum. Cicero 1. de legibus hæc tria eruditè & copiosè explicat. Primò enim differit de opificio humani corporis & animæ præstantia. Deinde ostendit, quòd omnia sint ad vsum hominum facta, & deinceps omni tempore conseruentur.

Cùm enim alia corpora omnia dicente ac iubente Deo subitò extitissent, humanum corpus solùm ipsius conditoris manu, & quidem singulari arte & consilio fictum atq; formatum est. De hac sententia dulcissimè philosophantur Basilius in enarratione primi capitis Geneseos: & Tertullianus in libro de resurrectione carnis. Ita enim Basilius inquit: Dignatus est Dominus propria manu effingere no

Deus magna deliberatione vsus est ante hominis conditionẽ: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hæc verba non dicuntur ad angelos aut creaturas, vt nugantur Iudæi, sed Pater æternus colloquitur cum Filio & Spiritu sancto, & cum eis communicat sua consilia, de hominis tanquam præcipui operis formatione. Istrum

ſtrum corpus. Neque enim angelis hunc laborem mandauit, neque terra ſua ſponte velut cicadas nos effudit, ſed propria manu, quæ non artificioſa ſolùm, ſed planè artifex eſt, terrã ſumſit. Quare ſi ad id quod ſumſit, reſpicias, quid eſt homo? Sin autem cogitatione te conuerteris ad eum, qui finxit, magnum quiddam eſt homo. Itaque & nihil eſt, propter materiam, & magnus propter honorem.

pſum etiam verbum formationis admonet nos de rebus maximis. Etſi enim reſpectu materiæ, id eſt, terræ, ex qua factus eſt, homo eſt puluis & cinis, vt verè dicit Syracides: tamẽ reſpectu Dei cõditoris, qui propria manu hominẽ formauit, magnum quiddam eſt homo. Alia corpora ſubitò extiterunt, iubente ac dicẽte Deo, ſed maiore deliberatione & ipſa manu Dei homo eſt factus.

Tertulliani verba hæc ſunt: Homo toties honoratur, quoties manum Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur, recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, prouidentia, & ipſa in primis adfectione, quæ lineamenta dictabat. Non enim membra in noſtris corporibus ſponte ſua coagmentata ſunt, aut ſine arte caſu nata, ſed Deus cùm vellet nos eſſe ſuum templum & domilicium, ſingulas partes non modò ad vſum, verùm etiam ad venuſtatem conſultò diſtinxit.

Tertullianus diſſerit de dignitate carnis in libro de reſurrectione, idq; ob hanc cauſam, quia eo tempore fuerunt hæretici, vt Marcion & alij, qui negarunt reſurrectionem corporum, & interrogati, cur auderent negare hunc articulum? reſponderunt, Quia indignum eſt, tam ſordidã & ſqualidam maſſam, quæ reſoluitur in quatuor elementa; obtinere regnum Dei. Huic obiectioni obuiam it Tertullianus, amplificans dignitatem noſtræ carnis his rationibus. 1. Deus eſt conditor huius maſſæ. Si igitur Deus fuit dignatus in prima creatione, ſua manu formare corpus, quomodo poterit ipſius maieſtate indigna eſſe corporum reſuſcitatio? Deinde Chriſtus non eſt aſpernatus ſocietatem noſtrę naturæ. Cùm igitur tanta ſit dignitas noſtrę naturæ propter Deum conditorem, & quia Filius aſſumſit corpus,

quis ſanus & pius negare poteſt, ſperandam eſſe reſurrectionem noſtrorum corporum?

Deinde cogitemus, qualis ſit condita anima, videlicet talis, vt ſit imago ſimilis Deo. Hanc imaginem interpretatur Paulus Coloſſ. 3. & Epheſ. 4. agnitionem Dei, iuſtitiam & ſanctitatem veram. Complectitur ergo imago incorrupta potentiam cognoſcentem, in quam transfuſa eſt lux diuina, quæ eſt vera & firma cognitio Dei & Legis, & notitia de vera obedientia & de iudicio Dei: deinde complectitur voluntatem & cor, quod ardebat motibus Spiritus ſancti, & integra obedientia ſine peccato. Ad hæc dona adiuncta fuit libera & non impedita electio voluntatis. Sunt autem in Deo ſumma bona, ſapiẽtia, iuſtitia, & libertas electionis. Horum ſummorum bonorum radios cùm in nos transfuderit, ipſo facto oſtendit, verè à ſe hanc creaturam diligi. Iam cogita quantum decus fuit homo ante lapſum, cùm verè eſſet domiciliũ & templum Dei ſine peccato & ſine morte.

Verba Pauli ſunt: Renouamini Spiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui iuxta Deum conditus eſt in agnitione ipſius per iuſtitiam & ſanctitatem veritatis. Ex his verbis colligitur definitio imaginis. Imago Dei in homine ante lapſum fuit agnitio Dei ſine errore & tenebris: deinde fuit iuſtitia, quæ eſt chorus & copulatio omniũ virtutum primæ & ſecundæ tabulę. Hæc iuſtitia non fuit hypocritica, aut ſimulata, aut tantùm externa diſciplina, ſed vera ſanctitas celebrans Deum. Differunt enim iuſtitia & ſanctitas. Iuſtitia ſignificat ipſum formale, ipſam obedientiam conformem Decalogo, ardentem amorem Dei, & purum amorem proximi. Sanctitas complectitur formale & finem, vt Ariſtides eſt iuſtus ciuiliter, quia præſtitit obedientiam omnibus legibus Reipublicæ Atticæ: ſed non eſt ſanctus, quia nõ verè agnouit Deum, & non retulit ſuas virtutes & officia ad hunc finem, vt Deus celebretur. Primi verò parentes non modò erant ſapientes & iuſti, ſed etiam ſancti, quia referebant ſuam obedientiam & iuſtitiam ad illum finem, de quo dicit Paulus: Omnia ad gloriam Dei facite &c.

Poſtremò conſideremus Sabbathum creationis, de quo nos Sabba-

Sabbathum pædagogicum admonet. Ideo enim poſt conditum hominem, Deus nullam nouã ſpeciem elementorum aut animantium creauit, vt teſtaretur, genus humanum eſſe vltimum opus, ad quod fabricatio aliarũ rerum præcipuè directa fuerit, & in quo velit acquieſcere, & cui in omni æternitate communicaturus ſit ſeſe, ſuam ſapientiam, iuſtitiam & lætitiam. Ex his teſtimoniis intelligi poteſt, quanta ſit hominis dignitas & excellentia, & quantus amor Dei erga genus humanum.

Homo non primo aut ſecundo, ſed ſexto die fuit conditus, cùm iam eſſent creati angeli miniſtri Dei & Eccleſiæ: tota denique moles omnium corporum ſuperiorum & inferiorum. Itaq; Deus hoc ipſo ordine oſtẽdit, hominem eſſe finem vltimum, ad quem directa fuit deliberatio in condendis reliquis ſpeciebus & corporibus.

De prouidentia diuina.

CAPVT IV.

NON ſatis eſt hunc articulum tenere, quòd Deus ſit conditor omniũ rerum, niſi credas, hunc Deum omnibus rebus à ſe factis conſulere & prouidere planè paterna bonitate, & deinceps omni tempore conſeruare & gubernare opera manuum ſuarum.

Prouidentia diuina complectitur πρόγνωσιν καὶ οἰκονομίαν. Ad πρόγνωσιν pertinent inſpectio omnium quæ geruntur, præuiſio futurorum euentuum, & cognitio omnium cogitationum, quas format natura cordis humani.

Ad οἰκονομίαν referuntur rerum conſeruatio & ſuſtentatio,

Hanc diſtinctionem non eſſe fictitiam, poteſt probari ex pſalmo 139. qui eſt confeſsio de præſentia & opere Dei in ſingulorũ hominum formatione & vitæ conſeruatione. πρόγνωσις autẽ non tantùm ſignificat præuiſionem rerum futurarum, ſed &

deſtructio item & inſtauratio, fœcunditas terræ fundentis vbertatem frugũ & fructuũ, ſalubres tempeſtates, conſtitutiones Imperiorũ & horum translationes, pœnæ atrocium ſcelerum, liberationes iniuſtè oppreſſorum, & ſimilia opera Dei, quorum varietas admirãda & imperſcrutabilis eſt humano ingenio, vt teſtatur pſalmus 139. cuius initium eſt, Domine probaſti me, &c.

Fruges dicũtur, quæ immediatè ex terra naſcuntur, vt olera, triticũ. Fructus mediatè ex terra naſcuntur, videlicet in arboribꝰ & fruticibꝰ.

cognitionem præſentium, eorũ ſcilicet, quæ nunc geruntur, & complectitur cognitionem omnium cogitationum, quæ abditæ latẽt in thalamis cordis humani. Ad hanc ἀνάγνωσιν pertinent priores quatuor verſus:

Domine probaſti me, & cognouiſti me. Tu cognouiſti ſedere meum & ſurgere meum, intellexiſti cogitationes meas de longè. Semitam meam & accubitum meum circumdediſti, & omnes vias meas inueſtigaſti. Quia nõeſt ſermo in lingua mea: Ecce tu DOMINE cognouiſti omnia. Ad οἰκονομίαν pertinet verſus quintus. Poſteriora & anteriora in me formaſti, & poſuiſti ſuper me manũ tuã. Sequitur epiphonema ſeu exclamatio: Ad mirabilior & excelſior eſt ſcientia, quàm vt eam poſsim aſſequi. Et in eodẽ pſalmo repetitur ſimilis exclamatio, Sed mihi quàm pretioſæ ſunt cogitationes tuæ, Deus, & quàm multæ ſummæ earum? Quibus verbis ſignificat, ſe vix poſſe ſumma ſequi faſtigia rerum in creatione. Tantum abeſt, vt poſsit ſingula recenſere & commemorare.

Cùm autem res ſecundæ iniuſtorum, & calamitates iuſtorum valdè turbent aſſenſionem de prouidentia Dei, ſciendũ eſt, Deum propoſuiſſe teſtimonia prouidentiæ in operibus ordinariis, extraordinariis, & in expreſſo verbo ſuo.

Aſſeueratio de prouidentia diuina tribus gradibus teſtimoniorum probatur: 1. continet opera ordinaria Dei. 2. Alter ſumitur ab operibus Dei extraordinariis. 3. Tertius ſumitur ab expreſſo verbo. Eccleſiaſt. 4. dicitur: Funiculus triplex difficilè rumpitur: ſic Deus triplicia teſtimonia de prouidentia conſtituit. Aſſeueratio perſpicua de prouidentia Dei, extat in libro Salomonis, qui inſcribitur Eccleſiaſtes. Nam totus ille liber nihil aliud eſt, quàm ſolutio

tio obiectionis Epicuri contra prouidentiam, qui sic argumentatur:

Si Deo res humanæ essent curæ, bene esset bonis, malè malis, quod nunc abest.

De hac obiectione sic respõdet Salomon: Deus cuncta, quæ fiunt, adducet in iudicium, siue bonum siue malum sit. In hac confusione vitæ, fortuna videtur dominari in rebus humanis, & cæca manu distribuere sua munera, sed cùm breuis sit & fugax hæc vita, respiciamus ad futurum iudicium, in quo discernet Deus Paulum à Nerone, Ieremiam ab Aprye, Baptistam ab Herode, & vniuersos pios ab impiis. De eadem prouidentia concionatur liber sapientiæ, quem aliqui à Philone Iudæo scriptum esse putant. Nec potest quidquam dici grauius & verius de prouidẽtia Dei & pœnis tyrannorum, quàm quod scriptum est in libro sapientiæ. Inter cetera sic exclamat cap. 6. Potentes potenter tormenta patientur. Et mox, Fortioribus fortior instat cruciatio: id est, tyranni, siue in hac, siue in futura vita grauiter punientur. Nam per potentes intelligit tyrannos, qui sua potentia abutuntur ad miserorum hominum oppressionem. Sic in libro Iob magna pars disputationum consumitur in hoc argumento:

Peccatores à Deo affliguntur.

Tu es afflictus.

Ergo es atrox peccator, non habes bonam conscientiam.

De hoc argumento Deus ipse tandem respondet in fine libri Iob. Hæc dico, vt sciant discentes, doctrinam de prouidentia non esse philosophicam tantùm, sed verè Theologicam. Quòd si quis populare prouidentiæ definitionem requirit, is talem habet in Germanico symbolo, quod publicè canitur.

Ordinaria opera, de quibus in sequenti capite plura dicam, ostendunt præsentiam Dei, & testantur hanc naturam non casu confluxisse, sed sapientem cõditorem autorem esse ordinis. Ex infinito cumulo eligam vnum exemplum, quod ostendit Deũ esse amantem ordinis, quo, vt Xenophon in Oeconomico inquit, nihil est melius, nihil pulcrius. Consideremus incrementa & decrementa dierum & noctium. In anno sunt duo æquinoctia, vernum & autumnale, id est, dies bis in anno æquantur nocti & nox diei. Dies maximus apud nos est circa diem Viti. Minimus dies circa brumam. Hæc sunt extrema, inter quæ medium locũ obtinent dies

æquinoctiales. Ab his dies intermedij mirabili analogia crescunt, ab æquinoctio verno vsque ad solstitium, & seruata eadem lege, decrescunt à solstitio vsque ad autumnale æquinoctium. Ab autumnali æquinoctio magis decrescunt, sed ἀναλογικῶς vsque ad brumam, à bruma rursus incipiunt crescere ad æquinoctium vernum. Ac pulcrum est, quod inquit Theodoretus orat. 1. de prouidentia. Nox & dies sunt duæ sorores, & vna alteri dat mutuò partem proportionalem, sed cum obligatione, vt vicissim accipiat non modò sortem, sed etiam vsuram, & quando reddita est sors cum vsura vel diei vel noctis, tunc omnia redeunt in orbem, & restituitur ordo prior.

Deinde opera extraordinaria, quæ vsitatè vocantur miracula, vt conseruatio Nohæ in diluuio: eductio populi ex Ægypto, resuscitatio Lazari & similia, magis incurrunt in oculos, & ostendunt, conditorem esse essentiam distinctam à mundo, & agens liberum esse, & posse aliter agere, quàm cient causæ secundæ, & multa moderari in natura & in hominum voluntatibus suo liberrimo consilio.

Quid est mirabilius, quàm Deum multa moderari in hominum animis & voluntatibus? Alexander Magnus in obsidione Tyri, ad Iaddum summum Pontificem misit, & ab eo petiuit pecuniam & alios neruos rei militaris. Iaddus vt vir sanctus & iustus, memor suæ obligationis erga reges Persicos, recusauit. Iratus Alexãder, post expugnationẽ Tyri duxit exercitum hostilem ad Ierosolymam, sed Iaddus in somno admonitus & confirmatus diuina promissione, obuiam processit vnà cum Sacerdotum & Senatorum comitatu, quo conspecto, Alexander ab equo desiliit, & signa reuerentiæ erga hunc Sacerdotem ostendit. An non est magnum miraculum tam subita conuersio voluntatis in Alexandro? Ex hoste enim acerbissimo fit summus amicus populi Dei. Ita Ieremias fuit detrusus in carcerem vsque ad excidium vrbis. Tanta fuit impietas filiorum Iosiæ, præsertim Zedechiæ. Sed quid fit? non liberatur à suis popularibus, sed ab idololatris & populi Iudaici hostibus, nec tantùm liberatur mirando modo, sed etiam donatur viatico & aliis muneribus, & permittitur ei manere siue in patria, siue in Babylone, ac promittitur ei victus necessarius & necessaria defensio.

His operibus ordinariis & extraordinariis Deus addidit expressum

preſſum verbum, quod affirmat, non caſu res ſecundas & aduerſas inter homines ſpargi, ſed regi has quoq; conſilio Dei, vt Matth. 10. Vnus de iſtis paſſeribus non cadet ſuper terram ſine voluntate Patris. Item: Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.

Chriſtus Matth. 10. dat Apoſtolis mãdata de prædicatione Euangelij. Cùm autem dixiſſet: Ecce ego mitto vos velut oues in medio luporum, mox addit conſolationes. Inter quas hæ duæ ſunt ampliſsimæ & efficaciſsimæ. Vna ab auxilio Spiritus ſancti. Non vos eſtis loquentes, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Altera à diuina prouidẽtia. Nónne duo paſſerculi minuto aſſe veneunt, & vnus non cadet in terram ſine Patre veſtro? As continet ſex obulos, vel tres denarios. Sed cur facit mentionem capillorum? Ideo vt præbeat nobis occaſionem argumentandi à fortiori, ſeu à minori ad maius. Si Deus iſta excrementa, partes minùs principales curat, & ita curat, vt habeat ſingulas numeratas, quantò magis curabit totum corpus & membra principalia?

Pſalm. 56. Fugam meam tu numeraſti, poſuiſti lacrymas meas in vtrem tuum, nunquid non in numero tuo ſunt? Geneſ. 45. Ioſeph inquit: Pro ſalute veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum, non enim veſtro, ſed Dei cõſilio huc miſſus ſum. Hęc teſtimonia confirment nos, vt ſtatuamus non accidere caſu ærumnas, ſed cerni à Deo, & reuera iuſtum iudicem iraſci peccatis, & punire ſontes, & pios calamitoſos ſuo quodam conſilio exercere.

Lutherus in explicatione huius loci vtitur incremento ſeu αὐξήσει, quæ fit, cùm oratio aſcẽdit per gradus, aut circumſtantiis illuſtratur. Quis colligit lacrymas? non angelus, ſed Deus ipſe. Quid colligit? num aurum vel argẽtum? Non, ſed lacrymas, quæ citò areſcũt. Quorum lacrymas colligit? non angelorum, ſed peccatorum, qui multas ſordes circumferunt.

Collectio demonstrationum de Deo & de prouidentia.

CAPVT V.

QVEMADMODVM differunt in cælo fulgor Solis clarissimus & lumen Lunæ, quod est remediũ nocturnarum tenebrarum: ita differunt in Ecclesia notitia Dei, quę ex fontibus Israel sanctissimis & augustissimis hauritur, & notitia de Deo physica, quę partim nobiscum nascitur, partim aspectione operum diuinorum cõfirmatur. Hoc discrimen considerandum est propter duas causas. Primùm ideo, vt longè anteponamus sapientiam Ecclesiæ propriam, omnibus naturalibus notitiis & eruditis philosophorum disputationibus de Deo, religione, rebusq; diuinis. Deinde ne aspernemur barbaricè & Cyclopicè ratiocinationem sobriam & eruditam, quæ colligit & contemplatur vestigia sapientiæ, potentiæ & bonitatis diuinæ, impressa singulis naturæ partibus. Vt enim nemo sanus Lunam contemnit, etiamsi lumen eius obscurius est, quàm clarissima lux Solis: ita etiamsi verum est, doctrinam Ecclesiæ illustriorem esse quàm physicas notitias & ratiocinationes: tamen nemo sit adeo agrestis & barbarus, vt omnino reiiciat collectionem testimoniorum ex operibus Dei ordinariis. Coniungamus potiùs vtrumque, patefactionẽ Dei, & hæc philosophica testimonia, & suum cuique locum geometrica analogia tribuamus.

Duplex lumen inditum est humanis mentibus. Notitia simplex, quòd sit Deus, & ratiocinatio quærens testimonia in ordine creaturarum. Etsi autem non satis est cogitare argumenta de Deo & de prouidentia, quæ ratio humana naturali luce cernit, tamen pædagogia vtilis est, hæc quoque colligere ad refutandos Epicureos furores. Nam & Paulus iubet hæc vestigia Dei in natura aspicere.

Testimonia Pauli extãt Rom. 1. & Actor. 17. Nam ad Romanos 1. ita inquit Paulus: Palàm fit ira Dei de cælo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatem in iniustitia detinẽt, propterea quòd id, quod de Deo agnosci

agnoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis patefecit, ſiquidem quæ ſunt inuiſibilia ipſius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipſaq; æterna eius potentia & diuinitas in hoc, vt ſint inexcuſabiles. Accuſat Paulus hac triſti concione totum genus humanum propter impietatem, quæ pugnat cum prima tabula, & propter iniuſtitiam, quæ eſt violatio ſecundæ tabulæ. Et nominatim omnes homines accuſat, quòd veritatem Dei quaſi captiuam detineant (id enim verbum κατεχόντων ſignificat) veritas autem ſignificat veras notitias, quæ nobiſcum naſcuntur, vt notitiam aliquam Dei, notitiam Legis, diſcrimen honeſtorum & turpium. Hanc veritatem ſeu has veras notitias ait incluſas eſſe veluti carceri ab iniuſtitia, id eſt, ab errantibus & vitioſis affectibus & cupiditatibus. Etſi enim videmus naturaliter meliora, & probamus, tamen deteriora ſequimur, & quod ratio ſuadet, cæcus furor vincit, vt in Tragœdia dicitur. Quatenus enim Deus cognoſci poteſt, manifeſtum eſt illis, id eſt, indidit Deus homini duplex lumẽ, vnum ſimplex, quod eſt aliqua notitia Dei, quòd ſit Deus, & qualis ſit, alterum eſt ratiocinatio, quę prælucente ſimplici notitia, quærit veſtigia Dei in natura rerum. De his Paulus inquit: Inuiſibilia Dei, ſcilicet, æterna potentia ac diuinitas ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, id eſt, ex operum ordine ratiocinamur, quòd ſit, & qualis ſit Deus.

Quòd ad alterum locum Actorum 17. attinet, ſplendidè de hac ſententia concionatur Paulus, cùm veniſſet Athenas, & incidiſſet in philoſophos Epicureos & Stoicos, Deus, inquit, fecit ex vno ſanguine omne genus humanum, vt inhabitaret ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens præſtituta tempora & terminos ſtatutos habitationis eorum, vt quærerent Deum, ſi fortè palpent eum & inueniant, quamuis non procul abſit ab vnoquoque noſtrum, per ipſum enim viuimus, mouemur & ſumus. Cùm igitur Paulus exemplo ſuo doceat Eccleſiam, non eſſe contemnenda hæc argumenta phyſica, nemo noſtrum ſit tam præceps in iudicando, aut tam furioſus, vt hanc collectionem demonſtrationum philoſophicarum aſpernetur.

Colligam igitur breuiter aliquas demonſtrationes, quarum cogitatio prodeſt ad Dei agnitionem & ad diſciplinam.

Prima. Impoſsibile eſt caſu aut fortuitò factam eſſe rem maximi & pulcerrimi ordinis. Sunt autem præcipuæ partes in natura certis legibus ordinatæ, vt poſitus corporum cæleſtium & infe-

riorum, motus cæli, vices dierũ & noctium, vices temporum quadripartitæ ad maturationẽ frugum & ad temperationem corporum aptæ, fœcundatio terræ, perennitas fontium & fluminum, distinctio ſpecierum συμπάθειαν ἀντιπάθειαν. Eſſe igitur præſtantem aliquam æternamque naturam, pulcritudo mundi & ordo rerum cogit confiteri. Quis enim hunc hominem dixerit, qui, cùm tam certos cæli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tamque inter ſe omnia connexa & apta viderit, neget, in his vllam ineſſe rationem, eaque caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus. Præclarè ergo Cicero in 2. de natura Deorum dixit: Hæc omnis deſcriptio ſyderum, atque hic tantus cæli ornatus, ex corporibus huc & illuc caſu & temerè concurſantibus, potuiſſe effici, cuiquámne ſano videri poteſt? aut verò alia natura mentis & rationis expers, hæc efficere potuit, quæ non modò vt fierent, ratione eguerunt, ſed intelligi qualia ſint, ſine ſumma ratione non poſſunt?

Maior in hac demonſtratione ſumitur ex definitione ordinis. Ordo enim eſt diſpoſitio & collocatio arte & conſilio facta, & ordinatum eſſe, eſt conſilio opificis ad certam formam, & ad certum finem eſſe directum. Quę verò caſu aut fortuitò fiunt, non ſunt perpetua, ſed ſunt incerta & Euripo magis mobilia, & vt vulgò in ſcholis dici ſolet, ſunt extra ſemper & frequenter. In Minori conſiderentur præcipua membra. 1. Mirabilis eſt poſitus ſeu collocatio corporum cæleſtium, ſupremum locum tenet firmamentum, octauum cęlum, quod eſt diſtinctum & ornatum aſtris, quæ ab artificibus in 48. imagines diſtribuuntur, quarum 12. ſunt in Zodiaco, reliquæ ſunt vel in auſtrina parte, vel in boreali. Firmamentum ſequuntur ſeptẽ orbes planetarũ, inter quos Sol tanquam dux militiæ cæleſtis, & vt Cicero inquit, moderator luminum reliquorum, medium tenet locum. Quia Sol eſt fons lucis in cælo & in natura. Sicut autem cor eſt in medio corporis humani, vt poſit ſpargere calorem naturalem per omnes partes, ita Sol fons vitalis potentiæ eſt in medio loco inter planetas. Supra Solẽ tres planetæ collocati ſunt: Saturnus, Iuppiter & Mars. Saturnus, qui eſt tardiſsimus, ideo eſt remotiſsimus à terra, quia eſt frigidiſsimus ψυχρότατος. Si propior eſſet, omnia animantia non tantùm

rùm læderet, ſed etiam necaret. Mars verò ſupra Solem eſt collocatus, & aliquantò longiùs abeſt à terra, quia calor Martis non eſt temperatus, ſed igneus. Quare ne ſuo calore immoderato omnia inflãmet, eſt remotior. Inter hos maleficos planetas Saturnum & Martem, interiectus eſt Iupiter ſtella benefica, quę eſt temperatè calida & humida, & mitigat ſuo calore frigus Saturni, ſua humiditate calorem Martis. Hęc eſt ratio theſeos planetarum trium ſuperiorum. Infra Solem tres planetæ collocãtur, Venus, Mercurius & Luna. Sicut enim Saturnus & Iuppiter ſunt conſiliarij Solis, Mars quaſi dux & bellator: ita blanda Venus eſt Oeconoma Solis, & Mercurius orator ſeu conſiliarius in politia cæleſti, & Luna quaſi nuncius & tabellarius Solis. Vt autem Cancellarius rarò abeſt à Principe, ita Mercurius nunquam diſcedit à Sole ſecundum longitudinem vltra gradus 28. Venus vſque ad 50. gradus à Sole digreditur. Luna, quæ vicem tabellarij ſuſtinet, vno menſe, & opponitur Soli, & coniungitur cum Sole, eundemq; aſpicit tum quadrata tum triangulari irradiatione. Lunæ ſubiectus eſt hic mundus inferior elementaris, in quo ſupremum locum tenet ignis, cui ſuccedit aër, reliquũ ſpatium circa centrum mundi occupat aqua & terra, quæ vnum globum conſtituunt, & ideo copulantur, quia nec terra propter ſiccitatem ſine humore poſſet conſiſtere, nec aqua haberet domicilium & alueum, ſi extra terram eſſet, ſiccum enim ſine humore non conglutinatur, & humor ſine ſicco non conſiſtit, vt in phyſicis dicitur.

2. Motus cæli] Hic nobis eſſet ampliſsimus campus expatiãdi, ſed vnum dabimus exemplum de Sole. Sol ſemper manet in illa linea Zodiaci, quæ vocatur Eccliptica, neque ab ea diſcedit vel ad dextram vel ad ſiniſtram. Eſt igitur Sol imago conſtantis principis, quem neque ſpes neque metus ab vllo honeſto propoſito poteſt dimouere. Deinde etſi habet declinationem, tamen hæc quoque deflexio ab æquatore, certiſsimam habet metam. Nam maxima Solis declinatio eſt 23. graduum & 30. ſcrupul. Quando igitur Sol attigit has metas, quæ vocantur ſigna tropica, reflectit iter, & ſe conuertit ad oppoſitam mundi plagam.

3. Vices dierum & noctium] Quatuor ſunt cauſæ huius viciſsitudinis, vt Theodoretus docet in 1. Orat. de prouidẽtia. Prima eſt, vt varietas nos delectet. Magis

enim delectant nos deſiderata, quàm aſſiduè percepta. Altera cauſa eſt, vt ex priuatione poſsimus æſtimare habitum, & carendo diſcere quàm cara res ſit lux. III. Vt nocturna quiete corpora hominum & iumentorum recreentur. Nam vt Poëta inquit: Quod caret alterna requie durabile non eſt. Item, vt beſtiæ carniuoræ noctu poſsint quærere ſuum pabulum. Nam vt interdiu latent in ſuis ſpelæis: ita noctu venantur prędam. De hac cauſa præclarè diſſerit pſalmus 104. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa reptabunt omnes beſtiæ ſylvæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi, ortus eſt Sol & recolliguntur, & in ſpeluncis ſuis cubant. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperã. Quarta eſt, vt poſsimus diſtinguere tempora. Quia in æterna vita erunt perpetui dies, nulla erit nox. Nam ſicut Deus eſt lux: ſic æterna vita erit plena lucis, expers tenebrarum. Vt igitur poſsimus numerare ſeptimanas, menſes, annos, ordinata eſt hæc alternatio & viciſsitudo dierum & noctium.

4. Vices temporum quadripartitæ] Theodoretus 1. oratione de prouidentia hoc ferè ſenſu de tẽporum vicibus quadripartitis loquitur: Aeſtas & hyems ſunt duo extrema, & habent qualitates inter ſe extremè pugnantes, videlicet calorem & frigus. Cùm autem omnis mutatio, præſertim ſubita ex contrario in contrarium, ſit naturæ inimica, & eam deſtruat: Deus inter æſtatem & hyemem duo media interiecit tempora. Poſt hyemem enim ſequitur ver temperatè calidum & humidum. poſt æſtatẽ autumnus, qui eſt frigidiuſculus & humidus, & præparat noſtra corpora, vt ſenſim aſſueſcant tolerare ſæuitiam & aſperitatem hyemis.

5. Perennitas fontium & fluminum] Hæc eſt imago æternæ vitæ. Sicut enim vnda pellit vndã, & fluctus trudit fluctum, & nullũ interuallum eſt huius continui fluxus: ita nullus erit finis æternæ conſuetudinis cum Deo, ſed ſine vlla temporis circũſcriptione fruemur aſpectu Dei. Mirabilis autem res eſt ortus & perennitas fluminum. Ex monte pinifero in extremis finibus Voitlandiæ oriuntur quatuor magna flumina, & labuntur ad quatuor mundi plagas. Ex hoc enim monte oritur Sala, Mœnus, Egra & Naba. Sala labitur ad Septẽtrionem. Mœnus ad occaſum, & prope Moguntiam labitur in Rhenum. Egra petit meridiem, Naba orientẽ, & miſcetur Danubio.

6. Diſtinctio

6. Distinctio ſpecierum] eſt, quòd ex homine homo, ex boue bos naſcitur. Nec imbecillem aquilæ feroces procreant columbam.

7. Fœcundatio terræ] complectitur omnem illam varietatem frugum, fructuum, herbarum, plantarum, quæ ſingulis annis ex terra enaſcuntur.

8. συμπάθεια] ſignificat naturalem conſenſum, ſeu concordiam, ſeu amicitiam, non legibus conſtitutam, ſed à natura ortam & profectam. ἀντιπάθεια eſt naturale diſſidium ſeu naturalis inimicitia & diſcordia, quæ nunquam poteſt reuocari in gratiam. Vt enim inter homines ſunt concordiæ & diſcordiæ, amicitiæ & inimicitiæ: ita Deus plurimis rebus impreſſit conſenſum naturalem & diſſidia naturalia. Quanquam autem non eſt huius loci & temporis prolixè philoſophari de hac ampliſsima materia: tamen hortator ſum ſtudioſis, vt exempla συμπάθειας & ἀντιπάθειας requirant in Declamationibus Domini Philippi, & in Dialogo Eraſmi de amicitia. Ac poſſunt ſex gradus συμπάθειας & ἀντιπάθειας, id eſt, naturalis amicitiæ & inimicitiæ docendi cauſa conſtitui. Primus eſt plantarum & membrorum corporis humani. Secundus plantarum inter ſe. Tertius, membrorum corporis humani. Quartus, beſtiarum & plantarum. Quintus, beſtiarum inter ſe. Sextus, gemmarum & metallorum.

Primus gradus latiſsimè patet in arte medica, quia Deus ſingulis membris humani corporis, condidit remedia conuenientia, vt cerebro prodeſt amaracus, vulgò Maioran: cordi Libanotis ſeu Roſmarinus: pulmoni hyſſopus: epati & ventriculo abſynthium: ſpleni teucrium, &c. & ſic deinceps.

Secundi gradus exemplum ſit de olea & vite. Tãta eſt συμπάθεια, cognatio naturæ, inter oleam & vitem, vt vitis inſita oleæ, altero anno gignat & vuas & oliuas. Hanc imaginẽ proponit pſalmus 128. de coniugio: Vxor tua, ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui ſicut rami oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Comparat pſalmus honeſtam & fœcundam matronam viti, liberos verò, oliuæ. Dicat aliquis, Cur non perſeuerauit pſalmus in vna metaphora, án non poterat comparare liberos vuis? Reſpondeo. Pſalmus reſpexit ad hanc συμπάθειαν naturalem oleæ & vitis.

Tertij gradus ſit hoc exemplum de venis & arteriis. In toto cor-

poreiunctæ sunt & copulatæ venæ & arteriæ, quia arteriæ communicãt spiritum venis, & rursus ab eis accipiũt aliquid sanguinis, qua in re est proposita imago mutuæ communicationis inter homines.

Quarti gradus hoc sit exemplum: Serpentes vt oculis medeantur, quærunt fœniculũ, hirundines quærunt chelidoniã. Schelfraut/ Asini sentiẽtes atræ bilis abundantiã, quærũt asplenũ, Hirschzung.

Quinti gradus hoc sit exemplum: Aquila & cygnus inter se naturalem inimicitiam exercent, & quanquam cygnus non prouocat aut lacessit aquilam, tamen prouocatus plerunque est victor, quia Deus & leges magis fauent defensioni, quàm offensioni.

Sexti gradus sit hoc exemplum: Inter adamantem & magnetem talis est inimicitia, vt adamas non sinat magnetem ad se ferrum trahere, sed impediat sua præsentia vim magnetis, & tamen ipse adamas, quanquam inuictus, rumpitur hircino sanguine. Si quis plura exempla vult in promtu habere, legat orationem Philippi de sympathia & antipathia, & dialogum Erasmicum de amicitia.

Secunda demonstratio: Impossibile est, naturam intelligẽtem oriri à bruta. Est autem homo natura intelligens, & quidem in homine mens celerrimè multa cogitat, & causas rerum & consecutiones videt, & similitudines transfert, & disiuncta coniungit, & cum præsentibus futura copulat, omnemque complectitur vitæ consequentis statum. Ergo necesse est esse aliquod numen præstantissimæ mentis, à quo hominum generi communicata sit tanta celeritas cogitationum, tanta memoria præteritorum, futurorum prouidẽtia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inuenta.

Cic. 2 de Finibus.

Iuxta regulam: Impossibile est causam & effectum differre toto genere.

Quanquam tota rerum natura testis est de Deo & prouidentia: tamen præcipua testimonia de hac sententia sumuntur ex natura hominis. Secũda igitur demonstratio sumitur à natura mentis humanæ. Ac Maior manifesta est, nec indiget declaratione, quia impossibile est effectũ toto genere præstantiorem esse causa: vel econtrà, causam esse deteriorem suo effectu. Ad Minorem veniamus. Cogitate quanta sit celeritas mentis humanæ. Magna est celeritas in motu cæli. Nam hæc tanta machina intra viginti quatuor horas reuoluitur circa terram, &

redit

redit ad suum principium, id est, ad orientem, sed longè Maior celeritas est humanarum cogitationum. Vno enim momento potes complecti cogitatione cælum, terram, mare, orientem, occasum, Septentrionem &c. Deindè quanta est capacitas memoriæ humanæ, quot verborum, quot rerum imagines quotidie mandantur memoriæ, & in eius thesaurum fideliter reponuntur. Omitto ceteras actiones mentis breuitatis causa. Tantùm hortor iuniores, vt diligenter considerent hęc duo, de quibus dixi, quàm volucres sint motus mentis in cogitatione, deinde quanta sit vis memoriæ in tanta varietate rerum & verborum.

Tertia demonstratio. Impossibile est, discrimen honestorum & turpium, aut casu ex Democrati atomis, aut à natura bruta ortum esse. Est autem in mente humana hoc discrimen æternum & immotum. Ergo necesse est aliquam esse mentem architectatricem, discernentem honesta & turpia, & eam suspiciendam admirandamque hominum generi.

Hęc demõstratio rursus hausta est ex fontibus naturæ humanæ, quæ certè præcipuum testimonium dicit de Deo & prouidentia. Vt igitur superior demonstratio sumitur ex natura mentis: ita hæc considerandum proponit discrimen honestorum & turpium, quod est διάφραγμα, septum quoddam transuersum, dirimens recta à prauis. Estq; hoc septum adamantinum, quod nulla vi labefactari, & nunquam dimoueri loco potest.

Quarta. Notitiæ naturales sunt veræ.
Esse Deum naturaliter omnes fatentur.
Hæc igitur notitia vera est.

Obiiciat hic aliquis exemplum Cyclopis apud Homerum & Euripidem, qui gloriatur se nulla expauescere numina &c. Respondeo. Etiamsi Epicurei, Cyclopes & alij homines moribus & cultu barbari verbis negent Deum, tamen in corde & in conscientia tacitè confitẽtur esse Deum, & fore iudicem humanarum actionum, tam bonarum quàm malarum. Ipsa igitur abnegatione Deum esse testantur.

Minorem huius demonstrationis confirmat Cicero in 1. Tusculana his verbis: Firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse

credamus, quòd nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de diis praua ſentiunt (id enim vitioſo more effici ſolet) omnes tamen eſſe vim & naturam diuinam arbitrantur. Nec verò id collocutio hominum aut conſenſus efficit, non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. Omni autem in re, conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt. Et in 2. de natura Deorum: Omnibus innatum eſt, & in animo quaſi inſculptum, eſſe Deos: quales ſint, varium eſt: [*id eſt, variæ ſunt opiniones*] eſſe, nemo [*ſanus aut non Cyclopicus*] negat.

Immanitas opponitur humanitati.

Idem in 1. de legibus, hanc memorabilem ſententiam ponit: itaque ex tot generibus nullum eſt animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. De ipſis quidem hominibus nulla gens eſt, neque tam immãſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat.

Cùm autem quorundam hoc tempore tanta ſit petulantia, vt non dubitent affirmare, notitiam Dei penitus ex corde hominis deletam eſſe, recitabo aliquot teſtimonia probatorum ſcriptorum contra iſtos, quos non neceſſe eſt prolixè refutare. Nam pauci ſunt & indocti, qui vel ſua ſponte tacebunt, cùm ſe intelligent nihil proficere, vel eruditorum omnium conſenſu, cum monſtroſis ſuis clamoribus reiicientur.

Eſt valde dolendum in hac ſenecta mundi ita creſcere petulantiam ingeniorum, & Sophiſticam hominum Epicureorum & Cyclopicorum, vt auſint negare aliquam eſſe in homine reliquam notitiam. Fortaſſe Diabolus deleuit ex eorum animis non modò notitiam naturalem, ſed etiam timorem Dei & iudicii diuini reuerentiam. Ideo volunt ex ſe alios æſtimare. Sed abſit hoc ab humana mente, vt dicamus, ſiue in carmine, ſiue in ſoluta oratione penitus deletam eſſe in corde humano notitiam naturalem. Fateamur in hac natura magnas eſſe tenebras, & triſtem caliginem. Et tamen hæc non ſunt ita hyperbolicè exaggeranda vt transformemus hominem vel in truncum, vel aſinum, vel Diabolum. Homo poſt lapſum eſt miſera creatura, ſine Mediatore, ſed non eſt ideo aſinus, truncus aut Diabolus. Ego non perſonas odi, ſed petulantiam

lantiam & malitiam, non humanam, ſed Diabolicam, perfecto odio odi, non propter me, ſed propter gloriam Dei & veritatem, vt commune bonum Eccleſiæ. Ego ſcio metas amicitiæ, & intelligo quatenus ſint diligendi amici, & ita diligo homines, vt eorum tamen non diligam errores.

Tertullianus in Apologetico: Anima licet carcere corporis preſſa, licet inſtitutionibus prauis circumſcripta, cùm tamen reſipiſcit, vt ex crapula, vt ex ſomno, vt ex aliqua valetudine [*ex morbo*] & ſanitatem ſuam patitur, & Deum nominat, & iudicem conteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet [*præmium, vel malum. Sunt verba μιμητικὰ.*] Hoc teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ. Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium [*arcem Romanam*] ſed ad cælum reſpicit.

Loquitur de naturali & phyſica notitia, non de Euangelica.

Nazianzenus in 2 oratione περὶ θεολογίας, pag. 199, Deum eſſe cauſſam omnium rerum efficientem & conſeruantem, non modò aſpectio operum mundi, ſed etiam lex naturalis teſtatur. Vt enim ſenſus oculorum intuetur omnia inter ſe connexa & apta, & immobiliter [*id eſt, immutabiliter, perpetua lege*] vt ſic dicam, mota, ita lex naturæ ex rebus pulcerrimè ordinatis, ratiocinatur eſſe aliquem architectum tanti operis & muneris.

Idem eſt quod nos ſæpe dicere ſolemus: Duplex lumen inditum eſt humanæ menti: lumen ſimplex, quòd ſit Deus: & ratiocinatio colligens veſtigia Dei impreſſa creaturis.

Lutherus in enarratione 1 cap. Ionæ: Omnium hominum mentibus hoc inſculptum eſt, vt cognoſcant eſſe Deum, & naturalis ratio, quæ cõmunis eſt omnium hominum, ſentit, diuinitatem eſſe excellens & maximũ quiddam præ omnibus creaturis. Cuius rei hoc argumentum habes, quòd hi Ethnici Deum inuocant, quibus nihil prædicatum

In Dialecticis dicitur: Valet conſequẽtia ab eſt tertij adiecti, ad eſt ſecũdi adiecti in poſitiuis, vt Ferdinãdus eſt Imperator Romanus. Eſt propoſitio habẽs Eſt tertij adiecti, quia habet ſubiectũ, prædicatũ & copulã. Subie-

est deDeo. Nam si prorsus nulla fuisset cognitio Dei in eis, quomodo in necessitate inuocassent Deum, aut clamassent ad eum? Idem capite 40 Esaiæ. Habetis naturaliter aliquã cognitionem de Deo, alioqui non coleretis Deum in idolis.

ctum est Ferdinandus, copula est verbum substantiuum, prędicatum, Imperator Romanus. Igitur valet consequentia ad est secundi adiecti, Ferdinandus est. Ita si tu Deum inuocas, petis ab eo auxiliũ etiam extra Ecclesiã, hoc ipso facto ostẽdis esse Deum. Nam si nihil esset, cur eum inuocarẽs? Addit autem Lutherus particulam Aliquam, ne quis faciat ex scalmo nauem. Plura enim requiruntur ad perfectionẽ nauis, quàm scalmus. Ita non valet consequentia: Nos tribuimus aliquid notitiæ naturali, ergo confundimus eam cum doctrina Euangelij.

Sed quid attinet in rebus tam apertis plura requirere?

Non libenter versor in refutatione manifestorum mendaciorum. Quis enim nisi extremè piger aut frigidus, non vehementer commoueatur vel legens, vel audiens exempla fanaticorum hominum, quorum tanta est immanitas & furiosa audacia, vt non dubitent ex suis & alienis pectoribus delere notitiam Dei naturalem, quæ est fons omnium legum honestarum, & est præcipuum vinculum humanæ societatis. Quid sunt iuramenta, sublata & extincta notitia Dei? Sed quoniam ad officiũ eorum, qui in Scholis aut templis docent, pertinet, contradicere veteribus & recentibus furoribus, ideo breuiter attingere hæc volui, ne applaudant adolescentes illis doctoribus, qui lumen simplex opprimere atque extinguere volunt, quod perinde est, ac si quis homini tribuat facultatem numerandi, & tamen neget eum habere naturalem notitiam de distinctione vnitatis & multitudinis. Nemo potest numerare res, aut multiplicare, aut diuidere, aut alia opera arithmetica facere, nisi primùm à natura habeat insitam notitiam, quòd ingens sit discrimen inter vnum & multa. Nam ex hoc fonte omnis numeratio hauritur. Ita si non fulgeret in nostra mente aliquod lumen simplex, quomodo posset institui ratiocinatio obseruans, & quærens vestigia Dei impressa in tota rerum natura?

Quinta demonstratio. Post atrocia scelera sequitur ingens dolor, quem etsi audacissimi, & humana potẽtia probè muniti, excutere

Xenophon in 8 παιδ.

excutere conantur, vincit tamen quædam vis arcana, quæ punit sceleratos. Est igitur numen, quod discernit iustos & iniustos. Hæc demonstratio fit illustrior, consideratis exemplis, quæ in Suetonio & Liuio recitantur. Ita enim de Nerone interfectore matris scribit Suetonius in Nerone: Neque tamen parricidij conscientiam, quanquam & militum, & Senatus, populique gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut vnquam postea ferre potuit, sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum ac tædis ardentibus, quin & facto per Magos sacro euocare manes [*animam matris*] & exorare tentauit.

Iuuenalis. Nec tamen hos tu euasisse putes, quos diri cõscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit.

Diabolorum. Euriæ significãt Poetis Diabolos.

De Philippo patre Persei & Demetrij, Liuius ad hunc modum scribit [*libro 10. Decad. 4.*] Philippus post necem filij Demetrij, animo magis quàm corpore æger, curisque & vigiliis (cùm identidẽ species & vmbræ insontis interempti filij, eum diris agitarent) extinctus est, cum execrationibus Persei. Hæc exempla congruunt ad dictum Senecæ [*lib. 16 epistolarum*] Multos fortuna liberat pœna, neminem metu.

Reges & Principes sunt collocati in tãto fastigio, vt nemo inferiorum aut æqualium possit de eis supplicium sumere. Sed tamen nulla est tanta fortuna, tanta potentia, quę posset sceleratos liberare metu & pauoribus conscientiæ, vnde Lutherus: Es ist kein artzney in der Apoteck/ welche diesen nagenden Wurm könte stillen. Summam historiæ de Philippo patre Persei & Demetrij breuiter recitabo, vt iuniores locum totum in Liuio diligentiùs legant. Duo fuerunt Philippi reges, prior & posterior. Prior fuit pater Alexandri Magni, de quo nunc nihil dicimus. Posterior fuit pater Persei & Demetrij. Demetrius fuit excellens virtute, & propter excellentiam virtutis successio regni ad eum omniũ suffragiis deferebatur. Perseus fuit maior natu, & mõstrosus homo, nõ dissimilis Cain, Ein blut hundt. Cùm igitur videret Perseus fratrẽ Demetriũ valere gratia & authoritate, nõ modò apud populum, sed etiã apud patrem, insidias fratri struxit, & calumniis de-

formatum in ſuſpicionem affectati regni apud patrẽ adduxit. Hæc ſuſpicio nimis cæca impulit patrẽ, vt permitteret interfici innocentem iuuenem Demetrij, quo facto & pater mœſtitia extinctus eſt, non aliquo corporis morbo, & Perſeus parricida paulò pòſt moto bello contra Romanos, pœnas parricidij perſoluit. Ductus eſt enim in triumpho à Paulo Aemilio conſule Romano, ac tandem in carcere mortuus eſt. Filij eius Romæ ſunt facti Scribæ. Seneca: Non ſic Lybicis Sirtibus æquor, furit alternos voluere fluctus, vt præcipites regum caſus fortuna rotat.

Sexta. Politica ſocietas non eſt omnis multitudo, ſed cœtus, iuris conſenſu & vtilitatis communione conſociatus. Nec verò poſſet hæc ſocietas in tantis confuſionibus & furoribus hominum & Diabolorum durare, niſi Deus ſua potẽti dextra tueretur. Eſt igitur Deus, cuius opera & auxilio multò magis hæc ſocietas, quàm ratione hominum, & cõſilio gubernatur.

Cicero pro Rabirio.

Cicero in 3 de Repub. citante Auguſtino de ciuitate Dei: Vtinam extarent integri libri Ciceronis de Repub. Fragmẽta quædam ſunt conſeruata tum ab aliis, tum etiam ab Auguſtino in libris de ciuitate Dei. Decimus octauus liber Auguſtini prodeſt iis, qui delectantur lectione Metamorph. Ouid. Eo in loco multæ fabulæ allegoricè explicãtur.

Ac lucent in ſocietate hac ſapientia & iuſtitia Dei, & bonitas erga genus humanũ: Sapientiã oſtendit ordo, qui eſt diſcrimen virtutis & vitiorum, & conſociatio hominum per legitima imperia, & contractus miranda ſapientia ordinati. Deinde iuſtitia Dei cõſpicitur in pœnis, quia Deus regulariter atrocia delicta punit atrocibus pœnis in hac vita. Cõſpicitur & bonitas Dei erga genus humanũ, quia ſicut ſtellarum motus ſua potentia conſeruat, ſic quantum ordinis in hac confuſione humanæ na-

Ordo eſt opus naturæ ſapientis, Notitia numerorum eſt fons ordinis, In brutis nõ eſt intellectus, neque numerorum notitia, Igitur non eſt ordo.

Nero fugiens, cùm Magiſtratus eum vellet rapere ad ſupplicĩu, ſibi necem cõſciuit, Iſt ſein ſelbſt Bencker geweſen. Philippus mœſtitia & doloribꝰ cõſciẽtiæ extinctus eſt. Perſeus captus à Romanis mortuꝰ eſt in carcere. Hæc exẽpla ſi conſiderarent naturæ

turæ manet, id omne à Deo verè & efficaciter conſeruatur. pſal. 147.

Septima. Quicquid mouetur, ab alio mouetur. Non eſt autem infinitus proceſſus in mouentibus & motis. Nam in infinito nihil eſt nec ſummum, nec infimum, nec medium, nec vltimum, nec extremum. Neceſſe eſt igitur ad eam cauſſam deuenire, quę increata & immobilis, alia omnia moueat & generet.

ſtri Principes, fortaſsis moderatiores interdum eſſent.

Videtur hæc demonſtratio iunioribus obſcurior, ſed non eſt obſcura iis; qui prima initia doctrinæ phyſicæ guſtarũt. Ariſtoteles in 8 phyſicorum, diſputans de Deo, quem vocat primũ motorem, hac demonſtratione vtitur: Quidquid mouetur in tota rerum natura, aliunde mouetur: nihil eſt enim cauſſa ſui ipſius. Hoc axioma intelligatur candidè, non cauillatoriè, de rebus creatis, ſicut dicitur Iohann. 1: Omnia per ipſum facta ſunt, quæ facta ſunt. Non autem eſt proceſſus infinitus, in hac ſerie & ſyſtemate mouentium & mobilium, quia videmus ex terra naſci arbores, in arboribus fructus. Ipſa autem terra fœcundatur calore Solis & tempeſtiuis pluuiis. Cælum quoque habet aliũm motorem, à quo agitatur & impellitur. Quare neceſſe eſt nos tandem peruenire ad aliquã vltimam & primam cauſſam, quæ eſt increata & immobilis, & tamẽ aliis rebus motũ impertit. Quòd ſi eſſet infinitus proceſſus in cauſſis mouentibus, nullum poſſemus animaduertere initium, aut medium, aut finem per definitionem infiniti.

Octaua. Creaturæ directæ ſunt ad certos fines & vſus ſeruientes hominũ generi. Nam aliæ ſunt nutrimenta corporis humani, aliæ medicamenta certorũ morborum, nonnullæ inſtrumenta actionum œconomicarum & politicarũ, quędam res naſcentes gignunt, fouẽt, & humanis vſibus attemperant. Hanc mirandam diſtributionem rerum cæleſtium & inferiorũ, quarum

Hæc demonſtratio eſt popularis, quæ ab omnibus etiam indoctis poteſt intelligi, & ſumta eſt ex cauſsis finalibus, & eſt ampliſsima & vberrima, nec poteſt integrè declarari in tanta temporis breuitate. Sed declaratur copioſiſsimè à Galeno in libro de vſu partium humani corporis, & in libris de facultatibus a-

ſingulæ ad certos vſus profuturos hominî ordinatæ ſunt, impoſsibile eſt aut caſu extitiſſe, aut fortuitò manere. Neceſſe eſt igitur conſilio architecti factũ eſſe.

limẽtorum & remediorum. Nos ex magno cumulo pauca tãtùm exempla eligamus. Omnes res in natura corporea & viſibili ſunt conditæ ad vſus humanos, qua ex re poteſt intelligi, quantus ſit Dei amor erga genus humanũ. Sunt autem quatuor fines præcipui, propter quos omnia corpora cæleſtia & inferiora à ſapiente & beneficentiſsimo architecto facta & conſtituta ſunt.

Primus finis eſt, vt ſint nutrimenta ſeu alimenta humanorum corporum, quo ex genere ſunt fruges & fructus, vt triticum, olyra & hordeum quotidie nutriunt noſtra corpora, ſiue in cibo, ſiue in potu. Fructus naſcentes in arboribus ſecundum locum tenent inter nutrimenta.

Secundus finis eſt, vt aliqua corpora ſint medicamenta certorum morbõrum, vt Rhabarbarum omnibus notum, ſuauiter educit & euacuat ex corpore flauam bilem, & aperit obſtructionem epatis, Agaricum euacuat phlegma. Sed non licet mihi ingredi in hunc cãpum ampliſsimum, videlicet in commemorationem remediorum, quorum copia & varietas oſtendit, Deum eſſe amantem vitæ hominum, & non delectari morte. Singulis enim membris ſingula remedia ſunt attributa. Quædam etiam ſimul ſunt nutrimenta & medicamenta, vt amygdalæ, lactucæ, vinum, quæ ſimul nutriunt & ſanant.

Tertius finis eſt, vt aliqua corpora ſint inſtrumenta ſeu organa actionum œconomicarum & politicarum, vt metalla & iumenta, vt aſini, equi, ſunt inſtrumenta rei ruſticæ. Certè non poſſumus colere agros & metere fruges ſine ferro. Non poſſumus magnas moles importare aut exportare ſine miniſterio iumentorum.

Quartus finis eſt, vt quædam corpora, cuiuſmodi ſunt cæleſtia & meteora, gignant, foueant & conſeruent res naſcentes ex terra. Sol & homo generant hominem, vt inquit Ariſtoteles 2. phyſicorum. Hoc dictum intelligatur de cauſis ſecundis, à quibus non excludimus cauſam primam. Meteora quoque valde proſunt ad fruges cõſeruandas & fouendas, vt tempeſtiuæ pluuiæ. Sed non neceſſe eſt colligere omnia quæ de hac ſententia dici poſſunt. Legant ſtudioſi Ciceronem lib. 2 de natura Deorum.

Nona. Certò monſtrantur futuri euentus non modò per eclipſes & meteora, vt ſunt Cometæ, chaſmata, terræ motus, parelia, quorum ſignificationes exponunt Aratus in φαινομένοις, Ptolemæus in 2 quadripartit. Plinius ſparſim, & alij: ſed etiam per vaticinia Prophetarum in vera Eccleſia. Neceſſe eſt igitur aliquam mentem eſſe præuidẽtem & præmõſtrantem euentus, qui à nulla creatura proſpici poſſunt.

Hæc argumenta non referãtur ad inanem ſpeculationem, ſed confirment in bonis mentibus aſſenſionem de prouidentia, & piam reuerentiam erga Deum. Quis enim non timeat omnia præuidentem & cogitãtem, & animaduertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem Deum? Quis non diligat hunc Conditorem, tam beneficum, generiq́ue hominum amicum? Quamobrem cogitatione horum argumentorum exuſcitetur in nobis timor Dei, dilectio & gratiarum actio, cùm pro ceteris beneficiis omnibus, tum pro remediorum copia, quæ oſtendit hominum vitam Deo curæ eſſe.

Ptolemæus in ſecundo quadripartiti, & in ipſo centiloquio primas partes ſignificationum phyſicarum tribuit eclipſibus, quarum effectus ſunt certiſsimi & minimè fallaces. Proximas aſſignat Cometis, traiectionibus, chaſmatis, pareliis, & terræ motibus. De eclipſibus res manifeſta eſt. Nam perpetua hiſtoria mundi, & quotidiana exempla oſtendunt & teſtantur, omnes eclipſes Solis & Lunæ denũtiaſſe humano generi maximas pœnas, vt peſtem, bellum, famem, particularia diluuia. Poſt eclipſes proximus locus tribuitur cometis, qui ſignificant non ſolùm æſtus inuſitatos ſeu ſiccitates, ſed etiam bella & ea mala, quæ comitantur bella, id eſt, magnas commutationes Reip. Vidimus noſtra ætate multos Cometas: quæ autem acciderint, & iam verſentur ante oculos, nemo eſt qui ignoret. Chaſma ſignificat voraginem ſeu hiatum cæli. Cicero ita interpretatur in 2 de diuinat: Cùm cælum diſceſſiſſe viſum eſt. Non imaginemur cælum hiare ſeu diſcedere, ſed in aere talis ſpecies terribilis oculis hominum à Deo obiicitur, vt admoneantur de futuris mutationibus. Vidimus etiam intra paucos annos multa chaſmata, quæ certè ſignificant diſtractiones Doctorũ in Eccleſia, & Principum in Repub. De terræ motu inquit Plinius

lib. 2 grauiſsimè: Non tantum mali eſt in ipſo motu terræ, quantum in oſtento [*in ſignificatione.*] Nunquam enim vrbs Roma tremuit, vt non alicuius futuri euentus id eſſet prænuntium. Parelia, id eſt, multi Soles, ſeu imagines falſæ Solis, ſignificant malas artes & ſophiſmata, quæ ſtruuntur veritati, partim in Eccleſia, partim in Repub. Sicut enim illæ imagines fallaces & ſimulatæ ludificantur hominum oculos, ita præſtigiæ ſophiſmatum corrumpunt doctrinam Eccleſiæ, & omnia politica cõſilia. Nunc de vaticiniis Prophetarum dicendum eſt, de quibus breuiter aliquid commemorabimus.

Euſebius lib. 6 præparationis Euangelicæ valde vrget hanc demonſtrationem contra Ethnicos, & inter alia exempla hæc quatuor colligit.

Primum exemplum.

3 Regum 13. & 2 Paralip. 34. Poſt mortem Salomonis decem familiæ ſeu tribus auulſę ſunt à reliquis duabus, à tribu Iuda & Beniamin propter idolatriam Salomonis & libidines. Hæc diuulſio ſeu diſtractio peperit perpetua bella ciuilia, inter duas tribus & regnum decem tribuum, nec tantùm cauſſa fuit bellorum, ſed etiam mutauit religionem. Nam Ieroboam primus rex Iſrael, vt in officio contineret populum, collocauit duos vitulos aureos, vnum in Bethel, alterum in Dan, & cõduxit Sacerdotes & Leuitas transfugas ac deſertores, vt ibi ſacrificarent, atque ita retinerent populum, ne diſcurreret in Iudæam ad quærendum templum. Cùm ita ſacrificaret Ieroboam, venit vir Dei, id eſt, Propheta ex tribu Iuda, & magna voce exclamat: O altare, altare. Orietur domui Iuda Rex, nomine Ioſias, qui non tantùm euertet hæc altaria, ſed etiam Sacerdotes mactabit, cuius meæ prædictionis hoc eſt ſignum: Altare ipſum ſcindetur, & effundetur cinis. Habes prædictionem. Quot anni numerantur ab hoc tempore Ieroboam vſque ad Ioſiam? anni trecẽti, aut circiter. Nam huic prædictioni reſpondit euentus anno 12 Ioſiæ, & vicesimo ætatis eiuſdem. Quid eſt autem in hoc vaticinio tam mirabile, quàm quòd ante natum Ioſiam, non tantùm prædicitur factum, ſeu euẽtus, ſed etiam nominatur rex Ioſias executor decreti diuini?

Secundum exemplum Eſaiæ 45. 1 Eſdræ 1.

Eſaias cap. 45, annis ducentis, vt minimum, ante euẽtum nominatim prædicit, fore vt Cyrus rex Perſarũ cõcedat populo reditum ex

ex Babylone in patriã, & ei reſtituat vaſa templi, & omnibus rebus inſtruat, quæ ſunt neceſſariæ ad inſtaurationem templi & vrbis. Si tantùm prædiceret Eſaias euentum, magnum quiddam eſſet, ſed addit etiam (quod eſt magis mirandum) nomen Cyri, quem Cores appellat. Euentus autem deſcribitur 1 Eſdræ 1. Nam Cyrus rex Perſarum non tantùm conceſsit populo reditum, ſed etiam vaſa templi reſtituit, & omnibus rebus inſtruxit, quæ fuerunt neceſſariæ ad inſtaurationem templi & vrbis.

Tertium exemplum.

Ieremiæ 25 & 29 conſtituitur certus numerus annorum, quibus exulauit tribus Iuda in Babylone. Vbi euentus deſcribitur? 1 Eſdræ 1. In capite 25 Ieremias cõſtituit certum numerum annorum, quàm diu ſit duraturum exilium, videlicet annos 70. In cap. 29 addit circũſtantias. Tres tãtùm erunt reges in Babylone: Nabugdonoſor, filius eius, & nepos. Filius fuit Euilmerodach, pius rex, nepos fuit Balthaſar. An non hoc eſt magnum, conſtituere numerum, & inſuper recenſere tres reges ordine vſque ad finem exitus? Hæc certè ſunt diuinitus monſtrata.

Quartum Daniel 9.

Daniel non tantùm concionatur de venturo Meſsia, & eius beneficiis, de æterna iuſtitia, vt ceteri Prophetæ, ſed etiam conſtituit certum numerum annorum, intra quos Meſsias venturus erat, & futurus victima pro genere humano. 70 hebdomadæ non dierum ſed annorum, conſtituunt annos 490. Quæritur quod ſit initium, quis finis ſupputationis? Magna eſt doctorum in Eccleſia de hac re diſſenſio, ſed nos ſequamur authoritatem præceptoris D. Philippi Melanthonis, qui in Chronico ſuo, & in explicatione Danielis inchoat ſupputationem à ſecundo anno Longimani, & finem conſtituit in Pentecoſte, quæ ſecuta eſt reſurrectionem Domini. Hac ſupputatione ſimus contenti, nec quæramus in ſcirpo nodum.

Quòd autem euentus reſponderit huic prædictioni, teſtantur quatuor Euangeliſtæ & Acta Apoſtolorum.

Refutatio præcipuæ obiectionis contra prouidentiam.

CAP. VI.

IN rebus ſecundis facilè eſt habere hanc perſuaſionem, quòd Deus adſit humano generi, & ei bona impertiat, ſicut declarant voces, quibus multi vtuntur in magno fauore fortunæ: Deus adeſt, Deus hîc habitat. Sed in rebus aduerſis, id eſt, in magna vi tempeſtatum & cõcurſu calamitatum firmiter ſtatuere, Deum curare genus humanũ, Hoc opus, hic labor eſt, vt inquit Poeta. Quare admodum neceſſaria eſt non ſolùm doctrina hactenus tradita de prouidentia, ſed etiam ſolutio præcipuæ obiectionis contra prouidentiam, quæ non eſt excogitata ab otioſis ingeniis, ſed agitatur & ſentitur à nobis ipſis, quoties calamitates magno impetu in nos irruunt. Sic enim argumentamur in medio mari, inter fluctus & procellas: Si Deus curaret genus humanum, bonis bene eſſet, & malis malè. Videmus autem bonos plerumque opprimi etiam in optima & iuſtiſsima cauſſa: cõtrà verò malos florere & dominari, & ſpiritus altos gerere, & ita graſſari inter homines, quaſi nullum reſtet iudicium Dei. Diſcamus igitur ſolutionem huius argumenti in tranquillitate & pace, vt hoc remedium poſsimus opponere nõ ludis & præſtigiis ſophiſmatum, quæ facilè poſſunt contemni, ſed veris doloribus, qui in corde ſentiuntur.

Magna pars libri Salomonis, qui inſcribitur Eccleſiaſtes, recitat hanc obiectionem, quæ videtur aduerſari prouidentiæ, & addit breues reſponſiones de iudicio Dei:

Prouidentia diſtribuit iuſtis præmia, iniuſtis pœnas.
Bonis autem in hac vita plerumque malè, & malis bene eſt.
Non eſt igitur prouidentia.

Non debet ſeparari iuſtitia à prouidentia. Prouidentia ſemper eſt coniuncta cum iuſtitia, quæ eſt æqualitas tribuens vnicuique quod ſuum eſt. Salomon filius Dauidis, rex ſapientiſsimus, ſcripſit tres libellos

bellos dulciſsimos & vtiliſsimos, quorum primus continet prouerbia, id eſt, ſentẽtias, ſeu præcepta primæ & ſecũdæ tabulæ de omniũ virtutum officiis, in primis verò de timore, de fide & de patientia in ærumnis. Hunc libellum prouerbiorum nunquam debent adoleſcentes ponere de manibus, ſed ſemper tractare, & vt ait Horatius, nocturna verſare manu, verſare diurna. Secundus libellus vocatur Eccleſiaſtes, ab ἐκκλησιάζειν. Fuit enim Salomon non ſolùm gubernator politicus, ſed etiam doctor Eccleſiæ, vt teſtantur eius ſcripta, & ipſe ſeſe nominat in principio huius libri Eccleſiaſten. In hoc libro non traduntur præcepta de agendo, ſed conſolatio, quæ eſt aſſeueratio de prouidentia. Eſtq; neceſſaria contra varios ventos & tempeſtates, quæ nobis obiiciuntur tanquam impedimenta noſtræ vocationis. Nulla eſt vocatio tam parua, in qua non multa impedimenta, terriculamenta, & multæ remoræ obiiciantur. Alium premit paupertas, alium contemtus & odia potentum, alium exercent calumnię fratrum falſorum, denique multa ſunt incommoda in toto genere humano. Quid igitur agendum eſt? Eſtne deſerenda vocatio, & aliud vitæ genus quærendum? Profectò ſæpe diſcedimus in hanc cogitationem, vt exiſtimemus omnino deſerẽdam eſſe ſtationem, & aliud vitæ genus amplectendum eſſe: ſed ab hac triſtiſsima tentatione nos reuocat Eccleſiaſtes Salomonis, affirmãs eſſe prouidentiam, & reſtare iudicium Dei poſt hanc vitam, in quo Deus tanquam iudex iuſtiſsimus vnicuique æqualia tribuet, iuſtis præmia, iniuſtis pœnas. Ita enim concludit totum librum, Deus adducet omnia in iudicium, ſiue bona, ſiue mala. In hoc igitur iudiciũ intuentes, magno animo breuia incommoda feramus. Hęc non eſt puerilis doctrina, ſed grauiſsima & valde ſalutaris, præſertim iis, qui ſunt in gubernatione. Tertius libellus Salomonis vocatur Cantica Canticorum, Das hohe Lied Salomonis. Eſt autem hic liber pulcerrimum epithalamium, id eſt, carmen nuptiale Chriſti & Eccleſiæ, in quo ſunt multa dulciſsima ἤθη, & tamen mixta ſunt ſimul triſtiſſima πάθη. De quibus nunc non eſt dicendi locus.

Hoc argumentum Cicero in 3 de natura Deorum ſic recitat: Telamo vno verſu locum totum conficit, cur Dij homines negligant: nam ſi curent, bene bonis ſit, malè malis, quod nunc abeſt. Vt enim nec domus, nec Reſpub. ratione quadam & diſciplina deſignata videatur, ſi in ea neque rectis factis præmia extent, ne-

que ſupplicia: ſic mundi diuina in homines moderatio profectò nulla eſt, ſi in ea diſcrimen nullum eſt bonorum & malorum.

Huius argumenti ſolutio ignota philoſophiæ, diligenter & rectè diſcenda eſt ex doctrina Eccleſiæ, quæ primùm ex Lege reſpõdet, atrocia delicta puniri atrocibus pœnis, vel in proprio corpore, vel in ſemine, id eſt, in poſteritate. Quãquam enim Dionyſius maior, qui ad impietatẽ in Deum, in homines adiunxerat iniuriam, in ſuo lectulo mortuus, in tyrannidis rogum illatus eſt, eámque poteſtatem, quam ipſe per ſcelus erat nactus, quaſi iuſtam & legitimam, hæreditatis loco filio tradidit: tamen Dionyſius iunior propter ſua & patris ſcelera, graues iuſtáſque pœnas hac etiam in vita perſoluit. Plenæ ſunt hiſtoriæ exemplis calamitoſarum familiarum, vbi parentum ſcelera pœnas poſteris attraxerunt, quæ in plurimos vagatæ ſunt, & totas abſumſerunt ſtirpes, aut perpetuis exiliis diſſipauerunt, quale eſt exemplum Oedipi Thebani, & ſimilium.

Exodi 20: Ego Dominus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.

Hæc eſt prima ſolutio legalis, ſumta ex comminatione addita primo præcepto, cum qua congruit verſiculus dulciſsimi Theocriti Idyll. 33: Piorum liberis eſt meliùs, impiorum liberis eſt deteriùs. Idem dicitur pſal. 112: Generationi rectorum benedicetur. Quanta fuerit petulantia Dionyſij maioris, prolixè narrat Cicero 3 de natura Deorũ, in fine. Quem locum ſtudioſi legant ipſi, ſi non propter aliam cauſſam, ſaltem propter ſplendorem orationis. Quanta fuerit Dionyſij iunioris petulantia, narrat Athenæus. Qui quidem quatuor gradibus depingit initia, & progreſſum, & finem petulantiæ. Primus gradus eſt τρυφή, id eſt, luxus. Secundus eſt κόρος, id eſt, ſatietas & faſtidium. Tertius, ὕβρις, petulantia. Poſtremus ὄλεθρος, ruina. De Oedipo notæ ſunt narrationes Sophoclis.

Deinde Eccleſia ex Euangelio reſpondet. Etiamſi differuntur pœnæ & præmia: tamen reſtat aliud iudicium, in quo diſtribuentur præmia & pœnæ non momẽtaneæ, ſed perpetuæ & durabiles. Quòd autem iuſtos aliquandiu vt Ieremiam & alios.

finit

finit affligi Deus, cauſſa eſt, quia in his hæret peccatũ. Vult autem Deus agnoſci iram ſuam in Eccleſia aduerſus peccata, ideo ſubiicit eam cruci. Hac ſolutione ita confirmandi ſunt animi, vt eos etiam contemnere poſsimus, qui nos ſic ſentientes derident.

Hæc ſolutio traditur in fine libri Eccleſiaſtis, cap. 12: Deus adducet cuncta in iudicium, ſiue bona ſint, ſiue mala. Dicat aliquis Epicureus, Fortaſsis eſt inanis fabula prædictio futuri iudicij. Audi. Nónne hiſtoriæ teſtãtur ea euenisſe, quę prædixit vox diuina ab initio vſque ad hanc ætatem? Deus prædixit diluuium voce & miniſterio Nohæ, & diſtulit hanc triſtiſsimam pœnam annos centum, voluit enim concedere hominibus miſeris ſpatium ad conuerſionem. An non ſecutum eſt diluuium prædictionem diuinam propoſitam à Noha Patriarcha? Quod etiam gentium hiſtoriæ teſtantur euenisſe. Idem Deus prædixit ſeriem quatuor Monarchiarum. Annon hiſtoriæ teſtantur, ordine fuiſſe has quatuor Monarchias? Nónne Daniel prædixit vẽturum eſſe Mahometen & Antichriſtum Pontificem Romanum? An non videmus ante mille annos ferè reſpondiſſe euentum vaticinio Danielis? Daniel cap. 9, & Chriſtus Luc. 19 prædixerunt excidium Ieroſolymitanum: Annon poſt annos 40 à reſurrectione Chriſti, Veſpatianus pater, & filius eius Titus funditus deleuerunt politiam Iudaicam? Quanquam autem ſæpe conati ſunt Iudæi inſtaurare vrbem & templum: tamẽ diuinitus repreſsi ſunt. Si igitur ipſa res conuincit te, vt fatearis prædictiones diuinas non fuiſſe inanes, ſed veras, quid cauſſæ eſt, cur dubites paulò pòſt ſecuturum eſſe vniuerſale iudicium toties prædictum à Prophetis, Chriſto & Apoſtolis, & ab ipſo Enoch, qui vixit ante diluuium, teſte epiſtola Iudæ, in qua citantur verba Enoch? Hæc non fruſtrà dico, ſed quia præſens tempus, id eſt, ſenecta mundi nos de talibus rebus admonet.

Nam officium docentis eſt, non modò docere, ſed etiam monere & hortari ad pietatem & timorem Dei.

EXPLICATIO TEXTVS LO. CORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANTHONIS De creatione.

NON sit molesta nobis & iniucunda hæc repetitio, quia bonarum rerum nulla debet esse satietas, & quidem articuli de creatione & prouidētia tanta est amplitudo, vt nulla cogitatione, nulla eloquentia possit exhauriri. Non igitur simus fastidiosi in hac repetitione earundem sententiarum, sed potiùs agamus Deo gratias, quòd & in verbo suo, & in scriptis hominum piorum toties eandem doctrinam proponit, repetit & inculcat, quia profectò repetitio est confirmatio quædā. Nec possunt præcepta cuiuscūsque doctrinæ subitò adhærescere memoriæ & iudicio, nisi subinde ad calculos vocentur, & quasi in succum nostrum assiduitate repetitionis conuertantur.

Voluit Deus innotescere] Est axioma Theologicum, id est, non latere voluit Deus in sua arcana luce, ignota creaturis.

Miram artem adhibuit] Euripides, citante Plutarcho, in libro de placitis philosophorum: κόσμος ἐστὶ καλὸν ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ, id est, Mundus est opus magna varietate distinctum & ordinatum à sapiente architecto. Καλὸν, secundum Aristotelem in libro de Poëtica, consistit in duabus rebus: 1, in magnitudine. 2, in ordine. Quidquid igitur est magnum & ordinatum, dicitur καλὸν. Mundus etsi est finitus, tamen valde similis est infinito, vt Plinius loquitur. Quòd sit ordinatus mundus, testis est experiētia. ποίκιλος, id est, varius, distinctus, vt Athenis fuit ποικίλη στόα, id est, porticus variata, vbi fuerunt multæ tabulæ continentes trophæa, triumphos, pugnas Themistoclis & aliorum. Mundus est ποίκιλμα, id est, opus variatum, magna varietate distinctum. Plinius de Apelle narrat, illum proposuisse pulcerrimam tabellam spectandam prætereuntibus & viatoribus, & magna patientia audiuisse iudicia diuersorum artificum de sua pictura: stetit autem post tabulam, abditè latens ne posset conspici. Cùm igitur quidam

quidam Sutor de calceis rectè iudicasset, & vellet vlteriùs progredi, ibi impatiens huius importunitatis, sutorem allocutus est his verbis: Sutor, ne vltra crepidam. Ita cogitemus Deum proposuisse hũc mundum tanquam tabulam, nec procul abesse, sed audire & videre quid quisque sentiat de Deo, de verbo & de operibus ipsius. Nostrũ verò est non temerè nobis sumere iudicium de tanto artifice, quem rectè Euripides nominat τέκτονα σοφὸν.

Vestigia Dei impressa naturæ] Hactenus exordiũ, quod ducitur à collatione duorum operum diuinorũ. Primum est creatio rerum ex nihilo. Secundum est patefactio Dei in Ecclesia. Magnũ opus est rerum fabricatio, sed longè maius beneficium est, quòd Deus se non tantùm in creatione, sed etiam promulgata Lege, & edita voce Euangelij, ac toties repetita & illustrata patefecit, & in hac suam essentiam & voluntatem nobis monstrauit. valde venusta sunt exordia, quæ sumuntur à collatione.

Est autem articulus de creatione] Prima circumstantia creationis, quòd creatio sit commune opus trium personarum.

Verbo Domini] Athanasius in libro cõtra gentiles, non procul à fine, interpretatur Verbum de Filio Dei, & Spiritũ oris diuini de Spiritu sancto.

Quare vtitur psalmus vocabulo exercitus? Est pulcerrima metaphora in vocabulo exercitus. Sicut enim in exercitu sunt gradus personarum: Suprema persona est Imperator. postea sequuntur aliæ personæ ducum & militum, tribunorum, centurionum: ita magnũ discrimen est inter stellas fixas & planetas: stellarum fixarum aliæ sunt primæ magnitudinis, quarum magnitudo superat terræ molem centies & septies: tales sunt numero 15, vt oculus Cancri, cor Leonis, spica Virginis, cor Scorpij, Sirius, Arcturus, & quædam aliæ. Deinde sequuntur minores stellæ, sed tamen & ipsæ conspicuæ & illustres. Inter planetas & dux, & moderator est Sol: qualis autem sit politia reliquorum planetarum, accommodata ad Solem, nimis esset longum nunc repetere. Quando igitur legitis in psalmis & Prophetis Filium Dei appellari Dominum exercituũ, cogitate vos admoneri de tribus exercitibus, quibus cum imperio præest ipse Filius Dei. Primus exercitus est angelorum, id est, Spirituum inuisibiliũ,

Alter exercitus eſt ſtellarum fixarum & errantium. Tertius eſt Eccleſia in genere humano, ſicut pſalmus 68 inquit de Apoſtolis, Prophetis & aliis doctoribus. Principes exercituum, id eſt, Eccleſiarum ſunt inter ſe amici: id eſt, pulcerrima res eſt, ſuauis concordia docentium in Eccleſia, quæ quàm rara ſit, hoc tempore videmus.

Quòd autem res ex nihilo] ἀντίδοσις.

Infirmitas humana] Tertia circumſtantia.

Vt faber diſcedit] De hac ſimilitudine Euſebius lib. 7 præparat. Euangel. & Theodoretus in 1 orat. de prouident. & alij Græci ſcriptores ſæpe.

Alij vt Stoici] Quarta circumſtantia de libertate Dei. Prima igitur circũſtantia eſt hæc. Creatio eſt opus commune totius Trinitatis. Secunda circumſtantia docet, omnia ex nihilo facta eſſe, non ex aliqua materia priore. Tertia circumſtantia docet de præſentia Dei in creaturis, & teſtatur Deum adeſſe ſuo operi, non diſceſsiſſe à mundo, ſicut architectus à naui. Quarta docet de libertate Dei, & affirmat Deum adeſſe creaturis, non vt Stoicum Deum, ſed vt agens liberum.

Alligatum cauſsis ſecundis] Auguſtinus in 5 de ciuitate Dei, ca. 1. Hæc opinio quid aliud agit, niſi vt nullus omnino colatur aut rogetur Deus? Quaſi dicat: Imaginatio Stoica de fatali & abſoluta omnium rerum & euẽtuum neceſsitate, eſt maximum impedimentum inuocationis, imò tollit inuocationem. Ludouicus Viues lib. 1 de doctrina Chriſtiana, fingit proſopopœiam Stoici Dei. Quando, inquit, tu inuocas Deum Stoicum, tunc ille tibi ſic reſpondet: Mi amice, boni conſule tuam fortunam & conditionem, quia vides me meam conditionem magno animo ferre. Ego enim qui debeo aliis opitulari, non ſum mei iuris, non ſum liber & αὐτόνομος, ſed alligatus ſum, tanquam Prometheus ad Caucaſum montem, id eſt, ad creaturas, & nihil mihi licet facere contra illarum decretum & ordinem. Quare ſicut ego meam conditionem magno animo fero, ſic tu tuam feras. Hæc eſt ſumma illius proſopopœiæ, quam ideo recito, vt in hanc imaginem intuẽtes, cogitemus quantum ſit impedimentum inuocationis Stoica imaginatio de neceſsitate fatali. Imaginatio Stoica de fatali & abſoluta omnium rerum & euẽtuum neceſsitate, ſcilicet Stoica, de neceſsitate ſimpliciter immutabili.

Epicu-

Epicurei] Lucanus lib. 2. vtramque hyperbolen & Epicuri & Stoicorum his verbis describit:

Siue parens rerum, cùm primùm informia regna
Materiamq; rudem, flamma cedente recepit,
Finxit in æternum causas, qua cuncta cohercet,
Se quoque lege tenens, & secula iussa ferentem
Fatorum immoto diuisit limite mundum.
Siue nihil positum est, sed sors incerta vagatur,
Fertq; refertq; vices, & habent mortalia casum.

Actio Dei generalis] Omnis actio Dei aut est interna aut externa. Interna, vt gignere, nasci, procedere. Hæ actiones sunt naturales & æternæ, sine principio & fine. Externa actio est patefactio Dei prodeuntis ex sua arcana luce ignota creaturis. Hæc duplex est, generalis & specialis. Generalis est rerum creatio & sustentatio. Specialis propriè pertinet ad Ecclesiam, & vocatur viuificatio seu sanctificatio, seu inhabitatio. Huius distinctionis fons est dictum Pauli 1. Timoth. 4. Speramus in Deo viuo, qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium, & psalm. 36. eadem distinctio traditur. Nam de generali actione inquit psalmus: Homines & iumenta saluabis [*id est, sustentabis, & conseruabis eorum vitam*] Domine. De speciali actione in Ecclesia sequitur in eodem psalmo. Quàm pretiosa misericordia tua Deus, & filij hominum in vmbra alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniã apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Expande misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his, qui sunt recto corde [*Deus communicat se nobis in mutua agnitione.*] Ex hoc loco psalmi possumus extruere definitionem Ecclesiæ. Qualis cœtus est Ecclesia? Est cœtus agnoscentium verum & viuum Deum, & eorũ, qui sunt recti corde, id est, iustificati propter Filium, & sanctificati per Spiritum sanctum. Quæ sunt bona huius cœtus? Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &c. & quæ sequuntur. Legendi sunt psalmi non tantùm propter pietatem, sed etiam propter eruditionem & eloquentiam. Quid potest dici splendidius de hac sententia ab vllo poëta, quàm quod dicit psalmus &c. Actiones Dei internæ vocantur naturales. Pater naturaliter gignit Filium, Filius naturaliter nascitur à Patre: Spiritus sanctus naturaliter à Patre & Filio procedit.

Et quia actiones hæ ſunt æternæ, rectè dicitur: Pater genuit filium, gignit filium & gignet Filium. Generalis actio dicitur, quia pertinet ad omnes creaturas ſine exceptione. Specialis, quia tantùm pertinet ad Eccleſiam, non ad totum genus humanum, multò minùs ad aſinos aut porcos.

Monti, iacta te in mare] Poſſet aliquis ſic argumentari: Omnia quæ petam à Deo, accipiam. Ego petam à Deo imperium Turcicum. Igitur mox fiam Imperator Turcicus. Item: Iſte eſt meus inimicus, ego petam vt Deus eum tollat è medio, quemadmodum petiit Saul. Reſpondeo: Talia vota exorta ab iniuſtis affectibus, non exaudiuntur à Deo.

Omnia quæ petetis, credentes accipietis] Omnia, ſcilicet neceſſaria, nõ curioſa, non prohibita, & ſeruato ordine promiſsionum.

Non prohibita] Vt Saul non debet petere, vt Dauid tollatur è medio. Deinde etiam bona petenda ſunt ſeruato ordine, ſcilicet, vt primùm ſanctificetur nomen Dei, vt adueniat regnum Dei, vel vt Chriſtus inquit Matth. 6. Quærite primùm regnum Dei, & cetera adiicientur vobis tanquam ὀψσάγματα & appendices bonorum ſpiritualium.

Si dicetis monti huic] Mons hoc in loco ſignificat metaphoricè potentiam magni Principis aut regis, vt Ieremiæ 51. Ecce ego ad te, mons peſtifer. Sic enim compellat regem Babylonicum, cui minatur interitum.

Iacta curam] pſalm. 55. Eſt præcipua conſolatio, quã repetit Petrus 1. Pet. 5.

Vt in periculis noſtris] Applicatio doctrinæ ad vſum.

Non cogitemus nos caſu opprimi] pſalm. 138. Opera manuum tuarum ne deſeras. Quid poteſt dici ad conſolationem magis patheticum? Dialecticè ſic dici poteſt: Naturalis eſt copulatio inter cauſam & effectũ, talis quidẽ, vt cauſa efficiens ſit etiam conſeruans. Tu Domine Deus es cauſa efficiens generis humani, Igitur ſis etiam cõſeruator. Admonet Deum de naturali copulatione inter artificem & opus, inter architectum & domum.

In ipſo viuimus, mouemur Cyprianus in quadam con-

&

& ſumus] cione hoc modo accommodat hoc dictum ad Trinitatem: In Patre ſumus, in Filio viuimus, in Spiritu ſancto mouemur. Eſt cogitatio analoga fidei. In Patre ſumus, quia Pater eſt fons non modò eſſentiæ diuinæ, ſed etiam omnium operum diuinorum. In Filio viuimus, quia de Filio dicitur Iohan. 1. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. In Spiritu ſancto mouemur, quia Spiritus ſanctus eſt agitator, vt dicitur Geneſ. 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Sed hæc candidè ſunt intelligenda. Scimus vt creationem, ſic ſuſtentationem eſſe commune opus Trinitatis, ſed ſeruata cuiuſque perſonæ proprietate.

Ferens omnia verbo] id eſt, ſuſtentans, vt dicitur, paruoq; lacte paſtus eſt, per quem nec ales eſurit.

Qui viuificat] Quale agens, talis actio, qualis cauſa, talis effectus. Deus eſt fons vitæ. Igitur viuificat omnia, & in hac, & in futura vita.

In Deo viuo] Viuus opponitur idolis fictis & commentitiis.

Qui eſt Saluator omnium hominum] ſcilicet generali actione. Maximè fideliũ, ſpeciali actione. Deus aliter viuificat Neronem, aliter Paulum. Neroni tantùm ſuppeditat vitam corporalem. Paulum etiam in Spiritu viuificat, id eſt, per Spiritum ſanctum accendit in eo nouos motus.

Vt colligatur] Quare ſeruatur genus humanum & politiæ? propter collectionem Eccleſiæ, Deus ſeruat miniſterium, politiam & œconomiam.

Largitur æterna bona] vt viuificationem & ſanctificationem.

As] In Græco ἀσσάριον, diminutiuum, valet noſtris nummis tribus, aut ſex obulis. Quod obſeruandum eſt propter locum illum Matth. 5. vbi dicitur: Non exibis donec perſolueris vltimum quadrantem, quæ eſt quarta pars aſsis. Eſt minimum numiſma æneum apud Romanos, vngefehr anderthalb Heller.

Magna profectò gratia debetur viro optimè de Ecclesia & literis merito, Philippo Melanthoni piæ memoriæ, pro his tabulis, in quibus collecta sunt firma & perspicua testimonia singulorum articulorum fidei. Non est enim omnium, sed artificum hic labor colligẽdi quodam momento atque iudicio ea testimonia, quæ vel maximè confirmant vel illustrant articulos fidei. Sint igitur nobis hæ tabellæ omnibus commendatæ, quarum aspectione & consideratione excitetur in nobis quotidie fides, inuocatio, gratiarum actio, & reliquæ virtutes.

Matth. 10: Duo passeres asse veneunt] In eo capite Christus Apostolis & omnibus piis sine exceptione proponit consolationes valde necessarias & salutares in casu confessionis. Cùm enim dixisset: Ecce ego mitto vos sicut miseras & imbecillas ouiculas in medium agmen luporum, mox addit efficaciſsimas consolationes contra metum in periculis cõfessionis: Non, inquit, vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Hic est primus consolationis locus ab auxilio Spiritus sancti. Sequitur altera consolatio ab immortalitate animæ: Ne timeatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed metuite potiùs illum, qui potest & animam & corpus abiicere in gehennam. Tertius locus consolationis sumitur à prouidentia diuina, & hic locus ad nostrum institutum propriè pertinet: Duo, inquit, passerculi minuto asse veneunt, & vnus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro &c. Passerculi sunt miseræ auiculæ, quæ vix superstites sunt biennium propter salacitatem. Etsi, inquit, veneunt, id est, venduntur asse æneo, tamen vnus eorum non cadit, id est, moritur, perit, sine Patre vestro. Hinc argumentatur à fortiori, seu à minore ad maius: Si passerculi, qui nullam habẽt insignem vtilitatem in vita, nec conditi sunt ad immortalitatem, Deo curæ sunt, quantò magis vos estis Deo curæ, quos condidit ad imaginem suam, & redemit per Filium vnigenitum post lapsum, & sanctificauit dato Spiritu sancto.

Sine Patre vestro] Sciente & permittente. Vtrũque enim verum est, quòd & prouideat omnia Deus, & naturas seruet liberrima voluntate, donec vult. Non igitur intereunt, nisi ipso deserente eas.

Capilli capitis vestri nume- Hîc considerẽtur tres circumrati

rati ſunt] ſtantiæ. 1. quis numeret. 2. quid numeret. 3. quorum capillos numeret. De prima circumſtantia expedita eſt reſponſio: Deus non mandat angelis, aut aliis creaturis laborẽ numerandi noſtros capillos, ſed ipſe immediatè eſt Arithmeticus numerans noſtros capillos. Deinde quid numerat? Nõ aureos Vngaricos aut Hiſpanicos, ſed capillos, quorum multi de capite noſtro defluunt nobis dormiẽtibus aut aliud agentibus, nec animaduertentibus. 3. Quorum capillos numerat? Non angelorum, Solis aut Lunæ, ſed peccatorum, qui in ipſis peccatis concepti & nati ſunt, & in peccatis viuunt, quod ad ipſorum naturam attinet. Non loquor iam de relatione ſeu de imputatione diuina.

Vt des illis eſcam] Pſalm. 104. eſt paraphraſis primi capitis Geneſeos. Tu es magnus œconomus, omnes tui conuictores expectant à te cibum.

Auferes Spiritum eorum] id eſt, vitam eorum, id eſt, te deſerente moriuntur.

Creabuntur] reſuſcitabuntur.

Omnia ad te ſpectant] Baſilius in opere de Spiritu ſancto: Omnes creaturæ ad Deũ conuerſæ ſunt, deſiderio minimè impedito, & amore inenarrabili, tanquam ad ducem vitæ, & moderatorem ſuppeditantem vnicuiq; neceſſaria ad conſeruationem incolumitatis, id eſt, omnes creaturæ non aliter deſiderant Deum, quàm tenellus infans deſiderat vbera materna. Olim dabatur ſeruis ſextarius vini, & quatuor acetabula ſeu duo ſextarij farinæ, & hoc erat dimenſum ſeruorum: ſic Deus omnibus creaturis dat ſuum dimenſum.

Et creabuntur] Baſilius in quadam epiſtola, pag. 655. Tres ſunt modi creationis in Scriptura. Primus deſcribitur in Geneſi cap. 1. qui eſt fabricatio rerum ex nihilo. Secundus modus eſt ipſa regeneratio, quæ non eſt fabricatio nouæ ſubſtãtiæ, ſed tantùm mutatio qualitatum in ſubſtantia prius à Deo condita. De hoc modo loquitur pſalmus Auguſtinus. Quando renaſcimur, nõ hoc agit Deus vt fiamus homines, ſed vt boni fiamus homines.

51. Cor mundū crea in me Deus. Tertius modus est resuscitatio ex morte, quæ etsi non fit ex nihilo, tamen valde similis est primæ creationi. De hoc modo intelligatur dictū psal. 104. Emitte Spiritum tuum & creabūtur. scilicet non quo ad substantiā, sed quoad qualitates. Deus pro tenebris dat lucem, pro odio amorem Dei.

Nónne iam in hyeme omnia videntur esse mortua, quia succus arborum non est in ramis & frōdibus, sed est abditus & quasi sepultus in radicibus. Sed quid sit veris initio? quando omnia florent, tunc omnia quasi ex morte resuscitantur, & renouatur facies terræ.

Imples omnia benedictione] Actorum 14. Paulus inquit, quasi enarrans hanc clausulam: Imples cibo & lætitia corda nostra. Quare coniungit Paulus cibum & lætitiam? Quia profectò cibus est insipidus, quando cor est triste. Est igitur magnum donum Dei, & dignum laude & prædicatione, quando inter prandendum & cœnandum pectora gaudent, nec sunt astricta dolore, vt inquit Ouidius, sed talis hora est breuis & rara.

Fingit sigillatim corda] id est, vel adiuuat corda in bonis actionibus, vel impedit malos conatus & cōsilia, vel omnino mutat. Sicut impedit Saulem ne interficiat Dauidem. Denique sæpe mutat affectus, vt fiant ex malis boni, sicut mutauit cor Nabugdonosor, qui cùm antea deleuisset tēplum & vrbem, postea fit patronus & nutricius Ecclesiæ.

Qui operit cælum nubibus] Etsi proxima causa pluuiæ & aliorum aqueorum meteororū, est multitudo vaporum collecta in media regione aëris, & vi frigoris variè constricta, tamen psalmus verissimè affirmat meteora aquea non referenda esse tantùm ad materiæ fluxum, sed potiùs ad Deum, qui tanquam per cribrum (vt ait Scriptura) guttulas pluuiæ distribuit, ne terram mole sua, quasi quodam diluuio obruant. Scriptura multò meliùs loquitur de his rebus, quàm philosophia. Contrà posset aliquis obiicere, quòd in aliquibus locis, aut nullæ, aut rarissimæ sint pluuiæ, vt in Aegypto & Mesopotamia. De hac quæstione respondet Plinius lib. 18. & alij Geographi: Vbicunque sunt aut raræ, aut nullæ pluuiæ, Deus alia ratione terram humectat, videlicet effu-

effusione fluminum extra ripas, vt totam Aegyptum irrigat Nilus, Mesopotamiam Euphrates. Sed quare facit mentionem pullorum corui? Iob. 38. Quis dat pullis coruorum escam, quando parentes eos deserunt? Deus alit eos. quomodo? Mirando modo, ex putrefactione reliquiarum carnium, ossium, quæ importarunt parentes, nascuntur vermiculi, & muscæ volitantes, & sese vltrò ingerentes in rostra pullorum. Hoc exemplum in natura non frustrà propositum est, sed admonet nos de psalmi versiculo: Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me.

Homines & iumenta saluabis Domine] Hactenus dixit de generali prouidentia, quæ ad omnes creaturas pertinet, nunc dicit de speciali prouidẽtia ergs Ecclesiam.

Osex 2. Et nesciuit hæc, quòd ego ei frumentum dederim] Id est, ex priuatione æstimantur habitus. Ex tenebris potest æstimari bonitas lucis, ex morbis potes æstimare quantũ bonum sit firma valetudo. Cicero. Quẽadmodum valetudo bona gratior est iis, qui ex morbo conualuerũt: Ita assiduè percepta minùs delectant, quàm diu desiderata. Item, Carendo homines intelligunt, quàm cara sint bona. Item, Carendo magis quàm fruendo nostra intelligimus bona. Item: Homines non priùs intelligunt sua bona, quàm cùm quæ in potestate habuerunt, ea amiserunt.

Benedictio Domini diuites facit] scilicet pios, quales fuerunt Abraham, Isaac, sed impij plerunque crescunt malis artibus.

Non casu nascimur] Matthæi 4. inquit Christus: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei, quod procedit ex ore eius.

Panem quotidianum] Petimus panem quotidianũ, vt fides exerceatur generaliter & specialiter. Generaliter quidem, vt statuamus bona corporis esse dona Dei. Specialiter, quia non possunt peti bona corporis, nisi à Deo propitio iuxta promissionem gratiæ.

Omnibus petitionibus debet prælucere fides accipiẽs remissionẽ peccatorũ. Deinde in omni inuocatione aut fit aut crescit cõuersio.

Multa mitigare] Hesiodus: Sæpe mali malefacta viri populus luit omnis. Et Virgilius in 1. Aeneid. Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei, id est, Sæpe totę gentes & ciuitates delentur aut duriter castigantur propter vnius inobedientiam. Est igitur præstanda disciplina non tantùm propter priuatam vtilitatem, sed etiam propter Rempublicam.

Naturali quadam vi] Euripides in Cyclope: Terra necessitate quadam, siue velit, siue nolit, gignit herbam, & meas pinguefacit oues, quas ego nulli offero, præterquam mihi, Diis verò nihil, sed maximo ventri huic Deorum.

Ideo tota natura condita est, vt Deum monstret] Tota rerum natura est παιδήριον τῆς θεογνωσίας, id est, schola agnitionis scilicet physicæ, seu philosophicæ, non Euangelicæ. Notitia physica est partim lumen simplex, quòd sit Deus, partim ratiocinatio quærens vestigia Dei impressa creaturis singulis. Notitia Euãgelica est agnitio Patris, Filij & Spiritus sancti, iuxta dictum Iohan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Recitabo igitur] Sæpe dictum est tres esse gradus testimoniorum de prouidentia diuina. Primus gradus complectitur expressum verbum Dei, seu perspicuam asseuerationem de hoc articulo. Secundus gradus continet opera extraordinaria, quæ vsitatè vocãtur miracula. Tertius gradus complectitur opera ordinaria in tota rerum vniuersitate & in hominis natura. Cùm igitur hactenus in textu dictum sit de primo & secundo gradu, ipsa series nos deducit ad tertium gradum.

Ab effectibus monstrantibus opificem] Duplex est demonstratio. Vna est à priori, altera à posteriori. Demonstratio à priori procedit à causis ad effectus: Item à principiis vel à definitione ad definitum. Demonstratio à posteriori colligit effectus & signa, & ex his aliquid bona consequentia ratiocinatur de causis & rebus antecedentibus. Est igitur prima demonstratio à posteriori sumta, id est, ab effectibus. Adolescentes quærant hanc primam demonstrationem in 1. Tusculana, & in 2. de natura Deor. vbi prolixa est inductio, quæ confirmat Minorem.

Quinta

Quinta à terroribus conſcientiæ]

Apud Xenophontẽ in 8. παιδείας Cyri.

Sexta à politica ſocietate, quæ non eſt concurſus]

Hæc definitio extat apud Ciceronem in 3. de Rep. citante Auguſtino 2. de ciuitate Dei.

Nec poſſet humana ope]

Manifeſtum teſtimonium eſt de Deo & de prouidentia, miranda conſeruatio ſocietatis humanæ in tam horrendis confuſionibus, & imperiorum conſtitutio in tantis impedimentis. Quid enim mirabilius eſt, quàm Romam inter aſsidua tribunitia certamina, & tot bella ciuilia ſtare poſſe? Vt enim non dicam de tribunitiis furoribus, quem non vehementer commoueat bellorum ciuilium cõtinuatio, quæ à Ludouico Viue lib. 1. de ciuitate Dei ca. 30. his verbis recitatur: Ex ſeditione Caij Gracchi ortus eſt Tribunatus Liuij Druſi, quem patres equitibus, qui ex lege Gracchi [*Agraria*] iudicabant, oppoſuerũt. Ex hoc bellum ſociale, quòd promiſſa à Liuio Druſo ciuitas non præſtaretur. Ex hoc Mythridaticum, cùm Mythridates rex Ponti confiſus diſcordia Italiæ, multa ciuiũ millia, quę in ſuo regno negotiabantur, iuſsit interfici.

Iuuenalis inquit de tribunis: Et cum conſulibus turbantes iura Tribuni. Tres fuerunt ordines ciuium in Repub. Romana. Patricij, id eſt, principes, vt Pompeius & Cæſar. Deinde fuerunt equites, id eſt, nobilitas. Infimus ordo fuit plebs. Semper autem fuit diſsidium inter patricios & inter plebeios homines, quia vulgus inuidet gloriæ & florenti fortunæ Principum & potentum. Vt igitur vulgus haberet aliquod remedium ſuæ inuidiæ, & videretur plebs magis munita eſſe aduerſus nobilitatem & patriciorum potentiam, conſtituti ſunt Tribuni. i. populares Magiſtratus, quorum autoritate & interceſsione multa decreta Senatus impedita ſunt, vt oſtendit liber primus epiſt. famil. Ciceronis ad Lentulum. Ac quanta fuerit Tribunorum autoritas, hiſtoria Tyberij & Caij Gracchi, quam luculentè deſcribit Plutarchus, docet.

Ex hoc bella ciuilia, Marianum: cùm Marius prouinciam & bellum Mythridaticum L. Syllæ vellet eripere. Ex huius ſemi-

In magnis viris duo ſunt acerrimi motus, ambitio & ira. Hi duo affectus turbant & Eccleſiã & Rempublicam. Et vt de ceteris

nibus bellum Sertorianum, Lepidanum, coniuratio Catilinæ, poſtremò Pompeianum, hinc Cęſaris regnum, quo occiſo, bella ciuilia exarſerũt, Antonianũ, Philippenſe, Bruti & Caſsij, Siculum, Sexti Pompeij, Actiacũ, Tandem Reſpub. in Monarchiã & tyrannidem verſa eſt.

exemplis nihil dicam: Marius natu maior, cùm vreretur gloria Syllæ natu minoris, conatus eſt ei eripere prouinciam & bellum Mythridaticum. Sylla animaduertens quanto in periculo eſſet futurus, bellum intulit Mario. Hinc Reſp. in duas partes diſtracta eſt, magno cum detrimento totius orbis terrarum.

Quid prodeſt hæc noſſe? vt intelligas, politias nec conſtitui, nec conſeruari tantùm humanis conſiliis & præſidiis, ſed multò magis ope & conſilio Dei.

In cauſis efficientibus] Eſſentialiter copulatis, quarũ vna non eſt efficax ſine altera. Terra non eſſet fœcunda, niſi à cælo fœcundaretur, non naſcerentur ex terra arbores, fruges, niſi terra priùs eſſet fœcundata. Mas non gignit ſine fœmina, fœmina non gignit ſine mare. Neceſſe eſt concurrere copulationem maris & fœminæ in generatione. In talibus igitur cauſis eſſentialiter copulatis, non poteſt eſſe proceſſus in infinitum.

Phyſici] Ariſtoteles in 8. phyſicorum.

Neceſſariò] Eſſentialiter.

Omnes res ſunt deſtinatæ ad certos vſus] Omnium creaturarum corporalium quatuor ſunt vtilitates. Prima eſt nutrimentum: Secunda eſt medicamentum. Tertia, inſtrumenta ſeu organa. Quarta, res conſeruans. Multæ herbæ ſeruiunt nutritioni, plures medicationi: metalla & iumenta ſunt organa & inſtrumenta rei familiaris & politiæ. Poſtremò quædam ſunt res, quibus aliæ conſeruantur, vt ſtellæ, meteora, quatuor elemẽta. Galenus in libro de vſu partium, hanc octauam demonſtrationem multis voluminibus explicat. Cogitemus ſaltem de vno exemplo, videlicet de manu. Manu noſtra aramus, ſerimus, metimus, colligimus vuas & oliuas, & alios fructus, colimus vineas & hortos, manu ædificamus domos, naues. Denique tanta eſt vtilitas manuũ, vt rectè Ariſtoteles dixerit, Manum eſſe organum organorum.

Bilcam]

Bileam] Numer 24. Venient naues ex Kittim [*partim ex Macedonia, partim ex Italia*] & delebunt Assyrios & Hebræos [*scilicet diuersis temporibus*] & tandem ipsi quoque peribunt.

Kittim, appellatione Hebraica significat percussorẽ. Significantur autem hac appellatione non tantùm Macedones, vt Alexander Macedo, sed etiam Itali, vicini Græcorum. Nam Alexander Macedo, destruxit imperiũ Persicum, Romani deleuerunt gentem Iudaicã.

Esaias] De prima Monarchia vaticinatur Esaias cap. 13. 14. 47. in quibus prædicit interitum Assyriis & Chaldæis. De secunda Monarchia cap. 21. & 45. De tertia Monarchia cap. 23.

Ieremias] De prima Monarchia hæc capita concionantur cap. 27. 50. & 51. De tempore excidij Babylonici cõcionatur cap. 25. & 27. Constituens certum numerum annorum, videlicet annos 70.

Daniel] De quatuor Monarchiis vaticinatur cap. 2. & 7. De duabus, Persica & Græca cap. 8. De Mahometo cap. 7. De Antichristo cap. 8. & 11. De Christo cap. 9. Est igitur liber Danielis, quasi historia quædam omnium ætatum & temporum post diluuium.

Pœnas sceleratorum] Claudianus in Ruffino:

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum.
Absoluitq; Deos, iam non ad culmina rerum,
Iuuenes illos creuisse queror, tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Heroici viri] Instructi excellẽti sapiẽtia, virtute & felicitate, wunderleuth. Scipio fuit vir heroicus, restituit Romanam Rempub. cùm penè oppressa esset ab Hannibale. Ptolemæus est heroicus artifex in Astronomia, quia dissipatas tabulas huius artis collegit, & in optimam formam redegit.

Alia] Vt ordo legum Atticarum & Romanarum.

Discrimen honestorum] Lex sine executione nihil va-

let, est tanquam campana sine pistillo.

Nos ad primam admonitionem redeamus] Verissimè dixit Paulus Rom. 1. Inuisibilia Dei, videlicet diuinitas & potentia eius conspiciũtur in creaturis, sed tanta est humanæ mentis imbecillitas, & tanta Satanæ potentia, vt hæc cognitio Dei leui momento obruatur, mole dubitationum, vt ostendunt prodigiosæ disputationes philosophorum, quare opus est alia lucerna lucente in loco caliginoso, id est, testimoniis patefactionis diuinæ.

Discernamus] Notitia naturalis de Deo est Legis notitia, & non promissio Euangelica de gratuita remissione propter Filium.

Studiosis

FINIS LOCI DE CREATIONE.

Studiosis in Academia Lipsica

S. D.

QVEMADMODVM *saeua & barbarica mulier totam domum euertẽs, & proprios liberos interficiens, seseq; ac maritum in æternos luctus ac mœrores coniiciens, apud Euripidem exclamat:* Ζεῦ μὴ λάθοι σε τῶν δ' ὅς αἴτιος κακῶν. *O Iuppiter, quæ est causa tantorũ malorũ? Ita Marcion & Manichæi portentosa deliria finxerunt de causa peccati, quorum extant vetustæ refutationes scriptæ ab Irenæo, Tertulliano & Augustino, quas legere eruditos vtile est. Cùm autem necesse sit veteræ certamina & veræ Ecclesiæ iudicia nosse, nequaquam silentio prætereunda est huius maximæ controuersiæ diiudicatio, præsertim cùm res ostẽdat, nimis verum esse quod Thucydides dixit in libro 3. describens seditionem Corcyreorum. Multa acciderunt in ciuitate atrocia, quæ & fieri solent, & fient semper, donec eadem erit hominum natura, seu crudeliora seu miliora, sed specie nonnihil mutata, vt causæ motuum, vt tempora ferent. Nostra quidem memoria homines leuiter eruditi & clamatores odiosi ac molesti, acerrimè contenderunt, peccatum esse* ὐσίαν, *quod neque sanctè ita dici potest, neque secum consentit in explicatione. Omnis autem implicatio contradictionis, vt Dialectici loquuntur, tetrum mendacium est. Vt igitur iuuentus contra veteres & recentes furores vera doctrina muniatur, ordiar Deo iuuante, die 18. Nouembris Locum de causa peccati & contingentia, in cuius explicatione studiosi memores erunt regulæ, quam sæpe repetere & inculcare solemus. Sit ea modestia ingeniorum, vt honestas sententias & quidem diuinitus traditas constanter retineãt, etsi non omnes præstigias, quæ cõtrà struuntur, destruere possunt. Est enim officium hominis moderati, vt*

ait Aristoteles in 1. Ethic. ad Nicomachum, non maiorem in disserendo subtilitatem desiderare, quàm pro rei ipsius, de qua disseritur, natura: πεπαιδεύμεθα γὰρ ἐστὶν ἐπὶ τοσοῦτον τὰ ἀκριβὲς ὀφείλομεν ζητεῖν καθ' ἕκαστον γένος, ἐφ' ὅσον ἡ τοῦ πράγματος φύσις ὁμοδέχεται). *Deum toto pectore oro, vt seruet in his regionibus cœtus rectè docentium & discentium, & eorum hospitia protegat. Bene valete: die 14. Nouemb. Anno*

M. D. LXIII.

V. S.

LOCVS

LOCVS DE CAVSA PECCATI ET DE CONTINGENTIA.

OMNES sapientes extra veram Ecclesiam inde vsque ab initio mirati sunt, vnde sint in natura hominum infirma quidem, sed tamen præstanti, tanta mala, peccatum & mors, cùm constet, Deum esse causam omnis boni in tota rerum natura. Ratio autem huius admirationis coniunctæ cum dubitatione & ignorantia, hæc fuit. Videmus omnes alias res in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, vt loquitur psalmus, congruere cum voluntate Dei, & constantissimè suis legibus obtemperare, vt Sol quotidie oritur & occidit. Luna singulis mensibus crescit & decrescit. Reliqui etiam quinque planetæ non incertis motibus feruntur, sed habent suas firmas & ratas leges, ad quas periodici motus congruunt. Sic & stellæ fixæ in firmamento, stato tempore anni oriuntur & occidunt. Planetæ in terra seruiunt aut nutritioni aut medicationi. Animalia etsi ratione carent, tamen ordinem suæ speciei tuentur & conseruant. Solus autem homo à se ipso & à conditore dissidet. A se ipso quidem: quia est magna ζυγομαχία, id est, dissensio mentis & cordis in homine. Aliud enim mens suadet, aliud cupido. Videmus quidem meliora & probamus, scilicet iudicio mentis, & tamen deteriora sequimur. Mens retinet aliquam Dei & Legis notitiam, quæ testatur Deũ esse iudicem & vindicem scelerum. Sed huic iudicio verissimo & rectissimo contumaciter repugnat cor, quasi contrariis ventis in diuersam partem impulsum & agitatum. Deinde non tantùm mirantur philosophi, vnde sit hoc dissidium rationis & affectuum, sed etiam anxiè & solicitè disputant de causa mortis & aliarum calamitatum in genere humano. Quòd enim scelerati puniuntur, id congruit iustitiæ & diuinæ & humanæ: sed cur multi homines viuentes sine manifestis sceleribus, vt pueri, matronæ, aut viri honesti, vt Palamedes, Socrates & alij innumerabiles, crudelissimè interficiuntur? Multò verò minùs remedia tantorum malorum cernit philosophia, sed & dubitat ipsa de rebus tantis, & relinquit suos auditores & discipulos in dubitatione. Quare cùm philosophia fateatur

ſuas tenebras, & ignoret vtrumque, & cauſas, & remedia peccati & mortis, agamus Deo gratias, quantas anguſtia noſtri pectoris capere poteſt, quòd harum maximarum rerum doctrinam & ſapientiam nobis patefecit per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos, qui & viua voce & ſcriptis nos docuerunt, vnde ſit peccatum, mors & reliquæ calamitates: & quæ remedia opponenda ſint vtrique malo, peccato & morti. Morbus eſt quidem maximus, ſed maior eſt Medicus, hoc eſt, Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui venit in hunc mũdum, vt ſaluos faceret miſeros peccatores. Hæc breuiter præfatus ſum, vt hæc ἀντίθεσις philoſophiæ & ſapientiæ Eccleſiæ oſtendat, doctrinam Eccleſiæ perfectiorem eſſe, quàm philoſophiam. Et vt iuuentus excitetur aliquo modo ad tantarum rerum attentiſsimam cogitationem. Nũc quidem, Dei beneficio, quotidie his vocibus aures noſtrę perſonant, quæ docent, quæ ſit cauſa peccati & mortis, & quæ ſint remedia peccati & mortis, ſed hæc ſapientia extra Eccleſiã ignota eſt Platoni & aliis ſummis ingeniis.

Poteſt autem hic locus de cauſa peccati & de cõtingentia, commodè, vt mihi videtur, diſtribui in hæc quinque capita. Quorum primũ eſt refutatio veteris & recentis erroris, qui fingit peccatum eſſe οὐσίαν, id eſt, ſubſtantiam. Nam & olim multi contenderunt peccatum eſſe ſubſtantiam, & noſtra memoria Flacius, & qui eum ſequũtur, acerrimè pugnant de hac propoſitione, quòd peccatum non ſit accidens, ſed ſubſtantia. Secundum caput eſt confirmatio veræ ſententiæ, quæ eſt fundamentum huius totius Loci & doctrinæ, ſcilicet quòd Deus non ſit autor peccati. Hanc hypotheſin neceſſe eſt probè confirmare & ſtabilire, quia ex hac hypotheſi firma & rata, reliqua extruuntur. Tertium differt de contingentia & de cauſis contingentiæ, quia poſita hac hypotheſi, quòd Deus non ſit cauſa peccati (ſicut reuera non eſt cauſa peccati) ſequitur aliquam contingentiam concedendam eſſe. Quartum monſtrabit diſcrimen inter tres appellationes actionum Dei, videlicet inter præuiſionem diuinam, πρόγνωσιν, ſuſtentationem, οἰκονομίαν, & decretum diuinũ, πρόθεσιν. Hæ actiones comprehenduntur vno nomine determinationis diuinæ. Videndum igitur eſt, an πρόγνωσις imponat hominibus neceſsitatem agendi, an ſuſtentatio ſit cauſa adiuuans peccati, & quid exiſtimandum ſit de decreto diuino. Quintum explicabit quaſdam obiectiones valde populares & plauſibiles, contra veram ſententiam de cauſa peccati & de contingentia. Sciant autem

ſtudioſi

studiosi vtramque propositionem veram & concedendam esse, & quòd sit determinatio diuina, & quòd sit aliqua contingentia. Sic igitur moderemur hanc disputationem, vt vitemus hyperbolas non tantùm in hoc loco, sed etiam in aliis.

Quòd peccatum non sit ὕσια.

CAPVT I.

DOlendum est, tantam & olim fuisse & nunc esse quorundam in differendo siue licentiam, siue insciti am, vt non dubitent peccatũ collocare inter substantias. Hanc delirationem incredibilem non modò comprehẽdere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. Si enim peccatum est ὕσια, non video, cur Deum esse causam peccati negemus: cùm à Deo omnes substantias & initiò cõstitutas, & deinceps seruari cõcedamus.

Inscitia parit audaciam. Scientia autem mediocris industriæ est nutricula modestiæ.

Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo nihil factum est, quod factum est. Loquitur hoc dictum de omnibus substantiis sine exceptione. Si igitur peccatum est substantia, sequitur, Filium Dei esse conditorem peccati.

Deinde hac falsa hypothesi posita atq; concessa, sequitur, Christum in peccato conceptum & natum esse. Constat enim, Christum omnes partes naturæ humanæ substantiales, æterno & immutabili fœdere assumsisse.

Christus assumsit totam seu integram naturam humanam, habentem omnes vires & appetitiones humanas sine peccato.

Sint igitur in promtu piæ vetustatis testimonia, quæ hunc furo-

rem (non enim omnis error ſtultitia dicenda eſt) perſpicuè refutant.

Apud Euſebium libro 7. præparat. Euang. pag 200. 201. & 202. extat longa concio Maximi de hac ſententia, quòd peccatum non ſit ſubſtantia ſed accidens.

Baſilius in concione, quòd Deus non ſit cauſa mali. Nemo exiſtimet, peccatum eſſe quiddam ſubſiſtens. Nam malum eſt boni priuatio.

Regula apud Dialecticos eſt: In eodem prædicamento ponuntur habitus, id eſt, res poſitiua, & priuatio, vt lux & tenebræ, ſanitas & morbus. Ita ſi peccatum eſt ſubſtantia, etiam iuſtitia eſt ſubſtantia. Quid igitur diſcriminis erit inter Filium Dei, angelos & homines, ſi non hęc prærogatiua tribuatur Filio Dei, quòd ipſe ſolus ſit imago ſubſtantialis Patris?

Nazianzenus in carmine de paſsione Chriſti: Mali ſubſtantia nulla eſt, ideo malum eſſe nihil [*ſcilicet priuatiuum*] ſtatue.

Duplex eſt nihil. Aliud negatiuum, aliud priuatiuum. Nihil negatiuum, eſt nihil ſimpliciter, hoc eſt, nec ſubſtãtia nec accidẽs, vt chimæra, quam poëtæ deſcribũt, nihil eſt in rerum natura, neque fuit, neque erit. Tale nihil, non eſt peccatum, alioquin Deus iraſceretur propter nihil, & miſiſſet Filium ſuum propter nihil. Alterum nihil, eſt priuatiuum, id eſt, priuatio alicuius rei poſitiuæ, quæ tamen priuatio hæret in ſubiecto, id eſt, in Diabolo & homine. Hæc ideo dico, ne quis cauilletur dictum Nazianzeni.

Epiphanius contra Baſilidianos: Peccatum non eſt quiddam ſubſiſtens.

Auguſtinus lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 9. Mali nulla natura eſt, ſed amiſsio boni, nomen mali accepit.

Idem pſalm. 68. Iniquitas non eſt ſubſtantia. Non enim iniquitas eſt natura, quam formauit Deus, ſed iniquitas eſt peruerſitas, quam fecit homo. Item naturæ omnes per ipſum factæ ſunt, iniquitas per ipſum facta non eſt, vitia ex nobis & ex noſtra voluntate habemus, & vitia non ſunt ſubſtantiæ. Et tractat. 96. in Iohannem. Quidam malum ſubſtantiam eſſe putant, cùm ſit potiùs ab immutabili ſubſtantia mutabilium ſubſtantiarum quidam defectus, quas fecit ex nihilo, ipſa immutabilis & ſumma ſubſtantia, quæ

quæ eſt Deus. His teſtimoniis animi non pertinaciter litigantes, ſic cedunt, vt lanx in libra ponderibus impoſitis deprimi ſolet.

Similitudo Ciceroniana.

Miretur fortaſſe aliquis, cur in hac refutatione non ſimus vſi expreſſo verbo Dei, cùm D. Petrus dicat: Si quis loquitur in Eccleſia, loquatur ſermones Dei: cur tantùm citamus teſtimonia Græcæ & Latinę Eccleſiæ ad hunc errorem refutandum? Reſpondeo. Nuſquam in ſacris literis vſurpantur vocabula ſubſtantiæ & accidentis, quæ ſunt artium propria, quare fruſtrà à nobis poſtulantur talia teſtimonia Scripturæ, in quibus fiat expreſſa mentio vel ſubſtantiæ vel accidentis. Deinde & hoc veriſimum eſt, non omnes controuerſias in Eccleſia ita poſſe iudicari, vt de ſingulis partibus & membris nobis in promtu ſint Scripturæ teſtimonia, ſed ſæpe vtendum eſt ratiocinatione, non quidem ſophiſtica, à qua debet abhorrere Eccleſia, ſed vera & Dialectica. Sæpe enim Eccleſia in iudicandis controuerſiis adhibet has duas regulas Dialecticas, tanquam κριτήρια & normas iudicij. Vna eſt: Quidquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ, ſequitur & ad antecedens. Altera regula eſt: Quandoque ex aliqua hypotheſi ſequuntur abſurda, pugnantia cum verbo Dei, & cum articulis fidei, neceſſe eſt ipſam hypotheſin falſam eſſe. Ratio eſt, quia ex vero nihil niſi verum, & verum vero conſentit. Huius meæ aſſeuerationis vnum tantùm exemplum breuiter proponam. Nuſquam legitur in ſacris literis expreſsè, infantes baptizãdos eſſe. Legimus quidé hæc dicta: Niſi quis renatus fuerit. Item: Baptizate omnes gentes. Sed nuſquam diſertè hæc verba ponũtur: Baptizate infantes. Cùm igitur ſit acerrima contentio inter veram Eccleſiam & Anabaptiſtas, vnde ſumemus argumenta? Reſpondeo. Vtemur ratiocinatione, iuxta has regulas, quas recenſui. Si enim vera eſt propoſitio: Extra Eccleſiam non eſt ſalus: profectò neceſſe eſt infantes admitti ad Baptiſmum, qui eſt teſtimonium inſertionis in Eccleſiam. Alioqui non pertineret ad infantes promiſsio recitata Matthæi 18. Talium, ſcilicet qui inſeruntur Eccleſiæ, eſt regnum cælorum. Deinde vtemur & hoc argumento: Infantes afferunt peccatum originis. Igitur indigent remedio, id eſt, regeneratione, quæ fit & obſignatur per baptiſmum. Tertiò vtemur & hac ratiocinatione à conſequentibus: Si non baptizarentur infantes, fieret magna iniuria Deo, Eccleſiæ, parentibus & ipſis infantibus. Hęc poſſent longa

oratione declarari, sed suo loco ista exponentur copiosiùs. Postea ad refutandos Anabaptistas, citamus testimonia veteris Ecclesiæ, Origenis, Cypriani, Augustini & aliorum, qui testantur, vt testes fide digni, semper in Ecclesia vsitatum fuisse morem baptizandi infantes. His arietibus oppugnamus mœnia Anabaptistarum. Igitur vt concludam, non vbique requirendum est expressum Dei verbum, quãdo non est in promtu, sed satis est, nos ex aliis Scripturæ dictis, vel ex absurdis, vel ex perpetuo Ecclesiæ Catholicæ consensu aliquid statuere in hanc vel illam partem. Sæpe audiui ex D. præceptore Philippo Melanthone publicè hæc commemorantem: Quando Augustæ exhibita est Confessio Augustana, nostri Protestantes hac verborum forma apud Cæsarem vsi sunt, se non tãtùm amplecti ea dogmata, quæ sunt expressè tradita in sacris literis, sed etiam illa, quæ bona consequentia sine sophistica ex verbo Dei extruuntur.

Quòd Deus non sit causa peccati.

CAPVT II.

CVM in Ecclesia sæpe magni tumultus exorti sint de causa peccati, necesse est pias mentes cõfirmari certis testimoniis, quæ ostẽdunt, peccatũ ortum esse & oriri non à voluntate Dei, sed prorsus & simpliciter à voluntate Diaboli & hominis. Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, id est, Deo placentia, rectè ordinata, Deo obedientia. Hæc enim propriè significat vocabulum boni, nec otiosè posita est in Moyse particula Valde, quæ etsi ad omnes creaturas pertinet: tamen maximè describit naturæ humanæ præstantiam, quæ erat valde bona, id est, valde placens Deo, prædita donis longè superantibus præsentes vires, valde ordinata, perfectè obediens Deo. Admonet igitur hæc particula, ex quanta dignitate excusi simus.

In Scholis olim ita dicebatur: Natura humana post lapsum est spoliata gratuitis donis, vt gratia, dilectione, quorum priuatione accersita est ira Dei. Deinde est vulnerata & sauciata in naturalibus, id est, in mente, voluntate

tate & corde, In quibus partibus horrenda sunt vulnera. Hæc distinctio sumta est ex Augustino.

Psalm. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es.

Iurisconsulti vocant præcipua testimonia, sedes materiarum. Ita nos de psalmo 5. dicere possumus, eum esse sedem materiæ, quam nunc tractamus de causa peccati, quia nullum est illustrius testimonium ad refutandos Manichæos, & similes, quàm psalmus quintus, quia non tantùm hoc dicit, quod citauimus, sed etiam exaggerat hanc sententiam Rhetoricè, Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos, odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes qui loquuntur mendacium, virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.

Zachariæ 8. Malum contra proximum ne cogitetis, & iuramentum falsum ne diligatis. Omnia enim hæc odi, dicit Dominus. Etsi autem hæc duo testimonia quidam futili cauillatione eludere conantur: tamen firma esse certum est. Nam voluntas Dei ita est bona & iusta, & volens hunc ordinem, quem in Lege exprimit, vt impossibile sit eam velle efficere, adiuuare aut approbare contraria.

Impossibile est in Deo esse voluntates contradictorias. Quòd si quis tribuit Deo contradictorias voluntates, is eadem opera, quod dictu & cogitatu horrendum est, tribuit ei mendacium. Quia veritas est congruentia opinionum, sermonis & gestuum externorum cum re ipsa. Si igitur Deus aliud foris ostendit nobis, & aliud intus circumfert, sequitur eum non esse veracem. Non dico hæc in contumeliam Dei, sed in honorem. Et sunt hæ argumentationes firmissimæ, quæ ducuntur ab impossibili. Sic loquitur D. Lutherus per ἀδύνατον: Si Deus me decipit, ego sum deceptus. Betreugt mich was / so betreugt mich Gott. Sed impossibile est, vt me Deus decipiat. Ergo non decipiar. Est vox plena πληροφορίας.

Scribit Aurelius Victor de Augusto Imperatore, fuisse eum seuerissimum luxuriæ vindicẽ, cùm quidem ipse eidem vitio seruiret more hominum, qui in vlciscẽdis vitiis, quibus ipsi vehe-

Sæpe miles obiurgat manipularem suũ propter blasphemias, & dum illum obiurgat, vtitur blasphemiis, & se ipsum accusat.

menter indulgent, acres ſunt. Talem legislatorem nõ cogitemus eſſe Deum. Vt enim hæ propoſitiones veræ, neceſſariæ, æternæ & immotæ ſunt, Deus eſt, Deus eſt ſapiens, Deus eſt caſtus: ita hæc perpetua & immota eſt, Deus iraſcitur libidinibus Neronis. 1. Iohan. 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt, id eſt, Diabolus eſt incoator peccati. Etſi enim natura Spirituũ & hominum ſic à Deo condita fuit, vt Deo placeret, rectè ordinata eſſet & Deo obediens: tamen Diaboli voluntas ſeſe liberè auertit à Deo. Hæc auerſio eſt peccatum, quia eſt inobedientia pugnans cum Lege Dei, & eſt neglectio, contemtus aut odium Dei, poſtea Diabolus etiã humanas voluntates impulit, vt ſe auerterent à Deo. non aliqua coactione, ſed perſuaſione ſophiſtica.

Multi pij legentes hunc locũ, vehementer ſunt ſoliciti, & præcipuo quodam dolore anguntur de ſuis peccatis. Ita enim argumentantur. Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt: Ego quotidie pecco. Ergo ſum ex Diabolo. Reſpondeo ad maiorem. Iohannes in cõcione cap. 3 Canonicæ epiſtolæ, non loquitur de omni peccato in genere, ſed de certa ſpecie peccati, id quod oſtendit ſeries orationis. Declarat enim hanc ſententiam, quã citauit, exemplo Cain & Diaboli. Teſtatur igitur Iohãnes, ſe loqui de lapſu voluntario ἑκουσιακῷ contra conſcientiã, quando homo ſciens & volens perſeuerat in delictis contra conſcientiam, tunc proximè accedit ad naturam Diaboli, & paulatim fit Epicureus contemtor aut hoſtis Dei. Tale peccatum habuit Saul, qui nullo officio placari potuit, vt coleret pacem cum Dauide. Qui igitur perſeuerant in delictis contra conſcientiam, & lapſi non deplorant ſtatim ſua peccata, ſed texũt longam telam peccatorum, ſicut ſolet Diabolus ex vno peccato contexere & extruere infinita, tales ſciant, ſe accuſari & perterrefieri ſeueriſſima concione Iohannis, Qui facit peccatum, ſcilicet contra conſcientiam, & in eo perſeuerat, ex Diabolo eſt. Talis enim peccat more Diaboli, & eſt Diabolus imitatione, non natura. Qui verò circumferunt peccatum originis, vel lapſi mox reſurgunt, non transferant ad ſe dictum Iohannis. Non enim dicit Iohannes, Qui peccat, ex Diabolo eſt, ſed qui facit peccatum, ſcilicet more Diaboli.

1. Iohan. 2. Concupiſcentia carnis non eſt ex Deo, ſed ex mundo. Mundus

Mundus ſecundum Ariſtotelem eſt σύστημα, compages, ſeries, ſcala quædam corporum cæleſtium & inferiorum arte diſtributorum. Iam quæro, an ex hoc ſyſtemate exiſtit peccatum? Nequaquã. Cælum, terra, mare non eſt cauſa peccati, ſed mundus phraſi Iohannis, ſignificat multitudinẽ generis humani non conuerſam ad Deũ. Hac phraſi vtitur Chriſtus etiam Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum &c. id eſt, homines nondum ad ſe conuerſos, homines auerſos à ſe, & multipliciter errantes & peccantes.

Hoc dictum ſatis perſpicuè & diſertè affirmat, non oriri à Deo peccatum.

Huc etiam illud addi poteſt, Rom 5. Per vnum hominem intrauit peccatũ in mundum.

Eſt metaphora in hoc verbo. Primus lapſus Adæ & Euę eſt magna ianua & porta, per quam peccatum & mors penetrauit in totum genus humanum. Nihil poteſt ab vllo oratore dici ſplendidius, vel ſcribi magnificentius, quàm quando Pauli oratio incipit aſſurgere. Verè eſt tonans & fulminans, relinquens aculeos in animis hominum, vt quondam de Pericle dictum eſt.

Sed maximè illuſtre teſtimonium eſt dictum, quod extat Ioh. 8. Quando Diabolus loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater mendacij. Cùm ait, Ex propriis, diſcernit res conditas à non conditis.

Natura Spiritus eſt res à Deo condita, ſed prętер hanc quiddã eſt proprium Diaboli, id eſt, nõ conditum à Deo, videlicet auerſio à Deo, quæ eſt inobedientia pugnans cum Deo, & clarè dicit Chriſtus Diabolum eſſe patrem [*id eſt, architectum, fabrum, autorem, magiſtrum*] mendacij, & peccatum à Deo nõ eſſe ortum.

Non dicit Chriſtus, Diabolũ conditum eſſe in ſua prauitate & malitia, ſed in veritate, hoc eſt, in vera iuſtitia & ſanctitate, in qua ſi perſeuerаſſet, ſicut angeli boni, non in Diabolorum, ſeu Spirituum malorum, nec in hominum genere quiſquam videret veſtigium peccati. Sed quia Diabolus à Deo defecit, & ſicut Chriſtus loquitur, in veritate non ſtetit, ideo primò natura Spirituũ contaminata eſt peccato. Et hæc deinceps fuit cauſa peccati impulſiua ἀνθρωποκτονικὴ in genere humano.

Eſt enim peccatum propriè auerſio intelligentis naturæ à Deo, pugnans cum Lege Dei.

Quare Diabolus à Chriſto ornatur his duobus epithetis: Diabolus eſt mendax & homicida? Facilis eſt reſponſio. Conſiderato dicto Zachariæ cap. 8. Diligite veritatem & pacem. In hoc dicto Zachariæ, veritas ſignificat omnes virtutes primæ tabulæ, vt verbi cauſa, veram agnitionem & inuocationem Dei, & veram celebrationem, quæ fit corde, lingua & externis geſtibus. Pax in dicto Prophetico complectitur omnes virtutes ſecundæ tabulæ, vt dilectionem proximi, & omnia officia neceſſaria ad fouendam ſocietatem humani generis. Vt igitur boni angeli huic præcepto obtemperantes, diligunt veritatem & pacem, & habent omnes virtutes primæ & ſecundæ tabulæ: Ita hoſtis Dei Diabolus eſt mendax & homicida, & atrociter violat primam & ſecundam tabulam. Nam aduerſus primam tabulam ſpargit in genere humano blaſphemias, hæreſes, idola, & alia mille portenta opinionum & cultuum, quibus Deus afficitur contumelia. Aduerſus ſecundam tabulam graſſatur homicidiis, adulteriis, furtis, mendaciis & mille aliis ſpeciebus. Hæc conſideranda ſunt, vt cùm Diabolus obambulet in genere humano, tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, ardenter inuocemus Deum, & petamus à Filio Dei, vt deſtruat opera Diaboli, mendaciũ & homicidium, peccatum & mortem.

Neque verò pugnant hæc inter ſeſe: Naturam hominis à Deo ortam eſſe, & peccatum non eſſe à Deo, quia peccatum eſt horribilis deſtructio [*confuſio, perturbatio*] operis & ordinis diuini, verè diſplicens Deo, qui ſuum opus violare noluerat. Hæc diligẽter cõſideranda ſunt, & ſimplex veritas, quam expoſui, retinenda eſt. Diſcamus nos ipſos accuſare, non Deum, & petamus à Deo remedia noſtrorum malorum. Sicut Oſeæ 13. dicitur: Perditio tua ex te, Iſrael, tantùm in me auxilium tuum.

Quòd verò obiiciunt aliqui hæc dicta: Ego indurabo cor Pharaonis, & ſimilia: certa & vera explicatio eſt, hæc dicta [*Exodi 8. & aliâs ſæpe*] loqui de permiſsione, ſinam indurari. Nam phraſis Hebraica non poſtulat hæc verba duriùs exponi, vt cùm dicimus: Ne nos inducas in tentationem, id eſt, ne ſinas nos induci, aut inductos perire. Huius enarrationis teſtis eſt Auguſtinus in lib. de bono perſeuerant. cap. 6. Nihil fit niſi quod Deus aut ipſe facit, aut fieri

fieri permittit. Quòd itaque dicimus, Ne nos inducas in tentationem, quid dicimus, niſi, ne nos inferri ſinas? Nam Deus neminem tentat, ſcilicet tentatione noxia.

Poſſet aliquis obiicere. Narratio in Geneſi & libro Iob, teſtatur, Abraham & Iob à Deo tentatos eſſe. Igitur Deus eſt autor tentationis, & per conſequens, fruſtrà petitur in oratione Dominica, Ne nos inducas in tentationem. Reſpondeo. Differunt tentatio Dei & Diaboli, cauſis impulſiuis & finalibus. Impulſiua in Deo eſt amor Eccleſiæ. Impulſiua in Diabolo eſt odium implacabile aduerſus Deum & Eccleſiam. Quem Deus amat, hunc tentat. Quem Diabolus odit, hunc etiam tentat. Odit autem omnes homines. Ideo ſingulos aggreditur, & malis artibus expugnare conatur. Finalis cauſa tentationis diuinæ, eſt ſalutaris δοκιμασία, id eſt, exploratio, in qua homines ſibi ipſis & Eccleſiæ innoteſcunt. Nemo enim, vt ait Auguſtinus, ſibi innoteſcit ſine probationis examine.

Quare inſtituuntur examina? Bono & vtili conſilio. Nihil magis prodeſt ad modeſtiam ſtudioſorum, quàm examina. Nam multi habent puerilem perſuaſionem, putant ſe multa ſcire, cùm reuera nihil aut pauca ſciant. Finis tentationis Diabolicæ eſt πανολεθρία, id eſt, vniuerſalis interitus & deletio animæ & corporis. Quando Deus tentat vel Abraham vel Iob, non facit hoc odio adductus, ſed amore. Neminem enim tentat Deus, niſi valde amatum & dilectum. Sed quam ob cauſam, ſeu propter quem finem tentat nos Deus? vt nos exploret. Contrà, Deus eſt καρδιογνώστης, inſpector cordium, igitur non indiget hac δοκιμασία. Reſpondeo. Eſt fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam. Etſi enim Deo omnia ſunt nota, quia penitus introſpicit latebras humani pectoris: tamen propter duas cauſas inſtituuntur hæc examina & probationes. Primùm vt homo diſcat agnoſcere ſuam infirmitatem. Deinde etiam vt coram aliis hominibus fiat conſpectior pietas & virtus hominis ſancti. De altera hac cauſa dicit Hieronymus in narratione primi capitis Iob:

Hæc acciderunt Iob, vt foris innoteſcerent
huius viri virtutes, quas intus
Deus videbat.

De contingentia & de cauſis contingentiæ.

CAPVT III.

APVD Horatium in arte poëtica extat verſiculus, qui venuſtè vſurpari poteſt aduerſus eos, qui dicunt aliena à propoſito, & nimis longè digrediũtur à ſententia. Amphoram inſtituis, currente rota cur vrceus exit? Metaphora eſt ſumta à figulis, qui faciunt amphoras & vrceos. Amphora eſt vas quadratum, ein Eymer/ capax multorum congiorum. Vrceus eſt anguſtum vaſculum, quod reſpuit ſuperfuſi humoris copiam, & ſenſim inſtillando impletur. Ita hîc dicet aliquis: Tu propoſuiſti nobis locum de cauſa peccati, quid habet commercij cum hoc loco diſputatio de contingentia, tu miſces philoſophica Theologicis. Reſpondeo. Quidquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ, ſequitur & ad antecedens. Poſita hac hypotheſi, quòd Deus nõ ſit cauſa peccati, quæ hypotheſis eſt firmiſsima & immota, nec poteſt vlla vi labefactari, ſequitur ſua ſpõte ſine Sopiſtica, eſſe aliquam contingentiam, id eſt, Diabolum & homines liberè peccaſſe, Deo nec approbante, nec volente, nec impellente. Cauſa peccati & contingentia ſunt duo connexa & cognata.

Tetrum & Diabolicum mendacium eſt, contumelioſum contra Deum, & pernicioſum moribus, fingere, omnia neceſſariò fieri, bonas & malas actiones. Hoc enim fundamento poſito, omnia neceſſariò fieri, diligentia abiicitur regendi mores, & ſequitur aut deſperatio in conſternatis, aut in ſecuris confidentia.

Precatio Dominica ſatis probat contingentiam, & ſufficit ad refutandam neceſsitatem Stoicam. Quia ſi fiunt omnia neceſſariò, ſiue bona ſiue mala, quorſum attinet precari? Mitte vadere, ſicut vadit, quia vult vadere, ſicut vadit. Et vt Græci loquuntur, Eat ſecundum fluxum, Es gehe dem fluß nach. Tu non potes prohibere fluxum Eliſtri, Danubij, Rheni, Si igitur omnia ſic neceſſariò fiunt, ſicut vnda pellit vndam,

dam, profectò inutilis & deridenda est precatio. Cùm autem non sit inutilis, sed efficax, sequitur non omnia fieri necessariò, sed Deum multa propter preces piorum aut mutare, aut mitigare, aut impedire, aut omnino tollere.

Est igitur contingẽtiæ in diuinis actionibus fons libertas Dei, quæ est posse creaturas condere, & posse non condere, posse conseruare & destruere, & iuuare mediatè per creaturas, & immediatè extra creaturas, & quanquam tantùm bona facit, tamẽ posse bona multiplicia & dissimilia facere.

In psalmo dicitur: Deus omnia quæcunque voluit, fecit, id est, volens omnia condidit sine omni necessitate, & tunc condidit, quando voluit, potuisset ante aliquot annorum millia creaturas condere, sed non ita placuit, potuisset differre conditionem in multa secula, sed noluit differre.

Contingentiæ verò nostrarum actionum fons est libertas voluntatis, quia homo potest velle, seu eligere, seu reiicere ea, quæ cognitio ostẽdit, aut etiam suspendere actionem.

Suspendere hoc loco significat cohibere, Jnhalten/ lassen anstehen/ ἐπέχειν. Sumatur declaratio ab antithesi. Duplicia sunt agentia. Omne enim agens aut est naturale, aut est liberum. Ignis est naturale agens, & sic agit, vt non possit suspendere actionem admota materia, & deinde semper eodem modo agit, iuxta regulam Aristotelis: Natura est determinata ad vnum: & in libro de generat. & corruptione: Idem eodem modo se habens, semper efficit idem. E contra liberum agens potest suspendere actionem, & potest dissimilia opera facere, vt Alexander Magnus etsi miratur formas filiarum Darij regis Persici, & habet eas in sua potestate: tamen auertit suos oculos, & abstinet ab eis. Sic Scipio cùm ad eum adducta esset sponsa Principis Hispanici, sese cohibuit, & reddidit eam parentibus & sponso. Deinde idem Alexander agit dissimiliter, post captam Babylonem est ebriosus, qui ante captam Babylonem erat sobrius & castus.

Fuit autem longè præstantior hæc libertas in natura integra, tanquam pars similitudinis Dei, & præcipuum ornamentum hominis. Nunc etsi mutilata est, tamen quod ad electionem exter-

narum actionum, quæ rationi subiectæ sunt, attinet, in homine reliqua est, vt intelligamus discrimen inter agens naturale & agens liberum, & vt agnoscamus, Deum esse liberum agens: & vt possimus regere locomotiuam. Hæc libertas quatenus reliqua est, causa est contingentiæ humanarum actionum. Vt igitur Eua & Adam sua libertate auerterunt se à Deo, sic affirmo, Pharaonem, Saulem, Neronem sua voluntate liberè & contingenter, non aliqua fatali necessitate, nec Deo impellente eorum voluntates elegisse scelera, quæ fecerunt, sicut de Diabolo dicitur: Ex propriis mendacium loquitur.

Nero, vt scribit Seneca in lib. de clement. initio suæ gubernationis fuit aliquot annis princeps mitis, nullum præ se ferens signum tyrannidis, imò sæpe lacrymas tenere non potuit, quoties subscriptione confirmandæ erant sententiæ capitales. Itaque omnes ciues Romani bene de Nerone sperabant, gratulabantur sibi huius Principis mores, in quibus nihil erat cruentum & sæuum. Sed idem aliquantò pòst adeo à se ipso est mutatus, vt nullum fuerit genus sceleris & flagitij, quo se nõ contaminarit, ita vt aliquot annis ante finem vitæ, verè nihil fuerit aliud, nisi cloaca Diaboli: sicut enim Cicero vocat Glauciam stercus curiæ: ita D. Philippus solebat docere, Neronem esse cloacam Diaboli. Hanc historiam ideo recito, vt cogitent iuniores de discrimine inter vasa misericordiæ & inter vasa iræ, & vt hoc discrimine considerato, ardenter petant à Deo, vt faciat ipsos vasa misericordiæ, id est, organa salutaria Ecclesiæ & Reipub. & animæ, non abiiciat ipsos inter pestes & vasa iræ.

De

De discrimine inter actiones Dei, quæ vno nomine appellantur determinatio diuina.

CAPVT IV.

ETSI actiones Dei non magis numerari possunt, quàm stellæ cæli & arenæ maris, tamen tres præcipuas nunc considerabimus, & quantum quæque valeat in rebus humanis, videamus. Ac prima quidem vocatur πρόγνωσις, id est, præuisio & scientia rerum futurarum: altera est οἰκονομία, domicilij, quod mundum appellamus [*Deus est œconomus, mundus est œconomia*] administratio: tertia est πρόθεσις, quam Latinè appellare possumus decretum.

Est igitur πρόγνωσις notitia mentis diuinæ, prospicientis tanquam in specula omnes euentus futuros. Hæc quatenus simplex est futurarum rerum notitia, nequaquam affert hominibus necessitatem peccandi, vt præclarè Augustinus dixit tractatu 53. in Iohannem Non propterea Deus quenquam ad peccandum cogit, quia futura hominũ peccata iam nouit. Idẽ, citante Prospero, hanc sententiã pluribus declarat: Neminẽ, inquit, Deus ad peccandũ cogit, præuidet tamen eos, qui propria volũtate peccabũt. Cur igitur non vindicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse, quæ præterierũt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt, & sicut homo quædã, quæ fecit, meminit, nec omnia tamẽ, quæ meminit, fecit: ita Deus omnia, quorum ipse autor est, præscit, nec tamen omnium, quæ præscit, ipse autor est, quorum autem non est malus autor, iustus est vltor.

Dicat aliquis, Hæc magis sunt philosophica, quàm Theologica, quorsum attinet Theologiæ miscери intempestiua quadam beneuolentia philosophicas disputationes, quæ non nituntur verbo Dei, sed confirmantur humanis dictis. Sæpe adolescentibus commendaui psalmum 139. cuius initium est: Domine probasti me &c. In eo psalmo hoc præcipuè agit sanctis-

simus Propheta Dauid, vt quantum possibile est, in hac vita duas actiones Dei ante oculos proponat, quarum altera est πρόγνωσις, altera οἰκονομία, id est, sustentatio & conseruatio. De præuisione dicit: Domine probasti me, & cognouisti me, tu nouisti sessionẽ meam & resurrectionem meam, id est, meum sedere & surgere, id est, tu scis quando ego cubitum eam, quando surgam è lecto, nec tantùm nouisti meas actiones externas, sed perspicis latebras humani cordis, quæ fugiunt humanos oculos & humana iudicia, imò etiam superant sapientiam angelorum & Diabolorum. Non est, inquit, sermo in lingua mea. Ecce tu Deus cognouisti omnia. Tandem addit psalmus insigne epiphonema: Admirabilior & excelsior est scientia Domini, quàm vt possim eam assequi. Hac modesta oratione nos quoq; vtamur, & simus contenti aliquibus certis & veris hypothesibus, quæ traduntur in Ecclesiæ doctrina, nec plus iusto sapiamus. Quisquis enim plus iusto non sapit, ille sapit. Hoc tantùm possumus dicere de prima actione Dei, id est, de præuisione, quòd Deus omnia præsciat, bona & mala, hoc enim congruit sapientiæ diuinæ. Deinde hæc hypothesis est certa, quòd præuisio diuina non afferat hominibus necessitatem peccandi. Sicut enim memoria non est causa rerum præteritarum, quarum tamen imagines sunt in memoria, ita præscientia diuina non est causa omnium actionum, quas præuidet, sed tantùm bonarum. Nõ volo in hoc mysterio immorari, & de eo subtiliter disputare, cùm psalmus ipse fateatur, hanc scientiam esse admirabiliorem & excelsiorem, quàm vt penitus in hac vita eam possimus assequi. Simus igitur contenti hoc Catone, id est, hac simplici doctrina.

II. Oeconomia est actio voluntatis diuinæ, qua Deus sustentat & gubernat ordinem à se in natura institutum, & suo operi impertit lucem, motum & vitam, iuxta dictum: In ipso sumus, mouemur & viuimus. Est aphorismus Paulinus Act. 17. Cyprianus sic explicat dictũ Pauli. In Patre sumus, in Filio viuimus, in Spiritu sancto mouemur. Pater est fons omnis essentiæ, Filius est vita, vt dicitur Iohan. 1. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Et sæpe in Euangelio Iohannis hæc verba repetit Christus: Ego sum via, veritas & vita. Spiritus sanctus est agitator seu motor, vnde & nomen habet apud Hebræos Ruah, quod significat endelechian, continuam & perennem agitationem.

Etsi

Etsi autem Deus irascitur peccato, quod est perturbatio ordinis diuini, & magna confusio, tamen opus à se factum, quatenus adhuc reliquum est, fouet & sustentat. Nisi enim sustentaretur genus humanum inenarrabili bonitate Dei, non posset ex hac misera massa Filio Dei æterna hæreditas colligi.

Ecclesia appellatur hæreditas Dei psalm. 2. & 16. Nihil potest dici dulcius ad nos consolandos, quàm hoc: Ecclesiam esse templum Dei & præclaram hæreditatem Filij Dei. Nónne tu magnificis hæreditatem paternam, quanquam exiguam, si non propter aliam causam, tamen vel propter nomen Patris, vel propter honorem familiæ? Contrà, ex hæreditatione ducis inter summa probra & calamitates. Psalmo 2. loquitur Pater ad Filiũ: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, & possessionẽ tuam terminos terræ. Et ps. 16. qui est vaticiniũ de passione & resurrectione Christi, Filius Dei sic inquit in ardentissima precatione: Funes ceciderunt mihi in amœnis, etenim hæreditas præclara est mihi. Quid vocat hæreditatem suam, & quidem præclaram & magni pretij? Ecclesiam, hanc diligit vt sponsam, vt templum, vt hæreditatem, vt dilectam animam suam. Nam sic loquitur Ieremiæ 12. quod dictum cogitemus in his publicis calamitatibus & ærumnis: Dedi, inquit Deus, dilectam animam meam in manus inimicorum. Non disputemus, quare Deus permittat pios in maximis miseriis vagari, in exiliis, sedere in carcere, aut aliis calamitatibus premi, non ex euentu ratiocinemur, eos à Deo desertos esse, sicut ratio humana & amici Iob argumentantur: Hic est calamitosus. Igitur est à Deo abiectus. Hanc imaginationem refutat Deus apud Prophetam, & affirmat, se tradere animam suam dilectam, id est, Ecclesiam in manus hostium.

De hac sententia teneatur dictum Augustini, quod extat tract. 11. in Iohãnem: Et quia iniquitas nostra opus eius non omni ex parte consumserat, nouerat simul in vnoquoque nostrum, & odisse quod feceramus, & amare quod fecerat.

Deus seruat iustitiam distributiuam, quę suum cuique tribuit, seruata proportione Geometrica, id est, singulis conuenientia assignat. In nobis sunt duo opera: vnum est opus nostrum, id est, peccatum. Hoc opus Deus odit, auersatur, abominatur, teste psalmo

quinto: Non Deus volens iniquitatem tu es. Alterum opus est Dei, non nostrum, id est, nostra substantia, & quidquid adhuc est reliquũ, ex primo lapsu. Hoc suum opus non potest deserere, sicut dulcissimè precatur psalmus 138. Opera manuum tuarum ne deseras. Est insigne πάθος in his verbis psalmi, quasi dicat: Sumus quidem miseri peccatores, quod ingenuè fatemur, sed tamen sumus & manemus opera manuum Dei, quæ nec vult, nec potest deserere, nisi nos priùs à Deo deficiamus, & fiamus desertores Dei. Non enim priùs nos deserit Deus, quàm à nobis deseratur. Deus non deseruisset primos parentes, si non ipsi priùs fuissent desertores Dei.

III. Πρόθεσις est actio voluntatis diuinæ, decernentis aliquem euentum, qui etsi sua natura cõtingens est: tamen non mutatur, nec impeditur, cùm à sola voluntate Dei pendeat, vt Deus κατὰ πρόθεσιν decreuit se missurum esse Filiũ vnigenitũ in carne, & resuscitaturum esse omnes mortuos, & hæc sua decreta Ecclesiæ patefecit. De hac specie actionis diuinæ loquitur Esaias cap. 46. Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet.

Contingens, id est, mutabilis. Opponitur autem vtrique modo, necessario & impossibili, quãdo igitur hoc nomen contingens audis, mox cogita, hæc res neque est necessaria, neque est impossibilis.

secundum propositũ. hoc verbo sæpe vtitur Paulus Rom. 8.

Concludam huius capitis explicationem repetitione solutionis argumenti Stoici. Sic enim Stoici argumentantur:

Omnis determinatio diuina est immutabilis.
Omnia fiunt Deo determinante.
Ergo omnia fiunt immutabiliter.

Videri potest hoc argumentum Stoicum puerile, sed reuera indiget explicatione, non quidem insulsa, neque inerudita. Ac memini ipse, quendam, qui sibi hoc tempore valde placet, & qui meus est aduersarius, non potuisse verbum respõdere ad hanc obiectionem, cùm à præceptore Philippo Melanthone piæ memoriæ, in publico examine interrogaretur. Ita autem ipse præceptor soluebat: Omnis determinatio diuina est immutabilis, scilicet necessitate consequẽtiæ. Non enim omnia fiunt absoluta necessitate, alioquin nulla esset contin-

contingentia. Deinde ad minorem respondebat per distinctionem: Dissimilis est determinatio diuina in bonis & malis actionibus hominum. Mala fiunt Deo determinante, id est, præsciente ac non impediente, non autē adiuuante vel impellēte. Hoc modo Deus præuidet scelera Neronis & Saulis, quorū tamen non est caussa, sed tantùm permittit, & constituit metas, vbi sit repressurus illa. Item: Omnia fiunt, Deo determinante, id est, sustentante, non semper adiuuante. Deus sustentat naturam, tanquam opus suum, & tamen hinc non sequitur, Deum esse caussam peccati, quia suum opus sustentat, & iuuat odit nostrum opus, id est peccatum. Neque igitur sequitur, vel ex præuisione necessitas omnium rerum absoluta, nec ex sustentatione diuina extrui potest falsa consequentia, quòd Deus sit caussa peccati. Tertiò, omnia fiunt Deo determinante, id est, euentus certos decernente: qui euentus etsi sunt mutabiles sua natura, tamen ideo sunt necessarij quia non à voluntate humana aut angelorum pendent, sed à sola voluntate Dei, de qua dicit Propheta: Consilium meum stabit, id est, firmum erit, & voluntas mea fiet. Hoc modo solebat Dominus Philippus respondere ad argumentum propositū: Alij malunt dicere, Non aliquos tantùm, sed omnes euentus decerni à Deo. Hæc non improbo: sed tamen addi necesse est, aliter Deum decernere bona, aliter mala. Bona ita decernit, vt ipse velit illa efficere. Mala decernit, vt ad bonum finem illa velit permittere, vt fiant ab aliis. Sed copiosior est illa disputatio, quàm vt hoc loco explicari integrè possit.

Solutio quarundam obiectionum.

CAP. V.

REPETANT studiosi memoria insigne dictum Aristotelis, quod extat 1 Ethic. ad Nicomachum: Est hominis moderati, non maiorem in disputādo certitudinem aut subtilitatem explicationis desiderare, quàm rei ipsius, de qua disseritur, natura patitur. Hanc admonitionem seu regulam ab Aristotele traditam, ideo iunioribus in me-

moriam reuoco, ne quis sit nimis argutus & subtilis in differendo contra Ecclesiæ doctrinam de caussa peccati, & de cõtingentia. Quẽadmodum enim in physicis facilior est destructio, quàm structura: ita in Sophisticis facilius est construere quàm destruere, vt idem Aristoteles venustissimè dixit: Non est homini ingenioso difficile excogitare præstigias sophismatum, & labyrinthos inextricabiles ad conuellendam & labefactandam veram sententiam, sed nos amemus simplicem veritatem, & in ea constanter acquiescamus, etiamsi non possumus pertinaciter litigantibus satisfacere.

Præcipua obiectio contra doctrinam hactenus traditam, sumitur à præuisione & permissione diuina:

Qui malum impendens præuidet, idque nullo negotio auertere potest, nec tamen auertit, videtur eo genere mali gaudere & delectari.

Deus autem cùm non solùm præuideat ruinam, verùm etiam nutu suo eam auertere possit, tamen sinit homines errare, labi, decipi.

Igitur Deus videtur approbare nostros lapsus.

De hac quæstione etsi difficile est satisfacere pertinaciter litigantibus, tamen quò facilius intelligatur simplex respõsio, in qua omnino acquiescendum est, vtar similitudine à re nauali sumta. Quemadmodum hi, qui in summo periculo nauigationis sapientem gubernatorem recta & salutaria monẽtem, non modò aspernantur ac respuunt, sed etiam è naui eiiciunt, iustè ab eo deseruntur, & sua voluntate sibi naufragium accersunt: ita primi parentes contumaciter repudiantes mandatum Dei, & huic anteferentes mendacia Diaboli, iustissimo ordine à Deo deseruntur. Quod enim dictum est primis parentibus ante lapsum, Qua die ederitis de arbore prohibita, morte moriemini: hanc habet sentẽtiam, teste Augustino lib. 13 de ciuitate Dei, cap. 15: Qua die me deseruerit is per inobedientiam, deseram vos per iustitiam. Neque enim nos deserit Deus, vt inquit Prosper in sententiis, nisi priùs à nobis deseratur. Sed ne quis Deo tribuat ἀπχαιρεκακίαν, id est, maleuolẽtiam lætantem alieno malo sine emolumento suo, is cogitet quod res est, Deum periti & fidelis medici officio functum esse ante & post

post lapsum. Nam & ante lapsum nobis rectitudinem omnium virium tribuit, tanquam προφυλακτικὸν [*vulgò præseruatiuum*] aduersus Diaboli Sophisticam, & post lapsum ἀντίδοτον [*remedium opponendum veneno, vt Tyriaca*] ordinauit, quod vulneribus nostris efficaciter medetur. Hac simplici responsione contenti simus, & obtemperemus versiculo: Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.

Prima & præcipua obiectio contra doctrinam de caussa peccati, hoc ferè Syllogismo comprehendi potest: Quicunque præuidet futurum malum, & facilè hoc arcere potest, nec tamen arcet, prohibet aut auertit, is videtur quandam ex eo malo voluptatem capere, vt si tu posses duos inter se rixantes, & iam stringentes gladium, tua authoritate & interuentu dirimere, nec faceres, profectò homines cõciperent de te hanc suspicionem, te lætari vulneribus rixantium. Certum est autem, Deum non solùm tanquam in specula prospicere omnes rerum euentus futuros, sed etiam nutu solo posse omnia mala procul arcere. Ergo videtur Deus non seuerè irasci lapsibus & peccatis. Non libenter vtor hac oratione, sed imitor alienum sermonem. Est enim hæc obiectio multis familiaris. Quid igitur respondendum est? Respõdeo per duas similitudines, quas declarandi magis, quàm confirmandi caussa adhibeo. Nam ipsa sententia per se vera est, etiam non illustrata similitudine. Prima similitudo sumitur à re nauali, Si quis haberet in sua naui gubernatorem sapiẽtem & beneficum, quo gubernante & clauum tenente nauis posit seruari incolumis, & portum optatum videre, is tamen ea esset petulantia & leuitate, vt gubernatorem ex naui perturbaret seu eiiceret, an non talis petulans homo iure desereretur à salutari gubernatore, & iustissimo ordine sibi ac sociis nauigationis extremum periculum accerseret? profectò homines sani interrogati de hoc casu, respondèrent, rem ita se habere: ita Adam & Eua habuerunt rectorem Spiritum sanctum, imò totam Trinitatem: nam vbi est Spiritus sanctus, ibi tota Trinitas habitat, iuxta dictum: Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Sed propria voluntate & contumacia excusserunt primi parentes hunc gubernatorem suæ mentis, voluntatis & cordis, quod est dictu & auditu horribile, & antepossuerunt Sophisticam & mendacium Diaboli, veritati diuinæ. Quod enim in Genesi scribitur: Quacunque die comederitis, &c. id habet hanc sententiam, Quo die deseruerit is me per cõtumaciam, id est, peccatum, ego deseram vos per iustitiam, id est, iustissimo ordine puniam ve-

Ioh. 14. 23.

ſtram ingratitudinem. Nam vt rectè inquit Proſper: Non priùs nos deſerit Deus, niſi à nobis deſeratur. Quare & in vita, & in morte tangamus fimbriam veſtium Chriſti, & dicamus cum illo patre miſero, Credo Domine, ſed tu fer opem infirmitati meæ. Ita fiet, vt non deſeramur à Deo, præſertim cùm ſimus opera manuum ſuarum.

Altera ſimilitudo ſumitur à re medica. Ille eſt fideliſsimus & præſtantiſsimus medicus, qui graſſante aliqua peſte & morbo populari, dat petentibus & conſulentibus προφυλακτικὸν, id eſt, præſeruatiuum, ſeu præmuniens aduerſus venenum. Si quis autem omnino in morbum incidit, & iam cum morbo conflictatur, fidelis medici officium eſt, opponere conuenientia remedia graſſanti malo. Talis medicus ante & poſt lapſum eſt Deus. Quid fecit ante lapſum? Ante lapſum dedit nobis rectitudinem & integritatem omnium virium, mentis, voluntatis & cordis, & addidit Legem, tãquam exercitium obediẽtiæ, cui ſi homo obtemperaſſet, habuiſſet προφυλακτικὸν aduerſus ſophiſmata Diaboli. Cùm autem homo lapſus eſſet, & ſibi ac poſteris mala, humana ope immedicabilia accerſiſſet, ordinauit aduerſus hæc ἀντίδοτον longè potentius peccato & morte, de quo dicit Paulus Rom 5: Gratia exuberat ſupra peccatum, id eſt, regnum Chriſti eſt longè potentius regno Diaboli, id eſt, peccati & mortis. Hoc ἀντίδοτον magnificiamus, hoc miremur, hoc ſuſpiciamus, & quotidie pro huius communicatione Deo agamus gratias, quantas anguſtia humani cordis concipere poteſt.

Alia obiectio.

Suſtentans naturam peccantem, nec ſtatim eam delens, videtur approbare peccata.

Vt ſi tu reciperes furem, & eũ domi foueres, profectò res ipſa oſtẽderet, te nõ valde iraſci furtis. Hoc exemplum transferunt multi ad Deum.

Deus ſuſtentat impios, nec ſtatim eos ad pœnam rapit.

Ergo Deus videtur approbare peccatum.

RESPONDEO.

Diſcernenda eſt ſubſtantia condita ab impietate. Nam Deus ſuſtentat ſubiectum, tanquam ſuum opus, etiamſi impietati, quæ eſt

est horribilis destructio subiecti, seriò irascitur. Adhanc respō sionem accommodetur dictum Augustini sæpe citatum ex tractatu 110 in Iohannem: Quia iniquitas nostra opus eius nō omni ex parte consumserat, nouerat simul in vno quoque nostrum, & odisse quod feceramus, & amare quod fecerat. Deinde tolerat impios aliquandiu, non aliter quàm colonus arbores fructuū expertes & vacuas. Vt enim colonus sperat arbores, de quibus dixi, cultu mitescere posse: sic Deus non properat ad pœnam, sed concedit impiis spatium ad agendam pœnitentiam.

ficut vulnus in corpore.

Deus in magna patientia tolerat vasa iræ. Rom. 9.

Lucæ 13: Christus in concione de pœnitentia hanc imaginem proponit. Fuit quidam colonus vel agricola, qui voluit ex agro extirpare sterilem arborem, sed motus intercessione atrienſis sui, distulit in alium annum extirpationem, & plus culturæ quàm antea adhibuit sterili arbori: postquam verò vidit, arborem tum quoque non factam esse mitiorem, ibi radicitus eam ex terra extirpat, & in ignem coniicit. Quid significat hæc imago? Idem quod Rom. 2 dicitur: Deus est longanimis, sed tarditatem grauitate pœnæ compensat.

Porro vt colonus diu sua spe frustratus, tandem extirpat arbores non respondentes suis votis, eásque in ignem abiicit: sic Deus aliquantisper impios furere sinit, ac tandem insanabiles opprimit mirandis modis, vt in pœna conspiciatur præsentia Dei, & agnoscatur ira aduersus peccatum.

Magna est bonitas Dei in dandis bonis corporis & animæ, sed maior est bonitas Dei remittentis peccata magna & multa. Omnium verò maximus gradus bonitatis Dei est hæc longanimitas & patientia Dei, qua non subitò nos opprimit & extinguit in ipsis lapsibus, sed concedit nobis spatium agendi pœnitentiam. De hac patientia & bonitate Cyprianus in oratione de Cœna Domini inquit: Pietas inter data & condonata se diuidens, agit gratias tam vberis beneficij largitori. Sumamus declarationem huius dicti ex Luca, cap. 6: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Iam quærat aliquis, Qua in re versatur misericordia Dei? Respondet

Christus verbis sequentibus, Nolite condemnare, & non cõdemnabimini, date, & dabitur vobis, remittite, & remittetur vobis, id est, misericordia complectitur hæc tria officia, quorum primum est dare & communicare bona necessaria. Alterum officium est remittere offensiones, & neminem condemnare. Tertium est, non properare ad iudicãdum. Hæc tria officia Deus nobis præstat liberalissimè, finit Solem suum quotidie oriri super bonos & malos, pluit super gratos & ingratos, fœcundat agros. Deinde agnoscentibus sua peccata, & confugientibus ad Mediatorem, delicta præterita condonat & remittit, imò etiam tegit præsentes reliquias peccati. Tertiò non properat ad pœnam, sed diu tolerat nostros mores, bene sperans de emendatione, quòd si emendamur, nulla re magis delectatur: sin minùs, iusto vtitur iudicio.

EXPLICATIO TEXTVS LOCORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANTHONIS

De caussa peccati & de contingentia.

INITIO huius lectionis pauca sunt commemoranda de secta Diabolica Manichæorum, vt postea nobis sit in textu facilior & minùs impedita progressio.

MANES fuit genere Persa, id est, natus est in Persia, & ex seruo liber factus est. Cùm autem non modò libertatem, sed etiam hæreditatem suæ dominæ adeptus esset, & iam haberet instrumenta malorum, cœpit spargere monstrosa & venenata dogmata, quæ erant conflata partim ex Stoicis deliramentis, partim ex veteribus hæresibus & superstitionibus. Ac vt tempus sciatur, quo ista Furia ex inferis emissa est ad turbandam Ecclesiam, sciendum est, tempore Aureliani Imperatoris, hoc est, annis à nato Christo 239 extitisse hunc impium & blasphemum Doctorem, cuius dogmata, qualia fuerint, narrat Augustinus in epistola

74. Nam

74. Nam vt ordiar à crassissimis erroribus, damnauit Manes, & qui eum sequuntur Manichæi, coniugia, imperia, & omnes politicas ordinationes, & vsum certorum ciborum, vt carnium. Hi furores adeo sunt manifesti, & ita cum veritate pugnant, vt non desiderent longam refutationẽ. Quia Paulus 1 Timoth. 4 tales doctores, & eorum doctrinas vocat Dæmonum præstigias, inquiens: In nouissimis temporibus venient falsi doctores, prohibentes coniugia, & certos cibos: ac talium dogmata expressè vocat doctrinas Dæmonum. Sed fuerunt alia dogmata Manis multò perniciosiora, quæ maiorem pestem Ecclesiæ attulerunt, vt verbi caussa, dogma blasphemũ de duobus diis, bono & malo, & de duplici materia, venenata, & ea, quæ est sanabilis. Finxit enim Manes cum suis ásseclis & manipularibus, duos esse Deos, tenebras & lucem, seu bonum Deum & malum, & à bono quidem Deo ortos esse homines, qui sunt capaces luminis diuini, & cõuersionis ad Deum. A malo verò Deo dixit ortos esse Pharaonem, Catilinam & similes, quos dixit, non posse cõuerti ad Deũ, sed impossibile esse eos sanari posse. Defendit etiam Stoicum fatum, id est, necessitatem absolutam omnium euentuum, & prorsus sustulit libertatem voluntatis humanæ, quam comparauit saxo & trunco, & si quid est eius generis. De Christo & Spiritu sancto repetiuit veteres hæreses, vt quòd finxit Christum nõ assumsisse verum corpus & animam ex virgine Maria, sed offudisse hominibus quandam speciem, nec reuera passum esse, sed tantùm specie, opinione seu phantasia quadam hominum oculos præstrinxisse. Hæc & alia portenta innumerabilia prodierunt ex schola Manetis, cuius appellatio congruit cum re ipsa: nam μάνης significat furiosum. Quid autem potest cogitari absurdius & furiosius, quàm hæc dogmata fingere de Filio Dei & Spiritu sancto? Finxit se habere enthusiasmos & afflatus diuinos seu colloquia cum Deo, vt hac specie authoritatem augeret. Quod igitur Virgilius dixit de Harpyis monstris lib. 3 Aeneid. hoc nobis verè licet dicere de secta Manichæa: Nulla sæuior pestis Stygiis sese extulit vndis. Nam hæc secta non durauit vnum atque alterum annum, sed vagata est per totam Aphricã, Aegyptum & vicinas prouincias annos 200 vsque ad ætatem Augustini. Fuit autem Manis interitus tragicus, & conueniens tali personæ. Cùm enim hic impostor profiteretur artem Medicam, quam nunquam didicerat, & veniisset in aulam Persicam, suis medicamentis interfecit filium regis Persici. Quare tandem deprehensa insciti, seu dolo malo hominis

impostoris, detracta pelle canibus obiectus est. Sed non est sepulta cum ipso authore hæresis, sed latissimè vagata est per totum orbem terrarum. Sciant autem studiosi, ipsum Augustinum, egregium Ecclesiæ doctorem & lumen, fascinatum fuisse his erroribus vsque ad annum ætatis 30 ante conuersionem. Postquam verò conuersus est ad Deum, & veritatem amplexus est, non fuit acrior hostis, non modò Manichæorum, sed etiam Pelagianorum, Donatistarum & similium. Hanc historiam de Manichæis & Augustino, legant iuniores in oratione de vita Augustini, quæ extat in 2 tomo declamationum D. Præceptoris, & in libello Chronico, in historia Aureliani.

Semper omnes sapiẽtes mirati sunt]

Exordium ducitur à collatione, seu ab antithesi philosophiæ & doctrinæ Christianæ. Sæpe dixi, magnam esse sapientiam, & vix esse maiorem in hac vita, quàm eruditam & sobriam collationem, & discrimen generum doctrinæ, videlicet philosophiæ, Legis & Euangelij. Ex hac collatione nascitur in Ecclesia copia orationis, quæ est plena optimarum rerum.

Vt Philosophi]

Estne vera definitio Platonis, Deus est mens æterna, caussa boni in natura? Est vera, sed non est sufficiens. Aliud est autem esse verum, aliud sufficiens. Philosophia manca est & mutila sine collatione Ecclesiæ.

Philosophi partim in materia]

Philosophi rectè iudicant de propinquis caussis, sed ignorant principalem caussam, à qua orta est infirmitas & confusio in materia, mente & voluntate. Hæc principalis caussa soli Ecclesiæ nota est. Differunt in philosophia & physica caussæ propinquæ à caussis remotis & principalibus. Nam caussa remota est caussa caussæ, vt auus est remota caussa nepotis. Pater est propinqua caussa filij. Etsi igitur rectè iudicãt philosophi de caussis propinquis malorum & miseriarum humanarum: tamen ignorant caussam remotam & propriam, quæ est caussa propinquarũ caussarum. Hæc caussa principalis in solo verbo Dei patefacta est. Philosophus interrogatus extra Ecclesiam, quæ sit caussa mortis humanæ: Respondet, caussam esse fluxum materiæ seu instabilitatem materiæ appetẽtis subinde nouas formas. Sed omissa hac subtilitate, vtamur verbis

verbis Medicorum. Galenus & Hippocrates differẽtes de cauſſa mortis humanæ, quærunt cauſſam in quatuor primis qualitatibus, quæ inter ſe ſunt contrariæ, & bellum aſsiduum gerunt. Hæc pugna cõtrariarum qualitatum, non poteſt eſſe perpetua, ſed altera tandem vincitur ab altera, vt calor vincit frigus, frigus pellit calorem. In febribus calor vincit reliquas qualitates. In hydrope humor ſuperat reliquas qualitates. Hinc dicunt eſſe morbum & mortem: & rectè dicunt de cauſsis propinquis: ſed hoc ipſum quæritur, vnde oriatur talis infirmitas in tam præſtanti natura hominis, cùm quidem homo ad immortalitatem ſit conditus. Sic quæritur in doctrina Eccleſiæ, vnde ſit in mente tantum errorum & tenebrarum, de hac cauſſa nihil dicunt philoſophi. Deus has tantas res Eccleſiæ patefecit, vt teſtatur Moyſes Geneſ. 3. Ibi eſt fons & ſedes materiæ, vt loquuntur Iuriſconſulti.

Fatum eſſe] Cicero in 2 lib. de diuinat. Fatum id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id eſt, ordinem ſeriémque cauſſarum, cum cauſſa cauſſæ nexa, rem ex ſe gignat, ea eſt ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna. Item eodem libro: Fatum eſt cauſſa æterna rerum, cur & ea quæ præterierunt, facta ſint, & quæ inſtant, fiant, & quæ ſequuntur, futura ſint. In hac definitione fati Stoici, ſunt duo errores. Prior de neceſſaria & immutabili connexione cauſſæ primæ cum cauſsis ſecundis, id eſt, creaturis. Secundus error de copulatione neceſſaria & immutabili voluntatis humanæ cum cauſsis phyſicis, id eſt, cum temperamentis & obiectis. Primo errori tria argumenta opponẽda ſunt. Primum, verbum Dei expreſſum, quod teſtatur, Deum eſſe liberum agens, vt pſal. 115 dicitur: Omnia quæcunque voluit Deus, fecit. Secundum complectitur miracula, quæ ſunt reales refutationes Stoici fati, & teſtimonia de libertate Dei. Si enim Deus alligatus eſſet cauſsis ſecundis, non poſſet facere miracula extra ordinem naturæ. Tertium argumentum eſt precatio Eccleſiæ & ſingulorum piorum in Eccleſia. Si enim omnes euentus eſſent immutabiles, inanis eſſet noſtra precatio.

Secundo errori opponatur teſtimonium experientiæ. Eſt enim Sophiſticum negare manifeſtam experiẽtiam, quæ teſtatur, voluntatem poſſe repugnare vitioſis inclinationibus temperamenti, & illecebris obiectorum, vt Alexãder Magnus, etſi erat iuuenis, & haud

dubiè sentiebat flammas libidinis, tamen abstinet à Gynæceo Darij.

Ex Stoica doctrina] Ex Stoicis deliramentis. quare dicit corrupta philosophia? Ne quis dicat philosophiam esse materiam omnium hæresium, sicut multi insulsè vociferantur. Id quidem verum est de corrupta philosophia, nõ de ipsa philosophia per sese. Nam philosophia vera est doctrina certa, quæ habet demõstrationes, non significat furores Epicureos & deliramenta Stoica, & præstigias dubitationum Academicarum. Hæ præstigiæ & hæc sophismata longè remoueantur à vera philosophia. Errata hominum non sunt ascribenda artibus.

Manichæi] Tempore Aureliani duæ Furiæ simul ex inferis emissæ sunt ad turbandam Ecclesiam: Samosatenus, similis blandæ meretriculæ, quæ habet medicamenta fucati candoris & ruboris. Et Manes non dissimilis Empusæ, seu spectro ostendenti varias formas. Historiam verò de Manichæis legant studiosi in Epiphanio refutante Manichæos multis paginis. Et apud Nicephorum lib. 6, cap. 21 & 32.

Est autem piæ mentis] Regula studiorum verè aurea: Omnis sermo humanus debet esse verecundus, neque vllum est maius ornamẽtum, quàm verecundia, quæ non despicit aliorum iudicia, sed ea reuereretur, & auditoribus plura tribuit, quàm sibi ipsi. Sed qualis debet esse sermo in rebus diuinis? Respondeo. In sermone de rebus diuinis, non tantùm sit verecundia, sed etiam reuerentia.

Reuerenter] Seneca lib. 7 natural. quæst. Aristoteles dixit, nunquam nos verecundiores esse debere, quàm cum de Deo disputamus, & diligenter cauendum esse, ne quid temerè, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur.

Grauibus iudiciis] In definitione virtutis Aristotelicæ dicitur, Virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens, quo ad nos, secundum rectam rationem, vt sapiens iudicat. Quia regula nostri iudicij non debet esse imaginatio, opinio & applausus vulgi, sed eruditorum artificum sententia, quia artifices, vt Plato inquit, sursum ac deorsum materias rerum euolutas penitus perspexerunt. Talia iudicia sunt longè certiora,

tiora, quàm imperitorum, qui adhuc per transennam, id est, per inuolucra & integumentares aspiciunt.

Tria sunt ἀμυντήρια Ecclesiæ. I, cognitio doctrinæ à Deo traditæ. I I, pia precatio. I I I, consensus iudiciorum in vera Ecclesia. Sicut Petrus Act. 10 in domo Cornelij allegat consensum omnium Prophetarum, inquiens: Huic Christo omnes Prophetæ testimoniũ perhibent. Ita post verbum Dei nihil nos magis confirmat & munit contra furorem Diaboli, quàm consensus piorum & doctorum in Ecclesia, quales multi fuerunt post Apostolos, in Græca & Latina lingua, quorum monumentis & fragmentis suauiter erudimur & confirmamur.

Vtiles moribus] Illa philosophia est maximè approbanda, quæ habet vsum in vita humana: ita in Ecclesia illa doctrina est probanda, quæ habet vsum in docendo, consolando & exhortando, vt Paulus dicit ad Timotheum: Sis assiduus in doctrina & consolatione. Et Roman. 15: Quæcunque scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Potes igitur facilè probare, an dogma sit rectum an curuum, quando consideras applicationem ad vsum. Regnum Dei non consistit in sermone, id est, rixis disputationum, sed in virtute, id est, in vero timore, fide, inuocatione & patientia &c.

Hactenus audiuimus exordium tituli de caussa peccati, quod sumitur ex antitheti doctrinarum philosophiæ & doctrinæ Christianæ. Hac antitheti perpetuò nobis vtendum est in Ecclesia, vt intelligamus quid interfit inter iudicium rationis humanæ sine Spiritu sancto, & sapientiam Ecclesiæ propriam. Post exordium sequitur principalis propositio. Nam exordio proximè adiungenda est, & quasi annectenda propositio principalis, continens statum seu summam totius negotij. Audiamus igitur hãc propositionem. Estq; hæc vera sententia vtraque manu & veriùs toto pectore tenenda. Vtraq; manu amplecti, est, auidè aliquam rem arripere, & in ea acquiescere.

Horribiliter irasci peccato] Aristoteles in politicis citat versum ex Euripide, qui proponit regulam in docendo maximè necessariam. Non dicas plausibilia & ad ostentationem comparata, sed salutaria Reipublicæ & patriæ. Hunc versum ideo repeto, ne quis à lectione huius propositionis ab-

alienetur propter ſimplicem & molliſsimam formam orationis. Etſi enim in his verbis nihil eſt κόμμοτον, præ ſe ferens aliquam magnificentiam, tamen hæc ipſa ſimplicitas eſt veriſsima & ſalutaris piis mentibus. Poſſunt autem ſigna iræ Dei aduerſus peccatũ multa colligi, ſed nunc tribus præcipuis contenti ſimus, quorum primum eſt vox Legis diuinæ, quæ non eſt inanis ſonitus, vt multi ſecuri putant, ſed in veris pauoribus conſcientiæ, eſt eloquentia tonans ac fulgurans, ſiue vt Prophetæ loquuntur, ignis conſumens, & malleus conterens petras. Quis enim non obhorreſcat, audito hoc fulmine? Maledictus omnis, qui non ſeruat omnia ſcripta in libro Legis, Deuter. 27. Galat. 3. Alterum ſignum ſumitur ab exemplis pœnarum, cuiuſmodi ſunt abiectio Diabolorum in æternos cruciatus: pœna primi lapſus in genere humano, quæ eſt longa tela peccatorum & miſeriarum, vniuerſale diluuium, cõflagratio quinque ciuitatũ, excidium vrbis Hieroſolymæ, Carthaginis, Romæ, & aliarum potentiſsimarum vrbium. De his exemplis pœnarum legatur ſecundum caput poſterioris epiſt. Petri. Tertium ſignum, quod longè ſuperat omnes alios gradus, eſt mors Filij Dei. Cùm autem tota rerum natura mota ſit, pendente hoc Domino in cruce, accuſemus noſtram duriciem & ſtuporem, quòd non afficimur tantæ rei conſideratione. Eſt enim mors Filij Dei ſpeculum monſtrans vtrumque, ingentem iram Dei, & immenſam miſericordiam Dei.

Etiamſi non poſſumus omnia]

Plutarchus in vita Pelopidæ narrat, apud Græcos fuiſſe legem militarem, qua notabatur infamia is, qui abiecerat clypeum, non is qui abiecerat gladium: & addit rationem legis, quia potior debet eſſe cura defenſionis, quàm offenſionis. Hæc lex rectè accommodatur ad diſputationes, quarum debet eſſe aliquis modus.

Duo ſunt genera armorum, tegumenta & tela. Græcè φυλακτήρια & ἀμυντήρια. Lex igitur militaris apud Græcos, notabat infamia abiicientem φυλακτήριον, abſoluebat autem fugientem abiecto gladio, qui eſt ἀμυντήριον. Hæc Lex ſignificat, teſte Plutarcho, maiorem eſſe habẽdam rationẽ defendendi, quàm lædendi: ſic in diſputationibus magis debemus elaborare in confirmanda vera ſententia, quàm refutanda contraria, quia Sophiſtica eſt infinita, & vnus fatuus poteſt plura cõſtruere

&

dicintricare, quàm decem ſapientes deſtruere. Multa argumenta non aliter poſſunt ſolui, quàm vt Alexander nodum Gordium diſſecuit: ita in articulo de iuſtificatione, neceſſe eſt nos contentos eſſe dicto Pauli: Fide iuſtificamur, etſi non ad omnia poſſumus reſpondere, quæ obiiciuntur.

Odit peccatum] Pſalm. 11: Diligentem iniquitatem odit anima ipſius. Quare dicit anima ipſius? vt diſcernat ἀναίσχυντον à ſimulatione, nō enim cadit in Deum ſimulatio, ſed in Deo omnia ſunt ἀναιδέστατα, id eſt, ſeria. 5.

Diabolus eſt pater mēdacij] id eſt, fons & principium mendacij. Eſt figurata prædicatio, non enim eſt res poſitiua mendacium.

Angeli à Deo creati ſunt] Pſalm. 104: Qui facis angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos flammam ignis.

Quorum aliqui poſtea lapſi ſunt] De lapſu angelorum teneantur hæc teſtimonia Lucæ 10: Vidi, inquit Chriſtus, Satanā ſicut fulgur è cælo [*ex ſede beata*] cadentem. Iohan. 8. Diabolus in veritate non ſtetit [*perſeuerauit*] 2 Petri 2: Si Deus angelis peccantibus non pepercit, quantò minùs nobis parcet? Etſi autem de cauſſa impulſiua huius lapſus nihil expreſsè ſcriptum eſt in ſacris literis, tamē conſentaneum eſt, ſuperbiā fuiſſe cauſſam, qua Diabolus contēſit Filium Dei, cuius humilitas maior eſt, quàm omnium angelorum & hominum.

Sed omiſſa diſputatione de cauſſa lapſus Diabolorum, hoc teneamus, quod certò traditum eſt, in pœna Diabolorum propoſitū eſſe exemplū horrendæ & iuſtiſsimę iræ Dei aduerſus angelorum & hominum peccata, qua de re præclarè dixit Auguſtinus tract. 95 in Iohannem: Metuant homines futurum iudicium, ne

Solus Filius Dei verè nouit Patrem, ideo etiam magis infra Patrem ſe abiicit vera reuerentia & ſubiectione, quàm omnes creaturæ. Propter hanc humilitatem & reuerētiam Filij, erga Patrem, cōſentaneum eſt, Diabolum ſibi placentem, præ ſe contemſiſſe Filium Dei. Hæc eſt coniectura Philippi, Lutheri, Bernhardi & aliorum.

cum mundi principe damnentur. Etenim ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superborum terrenda est supplicio angelorum.

Non est domino suo maior seruus. Si igitur princeps mundi damnatus est iusto Dei iudicio, quantò minùs parcet Deus mancipiis & seruis Diaboli?

Sicut ipse Filius Dei est verè humilis: ita etiam angeli boni perseuerantes in iustitia donata, imitantur exemplum Filij Dei. Sunt enim & ipsi humiles atque modesti, & cùm sint multò præstantiores nobis, tamen seruiunt nobis, iuxta dictum Hebr. 1. Angeli sunt ministratorij Spiritus, qui mittuntur à Deo ad Ecclesiam propter eos, qui sunt hæredes æternæ salutis.

Velle peccatum] Quia cùm Deus sit verax, non sunt in Deo voluntates contradictoriæ. Affirmat autem Deus se non velle peccatum. Ergo certissimum est, non esse in Deo contrariam voluntatem approbatricem peccati, nimirum in quantum nihil aliud est quàm peccatum.

De Spartanis inquit apud Euripidem generosa mulier Andromache: O dolosi homines, aliud sentiêtes, & aliud loquêtes, malè pereatis. De Sophistis hoc verum est, & de omni insidiosa simulatione. Sic Diabolus comica facie agit tragœdiam. Quàm blandus est aduersus Euam! Sed longè aliud dicit, & aliud sentit.

Mundus] Non significat substantiam, id est, seriem corporum cælestium & inferiorum arte distributorum, sed significat ἀταξίαν naturæ Diabolicæ & humanæ.

Qui facit peccatum scilicet contra conscientiam. Aliud enim est habere peccatum, & aliud facere peccatum. Omnes sancti in hac vita habent peccatũ, propter quod recitant precationem: Remitte nobis debita nostra. Et psalm. 32: Pro hoc [*scilicet peccato*] orabit ad te omnis sanctus tempore opportuno, sed sancti donec manẽt tales, non faciunt peccatum, sed militant bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam. Quòd autem hæc sit natiua interpretatio dicti Iohannis, ostendit tota series concionis, in qua fit mentiò Diaboli & Cain, qui lapsi sunt contra conscientiam.

Per hominem intrauit] Quare vtitur Paulus hac metaphora?

taphora? Quia primus lapsus est ianua omnium scelerum & miseriarum in tota posteritate, & mirum est, Adamum potuisse tam diu viuere, & sustinere recordationem tanti lapsus, qui non erat priuatum malum, sed publicum, vagans per omnem posteritatem. Sed haud dubiè Deus eum erexit alloquio suo familiari & angelorum, & aliis modis, alioquin non potuisset viuere vnum diem.

Propagauit in posteritatem] Augustinus lib. 13 de ciuitate Dei, cap. 14: Deus creauit hominem rectum naturarum [*scilicet substantiarum*] autor non vitiorum [*scilicet peccatorum*] sed spōte deprauatus iustéque damnatus [*scilicet homo*] deprauatos damnatósque generauit. Omnes enim fuimus in illo vno velut in radice corrupta.

Sponte] fine coactione, nemine impellente, nemine vrgente & cogente, voluntas propria non potest cogi.

Deprauatos damnatosque] Differunt deprauatio & damnatio. Deprauatio est ipse morbus hærens in natura, id est, peccatum originis. Damnatio est reatus, obligatio ad æternas pœnas. Cōplectitur igitur Augustinus vtrumq; materiale & formale, id est, vitium & reatū. Quod Augustinus dicit: Omnes enim fuimus in illo &c. Hoc declarabo vnico exēplo, quod extat Hebr. 7. In Genesi cap. 14 scribitur: Abraham post victoriā aduersus quinque reges potentissimos, qui abduxerant Loth & reliquos ciues, congressum fuisse cum Melchisedech, id est, Sem, filio Noe, qui tunc erat Sacerdos & gubernator Ecclesiæ. Huic Sacerdoti dedit Abraham decimas omnium spoliorum, reliquas verò partes dedit ciuibus Sodomiticis. Ex hoc loco de decimis sic ratiocinatur epistola ad Hebræos. Ille, cui dantur decimæ, est maior, minor verò, qui soluit decimas, quia omnis pensio est quædam confessio subiectionis & seruitutis: constat autem Abraham dedisse decimas Melchisedech. Ergo Abraham fuit minor Melchisedech. Non autem solus Abraham pro sua persona dedit decimas Melchisedech regi & Sacerdoti, sed etiam pro omni sua posteritate, in qua etiam numeratur tribus Leuitica, quæ tunc erat in lumbis Abrahæ. Summa hæc est: Pater Abraham dans decimas Melchisedech, decimauit suam totam posteritatem, & in hac tribum Leuiticam. Si igitur ipse pater Abraham ipso facto ostendit se esse minorem quàm Melchi-

ſedech, ſequitur etiam Leuiticam tribum minorem eſſe Melchiſedech, quia nunquam filius maior eſt Patre, reſpectu eiuſdem naturæ, ſicut igitur tribus Leui decimata eſt, cùm adhuc eſſet in lumbis Abrahæ: ita nos omnes ſumus deprauati & damnati in lumbis Adæ.

Nec figuræ illæ] Eſt puerilis obiectio, Verba actiua ſignificant actionem. Deus dicit: Ego indurabo cor Pharaonis. Ergo Deus efficaciter Pharaonem impellit ad peccatum. Reſpondeo. Non valet huius argumenti conſequentia, quia alia phraſis eſt linguæ Latinæ, alia ſermonis Hebraici. Sæpe ſermo diuinus congruit cum humano ſermone, ſed interdum conſiderandum eſt diſcrimen inter ſermonem diuinum & quotidianum. Nobis in lingua Latina, verba actiua ſignificant actionem, ſed apud Hebræos multa ſignificant permiſsionem, vt, Ne nos inducas in tentationem, id eſt, ne finas nos induci, 2 Cor. 6. Duplex eſt tentatio: vna à dextris, altera à ſiniſtris. Tentatio à dextris ſignificat impias illecebras, vt Ioſeph tentabatur à dextris, quando à ſua domina incitabatur ad adulterium. Tentatio à ſiniſtris ſignificat impia terriculamenta. Hoc modo tentati ſunt omnes martyres in ſuppliciis. Hoc igitur dicimus, Ne nos inducas in tentationem, id eſt, ne finas nos vinci ſpe, aut frangi metu. Spes & metus debilitant mentes hominum. Diabolus habet duas laruas ſeu facies, vnam comicam, alteram tragicam. Comica facies eſt tentatio à dextris, id eſt, blanda tentatio. Tragica facies eſt tentatio à ſiniſtris.

Præterea & moneri] Sequitur in textu declaratio ſententiæ, quæ docet, peccatum non eſſe rem poſitiuam, ſed priuatiuam, id eſt, eſſe defectum, ſeu ἀταξίαν. Ac de peccato originis facilis eſt declaratio, quod eſt partim ſpoliatio, partim ſauciatio. Nam natura eſt ſpoliata gratuitis donis, & ſauciata in naturalibus. De peccato actuali etſi declaratio videtur obſcurior & difficilior, cùm motus ſeu actio ſit quiddam poſitiuum: tamen ſi intueamur non modò externa facta, ſed etiã mentem gubernatricem actionum, quæ caret rectore Deo, facilis erit declaratio. Poſt hanc declarationem, ſequitur enarratio inſignis dicti, quod extat apud Ieremiã cap. 10: Scio, Domine, quòd nõ eſt hominis via eius, neque viri dirigere greſſus eius. Hoc dicto, quod continet doctrinam & conſolationem valde neceſſariam, aliqui abutuntur ad tollendam contingentiam, & ad defenſionem fati Stoici. Sed his præſtigiis & tenebris Stoicis relictis, audiemus in textu, quantũ boni

boni nobis in breui aphorismo Prophetæ, ad doctrinam & ad consolationem proponatur.

In mente tenebræ] Tenebræ sunt priuatio lucis. Ita in mente peccatum originis est caligo, id est, obscura notitia de Deo, & languida assensio de prouidentia & aliis rebus diuinis.

Assuefaciant se iuniores ad hanc diligentiam & methodum, vt in doctrina de peccato originis, ordine eant per potentias animæ præcipuas, id est, per mentem, voluntatem & cor.

In voluntate est auersio] Vnde hoc vocabulum est desumtum auersionis? voluntatis obiectum est bonum. Bonum autem duplex est, finitum & infinitū. Voluntas debet esse conuersa ad bonum infinitum, ad Deum, deinde suo ordine debet apperere bona finita, id est, reliquos gradus bonorum. Sicut igitur voluntas ante lapsum fuit conuersa ad Deum, tanquam ad primum & præcipuum obiectum, in vera fiducia, timore & dilectione: ita post lapsum eadem voluntas est auersa ab hoc summo & infinito bono contrariis affectibus, scilicet securitate, quæ pugnat cum timore Dei & diffidentia, quæ fugit & odit Deum, vt Paulus inquit Rom. 8: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum: Dicat aliquis: Quomodo homo potest odisse Deum? In rebus secundis non apparet hoc odium, sed in rebus aduersis, cùm impatientia & fremitus apparet, animaduerti potest, latuisse & tectum fuisse hoc odium Dei in natura humana, etiam in sanctissimis, vt Iob, Ieremia.

Et in corde] Quantum chaos affectuum errantium est in corde humano! Hanc confusionem describens Propheta Ieremias, cap. 17 inquit: Prauum est cor hominis, & ærumnosum, & inscrutabile. Prauum: quia habet inordinatos & errantes impetus contra Legem Dei. Aerumnosum: quia propter peccatum iustissimo ordine sentit lacerationem, cruciatus & multas miserias: tandem additur ἀδύνατον, & inscrutabile: quasi diceret, Quis enarrabit, quanta sit ἀταξία humani cordis, & quantæ miseriæ?

Seruat talem massam] Genes. 5. Adam genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, id est, qualis ipse erat post lapsum, talem ex se procreauit so-

bolem, quia effectus nunquam eſt præſtantior ſua cauſſa. In mente ante lapſum fuit lux ſeu ſapientia. Nunc eſt in mente caligo ſeu tenebræ. Deinde ante lapſum in voluntate fuit conuerſio ad Deum, nunc voluntas eſt auerſa à Deo, & conuerſa ac defixa in has ſordes rerum humanarum. Tertiò, in corde ante lapſum fuit pulcerrimus ordo affectuum congruens cum Lege Dei. Nunc autem eſt in corde ἀταξία, id eſt, confuſio & perturbatio omnium affectuum, etiam σοφοὶ non rectè reguntur. Nemo non magis amat ſuos liberos, quàm Deum, ſine luce Spiritus ſancti.

Naturæ vulnus] Non paruæ cauſſæ ſunt, cur Filius Dei aſſumſerit humanam naturam, non leuis morbus eſt, nec medicus aſpernandus. Vnde poteſt aliquo modo æſtimari magnitudo peccati originis? Magnitudo peccati originalis æſtimari poteſt ex tribus ſignis. I, Ex magnitudine pœnarum, quæ vagantur per totum genus humanum. II, Ex lapſibus ſanctorum iudicari poteſt, quantum malum ſit peccatum originis, vt ex lapſu Aaronis, Dauidis & Salomonis. III, Sed omniũ maximum ſignum eſt magnitudo remedij, iuxta aphoriſmum Hippocratis: Extremis morbis extrema remedia opponenda ſunt. Si potuiſſent vulnera noſtra ſanari ope angelorum aut hominum, Deus pepercisſet ſuo Filio vnigenito. Sed quoniam nec ab angelis, nec ab hominibus potuit fieri reſtitutio in integrum, ideo Deus miſit Filium ſuum vnigenitum natum ex muliere.

Cauillatio diluatur] Deus non iraſcitur propter nihil. Peccatum eſt nihil, id eſt, non eſt res condita. Ergo Deus non iraſcitur propter peccatum. Nego conſequentiam, eſt fallacia æquiuocationis. In Maiore ſignificat nihil negatiuum, in Minore ſignificat nihil priuatiuum. Differunt autem negatio & priuatio. Negatio ſignificat talem interitum, vbi nec ſubiectum reliquum eſt, vt Bucephalus iam eſt nihil negatiuè. Sed priuatio eſt deſtructio bonæ rei in ſubiecto, quod reliquum eſt. Omnis priuatio eſt in aliquo ſubiecto, vt cæcitas eſt in oculo, ſurditas in auribus. Sic peccatum eſt in aliquo ſubiecto, id eſt, in natura Diabolica & humana.

Res poſitiua] id eſt, res à Deo condita. Quãdo olla eſt rimoſa, abiicitur. Olla eſt ſubiectum, rima priuatio.

Confu-

Confuſio] qualitatum.

Non ſolùm facta, ſed mentem regentem facta] Sic in mente Cain eſt dubitatio de prouidentia & de pœna, & voluntas ſine rectore Deo. Quanquam igitur motus voluntatis & membrorum eſt res poſitiua, tamẽ in eo motu eſt auerſio à Deo. Quare nõ tantùm intueamur externum motum, ſed mentem & voluntatem, quæ propriè eſt ſubiectum peccati. Cogitemus nos eſſe nauiculam, Deum eſſe gubernatorem, Sathanam impellentem ad peccata, eſſe ventos & procellas.

Conſtituta hac ſententia] Poſtquam fundamenta ſunt iacta, quòd Deus non ſit cauſſa peccati, iam procedit ex hypotheſi iuxta regulam: Quidquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ, ſequitur & ad antecedens.

Contingentiam eſſe] Contingens opponitur neceſſario & impoſsibili. Quidquid igitur eſt contingens, neque eſt impoſsibile, neque eſt neceſſarium, ſed habet cauſſam, quæ poterat aliter agere. Differunt poſſe non peccare, & nõ poſſe peccare. Sicut Auguſtinus inquit: Adam ante lapſum potuit non peccare, id eſt, lapſus fuit contingens, id eſt, neque neceſſarius, neque impoſsibilis. In vita æterna non poterimus peccare, id eſt, lapſus erit impoſsibilis. Sicut iam angeli non poſſunt peccare, quia ſunt confirmati in ſua bonitate, his erimus ſimiles. Ideo dicit pſalmus 116: Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. 1, Quia eripuit animam meam ex morte. 2, oculos à lacrymis. 3, pedes meos à lapſu. 4, ambulabo coram Domino in terris viuentium. Donec ſumus in hac vita, ſemper poterimus peccare, errare, labi, hallucinari, ſed in vita æterna erimus ſecuri, immunes à peccato, vt Cyprianus inquit, in ſerm. de mortal. Hoc commodum præſtat mors homini Chriſtiano, quòd ex periculis peccandi, in non peccandi ſecuritatem eum reſtituit.

Sequitur aliquam eſſe contingentiam] Quot ſunt cauſſæ contingentiæ? Tres ſunt cauſſæ ſeu fontes contingẽtiæ. 1, Libertas in Deo. 2, Libertas in angelis & hominibus. 3, Fluxus materiæ. Sicut materia eſt in continuo fluxu, vt Plato inquit, ita noſtra vita eſt in continuo fluxu, ſicut Luna creſcit & decreſcit.

Lex eſt pædagogus] Galat. 3: Officia pædagogi ſunt

duo. Vnum docere: alterum, tempestiuè castigare. Ita Lex partim docet nos, partim coercet, & duriter castigat.

Ieremiæ 10] Quare Deus assiduè est inuocandus? audi rationem. Scio Domine, quòd nõ est hominis via eius, nec est viri dirigere gressus suos. Inde est versiculus præceptoris: Nulla venit nobis, te nisi dãte salus.

Aliud est loqui de euentu] Aliud est consilium, aliud euentus. Consilium est aliquo modo in nostra potestate, euentus regitur à Deo, vnde dicitur: Homo proponit, Deus disponit.

Via hominis] Nouit Dominus viam iustorum, id est, vocationem piorum Deus approbat, adiuuat & defendit.

Errat Iosias] Iosias fuit sanctus Princeps & sapiens, & bene meritus de Ecclesia, sed in postremo vitæ actu hallucinatus est, quia nullus sanctus est ἀναμάρτητος, id est, sine peccato, seu expers peccati. Etsi igitur rex Aegyptius Necus promittebat pacem Iosiæ, tamen Iosias non potuit quiescere, sed putauit sibi gloriosum esse suscipere bella aduersus tam potentem regem, putauit se semper fore feliçem, sicut antea felix fuerat, dum stetit in vocatione, sed Deus dat felices successus in vocatione, & in rebus necessariis. Non dat Deus felicitatem in actionibus non necessariis, susceptis quadam πολυπραγμοσύνη. Sic Dauid peccauit, numerans populum.

Cicero exclamat] In epistola postrema ad Octauium Augustum Imperatorem; O me nunquam sapientem. Theognis: ὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἄπαντα σοφὸς. nemo vbique hominum sapiens. Sic Simonides: ἁμαρτάνει καὶ σοφῶν σοφώτερος. Hæ querelæ docent, exiguam esse sapientiam in hominibus.

Vnus lapsus sæpe ingentem ruinam] Quanta Ilias malorum secuta est lapsum primorum parentum? quanta mala secuta sunt idolatriam Salomonis? quæ peperit bella ciuilia inter domũ Iudam & domum Beniamin, & mutationẽ religionis. Cùm igitur Diabolus texat longam telam peccatorum, scandalorum & pœnarum, simus

mus diligentiores in vitandis lapſibus, quia veriſimè dictum eſt, nullum peccatum ſolum eſſe, ſed vni multa implicata eſſe.

Inſigne dictum eſt Ariſtotelis: Vno inconuenienti dato, multa ſequuntur: ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος πολλὰ συμβαίνει. Nulla virtus ſola, ſic nullum vitium ſolum. Credo vos legiſſe epiſtolam Ciceronis ad Octauium poſtremam, in qua & hoc habetur: Sæpe optimè cogitata peſsimè cadunt, id eſt, non ſemper reſpondent bonis conſiliis optati euentus. Bella non procedunt iuxta dicta, id eſt, ſecundum conſilium, & cogitationes eorum, qui bella gerunt.

In bonis cauſsis] Sæpe Deus punit homines propter priora delicta, etiãſi in præſenti negotio iuſtam cauſſam habent, vt oſtendit exemplum vndecim tribuum, gerentium bellum iuſtiſsimum aduerſus tribum Beniamin, Iudicum 19 & 20.

Quidam petulantes in tribu Beniamin rapuerant, & ſaluo honore, ſtuprauerant vxorem Leuitæ, facientis iter per tribum Beniamin. Cùm igitur ad pœnam authores tanti ſceleris peterentur, noluerunt magiſtratus illius loci ea facere, quæ in tali delicto puniendo, decent gubernatores. Itaque vndecim tribus coactis maximis copiis, & quidem Deo mandante hanc executionem pœnæ, intulerunt fratribus ſuis Beniamitis bella. Etſi autem cauſſa decem tribuũ erat iuſtiſsima, quia erat legitimum bellum aduerſus notoriam iniuriam: tamen in primo & ſecundo prælio multa millia cæſa ſunt in exercitu vndecim tribuum. Quærat aliquis hoc loco, Cur Deus puniuit gerentes bellum iuſtum & neceſſarium, & ab ipſo Deo mandatum? Reſpondeo. Habuerunt quidem in hoc negotio vndecim tribus iuſtam cauſſam, ſed propter alia peccata priora punitæ ſunt, tandem verò exitus huius belli congruit cum iuſtitia, quia in poſtremo prælio tota tribus Beniamin deleta eſt, exceptis 500, quibus tanquam ſupplicibus Deus iuſsit parci, vt eſſent ſeminaria huius tribus. Voluit enim Deus tribus eſſe diſtinctas, vt ſciretur, ex qua tribu Meſsias venturus & naſciturus eſſet.

Omnia ſunt hominũ tenui] non tantùm tenui, ſed etiam putri filo.

Summos è ſuo faſtigio eiiciunt] Seneca in Agamemnone:
Non ſic Lybicis Syrtibus æquor
Furit alternos voluere fluctus.

Non Euxini turget ab imis
Commota vadis vnda niuali vicina polo, arctico.
Vbi cæruleis immunis aquis,
Lucida verſat plauſtra Botes, Arctophylax.
Vt præcipites regum caſus fortuna rotat.

Dictum Simonidis de inconſtantia hominum: Facilior eſt hominis mutatio, quàm muſcæ, quantumuis celeriter volantis. Senecæ: Omnia humana eiuſdem ſortis atque conditionis ſunt, & quæ hactenus non ſunt mota, adhuc ſunt mobilia. Sunt regulæ inſignes de modeſtia & vitanda πολυπραγμοσύνη.

Non vos eſtis] Matth. 10. Nos volẽtes loquimur, & tamen Spiritus loquitur in nobis.

Non relinquam vos orphanos] Iohan. 14: Eccleſia in hac vita eſt orphana & vidua, & non habet tutorem, niſi Filium Dei Mediatorem, qui ideo venit vt ſit noſter medicus, tutor, patronus, aduocatus.

A Domino greſſus hominis dirigentur] Pſalm. 37: Hic pſalmus eſt conſolatio oppoſita ſcandalo crucis piorum, & felicitatis impiorum. Deinde eſt regula vitæ. Fac neceſſaria, & pete auxilium diuinum, & commenda Deo exitus. Neceſſaria: id eſt: mandata à Deo, congruentia vocationi. Deinde pete auxilium: quia nos ſoli non poſſumus ſuſtinere molem negotiorum: ideo inquit pſalmus, Subditus eſto Deo in vocatione & ærumnis, & in vita publica & priuata, & ora eum, & ipſe faciet.

Non poteſt ſibi homo ſumere quicquam] Eſt politicum & Eccleſiaſticum dictum, id eſt, vt dominus Præceptor piæ memoriæ ſolebat dicere: Wers glück hat/ führt die braut heim.

Pompeius, Brutus] Hæc exempla monent, quàm neceſſaria ſit diligentia, videre metas officij, nec extra has vagari, nec appetere maiora, ad quæ Deus non vocat.

Hæc

Hæc regula traditur à Paulo 1 Theſſal. 4: In hac re ſitis ambitioſi, vt agatis propria, id eſt, congruentia vocationi, & ſitis tranquilli, id eſt, modeſti. Si potuiſſent quieſcere Pompeius, Brutus & Antonius, fuiſſent in hac vita beati (loquimur autem de beatitudine politica) ſed quia peccauerunt πολυπραγμοσύνῃ, mouerunt bella non neceſſaria, tantùm ambitione quadam, ideo Deus non adiuuit eos, ſed deſpondit imperium Auguſto.

Vt ſimus organa Dei ſalutaria] Vaſa ſunt duplicia, alia ſunt iræ, alia miſericordiæ. Hæc diſtinctio traditur à Paulo Rom. 9: Totum genus humanum eſt diſtributum in duas claſſes. vna claſsis complectitur vaſa miſericordiæ, id eſt, viua membra Eccleſiæ, quæ reguntur à Spiritu ſancto, & faciunt Deo grata, & aliis ac ſuæ animæ ſalutaria. Talia organa fuerunt Apoſtoli, Prophetæ, martyres, & omnes ſancti ab initio. Altera claſsis continet vaſa iræ, id eſt, peſtes humani generis, vt ſunt omnes Tyranni & hæretici. Tyranni, vt Pharao & Nero. Hæretici, Manes & alij.

Qui facit omnia ſecũdum] ſcilicet bona & ſalutaria in Eccleſia. vniuerſales ſæpe reſtringẽdæ ſunt ad certam ſpeciem.

De ſalutaribus actionibus] Verba ſunt intelligenda de ſubiecta materia.

Non humanis conſiliis, ſed] Pſal. 4: Dominus mirificat, id eſt, mirabiliter regit, defẽdit, ſeruat ſanctum ſuum, id eſt, Eccleſiam ſuam. Nam quod de vno ſancto verum eſt, hoc etiam de toto corpore verum eſt. Eſaiæ 9: Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & vocabitur nomẽ eius admirabilis, ſcilicet non tãtùm propter copulationem duarum naturarum in Chriſto, diuinæ & humanæ, ſed etiam propter officium & propter mirandam gubernationem & defenſionem Eccleſiæ. Item Oſeæ 1: Saluabo eos non in gladio, ſed in Domino Deo ipſorum.

Dirige me in veritate] pſalm. 25 eſt precatio pro remiſsione peccatorum, & pro diuina gubernatione. Petit enim Dauid eo in pſalmo à Deo gratiam & donum per gratiam. Gratia ſignificat remiſsionem peccatorum. Donum per gratiam ſignificat donum Spiritus ſancti, qui eſt gubernator noſtræ mentis, voluntatis & cordis.

Neceſsitate abſoluta] Quatuor ſunt gradus neceſſitatis. Primus gradus eſt neceſſitas abſoluta, cuius oppoſitum eſt ſimpliciter impoſsibile. 2, Eſt neceſsitas definitionum & demonſtrationum, cuius oppoſitum eſt implicatio contradictionis, id eſt, eſt manifeſtum mendacium. 3, Eſt neceſsitas phyſica, quæ eſt ordo naturæ eodem modo ſe habens, qui tamen à Deo mutari poteſt. Sol quotidie oritur & occidit neceſsitate phyſica, ſed Deus poteſt ſiſtere Solem, vt fecit in pugna Ioſuæ & Ezechiæ. 4, Neceſsitas conſequentiæ, quæ eſt earum rerum aut propoſitionum, quæ poſſunt ſe ſua natura aliter habere, ſed fiunt neceſſariæ, vel propter præcedentes cauſſas, vt oportet hæreſes & ſcandala eſſe in Eccleſia, quia cauſſæ hæreſium & ſcandalorum, videlicet furor & odium Diaboli, & petulantia humanorũ ingeniorũ ſemper præſtò ſunt. 2, quia vel determinatæ ſunt, vt mortui reſuſcitabũtur, quia Deus decreuit ſe reſuſcitaturum eſſe mortuos, & adducturum in iudicium. 3, vel quia cùm fiunt, contradictoriæ ſimul veræ eſſe non poſſunt, iuxta dictum Ariſtotelis περὶ ἑρμηνείας: Omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Nunc neceſſe eſt nos eſſe in hoc cœtu Scholaſtico, quia non ſumus alibi: ſumus hîc, non in foro. Si ergo diceres, nos iam eſſe in foro, implicares te contradictioni.

Quomodo enim inuocabit Deum is?] Precatio piorum eſt optima & firmiſsima refutatio fati Stoici.

Deinde & moribus perniciosum] Ariſtoteles περὶ ἑρμηνείας, id eſt, de propoſitione: Si omnia fiunt neceſſariò, nihil loci relictum eſt deliberationi & diligentiæ humanæ.

Adiiciam explicationem vſitati argumenti] Cauſſa ſecunda non agit ſine prima. Cauſſa ſecunda peccat, vt Eua. Ergo & prima cauſſa videtur velle & adiuuare peccatum. Reſpondeo ad Maiorem: Cauſſa ſecunda non agit ſine prima, ſcilicet vel ſuſtentãte vel adiuuãte. Deus ſuſtentat Euam peccantem, ſed non adiuuat: Dauidem præliantem pro populo Dei, Deus non tantùm ſuſtentat, ſed etiam adiuuat in bonis actionibus. Hæc eſt craſſa & popularis refutatio. Reſpondent alij ſic: Deus adiuuat actiones poſitiuas, ſed nõ adiuuat actiones priuatiuas, id eſt, adiuuat naturam ordine agentem, non adiuuat peccantem, quia peccatum eſt priuatio.

Studioſis

Studioſis in Academia Lipſica

S. D.

MVLTA ſunt bona, quæ mentem bonam delectare poſſunt, aſsiduè verſantem in lectione Xenophontis, cuius voce Muſas quaſi locutas ferunt. Sed haud ſcio, an vlla extet Xenophontis narratio dulcior, & ad id quod nunc nobis propoſitum eſt, accommodatior, quàm illa, in quarto libro dictorum Socratis, in qua Hippias Socratem reprehendit & exagitat, notas & vſitatas ſentẽtias repetentem. Adhuc, inquit, eadem illa dicis, quæ ante multos annos te dicentem audiebamus? Ego verò, inquit Socrates, non ſolùm eadem crebris ſermonibus repeto, ſed etiam eodem modo: Tu fortaſsis, quia eximiam & ſingularem ſapientiam conſecutus es, de eiſdem non dicis eadem. Ibi Hippias audaciùs exultans: Præcipuè, inquit, in hanc curam incumbo, vt aliquid afferam noui, inauditi, & inuſitati. Tales Hippiæ faſtidientes vſitatam doctrinam, & noua ac prodigioſa dogmata ſuſpicientes & admirantes, omnibus temporibus ſunt & erunt in philoſophia, & in doctrina Eccleſiæ. Quæ enim alia cauſſa impulit Epicureos & Stoicos, vt doctrinam rectè ab Ariſtotele explicatam mutarent, niſi hæc peruerſitas ingeniorum, qua mauult quiſque autor eſſe ſuæ ſententiæ, quàm aſſertor alienæ? Eadem Furia ex inferis emiſſa, plura & maiora detrimenta Eccleſiæ importare ſolet, quàm quæ æſtimari poſsint. Quis enim ignorat, quantæ tenebræ per Origenem in Eccleſiam inuectæ ſint, dum ineptus homo, ne quid aſperius dicam, omnes partes, atque omnia membra Scripturæ diuinitus traditæ, in allegorias transformare conatur? Sed quid ego vetera conquiram, cùm mihi liceat vti præſentibus exemplis, atq; viuis? Scimus, Reuerendum virum, & de Eccleſia Chriſti optimè meritum D. Philippum Melanthonem ſcripſiſſe Locos Theologicos, teſtimonio & iudicio omnium piorum & doctorum valde probatos, in quibus, vt alia omittam, rectè explicat doctrinam de libero arbitrio, repudiatis blaſphemiis Pelagianorum & Manichæorum. Quem,

admodum enim Pelagiani defendunt liberum arbitrium contra gratiam, nimium tribuentes ſpoliatæ & ſauciatæ naturæ: ita Manichæi omnino hominem ex homine tollunt, quia negantes liberum arbitrium, transformant hominem in pecudem, aut ſaxũ, aut truncum, aut quiduis generis eiuſdem. Sic igitur vir clariſſimus, & nunc in æterna conſuetudine Dei beatus, hanc diſputationem moderatus eſt, vt cõtrarias hyperbolas, quarum vna non minùs nocet Eccleſiæ, quàm altera, tanquam ſcopulos in mari vitaret. Neque verò dubium eſt, hanc ſententiam, quæ in Locis proponitur, congruere cum verbo Dei & cum experientia omnium piorum, & maximum vſum habere non ſolùm in conſolatione, ſed etiam in doctrina & exhortatione. Quid enim dices Franciſco Spiræ diſputanti an ſit electus? An hunc expectare iubebis raptus, & manere in dubitatione, donec vi cogatur credere? An verò deduces eum ad promiſsionem vniuerſalem, & ad ſummum & ſeueriſsimum mandatum, quod præcipit, vt omnes Euangelium audiant, & ſe ſuſtententent cogitatione Euangelij, & repugnantes dubitationi, confugiant ad Filium Dei aſsidua inuocatione: Cõuerte me, Domine, & conuertar: Credo, Domine, ſed opem fer imbecillitati meæ? Hæc in ipſis fluctibus tentationum, in quibus animæ ſalus periclitatur, meliùs diſcuntur, quàm in otioſis ſpeculationibus. Sed contra hanc veram, certam, planam & perſpicuam ſententiam, quæ ex his fundamentis extruitur: Venite ad me omnes &c. Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri &c: exorti ſunt noui doctores, tanquam gigantes ex terra nati, qui fingunt voluntatem humanam ſaxum eſſe, & hominem in conuerſione furere, & quaſi vinolentum bacchari, & frementi, atque aduerſa fronte repugnanti dari Spiritum ſanctum. Talia paradoxa nunquam approbaui, neque deinceps, Deo iuuante, approbaturus ſum: ſed in ea ſententia acquieſco, quam non ſolùm didici in Eccleſia & Academia VVitebergenſi ante annos viginti à præceptoribus, qui tunc erant præcipua lumina & columnæ Eccleſiæ amplectentis puram & incorruptã Euangelij doctrinam: ſed etiam pro mea mediocritate in aliquot Academiis publicè repetiui. Ac ſi neceſsitas poſtulabit editionem pagellarũ, quæ continent ſummam meæ confeſsionis de libero arbitrio, in

ſcholis

ſcholis aliquoties repetitam, tantum abeſt vt lucem fugiam, vt illarum editioni adiuncturus ſim veram narrationem de initiis & incrementis diſsidij, quod inter me & Flacium extitit, & de vniuerſa diſputatione, quæ ſic eſt typis expreſſa, vt me tacente, res ipſa loquatur, qua fide, & quo candore Flaciani hanc tragœdiam agãt. Sed volens abrumpo querelam plenam iuſti doloris, & eos, qui ſunt ſanabiles, reuerenter & amanter oro, Vt ſi quis hactenus iniuſtè mihi iratus fuit, deinceps cognita veritate fiat mihi placatus. Ita enim de libero arbitrio, Deo iuuante diſſeram, vt appareat, me ſimplicem veritatem quærere, & dicere congruentia cum verbo Dei, & cum perpetua confeſsione piæ vetuſtatis.

Quòd autem Hilarius à lectoribus ſuorum librorum, quos ſcripſit de Trinitate, poſtulat, id ego auditoribus, qui anteceptas habent opiniones de genere doctrinæ, quod profiteor, ſubiicio, atque propono. Optimus lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potiùs, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumſerit intelligendum. Quemadmodum enim morbus oculorum non ſinit ea, quæ ante pedes ſunt, videre: ita concepta opinio & affectus vera iudicia perturbant & impediũt. Aſcribam verba Demadis, quæ hanc imaginem venuſtiſsimè pingunt: ὥσπερ ἡ τῶν ὀφθαλμῶν νόσος πρὸς τὴν ὄρασιν συγχίσασα κωλύει τὰ ὑμετέρων κλμένα διωρᾶν: ὕτως ἄδικος παρησδύνων λόγος εἰς τὰς τῶν δικαςῶν γνώμας, ἀνιᾷ δι' ὀργὴν συνορᾶν τὴν ἀλήθειαν. Precor autem Filium Dei, Dominum N. I. C. crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, vt Eccleſiam ſeneſcentem defendat non tantùm contra hoſtes, qui manifeſta vi graſſantur, ſed etiam contra Sophiſtas, qui, vt Pauli verbis vtar, ſunt homines ſui amantes, auari, factioſi, ſuperbi, maledici, ingrati, calumniatores, habentes quidem formam & ſpeciem pietatis, ſed ipſo facto vim eius abnegantes. Eſt enim veriſimè ab Auguſtino dictum in enarrat. pſalmi 142: Habet Eccleſia quod ferat foris, gemat intus, inimicos ſuos deputet foris & intus, foris faciliùs euitabiles, intus difficiliùs tolerabiles. Bene ac feliciter valete. Calend. Ianuarij. Anno 1564.

V. S.

LOCVS DE HVMANIS VIRIBVS, SEV DE LIBERO ARBITRIO.

ETSI ex magnitudine periculorum, certaminum atque ærumnarum, quas certo Dei consilio aliquot annos sustinui, satis intelligi potest, me nec inani curiositate, nec praua aliqua cupiditate, nec cæca pertinacia, genus doctrinę quodam plexus sum, fide & bona conscientia retinere, atque etiam pro mea tenuitate propagare: tamen de mea voluntate hoc tempore rursus quædam dicenda sunt, vt iuuentutem scholasticam prænoneam, ne ex calumniis & iniustis cõdemnationibus crudelium hypocritarum de me iudicent, sed & doctrinæ fontes, & meam voluntatem candidè considerẽt. Non enim ago priuatam aliquam causam, sed communem nostrarum Ecclesiarum de libero arbitrio, sententiam profiteor ac defendo. Quam quidem iudico congruere cum verbo Dei, sine calumnia intellecto, & cum experientia vniuersali omnium piorum in Ecclesia: nec dissentire eam statuo à puriore antiquitate Græca & Latina: & maximum vsum habere in doctrina, in consolatione & in exhortatione, sine vlla dubitatione confirmo. Qui verò hanc simplicem & planã, & nullis labyrinthis disputationum implicatam sententiam reprehendunt, vel vt veriùs dicam, rabiosè allatrant, non tam imprudẽtia falli (res enim perspicua est) quàm inuidia atque obtrectatione impediri videntur, quo minùs lucem veritatis diuinitus monstratam, aspicere aut velint, aut possint. Quare iterum & verè exaudientibus senibus, & tota iuuẽtute scholastica affirmo, me præcipuè moueri seueriſsimis mandatis Dei, quæ iubent propugnare veritatem, & in ea acquiescere, & vetant falsas opiniones Sophisticè defendi, vt hanc ipsam doctrinam, quam Ecclesiæ nostræ Dei beneficio sonant, amplectar, nec abiiciendam esse propter futiles cauillationes sentiam. Sic enim inquit Deus in tertio præcepto Decalogi: Non assumes nomen Domini tui in vanum, hoc est, non prætexas tuis furoribus & priuatis cupiditatibus sanctiſsimum & augustiſsimum titulum verbi diuinitus traditi. Et præcepto nono inquit: Non dicas falsum testimonium, siue aduersus Deum & doctrinam ab ipso traditam,

traditam, siue aduersus tuam conscientiam, siue aduersus proximũ. Et Siracides cap. 4 ait: Vsque ad mortem pro veritate pugna, & Dominus Deus pugnabit pro te. Hæc cælestia oracula & hactenus me impulerunt, vt pro mea tenuitate veræ doctrinæ patrocinium susciperem, & adhuc permouent, ne patrocinium veritatis semel susceptum deseram. Sed ne verba magis, quàm res ad me purgandum parare videar, quod faustum & felix sit, & nostris studiis salutare, Deo adiutore complectar doctrinam de libero arbitrio, octo capitibus. Quorum primum proponet admonitionem de vitandis duabus contrarijs hyperbolis, Pelagiana & Manichæa, vtraque enim à re ipsa, atque à veritate longissimè disiuncta est.

II caput erit methodica explicatio, docens, an sit liberum arbitrium, & quid sit, & quale sit, & cur sit, & quomodo differat à peccato originis.

III caput erit refutatio Pelagianæ blasphemiæ, quæ negat simpliciter peccatum originis, & fingit, gratiam dari propter merita nostra, & homines posse satisfacere Legi Dei propriis viribus, sine Spiritu sancto.

IIII continebit refutationem Manichæorum, qui somniant, hominem in aliam speciem transformari, vt verbi gratia, in saxum, brutum: & negant quosdam homines posse conuerti ad Deum, propter materiam, ex qua constant.

V. In quinto capite, Deo adiuuante, exponemus veram sententiam & confessionem orthodoxæ & Catholicæ Ecclesiæ Iesu Christi, de hac parte doctrinæ Christianæ, de qua omnibus ætatibus fuerunt atrocissima certamina, vt ostendunt scripta Augustini, Prosperi & aliorum.

VI. In sexto colligemus bona fide & candidè perpetuum consensum Græcæ & Latinæ Ecclesiæ, non enim nouum dogma importamus in Ecclesiam, sed retinemus perpetuum consensum veræ Ecclesiæ.

VII. In capite septimo, respondebimus non ad omnes, id enim esset infiniti operis, sed tantùm ad præcipuas obiectiones, quæ videntur aduersari veræ sententiæ, quam nos amplectimur & profitemur.

VIII. Postremum & octauum recitabit impedimenta liber-

tatis, ne quis arbitretur, cùm Christus dicat Iohan. 8: Si Filius liberauerit vos, eritis verè liberi: nulla in hac vita restare impedimenta, quæ languefaciant libertatem. In his capitibus octo explicandis, vt Deus Spiritu sancto mentem & linguam meam regat, ne mihi vllum verbum excidat offuturum gloriæ Dei, & saluti animarum nostrarum, ardentissimis votis, & toto pectore propter Filium precor & opto.

Breuis

Breuis narratio exponens certamina Eccleſiæ & hypocritarum de libero arbitrio.

CAP. I.

NOLITE eſſe adeo delicati, vt abhorreatis ab vſu huius vocabuli. Hoc enim hypocritarum propriũ eſt, rixari de vocabulis. Nemo etiam offendatur hoc titulo, quia Auguſtinus in multis voluminibus, & ſingulis ferè pagellis ad faſtidium lectoris hoc vocabulum inculcat. Cùm igitur tantus Doctor Eccleſiæ non fugerit hoc vocabulum, cur nos eſſemus adeo delicati, vt velimus abhorrere ab hac appellatione?

Omnes hypocritæ inde vſque à Cain faſcinati admiratione propriæ ſapientiæ & iuſtitiæ, ſomniarũt, vitam & vocationem regi poſſe conſiliis humanis, & libertatem humanæ voluntatis, ſeu facultatem liberi arbitrij adeo amplificarunt, vt affirmarent homines Legi Dei ſatisfacere poſſe, & hac diligẽtia iuſtos eſſe, & mereri præſentia & cæleſtia bona. Tales fuerunt in gentis Iudaicæ ſenecta Phariſæi, qui dixerunt, Lege Dei tantùm externam diſciplinam præcipi, & homines diſciplina mereri remiſsionem peccatorũ, & iuſtos eſſe coram Deo, & hæredes æternæ vitæ. Has Phariſaicas opiniones tempore Auguſtini, Pelagius non ſolùm cõfirmauit, ſed etiam noua acceſſione auxit. Contendit enim nihil eſſe peccatũ originis, niſi inane nomen, & ita exaggerauit liberum arbitrium, vt dixerit, hominem viribus naturalibus ſine Spiritu ſancto poſſe Legi Dei ſatisfacere, interiore & exteriore obediẽtia. Ab hac Pe-

Ne quis arbitretur nos parum candidè agere cum Pelagio, & affingere ei errores, quos non defendit, indicabimus loca quædã ex epiſtolis Auguſtini, quæ continent ſummam doctrinæ Pelagianæ. Eſtq; Auguſtinus teſtis fide dignus, qui vixit tempore Pelagij, & blaſphemias eius multis ſcriptis acriter refutauit. Is igitur epiſtola 90, & 94 ſummã do-

lagij doctrina, quæ Euãgelium transformat in philosophiam, non multum differt Monachorum sententia, quam multi amplectuntur, quia est plausibilis rationi.

ctrinæ Pelagianæ breuiter recitat. Et in libro de bono perseuerantiæ inquit: Tria sunt, quæ maximè aduersus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia, quorũ est vnum, gratiam Dei non secũdum merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia etiam conferũtur merita vniuersa sanctorum. Alterum est, in quantacunque iustitia sine qualibuscunque peccatis, in hoc corruptibili corpore neminem viuere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione soluatur. Non frustrà recito hunc locum Augustini, qui continet summam dogmatum Pelagij, sed ne quis temere applaudat clamoribus improborum, qui temere quibusdam obiiciunt crimen Pelagianæ blasphemiæ. Verùm Augustinus satis clarè ostendit, quæ fuerint præcipua capita erroris Pelagij. Primum caput fuit, dari gratiam Dei, id est, remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum propter nostrorum operum merita. Ab hac sententia meritò abhorrent omnes pij toto pectore. Secũdum caput est, quòd homo possit viuere sine peccato, & quòd non opus sit hac precatione, Remitte nobis debita nostra. Contra hunc errorem rectè dicit Augustinus, citans sententiã Iohannis Apostoli: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, non est veritas in nobis. Tertium caput fuit simplex negatio peccati originis. Id enim dixit Pelagius, nihil esse nisi inane nomen, sicut pax apud Platonem in Repub. est inane nomẽ. Huius erroris refutatio quotidie, Dei beneficio, sonat in scholis & Ecclesiis nostris. Cogitet igitur Flacius & Flaciani, si possunt aliquid cogitare, qua fronte, & quo ore falsò accusent viuos & mortuos, tribuẽtes eis illa, quæ ne quidem per somnium in mentem eis venerunt. Addam vnum locum Augustini de difficultate huius loci. Augustinus lib. 1 de peccat. orig. contra Pelagium: Ista quæstio, vbi de libero arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Hunc locum Augustini obseruent studiosi, vt intelligant, non sine periculo nos versari in explicatione huius & aliorum Locorum doctrinæ Christianæ. Est enim difficilis

naui-

nauig atio inter duos ſcopulos Cyaneos, inter quos nauigarunt Argonautæ, vt narrat Apollonius in carmine Argonautico, & Pindarus in quadam Oda, cùm periculum ſit, ne vno ſcopulo vitato, nauis in alterum impingat, & frangatur. Eum igitur curſum tenere in nauigatione, vt nauis declinet vtrumque ſcopulum exitialem, non ſolùm magnæ artis eſt, ſed etiam raræ cuiuſdam felicitatis. Eſt etiam difficilis medicatio, ſecundum Hippocratem, citante Platone, quando duobus contrariis morbis vna eademq; opera occurrendum eſt. Nam dum vni morbo obſiſtere medicus conatur, metuendum eſt, ne alterius contrarij morbi ſæuitia augeatur. Sed nobis in Eccleſia longè difficilior eſt explicatio doctrinæ Chriſtianæ, quia ſemper in mundo defenduntur duæ contrariæ hyperbolæ, quarum vna veritati non minùs aduerſatur quàm altera, vt in articulo iuſtificationis alij nimis vrgent opera, alij ſimpliciter damnant & reiiciunt opera, vtraque autem opinio cum veritate pugnat, & tanquã ſcopulus fugienda eſt, neq; immodicè ſunt amplificanda, attollenda & exaggeranda opera, neq; prorſus abiicienda & pedibus conculcanda. Idem nobis vſu venit verſantibus in diſputatione de libero arbitrio. Vt enim Pelagius hanc hyperbolen defendit, qua immodicè prædicat vires humanas, & fingit hominem eſſe ſanum & integrum, qui certè eſt non modò ſpoliatus, ſed etiam horribiliter ſauciatus à latronibus Diabolis: ita Manichæi & ſimiles in alteram partem peccant, transformantes hominem in ſaxum, brutum & quiduis generis eiuſdem, ac ne quidem cõcedunt hominem adhuc eſſe naturam intelligentem, ſed ſpoliant eum vi mentis & rationis, & prætexunt ſuæ hyperbolæ quædam metaphorica dicta, aut certè in ſimilitudine pronuntiata, in quibus comparatur homo iumento, vt pſalmo 49: Homo interit ſicut iumentum. verè dicitur, in comparatione mortalitatis, hominem eſſe ſimilem iumento: ſed nullum ſimile eſt idem. Congruit ſimilitudo hominis & iumenti reſpectu mortalitatis, quia ſicut videmus pecudes mori, ita quotidie cernimus funera amicorum & hoſtium, & tamen animæ pecudum cum corporibus euaneſcunt, non item hominum. In pſalmo 73 comparat ſe ipſum Propheta iumento, quod attinet ad obſequium ſine contumacia, & diffidentia: videmus equum, aſinum, bouem, elephãtem, & reliquas beſtias, ſequi ductum ſui curatoris, nec diſputare qualis ſit via per quam incedendum ſit, & non eſſe ſollicitas de pabulo. Eſt enim equitis curare pabulum equo, & armentarij curare pabulum

armentis, non ipsarum bestiarum. Hac sententia & non alia, vt ostendit lectio psalmorum, comparatur homo iumento, nec sequitur inde Homo est similis iumento: iumentum est irrationale. Ergo etiam homo.

Vt autem Stoici contradicentes Epicureis, contrariam hyperbolen defenderunt, de fatali omnium rerum necessitate, quia in vitium ducit culpæ fuga, si caret arte: ita Manichæi dixerunt, omnia necessariò fieri, bonas & malas actiones, & prosus nullam esse humanæ voluntatis libertatem in bonis & malis actionibus, interioribus & exterioribus: sed alios, qui haberent semina malæ materiæ, necessariò scelerate facere, nec posse ad Deum conuerti: alios verò ortos à bono Deo, necessariò recta facere, nec damnari eos à Lege, etiam cùm cõtraria Legi faciunt, quia Lex tantùm iudicet ortos à materia. Cohorresco equidem recitans hæc exempla furorum Diabolicorum, sed interdum hæc commemorari necesse est, vt fugiamus & execremur Diabolica mendacia, quæ sunt contumelioſa in Deum, & pernicioſa moribus. & Ecclesiæ doctrinam rectè discamus, quæ abhorret à blasphemiis Pelagianis & Manichæis, & assiduis votis à Deo petamus, vt nos doceat & gubernet, sicut Propheta exclamat psal. 119: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.

In philosophia Epicurei & Stoici cõtrarias hyperbolas defendunt. Vt enim Epicurei negant prouidentiam, & dicunt, omnia casu fieri: sic Stoici acerrimè contendunt, omnia fieri necessariò, bona & mala, sine discrimine, & alligant Deum causis secundis: ita in materia de libero arbitrio sunt duæ contrariæ hyperbolæ, vna Pelagianorum, altera Manichæorum. De Pelagianis paulò antè dictum est in loco de caussa peccati. Sed vt iuuentus certa sit, ita sensisse Manichæos, nec affingi illis errores: breuiter addo indicationem loci ex Augustino, à quo summa doctrinæ Manichæorum recitatur epistola 74: Multum est eruditionis, & magna rerum varietas in epistolis Augustini: varias enim tractat quæstiones.

Sint etiam in conspectu admonitiones Augustini de vitandis contra-

contrarijs hyperbolis: quarum vna immodicè amplificat liberum arbitrium: altera in medicando modum excedit, vt de Sylla à Lucano lib. 2 ſcriptum eſt.

Recitabo vnum exemplum. Nam totam hiſtoriam recitare, non eſt huius loci: Cùm Sylla viciſſet Marium patrẽ & filium, & interfeciſſet viginti millia ciuium Romanorum, & octo millia, abiectis armis, ſeſe traderent in fidem & potentiam Syllæ victoris: ibi Sylla inſolens in victoria, vt certè res ſuperba eſt omnis victoria, & difficile eſt victoria moderatè vti, iuſſit hos ſupplices ad vnum omnes interfici in via publica, exaudiente Senatu in curia. Cùm igitur videret, Senatum conſternatum eſſe propter miſerabiles querelas & clamores eorum, qui interficiebantur crudeliſsimè contra pacta & fidem datam: iuſsit eos Sylla bono eſſe animo, quia tantùm pauci ſeditioſi caſtigarentur. Verſus de Sylla apud Lucanum ſunt:

Sylla quoque immenſis acceſsit cladibus vltor,
Ille quod exiguum reſtabat ſanguinis vrbi
Hauſit, dúmque nimis iam putrida membra recidit,
Exceſsit medicina modum, nimiúmque ſecuta eſt
Quà morbi duxêre manus.

Omne nimium eſt naturæ inimicum, iuxta aphoriſmum Hippocratis: πᾶν πολὺ πολέμιον τῇ φύσει. Natura in omnibus rebus requirit medium. Non ſemper decurrẽdum eſt ad extrema remedia, ſicut medici non quotidie vtuntur ſectione & vſtulatione.

Sic enim in epiſtola 46 inquit: Qui ſentiunt liberum arbitriũ adiuuari per Dei gratiam, vt rectè ſapiamus atque faciamus bene ſentiunt. Si enim non eſt Dei gratia, quomodo ſaluat mundum? & ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum?

Hæc ſunt argutè dicta. Primùm Deus eſt miſericors. Ergo gratia ſua nos ſaluat, ſicut dicitur Epheſ. 2: Gratia ſaluati eſtis, &c. Deinde idem Deus eſt iuſtiſſimus iudex. Quomodo autẽ Deus poſſet in vniuerſali iudicio exercere ſuam iuſtitiã, ſi omnia neceſſariò fierẽt, ſiue bona, ſiue mala? Si voluntas hominis non poſſet aliquo modo fugere & odiſſe ſcelera, & expetere honeſta opera. Deus certè non condemnabit lapides, non aſinos, non equos, qui non ſunt curæ Deo, quod ad ſpecialem actionem attinet. Generali quidẽ actione omnia ſuſtentat & fouet, donec

vult. Loquimur autem iam de ſpeciali actione, hac actione non ſunt curæ Deo bruta, ſed homines, ſicut dicitur: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælo. Quomodo poſſet Deus iudicare, ſi non aliqua eſſet libertas voluntatis? Si cogor & rapior ad ſcelera, quomodo iudicabor? Deus non iudicat lapidem, qui naturaliter agit, cùm decidens è tecto interficit hominem. Sed homo interficitur, & iuſtè, à magiſtratu, quando occidit alium hominem: ita Deus non iudicabit aſinos, boues, ſed homines natura intelligentes & volentes, qui poterant aliter agere ſi voluiſſent.

Itaque epiſtolam meam ſecundum hanc fidem intelligite, vt neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium ſic defendatis, vt à Dei gratia ſeparetis, tanquam ſine illa cogitare aliquid, vel agere ſecũdum Deum vlla ratione poſsimus, quod omnino non poſſumus.

Extat inſigne dictum apud eundem Auguſtinum lib. de corrept. & grat. vbi ait, Liberum arbitrium eſt defendendum, non contra gratiam, ſed ſecundum gratiam, id eſt, ſecundum analogiam fidei, ſicut vulgò dicitur: Præeunte gratia, comitante voluntate. Dixi antea de iudicio & iuſtitia Dei. Ea de re repetatur memoria, ſententia grauiſsima Pauli, 2 Cor. 5: Omnes oportet ſtare coram tribunali Ieſu Chriſti, vt accipiat vnuſquiſque quod operatus eſt in corpore. Hæc ſententia non quadrat ad Stoicam neceſsitatem & Manichæos furores, qui fingunt, hominem rapi violento motu, ſiue ad bonas, ſiue malas actiones, & habere ſe ſicut ſaxum & truncũ. Diſertè dicit Paulus, vnumquemq; noſtrum accepturum pœnas pro delictis & flagitiis, quibus ſe, ſperans impunitatem, horribiliter contaminauit.

Et paulò pòſt in eadem epiſtola: Credite diuinis eloquiis, quòd & liberum ſit hominis arbitrium & gratia Dei, ſine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti poteſt ad Deum, nec proficere in Deo, & quod piè creditis, vt etiam ſapienter intelligatis, orate. Ad hoc ipſum enim vt ſapienter intelligatis, eſt vtique liberum arbitrium. Niſi enim libero arbitrio intelligeremus, atq; ſaperemus, non nobis præciperetur, dicente Scriptura, pſalm. 94: Intelli-

non dicit humanis rationibus & philoſophiæ.

Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Hoc enim præcepto obedientiam noſtram requirit, quæ nulla poteſt eſſe ſine libero arbitrio. Sed ſi poſſet hoc ipſum ſine adiutorio diuinæ gratiæ fieri per liberum arbitrium, vt intelligeremus, atq; ſaperemus, non diceretur Deo, Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua.

Dominus Philippus paſsim hoc inculcat, Si homo non eſſet etiam poſt lapſum natura intelligens, & aliquo modo libera, non poſſet ſe Deus ei communicare, ſicut ſe non communicat lapidibus & aſinis. Iohannis 1 dicitur: In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, id eſt, naturarum intelligentium, hoc eſt, quæ ſunt capaces doctrinæ, ſeu quæ habẽt aptitudinem, vt poſsint percipere doctrinam & conſolationem. Auguſtinus cùm dicit: Vt ſapienter intelligatis: alludit ad locũ Pauli Coloſſ. 3: Verbum Dei habitet abundè inter vos cum omni ſapientia. Cui rei opponitur ſapientia? Partim ignauiæ, partim ſophiſticæ. Quorundam tanta eſt ignauia, vt in anno vix legant pſalmũ vnum aut alterum, aut caput in Bibliis, tales ignaui nunquam euadent in ſapientes. Loquor autem de ſapientia ſpirituali. Deinde ſunt alij, qui legunt Scripturam, ſed vt Sophiſtæ & Sycophantæ, qui afferunt ad lectionem ſuas phantaſias & anteceptas opiniones, quibus faſcinati non poſſunt cernere verum. Verbum calumniosè intellectum, non eſt verbum Dei. Sed vnde Paulus ſumſit hoc dictum? Ex pſalmo 47: Pſallite Domino ſapienter, id eſt, non ſine intellectu & non ſine affectu, & non cum contradictione. De Papiſtis inquit Dominus Lutherus, quòd orent ſine intellectu, quia ſi intelligerent, non odiſſent doctrinam: deinde ſine affectu, id eſt, ſine timore & fide, ſemper retinent dubitationem, an Deus exaudiat: tertiò orant cum contradictione, quia dum orant: Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum Dei &c. contra ſe ipſos orant, petunt enim ſuos cultus aboleri, & regnum Papæ diminui.

Idem in epiſtola 47: Fides ſana catholica, neque liberum arbitrium negat, ſiue in vitam malam, ſiue in bonam, neque tantum ei tribuit, vt ſine gratia Dei valeat aliquid, ſiue vt ex malo conuertatur in bonum, ſiue vt in bono perſeueranter proficiat, ſiue vt ad bonum ſempiternum perueniat, vbi iam non timeat, ne deficiat.

Et tractatu in Iohannem 53: Nemo audeat liberum arbitrium

ſicdefendere, vt nobisorationem, qua dicimus, Ne nos inducas intentationem, conetur auferre: rurſus nemo neget voluntatis arbitrium, & audeat excuſare peccatum. Sed audiamus Dominum & præcipientem & opitulantem, & iubentem quid facere debeamus, & adiuuantem, vt explere poſsimus &c.

Omnibus piis ſint hæc duo dicta notiſsima, quorum alterum docet, Legem diuinam eſſe totã copulatiuam, alterum affirmat, fidem eſſe totam coplatiuam. Hæc dicta non fruſtrà celebrantur in ſcholis, ſed hanc admonitionem proponũt, ne arripiamus in lectione ſacrarum literarum vnam aliquam particulam, velut laciniam, & eam poſtea detorqueamus ad noſtras imaginationes. Tota Scriptura cognoſcenda eſt, ne tanquam catelli laceremus panniculos, non tantùm audiamus, vt cum Auguſtino loquar, Deum promittentem auxilium, ſed etiam audiamus præcipientem, nec tantùm præcipientem, ſed etiam adiuuantẽ, hoc eſt, coniungamus Scripturæ dicta, quorum alia commonefaciunt de diligentia noſtra & de precatione noſtra, quale eſt illud: Vigilate & orate. Alia concionantur de auxilio diuino. Talis copulatio eſt analoga fidei, & congruit ad dicta aliquoties repetita & inculcata. Lex eſt tota copulatiua, & fides eſt tota copulatiua. vulgò dicitur: Verte folium, & vide quæ ſequuntur.

Nam & quoſdam nimia voluntatis ſuæ fiducia extulit in ſuperbiam, & quoſdam nimia voluntatis diffidentia deiecit in negligentiam. Illi dicunt, Vt quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in noſtra eſt poteſtate? Iſti dicunt: Vt quid conamur bene viuere, quod in Dei eſt poteſtate? O Domine, ne nos inducas in quamlibet iſtarum tentationum, ſed libera nos à malo.

Duo ſunt extrema, quæ debemus fugere, ac reformidare tanquam ſcopulos in mari: vnum, fiducia impia & Phariſaica noſtræ ſapientiæ, iuſtitiæ, ſanctitatis & noſtrarum virium. Alterum extremum eſt negligentia, ignauia, deſperatio. Virumque eſt homini perniciosum: alterũ enim gignit ſuperbiam, quæ Deo inuiſa eſt & hominibus, alterũ parit Epicureum contemtum Dei. & neglectionem omnium bonarum actionum, & verè eſt λόγος ἀργὸς

ἀργὸς, id est, iners & ignaua oratio, cui si obtemperemus, nihil omnino in vita agemus.

Audiamus Dominum dicẽtem: Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Nec sic existimemus, fidem nostram esse in libero arbitrio, vt diuino non egeat adiutorio. Audiamus & Euangelistam dicentem: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quòd credimus. veruntamen in vtroque illius beneficia agnoscamus. Nam & agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas, & orandum ne succumbat infirmitas.

Verissimum est, fidem esse donum Dei, sicut testatur dictum Christi ad Petrum: Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Item Christus dicit ad Petrũ, post editam præclaram cõfessionem de persona & officio Messiæ, Matt. 16: Beatus es Bar Iona, quia caro & sanguis non patefecit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Hæc nec possunt, nec debent negari. Si negaremus hanc hypothesin, essemus contumelioſi aduersus Deum. Sed audi Euangelistam Iohannem. 1, In propria venit, & sui eum non receperũt. Hæc dicit de incredulis, vt significet causſam reiectionis esse in ipsis, non in Deo. De Ecclesia inquit: Quotquot autẽ receperũt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, his qui crediderunt in nomẽ eius. Quid significant hæc verba, aut qua de re lectorem cõmonefaciunt? Testantur expressè fidem esse donum Dei. Et tamen in nobis requirunt obedientiam voluntatis, quæ comitatur, non antecedit tractionem & ductum Spiritus sancti, quia disertè dicit: Quotquot receperunt, non dicit de Spiritu sancto, Spiritus sanctus recipit Christum, sed de nobis, videlicet de hominibus.

Explicatio methodica liberi arbitrij.

CAP. II.



APVT primum fuit παρασκευὴ, seu præparatio ad sequentia. Quemadmodum enim sine remotione purulentæ materiæ vulnera non possunt rectè curari: ita doctrina de libero arbitrio non potest dextrè percipi sine admonitione valde necessaria de vitandis duabus hyperbolis cõtrariis, quarum vna est Pelagianorũ, altera Manichæorum. Quarum illi hyperbolicè amplificant, attollunt & exaggerant vires humanas cum contumelia Christi & Spiritus sancti: hi verò omnino hominem ex homine tollunt, & transformant naturam humanam in aliam speciem, & alia portenta excogitant, de quibus nuper dictum est. Nunc igitur ad rem ipsam accedimus, videlicet ad methodicam explicationem veræ doctrinæ. Sunt autem quæstiones methodicæ quatuor apud Aristotelem in 2 lib. posteriorum resolutionum: An sit, quid sit, quale sit, & quare sit. Hæ quæstiones vulgò vocantur ὁπτημονικαὶ quæstiones, quibus continentur omnia, quæ sub scientiam cadunt. Quæcunque enim cognosci possunt, explicantur per has quatuor quæstiones. Prima quæstio est, An sit res in rerum natura, vt an sit chimæra, centaurus. Altera quæstio de definitione, quid sit. Tertia de attributo seu de prædicato, qualis sit. Quarta interrogat de causis. Eadem methodo nos quoque vtemur in explicatione huius capitis.

De libero arbitrio quinque sunt, quæ quærantur: vnum, an sit: alterum, quid sit: tertium, quale sit: quartum, quare sit in natura rationali: quintum, quid à peccato originis differat.

De prima quæstione respondet Augustinus in libro de gratia, & libero arbitrio cap. 2, inquiens: Reuelauit nobis Deus per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium.

Dissimilia sunt scripta Augustini de hac materia. Nã in aliis, vt iuuenis nondum cõfirmatus iudicio, quædam inconsideratè effudit,

effudit, quæ postea confirmato iudicio retractauit. Sed cùm iam senex esset, & versaretur in certaminibus cum Pelagiana secta, edidit hos libros, quos & suprà citauimus, & posthac citabimus, quoties se offeret occasio, & postulabit necessitas. Quare nemo existimet, me adeo imprudentem esse, vt velim auditori fucum facere allegatione iuuenilium dictorum Augustini, quæ ipse postea correxit. Sed si quid in hac materia à me citatur, continetur in illis libris, quos senex iam, adeptus maturitatem iudicij, edidit.

Primùm, quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciẽs ad promissa præmia peruenire.

Intelligatur hoc iuxta ὑπόνοιαν Euangelij, non secundum rigorem Legis, quemadmodum & Christus loquitur: Si vis vitam ingredi, serua mandata.

Deinde multa mandata ipsam quodammodo nominatim cõueniunt voluntatem, vt Matth. 16. Qui me vult sequi, abneget se ipsum, & sequatur me. Item psal. 32. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

Sunt duæ argutæ rationes, quibus Augustinus cõfirmat esse liberum arbitrium. Prima ratio sumitur à Lege Dei. Altera à pondere vocabuli. Priorem sic explicat Macarius homil. 27. Ei, qui mutari potest in vtranque partem, liberumq; arbitrium habẽti lex data est, vt bellum gerat aduersus contrariam potestatem. Fixæ enim & immutabili naturæ lex non imponitur. Nemo imponit legem huic columnę, vt gestet ædificium, nemo fert legem parietibus, quia ligna & lapides agunt naturaliter, & sunt naturæ fixæ & immutabiles: sed hominibus lex imponitur, quia natura hominis est mutabilis, potest in vtranque partem flecti, siue in bonam siue in malã. Secunda ratio sumitur à pondere verbi. Multa præcepta diuina nominatim & disertè compellant voluntatem humanam. Matth. 16. Qui vult me sequi, tollat crucem suam &c. de lapide vel bruto non dicitur: Si vis me sequi &c. Deus non cogit te vt sequaris Christum, sed inuitat, trahit, ducit, ita vt voluntas comitetur trahentem & ducentem, iuxta dictum, quod nullis cauillationibus euerti potest: Præeunte gratia, comitante voluntate.

Et Bernhardus de gratia & de libero arbitrio eruditè dixit:

Tolle liberum arbitrium, non erit quod ſaluetur: tolle gratiam, non erit vnde ſaluetur. Sicut enim Deus autor eſt ſalutis [*id eſt, dat ſalutem*] ſic liberum arbitrium tantùm capax eſt: nec dare illam, niſi Deus, nec capere valet, niſi liberum arbitrium.

Gratia ſaluamur non noſtris operibus neq; viribus. ſed quid ſaluat gratia? hominem, non truncum, vel lapidem.

Eſt & illa Proſperi vox vera, & piis non ignota: Liberum arbitrium naturaliter homini inditum manet in natura, ſed qualitate mutatur per mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum.

Proſper contra collatorem, pag. 159.

Adde huc Cyrilli præclaram ſententiam, quæ extat libro 4. in Iohannem cap. 7. Non poſſumus ſecundum Eccleſiæ veritatiſque dogmata, liberam poteſtatem hominis, quod liberum arbitrium appellamus, vllo modo negare.

Audiuiſtis teſtes quatuor fide digniſsimos, Auguſtinum, Bernhardum, Proſperum & Cyrillum. Sed dicat aliquis: Nuſquam inuenio vocabulum liberi arbitrij in Scriptura. Ergo eſt inane commentum. Quæſo, vbi extat vocabulum peccati originalis aut perſonæ? Nuſquam. Quare igitur Scriptores vtuntur his vocabulis? Docẽdi cauſa, & vt poſsimus aduerſarios conuincere. Omnibus artibus quædam vocabula ſunt conceſſa docendi cauſa, & ad conuincendos aduerſarios. Cicero: Rebus intellectis ſimus in verborum vſu faciles. Non moueamus lites de vocabulis: λογομαχίαι ſunt coruorum contentiones.

Vſitatum eſt autem liberum arbitrium nominare (nam id ſecundo loco quæritur) voluntatem cum intellectu coniunctam, eligentem videlicet aliquid liberè præcedente cognitione. Dicitur autẽ liberũ, vt ait Auguſtinus de prędeſtinatione ſanctorum, quia non eſt neceſſarium, nam his quibus ineſt ratio, inſita eſt nolendi volendiq; libertas.

Scio olim in ſcholis magna certamina fuiſſe de definitione liberi arbitrij. Neque eſt neceſſe, prolixè repetere nugas canoras & verſus rerum inopes, vel, vt Seneca inquit, rumores vacuos, verbaq; inania. Simus contenti hac defini-

definitione tradita à D. Philippo, qui in Locis & aliis scriptis sic definit liberum arbitrium, vt dicat, hac appellatione comprehendi & copulari intellectum & voluntatem. Sed nimium, inquies, videtur tribui libero arbitrio, cùm dicitur, illud eligere posse liberè? Respondeo. Infrà in tertia quæstione dicetur, quale sit liberum arbitrium, seu quomodo liberè eligat, idque vel ante lapsum, vel post lapsum. Deinde respondeo: Definitiones traduntur non de individuis, sed de speciebus. Atque hæc quidem dicta sint de duabus prioribus quæstionibus pertinentibus ad explicationem methodicam eius Loci in quo versamur, primùm dictum est de quæstione, An sit liberum arbitrium. Hanc quæstionem necesse est explicari ad refutandas hyperbolas, quæ affirmant mendacium esse liberum arbitrium, non esse vel in Deo, vel in angelis, vel in hominibus eam rem, quæ significatur appellatione liberi arbitrij. Nos fugientes has hyperbolas, quæ longè distant à re ipsa atque veritate, sentiamus cum Augustino, Prospero, Cyrillo & Bernhardo, vt de ceteris nihil dicam breuitatis causa, qui omnes vno ore & magno consensu pronuntiant, esse in homine etiam post lapsum hoc, quod nominatur liberum arbitrium. Deinde, ne quis arbitretur, nos ludere appellatione ignota aut ambigua, sicut pueri ludunt talis seu astragalis: repetiuimus definitionem traditam à præceptoribus nostris, in qua acquiescimus, Liberum arbitrium significat voluntatem coniunctam cum intellectu. Sequitur nunc tertia quæstio, quale sit liberum arbitrium, vbi necesse est considerare temporum discrimina, ne quis imaginetur, nos eam libertatem assignare voluntati humanæ, quam habuit Adam, antequam erat lapsus, & quam sumus habituri in vita æterna, quando Deus erit omnia in omnibus electis & beatis.

Proximum est vt doceam, quale fuerit liberum arbitrium ante lapsum, & quale nunc sit, & cuiusmodi futurum sit in ea vita, quæ sola est vita nominanda.

De libero arbitrio ante lapsum inquit Augustinus in libro de correptione & gratia cap. 11. Primus homo hanc gratiam habuit, in qua si permanere vellet, nũquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset: sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit, sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi

adiuuetur ab omnipotenti bono, quod adiutorium si homo ille [*Adam ante lapsum*] per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus, sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet. Hæc est gratia quæ data est primo Adam. Præclarè ergo Ambrosius lib. 1. de vocat. gentium, cap. 3. Nemo, inquit, fidat suis viribus, quæ cùm erant integræ, non steterunt: sed per illum quærat victoriam, qui solus non est victus, & in omnibus vicit, & si quærit [*scilicet victoriam*] non dubitet quærendi affectum ab illo se accepisse, quem quærit. Et Bernhardus in prima concione de annunciatione: Si stare non potuit humana natura adhuc integra, quátò minùs poterit per se ipsam [*scilicet propriis viribus*] resurgere iam corrupta.

Prosper. Non priùs deserit nos Deus, quàm à nobis deseratur. Est dictum plenum consolationis in vita & morte.

1. Corinth. 10. Qui stat, videat ne cadat.

Hęc dicta sunt de primo statu liberi arbitrij, quæ nihil habent obscuritatis, nihil perplexitatis, nihil Sophisticæ, ideo non volo addere longiorem declarationem: si quis in iudicãdo adhibuerit candorem, facilè animaduertet, nihil dici à me contra analogiam fidei, nihil alienum à perpetuo consensu Catholicæ Ecclesiæ Christi. Ac ne quis putet me iam pœnitentia adductum alias voces sonare, quàm quales sonui in concursu mearum calamitatum: is sciat, me hanc ipsam conclusionẽ his ipsis verbis recitasse in fine disputationis Vinariẽsis. Et valdè optarim, istos meos amicos (si diis placet) maiore candore & ingenuitate vsos esse in editione pagellarum, quæ continent dicta ab vtraque parte. Nam hæc tota conclusio omissa est, vt ostendit lectio postremæ sessionis, vt vocant splendido titulo. Hęc fuerunt mea verba, & non alia, vt omnes testari possunt, qui ea audiuerunt: *Liberum arbitrium manens in homine, non à se ipso, sed à creatore in melius mutatur, nec mutatur substantia, sed qualitate, quia lux & motus spirituales accenduntur in substantia priùs à Deo condita, habente modũ agendi, quo differt natura rationalis à bruta.* Hęc verba omiserũt illi, qui cõsueruntlacinias & centones ex disputatione Vinariensi, de qua erit aliquando occasio, Deo adiuuãte, publicè vsurpãdi querelam plenam iusti

iusti doloris. Sed sicut cetera sunt mecũ acta: ita & hęc pars tragœdię bona fide & magno candore scilicet acta est. Necesse est autem me vti hac excusatione ad defendendam famam meam, imò potiùs ad defendendam doctrinæ veritatem, de qua semper fui magis solicitus, & adhuc sum, quàm de mea persona.

Quale autem nunc sit liberũ arbitrium, docet Augustinus in lib. de corrept. & gratia cap. 1. Liberum arbitrium & ad malum, & ad bonum faciendum, confitẽdum est, nos habere: sed in malo faciendo quisque est liber iustitiæ, seruusque peccati: In bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos Filius liberauerit, verè eritis liberi. Habent igitur nõ renati arbitrium quidem liberum, sed non liberatum, liberũ iustitiæ, peccati autem seruum. Hæc fides sine dubio vera & Prophetica & Apostolica est.

Libenter vtor verbis veteris Ecclesiæ, ne quis fingat, me nouum dogma in Ecclesiam importare.

Rom. 6.
Iohan. 8.

id est, impeditum seruitute peccati, & tyrannide Diaboli.

Quid interest inter liberum & liberatum? Respondeo. Liberum opponitur coactioni. Hoc respectu rectè dicitur in nobis esse liberum arbitrium, etiam post lapsum, quia Diabolus etsi est hostis & tyrannus grassans in genere humano horribiliter: tamen non potest voluntatem cogere, sed tantùm habet vim persuadendi, sicut infrà dicemus in refutatione argumentorum cõtrariorum. Et sic veteres vno consensu dixerunt, Diabolum non habere vim cogendi, sed persuadendi, quo dicto significarunt, hominem liberum esse à coactione. Opponitur igitur vocabulũ liberum, coactioni. Liberatum esse opponitur seruituti peccati, mortis & tyrannidis Diaboli. Homo habet quidem liberum arbitrium, sed nondum habet liberatum, scilicet à peccato & morte, & tyrannide Diaboli, nisi à Deo liberetur, & transferatur in regnum Dei & vitam æternam, ereptus ex potestate tenebrarũ, vt loquitur Paulus Coloss. 1. Hoc igitur est quod Augustinus inquit: Habent non renati arbitrium quidem liberum, scilicet à necessitate coactionis, sed non liberatum, scilicet à seruitute peccati, mortis & tyrannide Diaboli. Hæc non pugnant inter se, quia dicuntur diuerso respectu, vt si dicas: Populus Iudaicus abductus in Babylonem fuit liber, sed non li-

beratus. Liber, quia fuit populus Dei, ſed non fuit liberatus ante annum 70. exilij. Erat tum adhuc oppreſſus triſti ſeruitute & tyrannide Babylonica. Cuius exempla recitantur cap. 3. & 6. Danielis. Nam & Daniel ipſe eſt coniectus in foueam leonum: & tres viri coniecti ſunt in fornacem candentem: poſtea verò regnante Cyro, cùm eſſet Iudæis conceſſus reditus in patriam, non tantùm fuerunt liberi, ſed etiam liberati à ſeruitute Babylonica. Non vtor hoc exemplo, quòd plane congruat ad id de quo nunc dicimus: ſed tantùm vt oſtendam vni rei ſæpe tribui reſpectus diuerſos.

Et libro 14. de ciuitate Dei cap. 11. Arbitrium voluntatis tunc eſt verè liberum, cùm vitiis & peccatis non ſeruit: tale datum eſt à Deo, quod amiſſum proprio vitio niſi à quo dari potuit, reddi nō poteſt. Detrahitur autem malum non aliqua natura quæ acceſſerat, vel vlla eius parte ſublata, ſed ea quæ vitiata ac deprauata fuerat, ſanata atque correcta.

ſcilicet primis parentibus ante lapſum.

propria inobedientia.

ſubſtantia.

Credo aliquos præſertim iuniores tacitos apud ſeſe quærere, quæ fuerint capita controuerſiæ inter me & Flacium. Non fuit inter nos diſceptatio de efficacia, qua conuertimur ad Deum, & qua regeneramur & renouamur. Nam vtraque pars ſine controuerſia dextrè intelligendo vtriuſque partis dicta, fatetur efficaciam non eſſe noſtrā, nec noſtrarum virium, ſed eſſe Dei donum. Ideo ego dixi in mea concluſione: Liberum arbitrium manens in homine non mutatur à ſe ipſo, propriis viribus, aut propria efficacia in melius, ſed à conditore. Duo autem fuerunt κεκινόμενα, de quibus inter nos diſceptatum fuit. Primùm vtrum in regeneratione ſeu conuerſione hominis ad Deum tantùm mutentur qualitates ſine creatione nouæ ſubſtantiæ, an verò cum qualitatibus creetur noua ſubſtantia. Ego dixi, quod dicit hoc loco Auguſtinus, & dicit Proſper & Tertullianus & omnes alij, quos ſuprà citauimus in loco de Spiritu ſancto, non mutari ſubſtantiam priùs à Deo conditam, ſed mutari qualitates in mente, voluntate & corde, & reliquis viribus. Aduerſarius verò cōtrariam aſſeuerationem defendit. Hæc non ſunt tātùm λεπτολογίαι ſeu diſputationes Dialecticæ, de diſcrimine ſubſtantiæ & accidentis, ſed

sed maximarum rerum controuersiam continent. Alterum χρινόμενον hoc fuit de modo agendi, vel, vt alij loquuntur, de capacitate, vel vt alij, de aptitudine. Ego retinui formam loquendi, quam accepi à Domino præceptore Philippo, alium esse agendi modum in homine, alium in elementis & mixtis, quæ agunt naturaliter. Si cui non placet hæc appellatio, vtatur vocabulis capacitatis vel aptitudinis, quibus Brentius & tota Ecclesia VVirtebergensis vsa est, quam nemo propterea condemnauit. Si qui habent tantùm otij, legant confessionem & apologiam Ecclesiæ VVirtebergensis, vbi allegatur dictum Bernhardi, quod nos quoque suprà citauimus: Tolle gratiam, & non erit qui saluet, tolle liberum arbitrium, & non erit quod saluetur. Sicut enim Deus autor est salutis, sic liberum arbitrium tantùm capax est, nec dare illam nisi Deus, nec capere valet, nisi liberum arbitrium. Hoc igitur alterum fuit χρινόμενον, de quo dixi in mea conclusione: Mutatur non substantia sed qualitas, quia lux & motus spirituales accenduntur in substantia priùs à Deo condita, habẽte modum agendi, quo differt natura rationalis à bruta. Idem est quod dicitur in scholis vsitatè: Præeunte gratia, comitante voluntate. Fateor trahi hominem, moueri, duci à Deo, sed tamen dico, aliter trahi ab equis currum vel saxum, vel trabem, & aliter trahi hominis voluntatem à Deo.

Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato? Vt enim prima libertas voluntatis erat posse nõ peccare: ita nouissima erit multò maior nõ posse peccare: teste Augustino in libro de corrept. & gratia cap. 11. Interea dum in hac vita peregrinamur, quæ nihil aliud est, nisi perpetua militia & tentatio, etiam post conuersionẽ manet in sanctis mutabilitas voluntatis, qua à bono potest declinare, vt faciat malum, quod fit libero arbitrio, & à malo vt faciat bonum, quod non fit sine diuino adiutorio.

Estne aliquid momenti situm in positu particulæ negatiuę Nõ? Respondeo. Negatio Non, præposita mutat quãtitatem & qualitatem, iuxta regulam: Negatio quidquid post se inuenit, hoc tollit, id est, efficit æquipollentiã inter duas contradictorias, quæ differunt non modò quantitate, sed etiam qualitate. Postposita negatio mutat solùm qualitatẽ, id est, efficit inter cõtraria & subcontraria æquipollentiã, vt: Possibile est, Socratem non currere, id est, contingens est, Socratem

vt ait Augustinus, in 15. de ciuitate Dei, cap. 21.

non currere. Sed cùm dico: Non possibile est, currere Socratem, id est, impossibile est, Socratem currere. Sic hoc loco, Primus homo potuit non peccare. Hęc est propositio cõtingens, Sed vltimus homo non poterit peccare. Hac propositione significatur impossibilitas &c.

In libro Iob. cap. 7. Militia est vita hominis super terram.
Et Prosper:

Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt,
Et cum quo certet mens pia semper habet.

2. Corinth. 6. Intus pauores, foris pugnæ. Aut est nobis pugnandum cum hostibus, aut cum falsis fratribus. Paulus de nulla re magis conqueritur, quàm de falsorum fratrum iniuriis. Hostes manifesti possunt vitari, quia præ se ferunt animum hostilem, sed hypocritæ non vitari possunt, quia beneuolentiam simulant foris, intus odium occultant.

Hanc sententiam confirmat dictum Ambrosij lib. 2. de vocatione gentium cap. 9. Deus ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, vt etiam à perseueraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat, alioquin nemo vnquam fidelium recessisset à fide. Sic igitur Dei gratia cogitetur, vt ab initio bonæ mutationis suæ vsque in finem consummationis, qui gloriatur, in Domino glorietur. Nec de viribus nostris speretur facienda victoria, vel viribus nostris facta tribuatur, sed eius gratia, de quo dicit Apostolus: Gratia sit Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum Christum: Item, Vincimus per eum, qui dilexit nos. Sicut enim nemo potest bonum inchoare sine Domino: sic nemo perficere potest sine Domino &c.

Philippus in libello de anima, in fine dicit idem: Scimus nos nõ vincere nostris viribus, sed per Dominum nostrum Iesum Christum.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

Restant duæ quæstiones in methodica explicatione, quarta videlicet & quinta. Quarta quæstio quærit de causis, propter quas & à principio homini inditum est liberum arbitrium, seu libertas voluntatis, & post lapsum manfit facultas imperãdi externis membris, seu regẽdi locomotiuam: de his causis breuiter differemus. Quinta & po-

& postrema quæstio proponitur de discrimine inter peccatum originis & liberum arbitrium. Multi enim putant nihil interesse inter hos titulos, de peccato originis, & de libertate voluntatis. Differunt autem, vt mox dicetur, vt substantia & accidens, vel sicut res positiua & priuatiua &c.

Quare autem liberum arbitrium à principio homini datum sit, perquàm diligenter videndum est, id quod in quarto loco quærendum proposueramus. De hac quæstione respondet Tertullianus in libro de Trinitate: [*in exordio*] Quæ cùm omnia in seruitutem illi [*homini*] dedisset, solum liberum esse voluit, & ne in periculum caderet prorsum soluta libertas, mandatum [*de arbore scientiæ boni & mali*] posuit, quo tamen nō inesse malum in fructu arboris diceretur, sed futurum, si fortè ex volūtate hominis de contemtu datæ Legis præmoneretur. Nam & liber [*homo*] esse debuerat, ne incongruenter imago Dei seruiret, & lex addenda, ne vsque ad contemtum dantis libertas effrenata prorumperet, vt & præmia condigna & merita pœnarum consequenter exciperet, suum iam habens illud, quod motu mentis in alterutram partem agitare voluisset. Ex quo mortalitatis inuidia [*culpa*] vtique in ipsum [*hominem*] rediit, qui cùm illam de obedientia [*per obedientiam*] euadere posset, in eandem incurrit, dum ex consilio peruerso Deus esse festinat. Hactenus Tertullianus.

Ex his verbis Tertulliani duo discamus. Primùm, quare Deus ornauerit hominem libertate voluntatis. Deinde, quare lex sit homini à Deo proposita, cùm Paulus dicat 1. Timoth. 1. Iusto nō est lex posita. Ideo ornauit Deus hominem libertate voluntatis, vt hac proprietate vel hoc dono distingueretur ab omnibus brutis & non intelligentibus naturis: cuiusmodi sunt cælum, Sol, elementa, stellæ, plantę, bestiæ, lapides, & reliquæ creaturæ corporeæ. Erat enim, vt inquit Tertullianus, absurdum & inconueniens, vt imago Dei seruiret scilicet eo modo, quo seruiunt reliquæ creaturæ Deo: vt cælum seruit Deo, Sol seruit Deo, quotidiano motu & lumine suo, sed non quadam cum libertate, non habens iudicium de suo motu & suo lumine. Aliter autem seruiūt Deo angeli & homines, quales tunc erant Adam & Eua ante lapsum. Deinde sic argumentor ex Paulo:

Lex iusto non est posita.
Primi parentes fuerunt iusti:
Ergo frustrà eis lex posita est.

Respondeo ad Maiorem. Lex non est posita iusto, scilicet quod ad maledictionem attinet, sed posita est iusto, quod ad obedientiam attinet, vt sit rectrix obedientiæ Deo placentis. Sed dic mihi speciales causas, propter quas Deus primis parentibus nominatim tradidit mandatum de ligno scientiæ boni & mali? Duæ sunt causæ, propter quas hæc lex primis parentibus posita est, prima, vt esset aliquod obiectum externum circa quod exercerent primi parentes obedientiam erga Deum. Oportet enim habere liberum arbitrium aliquod obiectum, circa quod versetur, & in quo se se exerceat, cùm non fit conditum ad ignauum otium. Altera, vt hoc mandatum præberet occasionem primis parentibus colloquendi de Deo. Sed de his plura suo loco.

Porrò in hac deprauata natura manet hæc pars libertatis, quòd voluntas potest imperare locomotiuæ, vt externa membra, vel moueat, vel coherceat, vt: Achilles [Ιλιαδ. α.] quanquam iratus potest imperare manibus, ne stringant gladium, & pedibus, vt ab Agamemnone discedant. Hanc partem libertatis voluit Deus in homine reliquam esse. Primùm, vt intelligatur discrimen inter agens liberum & non liberum. Deinde, vt sciamus, ipsum Deum esse agens liberrimum. Tertiò, vt nos regamur disciplina. Quartò, vt consideremus magnitudinem deprauationis in nobis, cùm intelligimus, libertatem esse mutilá [*imperfectam*] & cor non obedire Legi Dei, & externam disciplinæ gubernationem difficilem esse.

Hęc facilè intelliguntur ab iis, qui versati sunt in doctrina Ethica.

Postremus restat locus, de discrimine liberi arbitrij & peccati, qui non longam orationem desiderat. Est enim liberum arbitriũ substantia, videlicet voluntas coniuncta cum ratione. Peccatum verò est accidens, id est, deprauatio mentis, voluntatis & cordis.

Quando audis nomen liberi arbitrij, cogita de substantia, vel de subiecto aliquo, quod ante lapsum fuit ornatum illis donis,

quæ

quæ significãtur vocabulis imaginis Dei vel iustitiæ originalis. Quid fuit imago Dei vel iustitia originalis in mente seu intellectu? Fuit illustris & firma agnitio Dei, expers tenebrarum & dubitationum. Deinde fuit in voluntate conuersio ad Deũ, id est, verus timor Dei, vera fiducia acquiescens in Deo, ardens dilectio Dei & proximi, denique copulatio omnium virtutum iuxta Decalogum. In corde fuit suauissima harmonia & concentus omnium affectuum & motuum congruentium cum Lege Dei. Nam in veris motibus & virtutibus cor est copulatum cum voluntate. Nunc quid est in intellectu, voluntate & corde? Respondeo. peccatum. Nam in mente sunt tenebræ & dubitationes, caligo de Deo, de prouidentia, de promissionibus & comminationibus diuinis, & de aliis maximis rebus. In voluntate est auersio à Deo, id est, carentia timoris Dei, fidei, dilectionis, vt Paulus dicit: Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum. In corde est ἀταξία, confusio omnium appetitionum, amoris, iræ, lætitiæ & reliquorum affectuum. Vides igitur quid intersit inter liberum arbitrium & peccatum, hoc videlicet, quod intereſt inter substantiam & accidens. Vt autem imago Dei in Adam fuit res positiua, id est, donum Dei conditum à Deo, placens Deo: ita è regione peccatum est priuatio seu res priuatiua, vel nihil priuatiuum, id est, non simpliciter nihil, sed horribilis ἀταξία, destructio, deprauatio mentis, voluntatis & cordis. Et vt vno verbo complectar, sicut differunt corpus humanum, & morbi sæuientes in membris & singulis partibus corporis: ita differunt liberum arbitrium & peccatum.

Hoc discrimen confirmat dictum Prosperi suprà citatum: Liberum arbitriũ naturaliter indi tum homini, manet in natura, sed qualitate mutata per mediatorem, qui ipsam voluntatem ab eo, quod peruersè volebat, auertit, & in id, quod ei bonum esse vellet, conuertit, vt delectatione affecta [*voluntas*] fide mundata [*fide purificantur corda*] spe erecta, charitate accensa, liberalem susciperet seruitutem.

Prosper gubernauit Rhegiẽsem Ecclesiam in Italia, fuit σύγχρονος Augustino: patria Aquitanicus. Est autem Aquitania pars Galliæ, quæ spectat ad Pyrenæos montes, versus Hispaniam, die Gaſchgonier. Rhegium sitũ fuit è regione Messanæ, quæ est vrbs Siciliæ. Nomen habet ab ῥήγνυμι, rumpo. quia olim Sicilia fuit continua Italiæ. Nunc verò, vt scribunt Geographi, & ipsa experientia testatur, impetu maris mediterranei auulsa est ab *Actor. 13.*

& seruilem amitteret libertatẽ. Italia, & interiectum est angustũ fretum, quod vocatur Siculum mare, quod propter angustiam est valde periculosum nauigãtibus. In illo angulo est situm Rhegium oppidum, cuius Episcopus fuit vir sanctus & doctus, bonus orator & poẽta, Prosper.

Quid dicit Prosper, mutari liberum arbitrium, non substantia, sed qualitate? Ad Manichæos & alios refutandos, qui contendunt, magnam partem hominum conditam esse à malo Deo, ex mala natura, & tales non posse cõuerti ad Deum. Talibus portentis opinionum opponitur hæc clausula Prosperi: sed qualitate mutata, id est, in conuersione non creatur noua substantia, nouum cor, noua voluntas prioribus abiectis. Sed manente substantia priùs à Deo condita, mutantur qualitates, & pro tenebris creatur à Spiritu sancto noua lux, pro contumacia obedientia, pro confusione εὐταξία.

Seruilem amitteret libertatẽ] Sic Crassus apud Ciceronem loquitur: Legum serui sumus, vt liberi esse possimus. Hæc figura dicitur ἀντιμεταβολὴ siue μετάθεσις: quando contraria transferuntur & contrariis rebus attribuuntur. Sumsit Prosper hanc formam loquendi ex Scriptura: In non renatis est libertas seruilis, iuxta dictum Ioan: Qui facit peccatum, seruus est peccati, vnusquisque est seruus illius cui obedit. Si igitur seruis vel obedis peccato, es eius seruus. Contrà, si obedis iustitiæ, es seruus iustitiæ.

Liberalem susciperet] Respicit ad dictũ Pauli Rom. 6. Quondam eratis liberi iustitiæ, nunc autem facti estis serui iustitiæ. Ergo est seruitus liberalis, qualis describitur in dicto Crassi: Legum serui sumus, vt liberi esse possimus. Vt autem liberum arbitrium fiat liberatum, & seruiat liberalẽ seruitutẽ, scilicet iustitiæ, ad hanc rem opus est non humanis viribus, quæ sunt nimis languidæ, fractæ, spoliatæ & sauciatæ, sed opus est maiore gratia, de qua dicit Paulus, qui eripuit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum Filij &c.

Ad hunc vsum institutum est totum ministerium.

Refuta-

Refutatio Pelagianorum.

CAPVT III.

IEREMIAS Propheta cap. 4. inquit: Nolite ſemen ſpargere inter ſpinas. Quo dicto admonet nos Propheta de optima methodo ſeu ratione docendi, qua in Eccleſia vti poſſumus & debemus. Quemadmodum enim bonus agricola priùs ex agro tollit ſpinas, ac poſtea ſulcis debita committit ſemina: ita in Eccleſię doctrina explicanda, ipſa neceſsitas ſæpe poſtulat, vt priùs inſtituatur refutatio prauorum dogmatum, quàm vera doctrina proponatur. Idem nobis hac in parte faciendum eſt: non enim poſſumus dicere de vera ſententia, quam, Deo iuuante, explicabimus in capite quinto, & ſexto eandem confirmabimus, niſi priùs refutatis blaſphemiis Pelagianorum & Manichæorum.

Etſi blaſphemiæ Pelagianorum delent veram doctrinam de peccato, Lege, gratia, & de beneficiis Dei, quæ per Filium & Spiritum ſanctum nobis exhibentur: tamen cùm infrà de peccato & de gratia vberiùs dicendum ſit, nunc tantùm duos errores Pelagianorum refutabo. Vnum de impletione Legis: alterum de motibus Deo placentibus. Finxerũt enim, homines naturalibus viribus ſine Spiritu ſancto Legi ſatisfacere poſſe, & ſine Spiritu ſancto fidem, dilectionem Dei, & alias virtutes Deo placẽtes in corde efficere.

Primùm igitur expreſsè damno hos ipſos errores, qui Euãgelium in philoſophiam transformant, & contumelioſi ſunt in Filium Dei, & in Spiritum ſanctum.

Pelagius corrumpit doctrinã Eccleſiæ. Primùm de peccato. Deinde de Lege diuina. Tertiò, de gratia. Quartò, de libero arbitrio. Ac tota Pelagij doctrina ad hanc metam ſpectat, vt deleatur agnitio beneficiorum, quæ Deus generi humano, & Eccleſiæ impertit per & propter Filium, & per Spiritum ſanctum. De peccato originis dicemus ſuo loco, in proximo titulo de peccato, vbi colligemus teſtimonia Prophetarum & Apoſtolorum, quæ cõfirmant hanc ſententiam, quòd

Deinde cõſtanter amplector dicta Prophetica & Apoſtolica, quę concionantur de beneficiis Filij Dei & Spiritus ſancti, & reuerenter Deo gratias ago pro his ſummis donis, pro donato Filio & Spiritu ſancto. Omni aſſeueratione etiam affirmo, integram obedientiam ſeu impletionem Legis nec incoari, nec perfici poſſe ſine gratia, & ſine dono per gratiam, vt Paulus Romanos 5. loquitur. Ac certũ eſt, hic gratiam intelligi oportere reconciliationem gratuitam propter Filiũ promiſſam. Deinde donum, ſanctificationem & reſtitutionem vitæ æternæ, quæ fit, Filio Dei per Euangelium conſolante nos, & dante Spiritum ſanctum, & poſtea glorificante Eccleſiam poſt reſuſcitationem ex mortuis. Huius aſſeuerationis firma & perſpicua teſtimonia ſemper in conſpectu ſint, non tantùm ad refutandos Pelagianos, ſed multò magis ob hanc cauſam, vt cogitantes de noſtra infirmitate, quæramus Mediatorem, qui pro nobis impleat Legem, & petamus in nobis reſtitui cõformitatem cum Lege.

ſcilicet nobiſcũ naſcatur illa ἀτα ξία & morbus, qui vſitatè vocatur peccatum originis. Cùm autem Pelagiani deleant doctrinã de peccato originis, nõ eſt obſcurum piis, quantum doctrinæ Pelagij tribuẽdum ſit. Eſt enim ſimpliciter falſa & blaſphema. Deinde errat Pelagius de Lege, quia fingit Legẽ nihil poſtulare, quàm externam diſciplinam ſeu externa opera. Hinc eſt illud ſomniũ de impletione Legis, quòd homo poſsit ſatisfacere Legi Dei ſine Spiritu ſancto. Diſciplinã quidẽ poteſt homo renatus vtcunque præſtare, ſed Legi ſatisfacere, Legem implere, hoc eſt, ardere dilectione Dei & proximi, non poteſt ſine gratia & ſine dono per gratiam, vt loquitur Paulus Roman. 5. De gratia docet Pelagius, quòd detur hominibus propter noſtra merita, & intelligit vocabulum gratiæ non de Spiritu ſancto, ſed de promulgatione Legis. Quartò, fic exaggerat vires liberi arbitrij, vt obruat ac ſepeliat actiones Filij Σ λόγου, & Spiritus ſancti in nobis, ac dicat poſſe nos propriis viribus excitare motus Deo placentes ſine Spiritu ſancto. Ex hac confuſione errorum Pelagianorum duos tantùm ad refutandum nunc elegimus, qui propriè ad noſtrum inſtitutum pertinent. Reliquos ſuo loco refutabimus, vbi peruentum fuerit ad doctrinam de iuſtificatione. Quod igitur ad articulum de impletione

tione Legis attinet, clarè affirmamus ſine obſcuritate & ſine ambiguitate, hominem ſine gratia & ſine dono per gratiam, nec incoare, nec perficere poſſe perfectam Legis obedientiam. Iam quærat aliquis, Quid vocat Paulus gratiam? quid donum per gratiam? Nobis, qui verſamur in ſchola Dialectica, non eſt difficilis explicatio diſcriminis inter gratiam & donum per gratiam. Gratia eſt in prædicamento Relationis. Eſt enim gratuita acceptatio perſonæ credentis propter Mediatorem. Hæc acceptatio ſeu approbatio & receptio eſt relatio. Donum verò per gratiam, quod ſemper cõiunctum eſt cum gratia, & non poteſt ab ea ſeparari, eſt Qualitas, id eſt, noua lux, noua iuſtitia & vita, accenſa in corde per Spiritum ſanctum. Conuenit autem cum dicto Pauli dictum Baptiſtæ Ioannes 1. Lex per Moſen data, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Quid efficit Lex? Aut iram operatur, quando rectè intelligitur: aut efficit hypocriſin per accidens, quando non rectè intelligitur. Eſt enim duplex Moyſis facies, velata & reuelata, tecta & retecta: ſi quis aſpicit Moſis faciem retectam, ſeu remoto velo, Lex efficit in eo pauores & conſternationes, agnitionem peccati & iræ Dei, iuxta dictũ Pauli Rom. 3. Per Legem agnitio peccati. Rom. 4. Lex iram operatur. Rom. 7. Per Legem peccatum fit excellẽter peccatum. Si quis autem alteram faciem intuetur, videlicet tectam & velatam, id eſt, Si quis non rectè intelligit Legem, ſicut Phariſæi & omnes hypocritæ: is induit falſam perſuaſionem iuſtitiæ & ſanctitatis, à qua longiſsimè abeſt. Hæc autem efficit Lex vel per ſe, vel per accidens, id eſt, vel rectè intellecta, vel malè intellecta. Iam conſideremus antitheſin. Per Chriſtum hęc duo Eccleſiæ ſunt exhibita, quorum alterum eſt gratia, alterum veritas. De gratia iam dictum eſt. Veritas autem non ſignificat hypocriſin, qualem Lex efficit per accidens, non rectè intellecta, non ſignificat fugacia & euaneſcentia bona, ſed vera bona, & permanẽtia, & durabilia in omni æternitate, cuiuſmodi ſunt vera conſolatiõ animorum in vita & morte, quæ eſt victrix omnium pauorum & trepidationum. Eſt etiam noua lux, noua iuſtitia, noua ſanctitas, noua vita & lætitia per Spiritum ſanctum accenſa. Prorſus idem ſignificãt veritas & donum per gratiam in cõcione Pauli Rom. 5. Eadem quoque ſententia eſt verborũ Chriſti Iohan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater diliget eum. Audis gratiam: ſequitur, Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Hîc audis veritatem & donum per gratiam. Primùm diligimur ab æterno Patre

propter Filium, hoc est, recipimur in gratiam, absolnimur à peccatis, cooptamur in hæreditatem vitæ æternæ, deinde iacto hoc fundamento sequitur veritas, donum per gratiam, & vt Christus loquitur, mansio totius Trinitatis in nostris cordibus. Non frustrà tãtum verborum facio de his tribus dictis Pauli, Baptistæ, & ipsius Christi, quia hæc collatio multum lucis affert studiosis pietatis, vt inde de multis magnis controuersiis rectè iudicare possint.

Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. Ad hanc Legem de dilectione Dei, natura hominis sine regeneratione nõ magis cõgruit, quàm lignum distortum ad ordinem ædificij. Etenim natura nostra non regenerata, aut secura cõtemnit iudicium Dei, aut plena est Academicarum dubitationum, aut perterrefacta fugit & odit Deum.

Est breue dictum, sed longum habet epiphonema.

Tria sunt membra huius enumerationis. Natura nostra non regenerata, aut est Epicurea, secura, negligens & contemnens iudicium Dei: aut est Academica, plena dubitationũ: aut est talis, vt perterrefacta Lege Dei, & oppressa mole ærumnarum fugiat & oderit Deum. Hæc sunt terribilia epitheta naturæ nostræ: de quibus & Propheta Ieremias inquit: Prauum est cor hominis, & ærumnosum, & inscrutabile. In rebus secundis est tumidum, in rebus aduersis timidum. Sed sumamus exempla, partim ex poëmatis, partim ex historiis, vt iuuentus hæc rectiùs intelligat. Nam Dialectica breuitas non satis mouet, nec penetrat in animos. Cyclops monstrosus ille homo apud Euripidem inquit: Ego nulla numina Deorum expauesco, sed vni Deorum maximo ventri meo omnes meas hostias consecro, Deos ceteros ignoro. Hęc vox Epicurea, Cyclopica, barbarica & Diabolica congruit cum dicto Psalmi 14. & 53. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. In corde inquit, quia non omnes sunt tanta impudentia, vt more Cyclopico suas cogitationes enuntient. Et tamen in corde ipsorum Deus est inane nomen, religio eis est inanis fabula. Sicut Itali solent dicere, quando in templa veniunt: Eamus ad communem errorem. Et Paulus III. dixit, Quantum nobis profuit fabula de Christo? De secundo membro sumamus exemplum ex Troiadibus Euripidis. Hecuba mater Hectoris & vxor Priami

Priami, capta Troia, exuta omni regia dignitate, incidit in acerbiſsimas calamitates, quibus cùm cruciaretur, ſic exclamat: ô Iuppiter difficilis cognitu, quidquid es, ſiue cælum, ſiue mens in cælo, Ego te inuoco, quanquam iam diu inuoco ignauum opitulatorem, & tamen quia vſitatum eſt in calamitatibus preces concipere & vota, ideo ego etiam tibi preces adhibeo. Hæc eſt Academica precatio, dubitans de eſſentia & voluntate Dei. Tertij membri exemplum ſumamus ex hiſtoriis Catonis Vticenſis, qui necem ſibi conſciuit, & Pompeij. Cato cùm audiuiſſet interfectum eſſe Pompeium in AEgypto, fugientem ex pugna Pharſalica, exclamat: Deus bone, quanta eſt obſcuritas rerum diuinarum! Antea Deus adiuuit Pompeium in cauſsis nõ valde bonis, nunc eum deſerit in cauſſa meliore, in defenſione patriæ & libertatis. Hæc querela tribuit Deo iniuſtitiam ac tyrannidem, onerantem miſeram & imbecillem naturam ſupra vires & contra ordinem iuſtitiæ. Pompeius verò fugiens ex acie, victus iam à Cæſare, venit ad Cratippum philoſophum in inſulam Lesbum, in qua Mitylene vrbs fuit præcipua & clariſsima. Nõ enim voluit ingredi in vrbem, cùm quidem à ciuibus amanter inuitaretur tanquam princeps populi Romani, ſed manſit aliquantiſper in horto Cratippi. Cum eo inter cetera diſputauit de prouidentia, dixit, ſe mirari, cur nunc deſeratur in cauſſa optima & iuſtiſsima, vt videbatur, cùm antea ſæpe in deterioribus cauſsis fuiſſet felix. Hæc exempla Cyclopis, Hecubæ, Catonis & Pompeij declarant propoſitionem: Natura noſtra non regenerata, aut ſecura contemnit iudicium Dei, aut perterrefacta fugit & odit Deum.

Leuit. 19: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Quàm autem natura noſtra ſine Spiritu ſancto huic Legi de dilectione proximi diſsimilis ſit, omnes ſani intelligunt, intuentes in tabellam à Paulo propoſitam 1 Corinth. 13. Dilectio eſt patiens, id eſt, non iracunda, non cupida vindictæ, benefica, non eſt æmulatrix, non inſidiatrix, ſeu fraudulenta, ſeu calumniatrix, non inflatur, non deformes geſtus habet, non ſua quærit, non eſt irritabilis, ſeu non admittit delationes non exploratas, non cogitat malum, ſeu non eſt ſuſpicax, non gaudet propter iniuſtitiam, ſed lætatur veritate, omnia ſuſtinet, omnia credit, omnia ſperat, omnia perfert. Quid intereſt inter ferre & perferre? Multum intereſt. Seneca dicit: Leue eſt ærumnas ferre, ſcilicet exiguo tempore, ſed per-

ferre graue, id eſt, perſeuerare in tolerantia, eſt res ardua. Nam diuturnitas multos frangit, multos emollit. Ideo pſalmus exclamat: Domine, ad adiuuandum me, feſtina. Eſt peremptoria citatio. Sed aſpiciamus tabellam dilectionis. Primùm, vt in hoc ſpeculo cernamus noſtras labes & maculas, & cogitemus, nos lõgiſsimè abeſſe ab officiis dilectionis, quæ in hac tabella recẽſentur. Si vnum aut alterum vtcunque præſtamus, tamẽ cetera nobis deſunt, & illa ipſa, quæ præſtamus, ſunt valde languida, & multis ſordibus cõtaminata Deinde non tantùm deploremus noſtras infirmitates, ſed petamus à Deo, vt det nobis Spiritum dilectionis. Sic enim à Paulo appellatur 2 Timoth. 1: Non dedit nobis Spiritum timiditatis, ſed Spiritum fortitudinis, contra dubitationes & cõtra metum in periculis, & Spiritum dilectionis, qui præſtat hæc officia, quæ Paulus hoc loco requirit, & Spiritum modeſtiæ. Expendamus igitur verba, quæ ſunt digna conſideratione.

Dilectio primùm eſt patiẽs] Patientia quid ſit, diximus in tractatu de virtutibus primi præcepti. Alia patientia refertur ad Deum, alia ad homines. Nominatur igitur patientia, ſiue obediamus Deo in ærumnis, quas vult nos ferre, ſiue toleremus iniuriam aliorum hominum. Quàm autem rara ſit hæc virtus, aut quàm ſit languida, omnes experimur. Credo neminem eſſe, qui poſsit huic regulæ opponere exceptionem. Omnes ſumus impatientes. Leuiter offenſi, Deus bone, quãtas irarum flammas concipimus!

Benefica] Beneficentia eſt virtus, quæ non modò neminem lædit, neminem iniuria afficit, ſed ſemper aliquid promit, quod aliis profit. Etiam in hac parte valde ſumus languidi.

Non eſt æmulatrix] Aemulatio eſt pugnare de antecellentia, & quidem iniuſtis modis, per calumnias & malas artes, ſicut videmus homines non habentes conſcientiam propriæ induſtriæ, obtrectare alienæ laudi, deformare alios impudentiſsimis mendaciis & calumniis, & dum ſomniant ſe velle creſcere, ſe ipſos deformãt. Si quis veram gloriam appetit, eum neceſſe eſt obtemperare regulæ, quam tradit Paulus Galat. 6: Probet vnuſquiſque ſuum opus, non dicit, alienum. Et ſic habebit gloriam apud ſe, nõ ex alio. Nemo fingat ſe poſſe veram gloriam parare, obtrectatione alienæ laudis, & extenuatione alienæ induſtriæ,

duſtriæ, ſed qui vult creſcere, obſequatur huic præcepto Pauli: Rectè factis & rectè dictis comparet ſibi laudem & gloriam, non maledictis, non malefactis. Similis eſt regula de appetenda gloria ad Philipp. 3: Si qua virtus, ſi qua laus. Ibi Paulus coniungens virtutem & laudem, id eſt, appetitionem bonæ famæ, ſignificat non inani oſtentatione, non obtrectatione aliorum nos debere creſcere, ſed vera virtute. virtus eſt fundamentum veræ gloriæ.

Non inſidiatrix] Verbum Græcum περιπερεύεται ſignificat practicas, malas artes, inſidias, machinationes, quæ omnia agunt ex occulto & inſidiis.

Non inflatur] Non eſt ſuperba, non eſt φίλαυτος, non ſibi blanditur, non ſibi placet, non ſe magnifacit propter dotes quas habet, ſed potiùs aliis ſeruit pro modo vocationis.

Non deformes geſtus habet] Hæc eſt deſcriptio modeſtiæ, quæ eſt ordo conueniens perſonis in omni ſermone, geſtu & actione. Huius virtutis pars eſt grauitas, σεμνότης, quæ tantùm facit neceſſaria, omittit non neceſſaria.

Non ſua quærit] id eſt, non eſt πλεονεκτική, nõ eſt mercatrix propriarum vtilitatum.

Non eſt irritabilis] id eſt, non admittit delationes, fabellas, rumuſculos, nõ exploratos. Hac in parte ſæpe omnes peccamus. Nimis ſumus creduli, nimis habemus patulas aures, ſatius erat interdum peſſulo oppoſito arcere fabellas.

Non cogitat malum] id eſt, non eſt ſuſpicax.

Non gaudet propter iniuſtitiam] id eſt, non eſt in dilectione ἐπιχαιρεκακία, quæ eſt lætari propter calamitatem hominum iuſtorum & innocentium. Propria nota Diaboli eſt lætari miſeriis Eccleſiæ. Sic igitur Paulus inquit: Dilectio non gaudet propter iniuſtitiam, id eſt, eſt ſine ἐπιχαιρεκακίᾳ, ſed lætatur veritate, id eſt, amans eſt veritatis, quia veritas debet gubernare omnes alias virtutes.

Omnia ſuſtinet] πάντα στέγει. hæc dicuntur de æquitate, quæ tolerat aliorum infirmitates, quæ nõ ſunt corruptelæ doctrinæ, aut enormia delicta.

Omnia credit] deſcriptio candoris. Non approbat Paulus ſtultam credulitatem, quæ eſt extremũ candoris, ſeu vitium pugnans cum candore, ſed laudat candorem, qui approbat alienas voluntates propter probabilem rationem.

Omnia ſperat] ſcilicet donec locus eſt emendationi. Nam homines alij ſunt ſanabiles, alij inſanabiles. Donec igitur ſpes eſt emendationis, bene ſperandum eſt de aliis. Poſtremò repetit præceptum de patientia maximè neceſſarium: Omnia perfert. Ferre enim ærumnas, leue eſt, perferre graue. Hæc de tabella dilectionis.

Roman. 8: Senſus carnis inimicitia eſt aduerſus Deũ. Legi enim Dei nõ ſubiicitur nec ſubiici poteſt. Hoc dictum non loquitur de diſciplina, quam homines in hac imbecillitate vtcunque efficere poſſunt: ſed de integra obedientia, qualis fuit in Adam ante lapſum, & qualis erit, cùm Deus erit omnia in omnibus beatis. Nam ſenſus carnis ſignificat & opiniones de Deo, & affectus, quales ſunt in humana natura non renata luce Euangelij & Spiritu ſancto. Conſtat enim in mente magna & triſtia mala eſſe, dubitationes de Deo, de prouidẽtia, de iudicio Dei, & de minis & promiſſionibus diuinis, de præſentia Dei in conſeruatione & ſuſtentatione

φρόνημα σαρκὸς. fleiſchlich geſinnet ſeyn. Inſigne eſt verbum φρόνημα, quo Paulus vtitur in Græco textu, Rom. 8: Ac rectè redditur vocabulo Senſus, vt Cicero loquitur in lib. 5 epiſt. Meus me ſenſus, quanta vis ſit fraterni amoris, admonet. In veteri trãſlatione textus ſic eſt redditus: ſapientia carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Vnde aliqui ſunt argumentati, philoſophiam eſſe inimicitiam contra Deum. φρόνημα non tãtùm ſignificat opiniones in mente, quas circumfert homo nõ renatus de Deo & de rebus diuinis, ſed etiam affectus voluntatis & cordis, qui comitantur illas opiniones ſeu notitias. Complectitur igitur τὴν ὄρεξιν, id eſt, actiones mentis & partis appetentis.

tatione rerum, & ignorationem Filij Dei. Postea sunt in voluntate & corde auersio à Deo, non habere timorem Dei, non ardere fide & dilectione, & sunt errantes motus innumerabiles, sicut æstus in Syrtibus, amores iniusti, odia iniusta, ambitio, cupiditas vindictæ. Hanc totam confusionem [ἀταξίαν] nominat Paulus sensum carnis, & hęc magna mala ait esse inimicitiam aduersus Deum.

Syrtes sunt loca arenosa & scopulosa in mari Africo. Súntque duæ Syrtes, maior & minor, & habent nomen à σύρω, id est, à tractione nauium, quia naues ad se rapiunt, & in gyrum torquẽt, & contortas absorbent. Sicut igitur æstus & fluctus variè agitantur in Syrtibus, in quibus crebra fiunt naufragia: sic & opiniones de Deo in mente humana tumultuantur, & ὁρμαὶ seu affectus in voluntate & corde habent varias agitationes & fluctus.

Hæ sententiæ satis perspicuæ sunt, & conuincunt omnes sanos, vt fateantur, non posse inchoari aut perfici impletionem Legis, id est, ardentem dilectionem Dei, & purum amorem proximi, nisi priùs accepta gratia & dono, quod cum gratia coniunctum est.

Alterum errorem, qui priori coniunctus est, refutant dicta perspicua Christi & Pauli Iohan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, nõ potest intrare regnum Dei.

Quid significat hoc in loco aqua? Aqua hoc loco non tantùm significat ceremoniam baptismi, sed complectitur omnes partes ministerij Euangelici. Nemo erit hæres regni æterni, nisi audiat vocem Euangelij, & vtatur Sacramentis, si potest ea habere, aut eis vti. Ac sit nota regula de vsu Sacramenti, tradita à Bernhardo: Non priuatio, sed contemtus Sacramenti condemnat. Multi martyres pro Christo sunt interfecti, non baptizati, & qui nunquã vsi sunt Cœna Domini. Sic multi infantes in vtero matern , aut editi in hanc lucẽ moriuntur, nõdum susceptο Sacramẽto baptismi. Ita latro in cruce nec baptizatus est, nec vsus est Cœna Domini, sed audiuit in furca vocem absolutionis: Hodie mecum eris in paradiso. Huic voci credens saluatus est. Non enim Deus sic alligauit gratiã suam Sacramẽtis, vt nemo possit saluari, qui non vtatur Sacramentis in casu necessitatis, qui non habet legem. Interea extra hunc casum nemo con-

temnere debet Sacramenta, ſed iuxta Dei mandatũ ſemel debet baptizari, & ſæpius vti Cœnà Domini. Hæc ideo dico, ne quis ex dicto, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, intẽpeſtiuè inferat, damnatos eſſe omnes, qui baptiſmum non acceperunt, ſicut multi ineptè faciunt. Rectè inquit Ambroſius de Imperatoribus Chriſtianis, qui mortui ſunt ante baptiſmum. Quanquam ceremoniam baptiſmi non conſequuti ſunt: tamen rem Sacramenti ſunt conſequuti. Aliud eſt enim Sacramentum, aliud res Sacramenti. Poteſt aliquis vti Sacramento, vt hypocrita quiſpiam, qui non conſequitur rem Sacramenti. In caſu neceſsitatis poteſt aliquis ſine Sacramento habere rem Sacramenti.

Iohan. 6: Nemo poteſt venire ad me, niſi quem Pater traxerit. Iohan. 15: Sine me nihil poteſtis facere. Rom. 8: Qui ducuntur Spiritu Dei, hi ſunt filij Dei. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, is non eſt Chriſti.

Auguſtinus egregiam conſequentiam texit ex hoc dicto Pauli de adiunctione & aggregatione ad Eccleſiam. Eſtne vera propoſitio: Extra Eccleſiam non eſt ſalus? Omnino, omnes ſaluandos neceſſe eſt aut eſſe, aut deinceps fieri membra Eccleſiæ veræ. Vnde poſſumus probare, quòd extra Eccleſiam non ſit ſalus? Audi quid dicat Auguſtinus tractatu 27 in Iohannem: Hæc dicuntur, vt amemus concordiam, & timeamus ſeparationem. Nihil enim debet ſic formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti. Si quis enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius, ſi non eſt membrum eius, non vegetatur Spiritu eius: quiſquis autem Spiritum Chriſti non habet, is nõ eſt eius. Interpres in Eccleſia non gignit nouum genus doctrinæ, ſed debet eſſe Grãmaticus, deinde Dialecticus, tertiò debet monſtrare vſum & applicationem dictorũ cæleſtium. Conſideremus igitur locum Auguſtini paulò attentiùs, qui eſt plenus dulciſsima conſolatione. Chriſtus vocatur caput Eccleſiæ. Eccleſia eſt corpus Chriſti. Nos ſinguli ſumus membra huius corporis. Quemadmodum igitur à capite per neruos defluunt ſpiritus in totum corpus & in ſingula membra, quæ accipiunt ſenſum & motum à cerebro per neruos: ita à capite noſtro Chriſto Deo & homine accipimus Spiritum ſanctum, qui tantùm mouet & agitat ſuum corpus & ſua membra. Si quis igitur eſt ſeparatus à corpore Eccleſiæ, non regitur à Spiritu ſancto, quia Spiritus eſt in corpore, non extra corpus. Qui autem

autem non habet Spiritum Christi, non est eius. Sit igitur præcipua cura omnium hominum, primùm rectè agnoscere Deum, discere doctrinam de Deo, altera cura proxima sit, adiungere nos ad societatem Ecclesiæ, cuius debemus esse viua non mortua membra.

1 Corinth. 2: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Significat enim ψυχικὸς homo viuentem vita naturali, hoc est, sensu & ratione naturali, sine Spiritu sancto. Sed quoniam veritas manifesta est, & quotidie nos ipsa naturæ infirmitas admonet de dicto, quo Ecclesia celebrat beneficia Spiritus sancti: Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium: Nolo in rebus apertissimis longiorem ponere orationem: quæ enim perspicua sunt, longa esse non debent.

Refutatio Manichæorum.

CAP. IV.

NON difficilis est refutatio Manichæorum, quia multi sunt in ea secta conflata ex Stoicis deliramentis, manifesti furores. Et extant vetustæ refutationes scriptæ ab Irenæo & Tertulliano contra Marcionem, & ab Augustino cõtra Manichæos, quas legere eruditos vtile est. Suprà autem refutaui præcipuum caput sectæ Manichææ de caussa peccati, quando recitaui perspicua testimonia diuina, quæ affirmant peccatum non esse ortum ab æterna natura, nec ex materia, sed à voluntate Diabolorum & primorum parentum, qui se liberè auerterunt à Deo. Nunc omissis erroribus de coniugio & de politico ordine, qui pugnant cum iudicio rationis,

Secta Manichæa est hydra multorum capitum, est chaos & sentina plurimorum furorũ. Nam erroris nomen est nimis lene in hac materia. Damnarunt Manichæi coniugium: dixerũt ortum esse à malo Deo, offensi haudduibiè miseriis & infirmitatibus vitæ coniugalis. Multæ sunt enim

& teſtantur eam ſectam & ſimiles Diabolorum organa eſſe, pauca dicam contra monſtroſa dogmata de materia & neceſsitate omnium actionum.

& magnæ infirmitates vtriuſque ſexus, & accedunt ad has infirmitates magnæ miſeriæ. Has intuentes Manichæi, damnarunt vniuerſum coniugij ordinem. Hic verò manifeſtus eſt furor Diaboli, teſte Paulo 1 Timoth. 4: vbi expreſsè vocat prohibitionem coniugij, doctrinam Dæmoniorum. Deinde damnarunt iſti nebulones peſsimi ac perditiſsimi politicum ordinem & politica officia, ſicut hac noſtra ætate & memoria Anabaptiſtæ. Hic error ita eſt manifeſtus, vt non deſideret apud bonos lõgiorem refutationem. Tertius error eſt de cauſſa peccati, de quo ſuprà diximus in titulo de cauſſa peccati. Nunc tantùm refutabimus duos errores: vnum de materia, alterum de neceſsitate omnium actionum. Fingunt enim Manichæi propter diuerſam materiam alios homines non poſſe cõuerti ad Deum, alios verò, vt ſic dicam, eſſe conuertibiles ad Deum, qui poſsint aſſuefieri & flecti ad virtutem. Hoc commentum de materiæ diuerſitate eſt falſiſsimum, quia vna eſt communis maſſa & eadem omnium hominum, teſte Paulo, Actor. 17, vbi dicit: Ex vno ſanguine omnes eſſe ortos & propagatos. Alterum commentum de neceſsitate omnium actionum eſt blaſphemia Diabolica, quæ afficit Deum horribili cõtumelia. Deus eſt tantùm cauſſa bonarum actionum, non malarum, ſicut ſuprà diximus ex Auguſtino: Deus quidem permittit peccata multa, ſed non approbat, non impellit ad peccatum.

Manifeſtum mendacium eſt, propter materiam diuerſam alios poſſe conuerti, alios non poſſe conuerti, quia certum eſt, non eſſe diſcrimen in propagatione hominum propter diuerſas materias, quòd ad peccatum attinet. Sed omnes ex Adam & Eua propagatos, & ex commixtione maris & fœminæ naſcẽtes afferre peccatum originis, vt cap. 5 ad Romanos perſpicuè dicitur.

Hoc dicitur ad differentiam Chriſti. Chriſtus eſt ſemen mulieris, non viri.

Per vnum hominem, ſcilicet Adam, introiuit peccatum in mundum, & per peccatum mors, & peruaſit ſeu penetrauit in omnes homines, quia omnes peccauerunt, id eſt, omnes habent peccatum. Peccatum hoc loco non ſignificat actionem phraſi Latina, ſed eſt phrãſis

phrasis Hebræa. Nam verba actiua apud Hebræos, non tantùm actionem, sed etiam habitum significant, seu quiddam habituale & perpetuum. Ex hoc dicto Pauli rectè sumitur refutatio Manichæorum de diuersitate materiæ. Est vna massa generis humani, & idem sanguis Adæ, & hic sanguis est pollutus in omnibus & singulis, excepto Christo, qui non est semen viri, sed tantùm fœminæ.

Rursus etiam omnes, qui in veris doloribus voce Euangelij, id est, promissione gratiæ eriguntur, fiunt hæredes æternæ salutis, nec consolatio excutienda est his imaginationibus, quæ fingunt discrimen in hominum materia esse, aut in Deo προσωποληψίαν. Et vtraque concio vniuersalis est, accusatio peccati in omnibus, qui nati sunt ex commixtione maris & fœminæ, & promissio gratiæ, iuxta hæc dicta: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Item Iohan. 3: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, &c. Et 1 Timoth. 2: Deus vult omnes homines saluos fieri. Et Actorum 10: Non est in Deo προσωποληψία.

Hoc dictum sæpe aliâs repetitur in Scriptura, vt Rom. 2, Colos. 3, & alibi passim. Si Deus volet, suo loco dicemus de prædestinatione, primùm totius corporis, deinde singulorum membrorum. De toto corpore firmissimè statuendum est, quòd extra Ecclesiam non sit salus, iuxta dictum: Quos elegit, hos & vocauit. Igitur non vocati non sunt electi. Non autem excludimus eos, qui tenentur sub tyrannide, quia Ecclesia complectitur omnes socios eiusdem cõfessionis, siue sint in Turcia, siue in Papatu, siue apud nos. De membris verò singulis sic statuendum est, hominem conuersum ad Deum vero timore & vera fide, in præsentia placere Deo, sine vlla dubitatione. Quòd si homo conuersus ante mortem non abiicit fidem, confessionem & inuocationẽ, sed moritur inuocato nomine Iesu Christi, is sine vlla dubitatione est in numero electorum, in quibus Deus erit omnia in omnibus, iuxta dicta: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Item, Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Item Matthæi 24: Qui perseuerauerit vsque ad finem, saluus erit. Potest homo labi ante mortem, & iterum resurgere. Sed loquimur iam de postremo agone, Qui in illo agone retinet scintillam fidei, quantumuis infirmam, & non abiicit inuocationẽ Dei, sed nutu aliquo & signo declarat se esse membrum Filij Dei & veræ Ecclesiæ,

& ſe expetere æternam conſuetudinem cum Deo, is haud dubiè electus eſt à Deo, & hæres vitæ æternæ. Non diſputo de Turcis, aut aliis. Quid enim illi ad nos pertinent, qui ſunt extra Eccleſiam? Sed nemo decipiat ſe ipſum, vt fingat ſe ideo eſſe electum, quòd verſetur in externa ſocietate Eccleſiæ. Multi hypocritæ & multi Epicurei ſunt in cœtu Eccleſiæ magno & paruo. Vnuſquiſque probet ſe, vt monet Paulus, & non reſpiciat ad alios.

Quòd verò Manichæi dixerunt, omnia neceſſariò fieri, bonas & malas actiones, id eſt, voluntates cogi tam ad bona, quàm ad mala opera, tetrum & Diabolicum mendacium eſt, contumelioſum aduerſus Deum, & pernicioſum moribus. Manifeſtum eſt enim Paulum affirmare, eſſe aliquam iuſtitiam carnis, quæ eſt externa gubernatio, qua homo liberè regit externa membra, ne faciant contra Legem Dei. Ideo inquit, Lex pædagogus eſt. Aliqua igitur libertas eſt etiã in non renatis, videlicet regendi externas actiones, ſeu vt nos loquimur, regendi locomotiuam. Multò verius eſt, libertas in renatis: Ioſeph adiuuatur à Spiritu ſancto, vt heri coniugem fugiat, & tamen liberè & volens, non coactus fugit. Dauid liberè & volens, non coactus rapit alterius coniugem, & poterat imperare externis membris, ne alienam attingeret, præſertim cùm antea domiciliũ fuiſſet Spiritus ſancti. Poſſe igitur labi renatos, oſtendunt exempla Aaronis, Saulis, Dauid, Petri, & aliorũ innumerabilium, quorum aliqui rurſus ad Deum conuertuntur, vt Aaron, Dauid, Petrus: aliqui ruunt in exitium æternum, vt Saul, non quòd ſint ab alia materia orti, ſed ſuæ voluntatis malitia. Hactenus breuiter refutaui duas contrarias hyperbolas [*Pelagianorum & Manichæorum*] quarum vna, vt bella meretricula fucata philoſophicis coloribus, hypocritas ad ſe inuitat: altera abſurda, monſtroſa, barbarica, velut Empuſa ſeu ſpectrum ſubinde alias formas induens, ſimilibus ingeniis confuſas chimæras obiicit. Nunc, Deo iuuante, ad veram ſententiam ſimplici expoſitione accedemus, in qua propoſitiones negatiuas & affirmatiuas recitabimus, vt intelligi poſsit, quid de viribus humanis exiſtimandum ſit.

Simile ſimili natura amicum eſt. Qui igitur habent monſtroſa ingenia, delectantur monſtroſis imaginationibus. Natura eſt rapax ſimilium, teſte Cicerone in lib de amicitia: Nihil eſt rapacius ſimilium, quàm natura.

Expoſitio

Expoſitio veræ ſententiæ de libertate voluntatis humanæ, ſeu de viribus humanis.

CAP. V.

VENVSTE dictũ eſt à Friderico Duce Saxoniæ, laudatæ memoriæ, de cõtrouerſiis ciuilibus: Multas cõtrouerſias facilè poſſe dirimi & finiri, ſi perſonæ ipſæ poſſent inter ſe cõciliari & colere cõcordiam. Non enim in foro ciuili ſemper parit obſcuritas rerum longas diſputationes, ſed perſonarũ litigantiũ calliditas veteratoria & pertinax odiũ. Quod autem ſapiens Princeps dixit de controuerſiis, quarum ipſe fuit iudex: id verè poteſt dici de multis controuerſiis in Eccleſia. Veritas in hoc articulo de libero arbitrio adeo manifeſta eſt, vt nemo poſsit ei niſi cæcus, ſurdus & fatuus bona conſcientia contradicere & repugnare. Sed perſonarum pertinaciter litigantium, & quærentium non veritatem, ſed materiam contentionis, vitio fit, vt videatur res valde eſſe obſcura & intricata. Deponamus igitur odia, calumnias, Sophiſticam, & his remotis, quæramus veritatem ſimplicem, ſicut demonſtratur in verbo diuinitus tradito, & in perpetuo conſenſu Catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ. Hac methodo, via & ratione facilè poterimus peruenire ad metam optatam, & aſpicere lucem veritatis. Si quis autem ſibi ipſi, volens, & ſciens, & prudens obſtruit aditum, & officit ſuis luminibus, is ſe accuſet, non rem ipſam & veritatem: ſed omiſsis talibus παθηματίαις, quibus non eſt opus in bona cauſſa, accedamus ad rem ipſam.

Etſi veriſsima eſt Auguſtini querela de difficultate huius diſputationis, quæ extat in lib. 1 de peccato originis contra Pelagianos, quam ſuprà recitaui: Iſta quæſtio, vbi de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur. Quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri: tamen cùm veritas, vt

Difficultas iſta non eſt ex vitio rei, ſed ex vitio hominum.

idem Augustinus ait, citante Prospero, sententia 138, & credēda sit, & loquenda: dicam de re tanta, non quantum debeo, sed quantum possum: sic tamen, vt oratio congruat ad vocem, quā Deus ipse nobis tradidit. Sit igitur hæc prima propositio.

Prosper collegit 300 & aliquot insuper sententias ex Augustino tanquam flosculos & ἀξιώματα Theologica.

Hic aphorismus sumtus est ex dicto Pauli, Roman. 10: Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Quòd si confessus fueris ore tuo Iesum Christum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris.

Homo post lapsum, etsi horribiliter spoliatus & sauciatus est à latronibus Diabolis: tamen non transformatus est in aliam speciem, vt verbi caussa, in truncum vel asinum, sed adhuc est & manet homo præditus mente & voluntate, & habet modum agendi, quo differt natura rationalis à bruta.

Credo quibusdam hanc propositionem videri non necessariam. Sed qui versati sunt in his disputationibus, & legerunt aduersariorum scripta, & audiuerunt ipsos coràm loquētes, possunt facilè existimare, quo cōsilio, & quibus de caussis hanc propositionem repetiuerim in primo aditu seu in vestibulo huius doctrinæ. Dolendum est quidem & deplorandum veris gemitibus & lacrymis, tantam barbariē post mortem Lutherr piæ memoriæ, irrepsisse in Ecclesiā, vt iam sit nobis dimicādum de primis principiis, quæ debebant esse nota pueris & puellis. In scriptis Flacij, præsertim in eo scripto, quod continet disputationem de libero arbitrio, manifestè hæc leguntur, & possunt cognosci ab omnibus, qui volunt cognoscere, quòd homo non sit animal rationale in Theologia, & quòd nullam prorsus habeat naturalem de Deo notitiam, & quòd sit truncus, asinus, saxum &c. Hæc non exaggerantur à me odiosè, sed palàm leguntur & extant in ipsorum scriptis, & defenduntur miris præstigiis sophismatum. Sic argumentor more Flacianorum:

In psalmo 49 scribitur: Homo iumento est comparatus.

Ergo homo non differt à bruto.

Valétne consequentia? Non. Quare non valet? Quia simile non est idem, & nullum simile currit quatuor pedibus. Quain re comparat psalmus hominem iumento? Comparat hominem iumento, quod

quod ad mortalitatem attinet, seu ad mortalem conditionem. Homo est initiò conditus ad immortalitatem & vitam æternam, aliæ bestiæ sunt conditæ ad exiguum tempus vitæ, quo cõfecto desinunt viuere, & redeunt in nihilum. Iam verò homo factus mortalis, similis est iumento, quia si externam speciem consideras, non aliter moritur homo, quàm asinus aut canis moritur, sepelitur, putrefit. Loquor iam de externa specie & de corpore, non dico de omnibus congruere similitudinem. Comparationes debent candidè intelligi, non sophisticè & cauillatoriè. Ergo hoc tantùm sequitur ex illo dicto, hominem esse similem iumento, quod ad mortalitatem attinet, sed alia tamen est causa mortis in bestiis, alia in hominibus. In bestiis ordinatio & voluntas Dei sic & non aliter creantis bestias, est causa mortis. In nobis autem est causa mortis peccatum, nec Deus vult mortem, quatenus nihil est aliud, quàm destructio sui operis in natura humana, sed punit naturæ humanæ peccatum morte, propter suam iustitiam.

Rursus argumentor ex psalmo 73.

Ego factus sum coram te iumentum.
Ergo homo non differt à bruta natura.

Qua in re versatur illa collatio hominis & iumenti? Respondeo. Loquitur hoc in loco de obsequio sine contumacia. Sicut asinus, aut equus, aut bos sequitur suum ductorem sine contumacia, & non disputat de via, per quam est incedendum: ita inquit Propheta in eo psalmo, Ego sequor ductum & gubernationem diuinam, & non amplius disputo de causis, quare alij homines in hac vita sint felices & florentes, cùm tamen sint impij, alij verò pij duriter premantur & exerceantur calamitatibus. Si respiciamus ad summam totius psalmi, & ad argumentum, facilè intelligemus, hanc responsionem esse veram, non aliunde importatam. Totus enim psalmus est disputatio de euentuum confusione, vt videtur, & inæqualitate, quæ maximè perturbat mentes humanas, cogitantes de prouidentia diuina. Sic enim argumentatur mens humana: Bonis debet esse bene, & malis malè in hac vita. sed non sic, imò contrarium fieri videtur. Ergo nulla est diuina prouidẽtia. Fatetur ergo Propheta, author illius psalmi, se diu quidem conflictatum esse cum hac tentatione, sed tandem eluctatum, & iam se, omissa omni disputatione sequi Deum ducentem & monstrantem iter, sicut iumentum aliquod sequitur suum ductorem & gubernatorem, aut sessorẽ. Hæc est sententia verissima,

& habet teſtem Theodoretum in quadam oratione de prouidentia. Magnum probrum eſt iſta negari in Eccleſia. Quando poſteri audiẽt nos iſta agitaſſe, deridebunt noſtram ſtultitiam, ſed reſpondendum eſt ſtultis, ne videantur ſapere.

Hanc propoſitionem confirmat articulus de incarnatione Verbi, de quo traditur regula, Filium Dei aſſumſiſſe naturam humanam, integram, incorruptam, habẽtem omnes vires & appetitiones naturæ proprias ſine peccato.

Hæc regula traditur à Paulo expreſsè Hebr. 4: Habemus Pontificem, qui poteſt compati noſtris infirmitatibus, ſed tentatũ per omnia iuxta ſimilitudinem abſque peccato. Si nobis eſt ſimilis ſine peccato: Igitur homo non eſt transformatus per metamorphoſin Flacianam, in truncum, aut aſinum, aut ſtatuam. Eſt quidem in homine peccatum, quod omnes ſani & pij in Eccleſia non tantùm fatentur, ſed etiam deplorant. Sed inde non ſequitur, ipſam carnis ſubſtãtiam eſſe malam, aut totam ſpeciem hominis eſſe abolitam & mutatam in lapſu. Hæ ſunt hyperbolæ Manichææ & Diabolicæ. Auguſtinus in lib. 10 de ciuitate Dei, cap. 24: Bonus, verúſque Mediator oſtendit peccatum eſſe malum, non carnis ſubſtantiam vel naturam.

Cùm igitur anima Chriſti ſuum habeat intellectum & ſuam voluntatẽ, & Chriſtus verè ſit filius Abrahæ & Dauidis ſecundum carnem: profectò confitẽdum eſt, hominem non eſſe expertem mentis & voluntatis, nec eſſe animal irrationale.

id eſt, ſecundum corpus & animam. Caro hîc ſignificat totum hominem.

Eandem ſentẽtiam vel confirmant vel illuſtrant hęc dicta Auguſtini in libro de Spiritu & litera, cap. 28: Non omni modo deletum eſt in hominis corde per peccatum, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearetur, impreſſum fuerat, neque adeo imago Dei detrita eſt illa labe, vt nulla in anima, velut lineamẽ-

Hæc verba Auguſtini citata ſunt ex eo libello, de quo ipſe ſcribit in libris retractationũ, quòd ſingulari diligentia, pietate & fide voluerit explicare diſcrimen literæ & Spiritus, id eſt, actionũ carnis, & actionum Spiritus, & ex profeſſo agitat quæſtionem de ta ex-

ta extrema remanserint. Remansit enim, quòd homo non nisi rationalis esse potest.

libero arbitrio, sicut norunt omnes lectores eius libelli, & tantum tribuit huic scripto tota Academia VVitebergẽsis, vt viuo Luthero piæ memoriæ, libellus ille sit editus cum præfatione & insigni commendatione, & publicè sit inter ordinarias lectiones studiosis Theologiæ propositus. Ego ipse audiui partẽ libelli illius explicari à Doctore Pomerano. Quare nemo putet, me fucum facere auditoribus. Scio non omnia sine delectu esse citãda, sed quæ ex hoc libello citaui, scio probari omnibus piis Theologis viuis & mortuis.

Ex libro 22 de ciuitate Dei, cap. 24: In homine non penitus extincta est quædam velut scintilla rationis, in qua factus est ad imaginem Dei, psal. 42. Ergo intelligamus habere nos aliquid vbi imago Dei est, mentem scilicet atque rationem. Ipsa est qua capimus iustum & iniustum, ipsa est, qua discimus verum à falso, ipsa est, quæ vocatur intellectus, quo carent bestiæ, quem intellectum quisquis in sese negligit, & postponit ceteris, & ita abiicit, quasi non habeat: audiat ex psalmo: Nolite esse sicut equus aut mulus, in quibus non est intellectus.

Tractatu 1 in Iohan. Pecora non illuminantur, quia pecora nõ habent rationales mentes quæ possint videre sapientiam. Homo autem factus ad imaginem Dei, habet naturalem mentem, per quam potest percipere sapientiam. Ergo Christus lux est, non animalium quorumcunque, sed hominum.

Cur Iohan. 1 dicitur: Vita erat lux hominum? Ad differentiam omnium aliarum bestiarum, quæ non sunt capaces specialis præsentiæ Dei & τοῦ λόγου, & illius vitæ, quam Euangeliũ promittit credentibus. Sed omissis ceteris, tãtùm hoc axioma nunc repeto, quod est traditum in multis scriptis à Domino Philippo præceptore piæ memoriæ. Si homo non esset natura intelligẽs, Deus etiam post lapsum non posset se homini communicare. Suprà diximus de quatuor gradibus præsentiæ Dei, non iam loquimur de vniuersali præsentia Dei, quæ pertinet ad creaturas rationales & irrationales, sed loquimur de speciali præsentia Dei, qua Deus sese & sua bona nobis communicat. Hæc communicatio liberalissima nõ posset fieri, si subiectum non esset capax luminis, & iustitiæ, & vitæ. Ita Augustinus inquit: τοῦ λόγου Filius Dei non est lumen quorumcunque animalium, sed

tantùm hominum, quia homo habet rationalem mentem, quæ est capax lucis diuinæ. Non dicimus hominẽ à se ipso illuminari & viuificari. Quis hoc diceret, nisi extremè furens? sed homo talis est, vt posit capere lucem diuinam, aut repudiare & reiicere, obstructis foraminibus, per quæ illabitur lux Solis iustitiæ, videlicet Christi. Hæc non proposuissem, nisi verum esset illud vetus: Ex malis moribus bonæ leges natæ sunt. Sæpe impudentia & pertinacia aduersariorum cogit declarare & illustrare prima principia. Ac profectò negare, hominem esse hominem, vel tollere hominem ex homine, est negare prima principia, & contra tales non est disputãdum, aut frustrà disputatur. Neque ego nunc disputo contentiosè, sed tantùm iuniores præmoneo, cogente ratione mei officij, ne applaudant omnibus clamoribus & opinionibus, nondum satis exploratis. Hæc est igitur prima propositio, in qua clarè & expressè diximus, hominem post lapsum primorum parentum non esse transformatum in aliam speciem, vt verbi caussa, in truncum, aut asinum, sed adhuc retinere, vt Augustinus loquitur, quædam lineamenta, ex quibus species agnosci potest. Neque verò ex scalmo, vt in prouerbio dicitur, facimus nauem, nec ex musca elephantem: sed hoc tantùm tribuimus homini, quod Deus ipse voluit in nobis esse reliquum, propter suam gloriam, & propter nostram salutem. Si enim homo non esset præditus mente & ratione, & esset natura bruta: nec Deus posset se communicare hominum generi, nec vicissim agnosci & celebrari doctrina & obedientia in genere humano. Hæc sunt adeo manifesta, vt penè nos pudeat versari tam diu in his primis principiis, aut declarandis, aut illustrandis.

Sequitur altera propositio negatiua, quæ detrahit homini δύναμιν seu facultatem, qua possit liberari ab ira Dei, à peccato, à morte æterna, propriis viribus aut meritis. Nam hæc liberatio est solius Christi beneficium integrum, vt Iohan. 8 scribitur: Si vos liberauerit Filius, scilicet ab ira Dei, à morte æterna, à tyrannide Satanæ, à seruitute peccati, verè eritis liberi. Quod attinet ad hanc seruitutem peccati & mortis, nullam prorsus δύναμιν, seu efficaciam, seu facultatem homini tribuimus.

II propositio. Manifestum est, homines in hac deprauata natura non posse tollere peccatum & mortem, id est, exuere prauas inclinationes, & liberare se ab ira Dei, à morte corporali & æterna, propriis

propriis viribus, aut operibus, aut virtutibus, aut meritis, nec posse satisfacere Legi Dei. Sed hæc liberatio à peccato & à morte fit propter Filium Dei, & per eum. Primùm in hac vita imputatione iustitiæ, & incoatione nouæ & æternæ vitæ & iustitiæ, postea consummatione in vita æterna. De hac tota liberatione dicitur Iohannis 8. Si Filius vos liberauerit, verè eritis liberi &c. Consideretur tota concio apud Iohannem cap. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati: seruus autem non semper manet in domo domini sui. Si autem Filius vos liberauerit, verè eritis liberi. Seruũ esse peccati, nihil aliud est, quàm iacere oppressum mole intolerabili iræ diuinæ aduersus nostra peccata, & circumferre in natura horribilem depravationem, & propter hæc mala destinatum esse nõ tantùm morti corporis, sed etiam æternæ damnationi. Quæ potest autem maior miseria cogitari, quàm hæc ipsa, quæ describitur appellatione seruitutis peccati. Econtrà nihil est dulcius, & nihil debet esse gratius piæ menti, quàm consideratio huius libertatis, quam nobis promittit Filius Dei, inquiens: Si vos Filius liberauerit, verè ὄντως eritis liberi. De hac libertate plura solent dici, quando recitãtur gradus libertatis Christianæ, quia verò hæc non sunt in controuersia, nolo in iis immorari.

III Propositio: Homo non renatus potest regere vtcunque locomotiuam, id est, flectere externa membra ad actiones congruẽtes cum Lege Dei. Hanc qualemcunque libertatem Paulus homini tribuit, quia fatetur in non renatis aliquam esse iustitiam carnis, vt cùm inquit ad Titum: Non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus. Quoties autem de disciplina cogitamus, veniat in mentem primorum parentum, qui post lapsum suam nuditatem tegunt foliis fici. Vt enim primi parentes, cùm non possent tristissima vulnera à Diabolo accepta sanare: externam deformitatem vtcunque tegebant: sic homines in hac imbecillitate naturalibus viribus disciplinam aliquo modo efficere possunt.

IV Propositio: Necesse est in vera cõuersione ad Deum, mentem à Filio Dei per Euangeliũ illuminari, & voluntatem à Spiritu sancto efficaciter trahi. In hac propositione decet pios maximè esse attentos, & iudicare sine anteceptis opinionibus, an in ea dicatur aliquid pugnans cum analogia fidei: aut

cum ipſa veritate & experientia ſpirituali: aut cum perpetuo conſenſu catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ. Ac in bona quidem cauſa, vt dicit Pindarus, tria verba ſufficiunt. Sicut enim Syllogiſmus bonus tantùm habet tres terminos & tres propoſitiones, & non eſt infinita declamatio: ita non eſt neceſſe, caput controuerſiæ in hoc articulo declamatoriè proponere, ſed ſatis eſt Dialectica breuitate perſpicuè rei ſummam exponere.

Quod cùm ſit, homo aſſentitur promiſsioni gratiæ, nō propriis viribus, ſed per Spiritum ſanctum, qui hoc modo in conſideratione verbi, & non aliter eſt efficax.

Eſt breuis propoſitio, ſed complectitur omnia quę poſſunt dici vtiliter de pręcipuo capite, quod eſt in cōtrouerſia poſitum. Quid ſit vera cōuerſio nemo ignorat, aut certè ignorare nemo debet, cùm tota vita Chriſtiana nihil aliud ſit aut eſſe debeat, quàm perpetua pœnitentia, quæ complectitur timorem Dei, fidem & nouam obedientiam. Non igitur volo diſputare de vocabulo cōuerſionis, quod tam eſt notum piis, quàm Geometris ſunt notæ definitiones circuli & quadrati. Quid autem neceſſe eſt fieri in conuerſione ad Deum? Primùm neceſſe eſt, mentem à Filio Dei per Euangelium illuminari. Quare tribuo Filio Dei hanc actionem, videlicet mentis illuminationem pulſis tenebris, quæ nobiſcum naturaliter naſcuntur? Propter dicta, quę mox recitabo in confirmatione, quorum alterum extat Iohan. 1. alterum Matth. 11. Iohan. 1 dicitur: In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Et paulò pòſt: Illuminat omnem hominem venientem in mundum. Eſt enim Filius ſplendor lucis paternæ, & lumen de lumine, vt dicitur in Symbolo Niceno. Ideo rectè tribuitur Filio actio in mente, id eſt, illuminatio ſeu illuſtratio mentis. Alterum dictum eſt apud Matth. 11: Nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui Filius voluerit reuelare. Iam quæritur, quomodo reuelet Filius voluntatem Patris de noſtra ſalute, & quomodo illuminet noſtras mentes? Reſpondeo. Per Euangelium, vt Iohan. 1 dicitur: Deum nemo vidit vnquam: Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis. Non igitur ſeparamus illuminationem, quę eſt beneficium Filij Dei, à voce Euangelii audita, lecta & cogitata: ſed ſemper addimus hoc inſtrumentum, quod eſt ordinatum decreto diuino. Additur autem in propoſitione: *Et voluntatem à Spiritu ſancto efficaciter trahi.* Quare tribuimus tractionem voluntatis Spiritui ſancto? cùm tamen vera

ſit

sit regula Augustini: Actiones diuinæ ad extra sunt communes. Et Iohannis 6 dicitur: Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum. Cur non potiùs tribuitur Patri hæc tractio voluntatis? Respõdeo. Etsi viuificatio fit per omnes personas, & est cõmune opus triũ personarum: tamen fit quodam ordine. Sicut enim à Patre per Filium in Spiritu sancto omnia sunt condita, & omni tempore conseruantur, ita Pater trahit per Filium illuminantem, & in Spiritu sancto mouente & ducente voluntatem humanam, vt Roman. 8 dicitur: Qui Spiritu Dei ducuntur, id est, agitantur, mouentur, hi sunt filij Dei. Non igitur excludo Patrem ab hac actione, sed sequor ordinem actionum, qui sæpe in Scriptura exprimitur. Quomodo autẽ trahit Spiritus sanctus? Hîc in propositione dicitur, trahi voluntatem efficaciter, hoc est, Spiritus sanctus per verbum, quod nunquã excludimus, restituit voluntati δύναμιν, seu efficaciam, seu facultatem credendi, quæ est amissa in lapsu. Hanc δύναμιν, hanc efficaciã non tribuo nostris viribus, quod esset blasphemum aduersus Spiritum sanctum, & Filium Dei, sed tribuo autori suum effectũ & suum opus. Ideo dico, voluntatem à Spiritu sancto efficaciter trahi, scilicet restituta δυνάμει credendi.

Quod cùm fit, homo assentitur promissioni gratiæ]

id est, amplectitur promissionem Euangelij de remissione peccatorum.

Non propriis viribus, sed per Spiritum sanctum]

Ergo voluntas, dicat aliquis, est otiosa, nihil agit, tantùm sculpitur vt statua. Responsio ad hãc obiectionem paulò pòst tradenda erit. Etsi δύναμις, efficacia & facultas credendi est donum Spiritus sancti, sine vlla controuersia, & sine vlla dubitatione, tamen hæc δύναμις non communicatur lignis, lapidibus, asinis, statuis, sed communicatur vel restituitur hominibus, id est, humanæ menti & voluntati, quæ est capax huius luminis & huius beneficij, de quo nunc loquimur. Aliæ creaturæ non sunt capaces tantorũ bonorum Filij Dei & Spiritus sancti. Christus enim est lux hominũ, non pecudum. Aliter agit homo, aliter brutũ vel truncus. Id nominatur agendi modus, siue vt veteres Theologi loquuntur, Nazianzenus, Bernhardus & alij, Solum liberum arbitrium est capax salutis. Sicut enim solus Deus salutem dat, & sicut nemo saluatur nisi per gratiam: ita nihil est quod saluetur, nisi liberũ

arbitrium. Ne quis verò putet me audacter aliquid noui affirmare, is quærat eandem ſententiã expreſſam & recitatã ſine inuolucris, & ſine vllis ambagibus in Confeſsione Eccleſiæ VVirtembergenſis, vbi clarè hæc verba leguntur: Etſi homo non habet, quo poſsit ſe liberare à peccato & morte: tamen habet, quo beneficia à Deo accipiat. Si igitur vis hoc vocare capacitatem, aut modum agendi, mea nihil intereſt, modò retineas rem, non pugnemus de verbis. Vides ergo in hac propoſitione coniungi hæc tria, Spiritum ſanctum, verbum, & voluntatem, ſed ſingula ſuo modo, ſuo loco, & ſuo ordine.

Huius aſſeuerationis ſunt multa teſtimonia perſpicua Iohannis & Pauli. Iohan. 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et in eodem capite: Quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.

Hîc coniunguntur à Iohanne duo correlatiua: Illuminatio, quę fit à Filio Dei, & receptio luminis, quæ fit in noſtris mentibus. Quotquot receperunt &c. Sicut autem correlatiua ſemper ſunt ſimul, & ſemper ſunt intelligenda ſimul, etiamſi alterum non nominetur, vt fides ſemper ſe habet correlatiuè ad promiſsionem, etiamſi non ſemper fidei fit mentio in promiſsione, aut promiſsionis, quoties de fide loquimur: Ita quando audimus dulciſsimum dictum de beneficiis Filij Dei, Iohan. 1. Filius illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: mox addamus hanc correlatiuam propoſitionem: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Eodem modo loquitur Paulus ad Timotheum, 2. Timoth. 1. Cuſtodi præclarum depoſitum per Spiritum ſanctum &c. Et 1. Timoth. 6. Apprehendite vitam æternam. Non ſatis eſt docere, quòd Filius Dei det vitam æternã gratis propter ſuum meritum, & propter ſuam obedientiam, ſed oportet mox addi correlatiuam ſententiam, quomodo apprehendatur & accipiatur vita æterna. Certè à nobis accipienda & apprehendenda eſt, ac niſi à nobis apprehendatur, fruſtrà nobis offertur, ideo ex fide gratis, vt ſit firma promiſsio. Sed dicat aliquis, Tu ipſe fateris, nos aſſentiri non propriis viribus, ſed per Spiritum ſanctum. Quomodo igitur dicis, nos recipere Chriſtum, aut apprehendere vitam æternam? Reſpondeo. Vtrumque eſt verum, & quòd per Spiritum ſanctum hæc præſtemus, & quòd nos ipſi aſſentiamur, & accipiamus vitam æternam. Non hæc pugnant inter ſe, ſed ſuauiſsimè congruunt. Sumus quidẽ paſsiui,

passiui, quo ad efficaciam & illam δύναμιν credendi: sed sumus etiam actiui, dum per Spiritum sanctum assentimur, & apprehendimus vitam æternam, & custodimus præclarum depositum. Hæc postea vberiùs explicabuntur in solutione argumentorum, quę opponuntur contra hanc sententiam. Christi beneficium est, illuminare, sed nos viderimus ne repellamus lumẽ in nos sparsum, & nobis oblatum, & quanquam hoc non possumus facere propriis viribus: tamen dum nobis restituitur δύναμις credẽdi, nostrum est repugnare dubitationi, & orare, vt fortiùs & efficaciùs trahamur.

Matth. 11. Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Iohan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum, Iohan. 19. Sine me nihil potestis facere. Rom. 8. Qui ducuntur Spiritu Dei, sunt filij eius. Si quis autem Spiritũ eius non habet, non est eius. Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credẽti. 1. Cor. 1. Placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes.

non intelligas violentam tractionem.

Iam respondebimus ad hanc obiectionem: Si Spiritus sanctus nos trahit, & Filius illuminat, & nos assentimur non propriis viribus, sed per Spiritum sanctum, quid igitur nos agimus? sumúsne prorsus otiosi aut ignaui, aut habemus nos repugnatiuè, hostiliter, & fremimus ac furenter insanimus cõtra Filium Dei? Hæ enim sunt voces Flacianorũ, & totus mũdus est repletus his vocib⁹, quòd homo in conuersione non tantùm repugnet Deo, sed etiam fremat contra Deum, & insaniat, & bacchetur, & enthusiasmo quodam ad credẽdum rapiatur. Hæc certè furiosorum sunt hominum, dicere hominem furere, insanire in conuersione, neque à me sunt ista ficta aut odiosè excogitata. Sed si quis vult videre istos thesauros, ego monstrabo ei plura in illorum libris, quàm libenter legat.

Etsi autem Spiritus sanctus accendit hanc fidem, vt dixi, per verbi cogitationem: tamen non est in homine efficax, tanquam in trunco nihil agente, sed ita hominem trahit ac conuertit, vt in adultis & doctrinam intelligentibus, aliquam velit esse voluntatis actionem, quæ suam efficaciam comitetur. Sciẽdum est igitur, fidem Dei donum esse & opus, sed donari vocatis & annuentibus,

hoc est, audientibus verbum Dei, idque cogitantibus, & assensu amplectentibus, & repugnantibus dubitationi, & in hac lucta petentibus auxilium Dei.

Si hæc essent Geometrica, possent pingi ante oculos in tabella, sed quia sunt Theologica, vtcunque sunt declaranda iuxta analogiam fidei. Vtraque propositio est vera: vna, fides est donũ Dei. Altera, per fidem accipimus Spiritum sanctum. Prima propositio extat Iohan. 6: Hoc est opus Dei, quod Deus efficit, vt credatis in eum. Altera propositio, quòd accipiatur Spiritus sanctus fide, extat Galat. 3, vt promissionem Spiritus per fidem accipiamus. Dicat aliquis. Ego non possum hæc conciliare: videntur hæc inter se pugnare. Respondeo, non pugnant. Donatio Spiritus sancti antecedit fidem, non tempore, sed ordine naturæ, sicut omnis causa ordine naturæ prior est suo effectu. Sæpe autem quod ad tempus attinet, simul sunt causa & effectus: Exemplum, Sol est causa diei, simul autem sunt & vno momento ortus Solis supra horizontem, & initium diei, nec possunt hæc discerni tempore aut successione partium: ita simul sunt hæc in corde humano. Donatur nobis Spiritus sanctus, qui est causa fidei, & fides assentitur verbo, & apprehendit remissionem peccatorum, & ipsum Spiritum sanctum, & vitam æternam. Fortasis videntur iunioribus hæc obscuriora & subtiliora, sed non possunt hęc, vt dixi, oculis subiici & pingi in tabulis. Vnusquisque in sua conuersione aut expertus est, aut experitur, aut experietur hæc ita se habere. Non oportet te imaginari interuallum temporis inter donationem Spiritus sancti & fidem, sed hæc concurrunt & connexa sunt, sicut ortus Solis & initium diei, & sunt duo correlatiua, quæ non possunt separari. Vbicunque Spiritus sanctus, ibi fides, & vbi fides, ibi Spiritus, & quanquam Spiritui sancto verè tribuitur efficacia & Δύναμις: tamen non sequitur, mentem & voluntatem, quatenus à Spiritu sancto trahitur, prorsus otiosam esse.

Hæc in quotidiana inuocatione, in qua aut fit, aut crescit conuersio, discenda sunt. Nequaquam verò audiendi sunt, qui fingunt, hominem in cõuersione non modò aduersa fronte repugnare, sed etiam furere aduersus Deum, quia non possunt si-

Si multi conciperent preces & vota ad Deum, & peterent se conuerti, id longè esset satius, quàm quòd multa volumina librorum inanium accumulãtur, mul-

mul esse in volũtate motus extremè pugnantes & contradictorij, velle bonum oblatum, & idem reiicere ac repudiare. & in omnibus conuiuiis & angulis, etiam inter pocula agitantur quæstiones de libero arbitrio. Ego scio, quòd multi qui ita temerè disputant, nunquam primis labiis gustarint, quid sit pœnitentia, quid vera inuocatio, quid vera patientia in ærumnis, nunquam senserunt dolores mortis, & pericula inferni, nunquam experti sunt efficaciam veræ doctrinæ in magnis certaminibus & doloribus. Spero autem, me hactenus summam veræ doctrinæ de causis conuersionis ad Deum ita exposuisse, vt nemo possit iure ac meritò mihi obiicere, quòd aliquid detraham de gloria Dei, vel de efficacia Filij Dei & Spiritus sancti. Liberè enim fateor, & grata mente prædico ἐνέργειαν, vt Græci loquuntur, id est, efficaciam Filij Dei, qui sua luce per Euangelium mentes nostras illustrat, pulsis tenebris naturaliter nobiscum natis, & Spiritus sancti efficaciter trahentis nostras voluntates & corda nostra, vt assentiantur Euangelio. Etsi autem verissimum est, fidem & totam conuersionem non esse opus nostrum, sed opus & donum Dei, non tantùm in initio, sed etiam in ipso incremento, & in perseuerantia vsque in finem, vt epistola ad Hebræos inquit cap. 13: Respicite ad Christum ducem fidei, & consummatorem: tamẽ confitendum est, dari fidem & Spiritum sanctum non furiosis, non contumaciter & pertinaciter repugnantibus & aspernantibus hoc donum Dei, sed iis, qui petunt se trahi à Deo, & non excutiunt trahentem & mouentem ipsum Spiritum sanctum. Non enim fieri potest, vt simul existant in corde humano motus extremè pugnantes & contradictorij, quales sunt furere & fremere aduersus Deum, & accipere beneficium oblatum. Sed ne videar hæc affirmare sine graui causa, addemus testimonia Græcæ & Latinæ Ecclesiæ de hac sententia.

Præclarè ergo Augustinus tractatu 27 in Iohannem, dixit: Qui resistit, non credit, nam qui resistit, quomodo viuificatur? Aduersarius est radio lucis, quo penetrandus est, non aduertit aciem, sed claudit mentem. Et psalm. 109: Homo non repellat resistendo quærentem se, & patiatur perditus inueniri se.

Sumamus declarationem à Sole, qui est fons lucis & vitalis potentiæ in tota rerum natura. Si tu non voles admittere lumen Solis, sed id, obstructis fenestris & omnibus foraminibus à te reieceris, nunquam te, aut domum tuam Sol luce sua illustrabit. Ita

quanquam Filius Dei est lux mundi & vita æterna, Iohan. 1. & hic Sol iustitiæ, Malach. 3. illuminat omnem hominem, scilicet qui illuminatur: tamen mox sequitur in eodem capite, Quotquot receperunt eum, his dedit potestatem filios Dei fieri. Scriptura sacra est tota copulatiua, nec iudicandum est ex singulis clausulis, sed tota series orationis piè considerandа est. Non igitur tantùm dicta colligenda sunt, quæ affirmant, & rectè quidem, Christum esse fontem lucis & vitæ æternæ, & nos omnes ex hoc fonte haurire, sicut Ioan. 1. dicitur: Ex plenitudine ipsius omnes accepimus gratiam pro gratia: sed etiam illa Scripturæ dicta sunt adiungenda, vt constet tota copulatiua, quæ de receptione lucis, hoc est, de assensu, quo amplectimur verbum, & accipimus oblata beneficia, concionantur.

Testimonia Græcæ & Latinæ Ecclesiæ, de hac sententia, quam recitaui.

CAPVT VI.

NON quidem nititur nostra fides vlla humana autoritate, sed petra firmissima ipso Dei verbo. Sed tamen quia Deus instituit ministerium, idq; vult audiri, iuxta Samsonis dictum: Nisi arassetis mea vitula, non inuenissetis: Nemo pius vnquam aspernatus est interpretationem & vocem perpetuam ministerij in Ecclesia, quod regitur non ab humanis opinionibus & affectibus, sed à Spiritu sancto. Neque ego hoc facio sine exemplo, quòd Patres cito, sed imitor D. Augustinum, qui in libro contra Iulianum, non modò citat sacras literas, sed etiam decē Patrum Græcorum & Latinorum expressa testimonia, & in fine, quasi in epilogo hæc verba addit: Non opus est, vt Patres in vnum locum nauigent ad Synodum, cùm multos scriptores coegerim in vnum librum, qui ad omnia loca nauigare potest. Sed pergat aliquis pertinaciter litigans, & perseuerans in suo proposito, sic cauillando: Tu opponis homines hominibus, cur non potiùs Deum vel Scripturam

Scripturam hominibus? Hæc videtur ſpecioſa oratio, ſed conſideretur perpetua conſuetudo Eccleſiæ in ſimilibus caſibus. Quandocũque orta eſt in Eccleſia controuerſia περὶ ῥητῆς διανοίας, neceſſe eſt in conſilium adhiberi perpetuam confeſsionem & cõſenſum Catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ. Quod enim ad Scripturam attinet, non minùs hæretici prætexunt dicta Scripturæ, quàm vera docentes. Legat qui volet, diſputationem Athanaſij cum Ario agitatam coram Probo, inde lector facilè poterit æſtimare, quãtum acertuum Scripturæ accumulauerit Arius ad cõfirmationem ſuæ blaſphemiæ: vt, Pater maior me eſt. Item: De die vltimo, nec Filius hominis, nec angeli norunt. Item, Tunc etiam Filius erit ſubiectus Patri. Fortaſsis homo imperitus iuraret, Arium eſſe virum ſanctum, & rectè ſentientem propter citationem Scripturæ. Sed hunc ita refutat Athanaſius, vt facilè conſtet candido lectori, penes quem ſtet veritas. Ita vos nolite perturbari ab iſtis pyratis, qui nauigant in mari verborum, & quidem verborum Dei non candidè, ſed calumniosè ad peregrinam ſententiam detortorum. Nónne etiam Diabolus in deſerto mille artibus oppugnans Filium Dei, in prima acie collocat dictum pſal. 91. Angelis ſuis mandauit de te &c. Quare non ſatis eſt citare Scripturam & verbum Dei, niſi etiam verbum rectè intelligas. Non eſt hic quæſtio de verbo Dei, ſed de natiua ſentẽtia. Papa in ſuis decretis multa citat, vt Matth. 16. Super hanc petram &c. Ioan. 21. Paſce oues meas, &c. Sed quo candore, qua ſententia, norunt pij & eruditi. Ita nemo vobis fucum faciat, etiamſi tota Biblia congerat in vnum locum, & glorietur pro ſe ſtare verbum Dei, ſi modò conſtet, tales Sycophantas tanquam pyratas verſari in mari verborum, & ignorare quid affirment aut negent. Si quis igitur adhuc cauilletur, nos vti teſtimoniis humanis: huic breuiter reſpondeo ſine ambagibus. Oppono homines hominibus, fateor. Sed quales, qualibus? Primùm pios hypocritis crudelibus & mendacibus: deinde ſanctos profanis, qui ſine timore Dei viuunt, & ſine fide. Tertiò, doctos indoctis, amantes veritatis contentioſis rixatoribus. Poſtremò, fide dignos vaniſsimis, leuiſsimis & peruerſiſsimis. Vtri igitur parti plus ſit credendum & tribuendum, iudicet Eccleſia, & vnuſquiſq; apud ſuum animum & conſcientiam. In his feriis canimus: Magis credẽdum eſt ſoli Mariæ veraci, quàm Iudæorum turbæ fallaci, id eſt, Vnicum Mariæ teſtimonium de Chriſti reſurrectione pluris eſt faciendum, quàm omnes Iudæorum clamores, cauillationes, mendacia &

calumniæ. Ita iuniores pluris faciant Græcos & Latinos ſcriptores ſanctitate, eruditione & meritis in Eccleſia celebres, quàm iſtos nouos rixatores, ne quid dicam aſperius.

Magna quidē certamina de libero arbitrio & olim mota ſunt, & hodie à vaniſsimis & peruerſiſsimis hominibus agitantur, qui contentionis cupidiores ſunt, quàm veritatis. Sed tamen hæc ſimplex ſententia, quam recitaui, perpetua vox eſt piorum in Eccleſia, vt ſanctorum ſcripta clarè teſtantur.

Epiphanius contra Apoſtolicos: Pietas non extorquetur coactione, ſed iuſtitia cum voluntatis electione cōiuncta eſt.

Græca verba extant pag. 220.
οὐχὶ ὑπ' ἀνάγκης ἡ θεοσέβεια, ἀλλ' ἐκ προαιρέσεως ἡ δικαιοσύνη.

Idem in refutatione Montani [*pag. 180.*] Quos Deus vocat, his nullam neceſsitatem affert, nec vincula iniicit, ſed relinquit eis ſponteam electionem, vt dicitur: Venite ſitientes ad me.

οὓς ἐκάλεσε, μετὰ προαιρέσεως κέκληκεν, οὐκ ἀνάγκῃ δεσμῶν ἄλλων, οὐ κλοιὸν ἐπιθέμενος. φάσκει γάρ, ὅτι οἱ διψῶντες ἐλθέτωσαν πρὸς ἐμέ.

Nazianzenus pag. 191. Quando audis, Quibus datum eſt, adde, datur vocatis, & ſic annuentibus.

ſcilicet Matth. 19. Non omnes poſſunt capere verbum hoc.
δέδοται τοῖς κεκλημένοις καὶ οὕτω νεύσασι.

Idem in lib. carminum in paſsionis hiſtoria. Deus neminem ſeruat inuitum, & vi coactum.

Chryſoſtomus Galat. 3. Non poteſt gratia Spiritus ſancti repellentibus dari.

Iuriſconſulti dicunt: Inuitis non poteſt donari, ſed poteſt eripi. Idem verè dici poteſt etiam in Theologia.

Idem 2. Theſſal. 3. Fidelis quidem Deus eſt, qui cùm promiſerit ſalutem, omnino ſaluabit, ſed ſicut promiſit. Quomodo autem promiſit? Si voluerimus & audiuerimus ipſum, nō quoquo modo, neque vt ligna, aut

Deus eſt ita efficax in Eccleſia & ſingulis piis, ſicut promiſit ſe fore efficacem.

Aliud eſt audire, aliud auſcultare. Multi ſunt auditores, ſed pauci auſcultatores. Lucæ 2. dilapides

lapides ignaui. πιστὸς γάρ ἐστιν θεὸς, ὃς ἐπαγγελλόμενος σῶσαι, πάντως σώσει, ἀλλὰ ὡς ἐπηγγείλατο. πῶς δὲ ἐπηγγείλατο; ἐὰν θέλωμεν, καὶ ἀκούωμεν αὐτοῦ, οὐκ ἁπλῶς, οὐδὲ ὡς ξύλα.

citur de Maria, quòd conseruarit omnia verba in corde suo. Et in parabola de semine: Illi sunt veri auditores, qui audiunt verbũ Dei & custodiunt, & fructum afferunt in patientia.

Macarius homilia 37. Cùm Paulus dicat: Deus est qui operatur in vobis velle & perficere: Cur Scriptura præcipit hoc facere? Iam diximus hominem à natura habere promtitudinem animi, quam Deus requirit. Iubet igitur, vt homo in primis cognoscat, & cùm cognôrit, amet, & voluntatem depromat. Vt autem mens exerceatur, laborem perferat, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti & credenti.

In eodem cap. 2. ad Philipp. præcipit Paulus, cum timore & tremore salutem vestram operamini. Hęc est vox prȩcepti. Deinde sequitur promissio dulcissima, non transferenda ad imaginationes Manichæas, sed ad cõsolationem piarum mentium. Deus est, qui efficit, vt velitis & perficiatis. Quomodo hæc congruunt, inquies? Antea prȩcepit, vt nos ipsi operemur nostram salutem, mox subiicit aliam sententiam, & planè, vt videtur, diuersam, Deus est, qui efficit &c.

Si Deus efficit, cur nos iubet operari?

Suidas testatur, hunc Macarium AEgyptium vixisse temporibus Arij, & fuisse clarum, non modò doctrina & pietate, sed etiam miraculis. Ait enim ab eo mortuos in vitam reuocatos esse. Ac tanta fuit autoritas huius viri, vt ipsius voce & cõcionibus valdè sint repressi, fracti & debilitati Ariani in Aegypto. Quãta autem fuerit eloquẽtia, doctrina, & pietate præditus, ostendunt 50. homiliæ, editæ Parisiis Græcè & Latinè, quæ iam venales habentur in omnibus bibliopoliis. Non cito homines obscuros, non vndecunque colligo suffragia, sed talium virorum dicta laudo, qui & ipsi in laude vixerunt. Et hactenus quidem audiuimus testimonia Græcæ Ecclesiæ, videlicet Epiphanij refutantis octoginta hæreses, Gregorij Naziãzeni, Chrysostomi & Macarij AEgyptij. Poteram & alios citare, vt Cyrillum, sed non necesse est in hac explicatione methodica omnia colligi & coaceruari. Nunc audiemus confessionem Latinæ Ecclesiæ, videlicet Augustini, & discipuli eius Prosperi, item Ambrosij, Hieronymi & Bernhardi. Priusquam verò accedimus ad testimonia Augustini,

obiter recitabo quendam locum ex hoc ſcriptore. Auguſtinus libro 2. retractat. cap. 37. In libro de Spiritu & litera: *Quantum Deus adiuuit, acriter diſputaui contra inimicos gratiæ* [id eſt, Pelagianos] *qua iuſtificatur impius.* Dicam iunioribus, quales ſint libri retractationũ, & quid contineant. In libris retractationum duo præſtat Auguſtinus, primùm recenſet ordine ſua ſcripta, & ſingulorum ſcriptorum argumenta & præcipua capita. Alterum eſt, quòd agit ipſe cenſurã piam & candidam de ſuis ſcriptis. Quod exemplum ſi multi & olim fuiſſent imitati, & hodie imitarentur, minus eſſet certaminum. Diſcernenda enim ſunt tempora, non ſolùm in ſacris literis, ſed etiam in ſcriptis humanis, iuxta regulam: Diſtingue tempora, & concordabis Scripturam. Sicut igitur differt lux meridiana, quæ eſt clariſſima, ab illa luce tenui & obſcura, quam ſpargit Sol ante ſuum ortum in aurora: ita in ſcriptoribus veteribus & recentioribus diſcernantur tempora, quibus ſinguli libri ſunt ſcripti & editi. Hanc regulam, ſi ſequemur, poterimus candidè iudicare de veteribus & recentioribus ſcriptoribus. Hac verò regula neglecta & violata, erimus Staphyli, Flacij & ſimiles ſycophantæ, & obiiciemus optimis ſcriptoribus, Auguſtino, Luthero, & aliis ἀντιλογίας, hoc eſt, contrarietatem & diſſonantiam. Hoc igitur agit Auguſtinus in ſuis libris retractationum, quòd non ſolùm ordine recenſet titulos & argumenta ſuorum librorum, ſed etiam admonet lectorem, vt diſcernat tempora ſcriptorum, & fatetur ipſe ſe profeciſſe, & incrementa lucis accepiſſe ſcribendo, docendo & diſputando. Quod autem ille ſummus vir de ſe, & ſuis ſcriptis dixit, id verè & candidè de ſcriptis & libris Lutheri dici poteſt. Conferat enim qui volet, candidè ſine præiudicio, enarrationem pſalmi 51. cum aliis quibuſdam horridioribus ſcriptis. Ex hac collatione facilè apparebit, qualis fuerit Lutherus in meridie, qualis item in aurora. Hæc credo piè & candidè, & ſine vllius, qui eſt amãtiſsimus ſcriptorum Lutheri (ſicut & ego ſum) offenſione dici & ſcribi poſſe. Et Lutherus eadem de ſe ſcribit in præfatione primi tomi ſuorum operum Latinorum.

Auguſtinus in lib. de Spiritu & litera cap. 34. Profectò & ipſum velle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos. Conſentire autem vocationi Dei,

Videntur hæc ſecum pugnare in explicatione, ſed enuntiemus hanc ſententiam Auguſtini,

vel

vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solùm non infirmat quod dictum est: Quid habes, quod non accepisti? sed etiam confirmat: Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat & accipiat, Dei est. Accipere autem & habere vtique accipientis & habentis est.

more Dialectico & verbis scholasticis. Voluntas humana partim se habet passiuè, partim actiuè, diuerso respectu. Scitis enim ex physica & Dialectica, actionẽ & passionem non re ipsa differre, sunt enim vnus & idem motus, sed tantùm terminis & relationibus. voluntas igitur humana in conuersione passiuè se habet, respectu efficaciæ vel doni diuinitus oblati. donum est Dei, non nostrum. Quid habes, ô homo, quod non accepisti? 1. Corinth. 4. Deinde habet se actiuè, quòd ad assensum attinet, quo beneficium diuinitus oblatum accipitur. Non igitur hæc inter se pugnant. Dare, est Dei, accipere, est nostrum, quanquam hoc ipsum accipere non fit nostris viribus, sed per efficaciam Spiritus sancti, qui voluntates & adiuuando præparat, & præparando adiuuat.

Idem tractatu 76. in Iohannem: Deus Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus *a* veniũt ad nos, dum venimus ad eos: veniunt *b* subueniendo, venimus obediẽdo: veniũt *c* illuminando, venimus *d* intuendo: veniunt implendo, venimus *e* capiendo.

a Vtrumq; legitur in Scriptura: Veniemus ad eos. Et: Venite ad me omnes.

b id est, opitulando, Rom. 8. Spiritus opitulatur nostræ infirmitati.

c Iohan. 1. Illuminat omnem hominem.

d Non sunt claudendi oculi, si velimus frui lumine Solis.

e Iohan. 1. Quotquot receperunt eum. Item Apocal. 3. Ego sto ante ostium & pulso, scilicet per vocem Euangelij & administrationem Sacramentorum, & si quis mihi aperuerit, id est, non repugnauerit contumaciter, pertinaciter, furiosè, ad hunc ingrediar, & cœnabo cum eo.

Et lib. 5. de ciuitate Dei cap. 19. Tales homines virtutes suas quãtascunq; in hac vita possũt habere, non tribuũt nisi gratiæ

Ita Paulus dicit 1. Cor. 15. Gratia Dei sum, quod sum.

Dei, quòd eas volentibus, credentibus, petentibusque dederit, simulque intelligunt, quantum sibi deest ad perfectionem iustitiæ, qualis est in sanctorum angelorum societate, cui se nituntur aptare.

id est, accommodare, assimulare. Nihil hîc dicitur de repugnantibus & frementibus.

Epistola 106. Omne opus bonum gratia præcedit, & id comitante, non ducente: præcessequa, non præuia voluntate.

Hoc est, quod vulgò dicitur, Præeunte gratia, comitante voluntate.

Prosper [*discipulus Augustini*] qui gubernauit Ecclesiam Rhegiensem annos circiter 20. sententia sexta ad capitula Gallorum: Qui dicit, quòd liberum arbitrium in homine nihil sit, non est Catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, & ab errore in viam reuocat ac reducit, vt quod sua libertate erat prauum, Spiritu Dei agente sit rectum.

id est, accendit. Est pulcra παρονομασία. Idem est quod Lutherus dicit: Spiritus sanctus est medicus naturæ humanæ, non destructor.

Idem contra Collatorem pag. 137. hanc sententiam cõcilij Affricani contra Pelagium recitat. Quotquot filij Dei sunt, hi Spiritu Dei ducũtur, vt nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonis quibuscunque volũtatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.

1. Corinth. 15. inquit Paulus: Ego plus laboraui ceteris. Cùm autem hoc videatur plenum esse arrogãtiæ, mox addit correctionem: Non autem ego, sed gratia Dei. Non excludit diligentiam & conatum voluntatis suæ, sed tamen omnia refert accepta gratiæ Dei. Hæc non pugnant inter se rectè distributa, nec quidquam detrahit gloriæ Dei.

Et in eodẽ libro pag. 147. Nõ vt inuitum hominem subigat, sed vt subiectionis cupidum faciat, nec vt ignorantem trahat, sed vt intelligentem sequentemque præcedat. Manens enim liberum arbi-

Metaphora sumta à pistoribus, qui massam subigunt.

arbitrium quod vtique cum ipso homine Deus condidit, à vanitatibus & cupiditatibus suis [*id est, à peccato originis*] in quas neglecta Dei Lege fluxerat, non à se ipso, sed à creatore mutatur [*Hæc semper fuit mea vox & confessio*] vt quidquid in eo in melius reficitur, nec sine illo [*scilicet assentiente*] fit qui sanat, nec nisi ab illo [*scilicet efficaciter trahente*] qui medetur.

Rursus est pulchra metaphora, quæ vsurpatur etiam Genes. 49. de Ruben primogenito Iacob. Tu effusus es, seu fluxisti instar aquæ. Aqua difficulter manet intra suas metas.

Item pag. 159. [ἀξίωμα *Theologicum*] Opitulationes diuinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ. volentes oramus, & tamen misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem Abba, Pater.

Paulus vtrumque habet. Vnũ extat Galat. 4. alterum Roman. 8. Galat. 4. inquit: Spiritus clamat Abba, Pater. Est enim Spiritus gratiæ & precum. Roman. 8. Nos clamamus Abba, Pater, sed per hunc Spiritum. Sic vtrumque rectè dicitur: Spiritus sanctus dat nobis vires & robur, vt possimus assentiri Euangelio: & nos assentimur promissioni per Spiritũ sanctum. vtraque propositio vera est. Imò hęc ita sunt correlatiua, vt separari non possint. Nos enim sumus, qui assentimur, non ipse Spiritus sanctus. Nusquam enim legitur, quòd Spiritus sanctus assentiatur Euangelio, sed de nobis hoc scribitur: Fides tua te saluum fecit: Non dicitur: fides Spiritus sancti. In enarratione Lutheri super psal. 51. hæc subinde repetuntur, quòd fides sit donum Dei & Spiritus sancti, & quòd tamen sit nostrum opus. Sic enim inquit Lutherus: Nos nihil aliud agimus in fide, quàm quòd apprehendimus promissionem, & assentimur Euangelio. Et tamen hoc ipsum est donum Dei.

Hieronymus dialogo primo aduersus Pelagianos: Sic homini liberum seruamus arbitriũ, vt Dei per singula non negemus adiutorium.

Nostri sancti, si diis placet, id est, hypocritæ non sancti abhorrent ab vtroque vocabulo, & liberi arbitrij, & adiutorij. Vtramque enim appellationem dicunt detrahere aliquid de gloria Dei, & nescio quid confirmare & stabilire: profectò metuunt culpam, vbi non est culpa, ac perinde faciũt, sicut

in paſsione Iudæi, qui nolebant ingredi in prætorium, vt poſſent edere paſcha. Interea verò polluebant ſe parricidio innocentis Chriſti. Tales ſunt ſanctuli iſti hypocritæ, qui peccare ſe putant, ſi vtantur iſtis vocabulis. Interea impunè interficiunt aut opprimunt calumniis quoſcunque poſſunt.

Ambroſius lib. 2. de vocatione gentium, cap. 9. Ipſa gratia hoc, omni generi medendi atque auxiliandi agit, vt in eo quem vocat, primam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem. Nam virtus nolentium nulla eſt, nec poteſt aſſeri, vel fidē, vel ſpem, vel charitatem eis ineſſe, quorum ab his bonus conſenſus alienus eſt.

Voluntas eſt miniſtra, ancilla, pediſſequa, comes Spiritus ſancti.

id eſt, repugnantiū, frementiū.

Hoc eſt idem, quod nos dicimus: voluntas eſt paſsiua quoad efficaciam, actiua quo ad aſſenſum: aſſentimur per Spiritum ſanctum, & tamen nos ſumus, qui aſſentimur, non Spiritus ſanctus. Is enim non opus habet apprehenſione promiſsionis, ſed nos ducit, trahit, flectit, mouet, vt aſſentiamur.

Bernhardus de gratia & libero arbitrio. Quod à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu eſſe non poteſt accipientis, quàm abſque gratia dantis. Tolle gratiam, non erit, quod ſaluet, tolle liberum arbitrium, non erit quod ſaluetur.

Idem in ſermone primo de aduentu. Si non valet infirmus [*paralyticus*] in occurſum tanti medici procedere longius, ſaltem conetur erigere caput, & aliquatenus aſſurgere venienti, vſque ad cordis compunctionem, & oris confeſsionem occurre, vt ſaltem exeas de ſterquilinio miſeræ conſcientiæ, quoniam indignum eſt, illuc autorem puritatis intrare.

In Græco prouerbio dicitur. Reprehendunt vinum & bibunt tamen. Hoc tempore ſunt aliqui medici, qui Auicennam ex alto deſpiciunt, & dicunt eſſe imperitum, ineruditum, barbarum ſcriptorem, indignum lectione ſtudioſorum artis Medicæ. Quàm verè iudicent, non eſt meum dicere. Illi verò ipſi contemtores Auicennæ, non poſſunt carere illius ſcriptis. Non poſſunt curare vnum aliquem morbum, niſi domi in cōſilium adhibeant Auicennam, qui in optimam metho-

methodum & epitomen redegit Galenum & Hippocratem. Ac si versio esset melior: omnes studiosi deberent sibi comparare Auicennam propter doctrinam physicam. Quod igitur accidit medicis illis, hoc vsu venit Flacianis. Etsi enim in otio, id est, in disputationum rixis, & in magna securitate, in qua viuunt, cõtemnunt hanc doctrinam Augustini, Prosperi, Bernhardi & aliorum: tamen quando accedunt ad ægrotos, aut ad supplicio afficiendos, vel etiam ipsi moriuntur, necesse est, vt hac doctrina vtantur, nisi vel ipsi velint opprimi desperatione, vel alios in desperatione relinquere. Quando ducuntur fures aut latrones ad patibulum, quid proponi potest ad cõsolationem ipsorum, nisi hæc & similia dicta? Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Item: Oues meæ vocem meam audiũt: Tu quidẽ es perdita & misera ouicula, & aberrasti à grege, sed adest pastor quærens te per legalem concionem, & hoc supplicium. Adest medicus offerẽs tibi remedium peccati & mortis. Noli igitur fugere pastorem, noli aspernari medicum, maledicere medico, fugere medicinam, sed potiùs vocem eius sequere, & pete ab eo remedia doloris. Certè his & similibus verbis vtendum est in consolatione. Non sunt perturbandi tales disputationibus illis: Expecta donec Deus te rapiat. Eadem sunt dicenda aliis infirmis & ægrotis, qui versantur in aditu mortis. Idem nobis singulis est inculcandum, quando nos Deus ex hac vita vocabit. Sed dicunt disputatorẽs illi: Aliud est in doctrina, aliud in consolatione. Quasi verò decipiat nos Deus in consolatione, aut ministri Euangelij decipiant ægrotos, vel alios miseros homines, qui versantur in postremo agone. Imò consolatio ex doctrina oritur. Non posset esse vera consolatio, nisi vera esset doctrina. Sicut doctrinæ medicæ finis est sanatio morbi: ita doctrinæ Euangelij finis est consolatio.

Hæ sententiæ piæ vetustatis nihil detrahunt de gloria Filij Dei & Spiritus sancti, sed tãtùm describunt modum agendi, quo differt natura rationalis à bruta. Tribuunt enim Deo efficaciam, qua mens, voluntas & cor in melius mutantur, & simul discernunt agens voluntarium, & agentia naturalia.

Solutio præcipuarum obiectionum contra veram ſententiam.

CAP. VII.

CVM ſophiſtica ſit infinita, non neceſſe eſt nos perſequi ſingulas cauillationes, quæ poſſunt, aut ſolent afferri contra veritatem, ſed ſatis eſt mõſtrari fontes, & contrariorum argumentorum, & ſolutionum. Sunt autem quinque fontes, ex quibus argumenta ducuntur contra ſentẽtiam, quam hactenus recitaui. Primus fons eſt prædeſtinatio. Secundus, peccatum originis. Tertius, actio Spiritus ſancti in nobis, ſeu ſanctificatio. Quartus, tyrannis Diaboli. Quintus, lucta carnis & Spiritus in renatis. I, A prædeſtinatione tale argumentum ducitur.

Non eſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei.
Ergo nulla eſt noſtra actio, ſed habemus nos tantùm paſsiuẽ, ſicut ſtatua, truncus, aut lapis.

De hoc argumento paulò pòſt reſpondebimus. Prædeſtinatio tollit meritum noſtrum, non actionem voluntatis. Si enim voluntas prorſus eſſet otioſa in conuerſione, non diceret Paulus: Non eſt volentis, ſed miſerentis Dei.

II, A peccato originis, ſic ſolent aduerſarij argumentari.
Homo eſt per peccatum mortuus in delictis.
Ergo nihil agit, iuxta axioma, Mortua natura non eſt efficax.

Reſpondeo. Etſi peccatum originis vitiat naturam: tamen non prorſus aufert eam, nec delet, nec mutat naturam humanam in aliam ſpeciem.

III, A ſanctificatione.

Spiritus ſanctus efficit in nobis velle & perficere.
Ergo nos nihil agimus.

Reſpondeo. Spiritus ſanctus non abolet, ſed adolet naturam, id eſt, non deſtruit, ſed ſanat: non aufert modum agendi in voluntate condita, ſed transfert in alium ſtatum, ſicut loquuntur Auguſtinus, Proſper & Bernhardus.

IV. Quarto

IV. Quarto loco tyrannis Diaboli prætexitur contrariæ opinioni.

Diabolus est tyrannus.

Tyrannus potest cogere subditos.

Ergo nulla est prorsus libertas in homine.

Respondeo, sicut respondet tota antiquitas, Macarius & alij. Diabolus habet vim persuadendi, non cogendi.

V, A lucta carnis & Spiritus tale argumentum sumitur Roman. 7.

In renatis sentitur lucta & pugna carnis & Spiritus.

Ergo homo habet se repugnatiuè & aduersatiuè ante conuersionem, in conuersione, & post conuersionem.

Respondeo. Non nego esse in nobis luctã carnis & Spiritus, quam quisque in seipso experitur, sed inde non sequitur, hominem omnino repugnare, id est, superbè & pertinaciter aduersari Spiritui sancto. Quod si fieret, excuteretur Spiritus sanctus. Dialecticè possumus respondere. Habitus & priuatio possunt esse in eodem subiecto, sed gradibus inæqualibus. Non dominatur in nobis peccatum, donec manemus renati & sancti, sed Spiritus dominatur. Hæc breuiter dicta deinceps vberiùs explicabimus.

Etsi in omnibus controuersiis prima cura esse debet, vt vera sententia mentes nostras muniamus, tamen quia hanc verisimam sententiam, quam hactenus exposui, quidam pertinaciter litigantes ineptis cauillationibus labefactare conantur, has breuiter diluemus.

Audio, quosdam sententiam meam ita accipere & interpretari, quasi congruat cum Flaciana opinione. Si quis peccat ignorãtia, huic facilè do veniam. Si quis verò malitia peccat & pertinacia, hunc sanet Dominus. Notæ sunt adultioribus narrationes venustissimæ de ineptis conciliatoribus sententiarum inter se pugnantium. Vna extat apud Platonem de Hippia, altera apud Ciceronem lib. 1 de legib. de Lucio Gellio. Vterque enim, Hippias & Gellius, conatus est conciliare philosophos Epicureos, Stoicos, Academicos, & alios inter se dissidentes, sed quo euentu, res ipsa ostendit. Quare omittamus has ineptias ineptorum conciliatorum, & teneamus quod verum est, siue videatur alicui congruere hęc sententia cum paradoxis Flacianis, siue non. Ego non

hoc ago, vt iam diſputem acerbè cum Flacianis, aut oſtendam, quomodo congruant hæ ſententiæ, aut non cõgruant, ſed permitto auditoribus iudicium & delectum ſententiarum. Si quis verò candidè, & ſine præiudicio quærit veritatem, is facilè animaduertere poterit, hanc doctrinam, quæ eſt vetus, non noua, præcipuè diſſentire à Flacianis paradoxis in ordine ſeu modo conuerſionis. Agit enim Deus per verbum, non vi magica, & agit in homine, non vt in trunco & beſtia, ſed vult verbum audiri, cogitari, apprehendi, nec cogit voluntatem, ſed flectit & inclinat ad obiecta mõſtrata in verbo, non vt ſimus & maneamus otioſi, aut repugnantes voci diuinæ, ſed vt velimus obedientiam in fide & operibus, quæ Deus præcipit. Et tamen hoc ipſum velle, Dei donum eſt, qui ex mala voluntate bonam facit.

PRIMA OBIECTIO.

Roman. 9: Non eſt volentis aut currentis, ſed miſerentis Dei. Ergo voluntas eſt otioſa in conuerſione, ſicut ſtatua.

RESPONDEO.

Hoc dictum nõ tollit actiones voluntatis, ſed tollit meritum, ſeu gloriationẽ detrahentem aliquid de laude miſericordiæ, quæ eſt cauſſa electionis. Requiritur enim voluntas, ſed tollitur meritum. Vult igitur cum miſericordia cõcurrere apprehenſionẽ in accipiente promiſsionem: vult te audire Euangelium, & non repugnare, non indulgere diffidẽtiæ, ſed luctari cum infirmitate, & petere, vt Spiritu ſancto adiiuueris: ſicut dictum eſt Roman. 8: Spiritus fert opem infirmitati noſtræ. Et ille apud Marcum 9 inquit: Credo, Domine, ſed fer opem diffidentiæ meæ.

Vt hæc ſolutio rectè intelligatur, vtar exemplo iuſtificationis. In doctrina de iuſtificatione vrgetur, & quidem rectè, particula GRATIS, vel ſola fide iuſtificamur, ſed hæc particula excluſiua rectè intelligẽda eſt. Excludit. n. non præſentiam obedientiæ, ſed meritum noſtrorum operũ remouet à cauſſa iuſtificationis, id eſt, vt vulgò loquimur, particula Gratis excludit opera, non vt nõ adſint, ſed vt nõ ſint cauſſæ & meritũ iuſtificationis. Latro in cruce gratis iuſtificatur, nõ propter ſua opera, virtutes & merita, ſed tamen in latrone in cruce ſunt multa bona opera. Sicut ergo in doctrina de iuſtificatione, particula Gratis tollit meritum noſtrum,

ſtrum, non præſentiam operũ: ita in hac materia, prædeſtinatio tollit meritum, & docet miſericordiam eſſe cauſſam noſtræ electionis. Sed non excludit actionem voluntatis, imò cùm Paulus dicit: Non eſt volentis, clarè tribuit homini velle & currere. Et rectè dicitur, prædeſtinationem eſſe non tantùm ad finem, ſed etiam ad media.

II OBIECTIO.

Iohan. 6: Nemo venit ad me, niſi Pater traxerit eum.
Ergo voluntas aduerſans & repugnans [*furens & fremens, vt iſti loquuntur*] violento motu trahitur.

RESPONDEO.

De hac obiectione reſpondet Cyrillus lib. 4 in Iohan. cap. 6. Non enim cùm dicat, neminem poſſe ad ſe venire, niſi Pater traxerit eum, vi quadam cogi trahíque credentes putandum eſt, ſed monitione, doctrina, reuelatione. Et cap. 7 eiuſdem libri: Omnis qui audit à Patre, & diſcit, venit ad me. Vbi auditus, diſciplina, doctrinaque adeſt, ibi fides non vi, ſed perſuaſione oritur. Non enim poſſumus ſecundum Eccleſiæ veritatisque dogmata, liberam poteſtatem hominis, quod liberum arbitrium appellamus, vllo modo negare. Eandem ſententiam enarrans Auguſtinus tractatu 26 in Iohannem, inquit: Non traheris? ora vt traharis. Omnis qui audit à Patre, & diſcit, venit ad me. Videte quomodo trahat Pater, docendo delectat, non neceſsitatem imponendo. Diſce trahi ad Filium à Patre, doceat te Pater, audi verbum eius. Audi, inquit, non dicit, repugna. Si cui non placet hæc enarratio Cyrilli & Auguſtini, is amet ſua ſomnia, quoad volet.

III OBIECTIO.

Philipp. 2: Deus operatur in nobis velle & perficere.
Ergo homo habet ſe vt ſtatua nihil agens, ſed tantùm patiens.

RESPONDEO.

Huius obiectionis ſolutio extat apud Auguſtinum, in lib. Summa hæc eſt: Efficacia Spiritus ſancti tollit fiduciam no-

de gratia & de libero arbitrio, ca 9. Nõ enim quia dixit: Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere, ideo liberum arbitrium abſtuliſſe putandus eſt. Quòd ſi ita eſſet, ſuperiùs nõ dixiſſet, Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini. Quando enim iubetur, vt operẽtur, liberum eorum conuenitur arbitriũ. Sed ideo cum timore & tremore, ne ſibi tribuendo, de bonis, tanquam ſuis, extollantur operibus. Tanquam enim interrogaretur Apoſtolus, & diceretur ei: quare dixiſti, cum timore & tremore? horum verborum rationem reddens, dixit: Deus eſt qui operatur in vobis. Si enim timetis & tremitis, non extollimini tanquam de veſtris operibus bonis, quià Deus eſt qui operatur in vobis.

Conuenire eſt iuridicũ vocabulum.

ſtrarum virium, & gloriationem de noſtris operibus, nõ tollit modum agendi in voluntate, quo differt homo à ſtatua. Fides eſt donum & opus Dei, & tamen fides etiam eſt noſtra, ſicut Chriſtus dicit ad multos, quos ſanauit: Fides tua te ſaluum vel ſaluã fecit. Sic bona opera ſunt Dei opera, & ſunt etiam noſtra ſuo ordine. Sunt Dei, reſpectu efficacię, quia ipſe dat nobis vires & robur, vt poſsimus hoc facere, ſed ſunt noſtra, quia nos facimus ea, non ſumus ſtipites, trunci, aſini, ſed homines, non transformati in aliam ſpeciem, quantumuis peccato corrupti ſimus.

Et in eodem lib. cap. 16, eruditiſsimè & veriſsimè inquit: Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit, vt nos faciamus, prębendo vires efficaciſsimas voluntati.

Et in lib. de prædeſtinat. ſanctorum, cap. 11: Ideo & hæc nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe moſtrantur, vt intelligatur, quòd & nos ea faciamus, & Deus faciat, vt illa faciamus.

IV OBIECTIO.

Mortua natura habet ſe purè paſsiuè.
Homo eſt mortuus ante regenerationem.
Ergo habet ſe purè paſsiuè in regeneratione.

RESPONDEO.

Reſpondeo ad Minorem: Homo eſt mortuus, ſcilicet niſi incipiat renaſci per verbum & Spiritum ſanctum. Habet igitur ſe paſ-

ſiuè

siuè quo ad efficaciam, qua mẽs illuminatur, & voluntas præparatur, disponitur & immutatur. Hæc efficacia Dei est, non nostra. Habet autem se actiuè, quatenus incipit renasci & viuificari quo ad assensum. Ipsi enim sumus, qui & volumus, & cõsentimus, cùm credimus verbis & promissis Dei, vt Augustinus præclarè dixit libro retractationum cap. 23: Vtrumque credere & velle, Dei est: quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Neque enim efficacia Spiritus sancti aut cogit, aut violẽtiam affert animis, vt inuiti velint, quod volunt, aut nolentes credant, sed Cõsideretur discrimen inter duo genera mortuorum. Diaboli sunt mortui, & homines sunt mortui, sed dissimiliter. Diaboli peccatum est blasphemia & irremissibile peccatum, ideo Diabolus sic est mortuus, vt nunquam possit credere, sed maneat in sua morte & damnatione, & quotidie maiores flammas concipiat odij aduersus Deum & Ecclesiã, & homines singulos. Alterum genus mortuorum sunt homines, quorum peccatum non est blasphemia (loquor iam de lapsu primo) Aliunde enim impulsi sunt in ruinam, & post lapsum nõ fuerunt blasphemi. Sicut igitur Diabolus est insanabilis, ita homines sunt sanabiles, sicut mox sanati sunt, edita prima promissione, persuasione placida & suaui ex nolentibus facit volentes.

V OBIECTIO.

Nemo potest credere, nisi Deo accendente fidem.
Ergo voluntas nihil agit in conuersione.

RESPONDEO.

Verum est, Deum accendere fidem, sed accendit per vocem Euangelij cogitatam, cui nos vult assentiri, & simul petere auxilium. Nõ igitur indulgeas dubitationi, sed ei repugnes, & in hac lucta certò scias, Filium Dei esse efficacem.

Hæc est haud dubiè veritas, & hæc erit victrix omniũ certaminũ, quia nihil est fortius veritate: vinũ est forte, mulieres sunt fortes, reges sunt fortes, sed super omnia vincit veritas. Nõ vis aut numerus, tandẽ bona causſa triumphat. Ioseph erat cõiectus in carcerem, & deformatus horribili calumnia, quasi tentasset pudicitiã suæ Dominæ, sed quanquã

detinetur in carcere longo tempore, tamen tandem educitur, nec restituitur tantùm in pristinam libertatem, sed etiam collocatur ad gubernacula totius AEgypti. Quod autem dico de Ioseph, hoc intelligatur etiam de veritate. Etsi enim calumniæ & errores aliquantisper florent & dominantur: tamen paulatim fiunt languidiores, ac tandem euanescunt omnino, veritate triumphãte & conculcante suos hostes. Id fiet etiam in hoc & aliis articulis, in quibus veritas erit victrix, etiam me, & aliis mortuis, etiamsi fremant omnes portæ inferorum.

VI OBIECTIO.

Peccatum originis est horribilis deprauatio omnium virium hominis.

Ergo liberum arbitrium est inane nomen, sicut pax in Republica Platonis.

RESPONDEO.

Ad hanc obiectionem respondet Ambrosius, lib. 1 de vocatione gentium, cap. 3: Nec, quia Spiritu Dei agitur, ideo putet, se libero arbitrio carere, quia nec tunc perdidit, quando Diabolo, voluntate se dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum est, nõ ablatum. Non enim homo voluntate, sed voluntatis sanitate priuatus est, cùm à Diabolo spoliaretur. Cùm igitur homo ad pietatẽ redit, non alia in eo creatur substantia, sed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur.

Idem nos alia forma verborũ dicimus: Peccatum originis vitiat naturam, non aufert, & deprauat naturam, sed non extinguit. Multi fic exaggerant peccatum originis, vt dicant, hominẽ prorsus esse in nihilum redactũ. Sed quanquam homo spoliatus est à latronibus Diabolis, & sauciatus in omnibus potẽtiis, mente, voluntate & corde: tamen hac spoliatione & sauciatione, nõ est prorsus redactus in nihilum.

VII OBIECTIO.

Iohan. 1: Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Ergo voluntati nullus locus in conuersione relinquitur.

RESPON-

RESPONDEO.

Hoc dictum est descriptio Ecclesiæ, ac reiicit tres modos, quib⁹ hypocritæ cõtendunt se esse mẽbra Ecclesię, videlicet, natiuitatem carnalem: imitationẽ ineptam alieni exempli, quæ tantùm παράδειγμα exprimit: & humanam electionem, seu successionem ordinariã: vt Caiphas non est membrum Ecclesiæ viuum, etiamsi natus est ex semine Abrahæ, & imitatur aliquos ritus patrum, & sedet ad gubernacula Ecclesiæ. Hanc esse natiuam sententiam verborum Iohãnis, testatur reuerendus pater D.M. Lutherus, enarrans cap. 2 Oseæ.

Iohannes hoc dicto describit Ecclesiam per antithesin & remotionem contrariorum. Est enim quædam forma definiendi, quæ dicitur ἀναίρεσις ἢ ἐναντίν, qua contraria remouentur, vt in psalm. 1 describitur Ecclesia per ἀναίρεσιν τῶν ἐναντίων, per remotionem contrariorum: Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, neque &c. Sicut igitur in psalmo 1 describitur Ecclesia negatiuè & affirmatiuè: ita prorsus eadem est sententia dicti Iohannis 1. Non illi sunt Ecclesia Dei, aut viua Ecclesiæ membra, qui nascuntur generatione carnali, nec qui imitantur aliquas ceremonias & gestus patrũ, nec illi, qui sunt in ordinaria successione, aut sedent ad gubernacula Ecclesiæ, creatis suffragiis aliorum: sed qui ex Deo nascuntur. Quomodo autem ex Deo renascimur? Hoc docet Iohannes cap. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.

VIII OBIECTIO.

Qui sunt subiecti tyrannidi Diaboli, non sunt liberi.
Totum genus humanum est subiectum tyrannidi Diaboli.
Ergo nihil libertatis in natura humana reliquum est.

RESPONDEO.

De tyrannide Diaboli teneantur duo insignia dicta, vnum Macarij, alterum Augustini. Sic enim Macarius homilia 27 inquit: Natura nostra boni malique capax est, ac potestas aduersaria exhortandi vim habet, nõ cogendi.

In orat. Theodoreti octaua, de prouidentia, extant duæ sententiæ prorsus similes. Prior hæc est: libera est possessio virtutis & vitij, & ministrum non volentẽ malè agere, nullus dominorum

Augustinus verò enarrans psalm. 7: Aut fortunam, inquit, aut fatum inueniunt, quod accusent, aut Diabolum, cui non consentire in potestate nostra esse voluit, qui nos fecit. Et psal. 32: Diabolus non cogit ad peccandum, sed ego persuadenti consensi. Nero initiò gubernationis fuit moderatus & clemens. Postea verò admissis Diaboli impulsionibus, ex Principe factus est mõstrum. Idem de Alexandro magno dici potest, qui ante captam Babylonem, fuit imago boni Principis. Post captam verò Babylonem, cùm se voluptatibus dedisset, bestiæ, quàm regi similior fuit.

coget, scilicet ad peccandum, αἰθαίρετ@ ϗ τῆς ἀρετῆς, ϗ τῆς κακίας κτῆσις, ϗ τὸν ἀναλόμενον οἰκέτῶν κακῶς ζῶν, οὐδὲις δεσπότης ἀναγκάσειαν. Altera sententia est de illecebris semel admissis. Sic enim inquit de adultera tentante pudicitiam Ioseph: Ratio non statim extinguens scintillam, postea maximum rogum non potest extinguere. Hæc similitudo congruit cum versibus vulgaribus:

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuêre moras.

IX OBIECTIO.

Rom 7: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.

Ergo homo furenter & hostiliter aduersatur Deo in conuersione.

RESPONDEO.

Paulus in eodem capite inquiens: Mente seruio Legi Dei, significat volũtatem quatenus sanari cœpit, comitem esse Spiritus sancti, & tamen restat in homine multum caliginis, dubitationis, & magna contumacia cordis, vt in vulnere quod sanari cœpit, magna pars adhuc restat putris & purulenta. Hæc verè dicuntur de iucta piorum, in quibus reliquiæ morbi repugnant initiis nouæ lucis, & motuũ spiritualium, qui accenduntur per Spiritum sanctum & verbum. Non

Ista non discũtur otiosis speculationibus, nec cognoscuntur inter pocula, cùm bene poti de his quærimus & disputamus.

possunt

possunt autem initia illa accẽdi, aut fides inchoata retineri, donec voluntas omnino repugnat. Non enim efficax est Spiritus sanctus in eo, qui ne vult quidem audire Euangelium, & excuteretur, si voluntas succumberet dubitationibus. Sed quãdo Deus te abiicit in mare malorũ sicut Ioseph in carcerem, tunc discès ista meliùs. Otiosæ mentis nõ est, ista iudicare.

Deest Flacianis extremum remediũ, de quo aphorismus Hippocratis inquit: Extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda. Viuũt miseri homines in magna securitate. Ideo magis magisque fiunt profani, audaces & petulantes. Si autem duriter castigarentur, fierent longè modestiores, & has disputationes, quas nunc longis voluminibus agitant in mundo, rectiùs intelligerent. Deus det, vt aliquando habeant exercitia vera & seria pietatis & patientiæ, quæ certè eis desunt. Vocant quidem se martyres, sed pauca vulnera acceperunt.

X OBIECTIO.

Tribuens actionem voluntati in conuersione, confirmat opinionem meriti.

Ergo nulla est voluntatis actio in conuersione.

RESPONDEO.

Breuiter respondeo per instantiam. Imò fides non accenderetur, nisi gratuitam misericordiam intueretur, sicut psal. 6 dictum est: Saluum me fac per misericordiam. Et psalmo 69: Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum, me respice. Tollit autem gratia meritum, non quòd omnino nihil agamus, sed quia non satisfacimus Legi, & procul absumus à perfectione.

Respondi ad præcipuas obiectiones eorum, qui veram sententiam oppugnant. Nam omnes cauillationes persequi, perinde est, ac si velis arenas omnium aquarum numerare. Est autem piæ mentis diligenter cogitare sententiam Pauli 1 Cor. 4. quæ monet regnum Dei non consistere in sermone, sed in virtute. Nolite dubitare, quin sit vera hæc sententia, experiemini aliquãdo in magnis pauoribus nos dixisse vera. Flaciani egregio stratagemate vsi sunt. Mundus satietate quadam & fastidio cœperat

ſtere in ſermone, ſed in virtute, id eſt, non eſſe garrulitatem diſputationum, & ludos ingenij, ſicut ſemper in Eccleſia multũ fuit, & erit inutilium diſputationum, ſed eſſe efficaciam Dei, inchoantis in corde verũ timorem & veram fiduciam. Si quis enim tantùm quærit materias, de quibus ſine fine rixetur, is nõ habet vera exercitia fidei, pœnitentiæ, inuocationis, in quibus vera lux accenditur & creſcit. abalienari à clamoribus coruorum, & contentionibus futilibus de adiaphoris, & propoſitione: Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem. Quare vt ipſa nouitate placerent, & plauſum excitarent in ſuo theatro, obiecerunt has nuces ſimiis, hoc eſt, paradoxa de ſeruo arbitrio. Sciebant enim, vt homines fraudulenti & veteratores, ſe non poſſe proponere populo materiam magis popularem & plauſibilem, & de qua poſſent homines rixari inter ſe maiori animorum diſtractione & acerbitate. Hæc cauſſa fuit, non alia, cur agitarent has diſputationes de libero arbitrio. Quòd autem vera dicam, ex eo poteſt colligi, quia ante ſeptennium cùm eſſemus VVormatiæ, nulla prorſus facta eſt mentio de libero arbitrio, nec de hac re diſputabat quiſquã aduerſus alium, ſiue amicum, ſiue aduerſarium. Sed ab illo tempore, id eſt, à conuentu VVormatienſi, vt quibuſdam ægrè facerent, & eos in flammas inuidiæ coniicerent, ac populo exagitandos proponerent, delati ſunt in hoc pelagus diſputationum, ex quo ipſi non poſſunt eluctari. Hodie aliquid affirmant, cras iterum negant. Deus haud dubiè patefaciet, & omnium oculis ſubiiciet horum fraudulentorum, & callidè improborum praua conſilia & machinationes nefarias, quibus falsò prætexitur ſanctiſsimum & auguſtiſsimum nomen veritatis.

De impedimentis libertatis.

CAP. VIII.

HACTENVS septem capita in hac materia exposita à nobis sunt, quæ non volo prolixè repetere, ne sim auditoribus molestus, præstando intempestiuam beneuolentiam. Sequitur caput vltimum, in quo breuiter differemus de impedimentis, quę obstant, quò minùs etiam renati sua libertate possint vti & frui, sicut par erat. Non enim tantùm ante regenerationem prauitas naturæ nostræ & Diabolicæ insidiæ impediunt gubernationem disciplinæ, sed etiam post regenerationem manent reliquiæ peccati, seu veteris fermenti, quas Paulus expurgari iubet, seu mortificari: sicut 1 Cor. 5, & Rom. 8 dicitur, Expurgate vetus fermentum. Item: Si actiones carnis Spiritu mortificabitis. Denique omnibus notæ sunt conciones & querelæ Pauli, de membrorum lege repugnante contra legem mentis, & de lucta carnis perpetua aduersus Spiritū. Ideo vita hominis & à Hiob & Paulo rectè comparatur militiæ, non ignauæ & inerti, sed arduæ & difficili, quæ non potest sustineri sine Dei auxilio, & sine multis virtutibus. Ad hæc domestica impedimenta accedunt externa impedimenta multiplicia, vt verbi caussa, furor Diaboli, sæuitia tyrannorum, disidia dogmatum in Ecclesia, & alia, quæ sunt penè innumerabilia. De his rebus omnibus sæpe multúmq; cogitandum est, partim, vt nos ipsos commonefaciamus de propria infirmitate, de qua Christus inquit: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, partim, vt excitemur ad ardentiorem inuocationem & petitionem auxilij diuini.

Semper meminerimus in hac imbecillitate magna libertatis impedimenta esse, quorum primum est ipsa prauitas nobiscum nascens, quæ est caligo de Deo, gignens dubitationes plurimas, & impediens timorem & fidem. Ac manifestum est, corda plena esse vitiosis motibus, & non posse prauas inclinationes expellere, & sibi sumere ardentem dilectionem Dei. De hoc impedimento luculentè concionatur Augustinus lib. 22 de ciuitate Dei, cap. 22, &

Bernhardus in ſermone primo de ſeptuageſima.

Bernhardus in illo ſermone recenſet ſeptem impedimenta libertatis & bonorum operum, quæ nos breuiùs poſtea complectemur, videlicet numero ternario. Primum, inquit, eſt indigentia corporis, hoc eſt, vt Paulus loquitur, vita ψυχικὸς, id eſt, animalis. Magnum impedimẽtum ſtudiorum, vt non dicam de aliis exercitiis pietatis, eſt ſolicitudo de victu, cibo, potu, veſtitu, de educatione liberorum, de hoſpitio, remediis, & omnibus aliis adminiculis huius vitæ corporalis. Ego ipſe ſoleo dicere de mea cura domeſtica, dolet mihi, quòd multum boni temporis eſt tribuendum curis & ſolicitudinibus de curando ventre. Hoc impedimento carebimus in vita æterna, non edemus, nec bibemus, nec dormiemus, ſed erimus ſimiles angelis, qui viuunt ſine cibo & potu, & omnibus aliis rebus temporalibus. Secundum impedimentum, inquit Bernhardus, eſt ἀταξία ſeu prauitas cordis. Cor humanum eſt peruerſum & imperſcrutabile, id quiſq; in ſe ipſo experitur: iam ardet cor ambitione, paulò pòſt inuidia & æmulatione. Tertium impedimẽtum ſunt res ſecundæ, quæ multos homines infatuant, vt Saluſtius ait: Res ſecundæ etiam animos ſapientum defatigant. Difficilè eſt reperire hominem modeſtũ & memorem propriæ infirmitatis in rebus ſecundis, in curſu rerum ſecundarum. Facilior eſt patientia in rebus aduerſis, quàm moderatio in rebus ſecundis. Omnes ſumus in rebus ſecundis negligentiores, petulantiores, confidentiores. Quartum eſt, res aduerſæ ſeu concurſus calamitatum. Quanta eſt ibi indignatio & fremitus hominum in rebus aduerſis? Seneca eleganter dixit: Homines in rebus ſecundis ſunt tumidi, in aduerſis timidi. Eſt pulcra paranomaſia. Quintum, ignorantia. Quàm multa ignoramus, non tantùm de rebus diuinis, ſed etiam de rebus humanis! Et tamen videmur nobis valde ſapere. Sextum, eſt Diabolus, quod eſt omnium maximè horribile impedimentum. Septimum, periculum à falſis fratribus, de quo ſæpe queritur Paulus in ſuis epiſtolis, præſertim 2 Corinth. 12 & 13. Sæpe alicui parcunt hoſtes, qui tamen poſtea à falſis fratribus interficitur, vt oſtendit exemplum Ioſeph, cui pepercerunt omnes hoſtes Eccleſiæ, ſed fratres eius fuerunt proditores & venditores ipſius.

Secundum impedimentum eſt Diabolus, qui tanquam leo rugiens obambulat, quærens

Magna eſt emphaſis horum verborum: Comparatur Diabolus ſerpenti propter calliditatem

quem

quem deuoret, 1 Petri 5. veteratoriam, παπργίαν. Est enim callidissimus architectus mendaciorum, & hac παπργία decepit primos parentes in paradiso. Deinde comparatur leoni propter iram & robur. Sicut enim leo & animi magnitudine, & robore vincit reliquas bestias: sic Diabolus non est musca, sed leo rugiens, fremens, iracundus, ardens in placabili odio Dei & Ecclesiæ. Sed quid agit hic leo? an dormit? Nō, sed obambulat noctes diésq; sine vllo interuallo, sine vlla requie, & quærit, non muscas, non culices, sed homines, nec quærit, vt vulneret, sed vt nos absorbeat, & vno hiatu deuoret. Hæc si sæpe multúmque cogitaremus, diligentior profectò & ardentior esset inuocatio.

Cùm enim odio Dei ardeat, vult à plurimis eum contumelia affici, & delectatur destructione operum Dei in genere humano. De hoc horrendo odio & furore in Diabolo sæpe cogitandum est, & ardentissima inuocatione petendum, vt Filius Dei tam sæuum hostem reprimat, cuius insidias cauere sola hominum diligentia sine auxilio Dei certè non potest.

Non frustrà dicitur: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Necessaria est vigilantia & diligētia in cauendis insidiis & illecebris Diaboli, sed accedat ad eam inuocatio.

Tertium impedimentum est in hac vitę confusione moles ipsa negotiorum & periculorū. De hoc impedimento Paulus inquit Ephes. 5: Ambulate accuratè, non vt fatui, sed vt sapientes, redimentes tempus, quia dies mali sunt.

Hæc dixit Paulus de sua ætate, quæ fuit lignum viride. Habuit enim ætas Apostolica, manifesta & visibilia testimonia Spiritus sancti. Quantò igitur hæc veriùs vsurpari possunt de ligno arido, id est, de senecta mundi, in qua res ipsa ostendit, omnia fieri languidiora, & omnia corrumpi quasi aceto infuso. Ideo vt alibi dicitur 2 Timot. 3: Nouissima tempora erunt periculosa. Quocunque conuertimus oculos & mentem, nihil nobis ostenditur, nisi magna confusio in Ecclesia, politia & œconomia. Nec opus est longa inductione exemplorum. Inspiciat vnusquisque nostrum vitam humanam, & animaduertet me vera dixisse.

Vt enim ciuitas, quæ cincta est obsidione, vndique acerrimè ab

hostibus oppugnatur: Sic in Ecclesiam magno impetu irruũt tyranni, hæretici, odia & calumniæ falsorum fratrum, locorum & temporum incommoda, mala exemplа & scãdala, paupertas, exilia, denique confusiones vitæ innumerabiles.

Tres sunt causſæ, cur postrema tẽpora sint magis periculosa. I, Infirmitas naturæ humanæ, quia profectò & in anima, & in corpore sumus imbecilliores, quàm Apostoli, martyres, & reliqui heroici viri, quorũ historiæ celebrantur à multis scriptoribus. Quis nostrum posset vel minimam partem laborum & pregrinationum Pauli sustinere? Ego quoties lego historiam Pauli in Actis, miror potuisse vnum hominem tot terras obire, tot maria traiicere, & tamen vbiq; plantare plantulas cæleſtes, & colere hortum cæleſtẽ. II, Quia peccata crescunt, ideo etiam cumulantur pœnæ. Crescentibus autem pœnis & peccatis, sequuntur innumerabiles confusiones. Tertia causſa est extremus Diaboli furor, de quo dicitur Apocal. 12: Venit Diabolus ad vos, habens iram magnam, quia scit modicum tem poris restare. Ideo magis iam acuitur ira & odium Diaboli, aduersus Deum & Ecclesiam.

Cùm igitur caro infirma sit, & Diabolus ingenti rabie grassetur in genus humanum, & tota vita plena sit multiplicium confusionum, confugiamus ad Filium Dei (qui dulcissimè inquit: Non relinquam vos orphanos, sed veniam ad vos) & ab eo defensionem, auxilium & salutem petamus.

Hactenus dixi de libero arbitrio, non vt rei magnitudo poscit, sed vt potui, nihil aliud quærens, nisi simplicem veritatem. Oro autem lectores harum pagellarũ, vt regulæ ab Hilario traditæ in lib. 1 de Trinit. obtemperent, & candorẽ in iudicando adhibeant. Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potiùs, quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum. Huic regulæ qui parebit & obediet, is sine vlla dubitatione pro hac luce doctrinæ, Deo gratias aget, & gratitudinem declarabit in confessione & studio conseruandæ huius puritatis.

Scio, idq; verè affirmare possum bona conscientia, me quæsiuisse,

&

& adhuc quærere veritatem simplicem, seiunctam ab omni sophistica, non solùm in hoc articulo, sed etiam in toto corpore doctrinæ Christianæ, & in singulis eius partibus ac membris. Si cui autem vel in hac parte, vel in ceteris mea declaratio & explicatio non satisfacit, & si quid videtur à me dici aberrans à scopo veritatis, is amanter & candidè mecum agat, vt decet fieri inter pios in Ecclesia, & me, vel scripto aliquo, vel voce & colloquio dignum iudicet, & vel audiat coràm responsionem meam, vel expectet à me responsum aliquod aut scriptum. Ita fiet, vt collatio sententiarum, quocunque tandem modo instituta, aliquid lucis afferat huic vel ceteris materiis. Non est autem hominis Christiani in angulis allatrare homines honestos, & arrodere doctrinam veritatis, quę nondum satis intelligitur ab illis censoribus parum æquis & candidis. Quod ideo dico, quia est aliqua dissimilitudo auditorum, vel in hoc cœtu, vel in tota vrbe. Ac hortor iuniores, ne aperiãt aures omnibus fabellis, rumusculis & calumniis, quibus nõ tantùm ego miser scholasticus, sed etiam alij longè præstãtiores ætate, doctrina & virtute quotidie deformantur, atque etiam onerantur post mortem. Sciant etiam iuniores, nõ tantùm militibus in acie opus esse fortitudine, sed etiam nobis scholasticis togata fortitudine opus esse, quę est constantia seu perseuerantia in agnita veritate, reiectis & repudiatis omnibus præstigiis cauillationum & calumniarum. Ego me offero ad declarationem singulorum dictorum & periodorum, quas vel ex scripto dictaui, vel obiter pronuntiaui. In quibus si quid erroris inest, libenter agnoscam & deplorabo. Si verò dixi veritatem, vt spero me dixisse, cogitet vnusquisque quid debeat Deo, quid Ecclesiæ, quid suæ conscientiæ. Erit aliquando tempus, & paulò pòst sequetur, quo mihi, & tibi, & nobis omnibus erit reddenda ratio de omni verbo otioso. Non igitur simus petulantes in verbis, cùm quidem petulantia linguę sit turpissimus morbus. Hac admonitione non opus est apud bonos, qui sponte intelligunt quid debeant veritati, & officium candoris præstant. Sed propter alios quosdam, qui nescio quorum sermonibus infatuantur, hac admonitione vtendum fuit: Quam, oro vt omnes sine exceptione boni consulant, & non frustrà propositam esse existiment.

EXPLICATIO TEXTVS IN LOCIS THEOLOGICIS PHILIPPI MELANTHONIS

De viribus hominum.

DISPOSITIO Loci de viribus humanis in libello domini præceptoris per se manifesta est, & omnium oculis subiecta. Complectitur enim hęc methodica explicatio quatuor partes præcipuas, quarum prima differit de disciplina, quòd videlicet fit homini nõ renato aliquo modo possibilis. II pars concionatur de impletione Legis, quæ homini non renato simpliciter impossibilis est. III pars & quidem præcipua docet lectorẽ de actionibus & motibꝰ spiritualibus. De hac parte, vt scitis, est præcipua dimicatio inter Ecclesiam & alias sectas. Quarta est admonitio de impedimentis libertatis. Vt autem in tertia parte refutantur furores Pelagianorum & Manichæorum, ita quartæ partis appendix est solutio quarundam obiectionum. Etsi autem de omnibus his rebus pro nostra tenuitate aliquid dictum est: tamẽ repetitio pagellarum sicut hactenus vobis non fuit ingrata, nec debet esse: ita etiam in hoc articulo prodest vos confirmari eiusdem veræ sententiæ crebra repetitione & inculcatione. Meministis enim dictum Epicteti sæpe repetitum: Doctrina non potest radices agere in animo, nisi ea quotidie dicatur & repetatur. Ac si quis vult studiis suis rectè cõsulere, & fructum ex iis capere, profuturum Ecclesiæ aut Reipub. is non quadam curiositate quotidie nouas res expetat, sed veras & necessarias subinde repetat, & apud animum sibi proponat,

Valla] Laurẽtius Valla bene meritus est de lingua Latina, sed interea corrupit philosophiam & Theologiam, defensione Epicurearum & Stoicarum opinionum. Defendit enim dogma Epicuri de voluptate, quòd voluptas sit finis hominis, propugnat etiam Stoicam necessitatem, & huius prætextu tollit libertatem omnẽ actionum humanarum. Quid autem de talibus ingeniis sentiendum sit, ostendit dictum Aristophanis, qui in Nebulis (sic enim inscribitur comœdia) exagitat quendam Sophistam, gloriantem se omnia posse contrariis opinionibus perturbare & euertere. Sic enim inquit, ἐπιθύμησά-

πάντα

πάντα συνταράξαι ταῖς ἐναντίαις γνώμαις. Tali ingenio quod habet ſtudium contradicendi, præditus fuit Valla.

Interficere Clitum] Hiſtoria nota eſt. Alexander ebrius in conuiuio interfecit ſenem optimè de ipſo & regno Macedoniæ meritum Clitum, propter quandam admonitionem liberiorem. Plautarch. in vita Alexandri.

Nec miſcenda eſt diſputatio] Eſt mala conſuetudo in differendo afferre peregrina, non pertinentia ad inſtitutum. Ita enim homines abducuntur à propoſito. Extat autem in oratione AEſchinis contra Cteſiphontem memorabile dictum, quod eſt regula diſputationis & ſcriptionum: ſicut in gymnicis certaminib⁹ videtis pugiles de loco inter ſe certare: ita & vos [*iudices*] tota die pro republica cum eo [*Demoſthene*] de defenſionis ordine contendite, nec finite eum extra cauſam vagari, ſed compellite eum intra cauſam aſſiduitate & vigilãtia veſtra, & obſeruate eius digreſsiones. Hęc ſimilitudo pertinet ad locum Rhetoricum, de ſtatibus, & ad doctrinam Dialecticam de propoſitionibus. In quolibet ſcripto eſt vel quærenda vel conſtituenda principalis propoſitio, quæ vocatur à ſcriptoribus Rhetoricæ *Status*. De hoc iubet nos Æſchines dimicare & manere in propoſito, & prohibet euagationes & digreſsiones extra hũc ſtatum. Ariſtoteles confuſionem peregrinarum materiarum vocat fallaciam ſecundum plures interrogationes.

Pugiles dicuntur, qui ceſtibus pugnant. Exemplum eſt in Virgilio de Darete.

Perplexis] Perplexitas eſt, cùm contrariæ cauſæ implicant animũ, ne poſſit alterutram partem eligere. Multa accidunt homini in tota vita perplexa & inextricabilia humano conſilio, ac niſi Deus ipſe multa negotia & pericula extricaret, ſæpe nobis ſuccumbendum eſſet, vt poſt lapſum primi parentes non potuerunt vllum exitum ſuarum miſeriarum proſpicere, & verè fuerunt perplexi & implicati labyrinthis inextricabilibus. Sed Filius Dei monſtrauit exitum edita promiſsione de venturo liberatore.

Vt deſtruat opera Diaboli] Ergo Filius Dei eſt Medicus, non deſtructor operum Dei. Filius Dei nõ delet naturales notitias in mente, ex quibus extruuntur

honeſtæ leges & artes. Deinde non tollit ex corde σοφίαν. Tertiò, non tollit ex homine libertatem regendi locomotiuam. Sed hæc bona naturalia ſanat, & his medetur. Deinde & hoc conſideretur. Duplicia ſunt opera Diaboli, alia ἔργα, alia παράεργα. ἔργα ſunt peccatũ & mors, παράεργα ſunt præſtigiæ & ludi Diaboli in miraculis & oraculis Ethnicis. Ethnici habuerunt oracula ſua, vt Delphicũ & alia. Habuerunt etiã ſua quædã miracula, id eſt, raros & inuſitatos euentus, vt quòd quidã apud Romanos diſſecuit cotem nouacula. Hæc παράεργα etiam deſtruxit Filius Dei ſuo aduentu. Nam Chriſto nato conticuerunt omnia oracula Ethnica, & ceſſarunt etiam miracula Dæmonum, ſicut teſtatur Plutarchus Ethnicus ſcriptor, qui vixit tempore Traiani Imperatoris, annis 100. poſt Chriſtum natum, agitans diſputationem in ſuis moralibus: Quare ceſſarint oracula quondam celeberrima. Quanquam autem multa quęrit, tamen veram cauſam non poteſt explicare, quæ traditur in dicto Iohannis: Filius Dei apparuit, vt deſtruat opera Diaboli. Idem teſtatur Porphyrius apud Euſebium lib. 5. de præparatione Euangelica, affirmans nullam poſſe capi vtilitatem ex Ethnicis religionibus. Poſtquam enim cœpit prędicari Ieſu nomen, ceſſauerunt, inquit, oracula, & miracula Ethnica, & iam dij noſtri nullam nobis opem ferre poſſunt. Hęc teſtimonia digna ſunt memoria, cùm non à noſtris hominibus, ſed ab Ethnicis pronuntiata ſint. Nam teſtimonium, quod hoſtes perhibent veritati, profectò non eſt contemnendum, ſicut de reſurrectione Chriſti milites perhibent teſtimonium, eum verè reſurrexiſſe.

Vocatur autem] Liberum arbitrium eſt appellatio concreti. Libertas voluntatis eſt appellatio abſtracti. Vt igitur liberum arbitrium eſt ſubſtantia veſtita accidentibus: ita libertas eſt accidens, id eſt, facultas naturalis ſecundæ ſpeciei.

In natura integra] Libertas voluntatis humanæ ante lapſum eſt facultas, qua poterat Adam in rectitudine, in qua conditus erat, manere, & obedire Deo, & ſine vlla coactione ſe à Deo auertere. Maior erit libertas noſtra in vita æterna, quàm fuit Adami ante lapſum. Adam potuit non peccare: Hæc eſt contingens propoſitio. Nos in vita æterna non poterimus peccare: Quæ eſt propoſitio impoſsibilis. Auguſtinus delectatur hac viciſſitudine propoſitionum, Adam, inquit, poterat non labi,

labi, sed electi in vita æterna NON POTERVNT labi.

Fabricius] Recensetur hic inter exempla constantiæ & perseuerantiæ in honesto proposito. Ita enim dixit Pyrrhus de Fabricio: Faciliùs est Solem à suo cursu dimouere, quàm Fabricium ab honesto suo proposito.

Antigonus] Antigonus secundus, Demetrij filius, moderatissimus rex, natus laudatissima matre Phile, filia Antipatri, cùm interfecti Pyrrhi caput ad eum allatum esset, & filius Helenus deditus, hunc in regnum paternum remisit, eiq; patris caput & ossa dedit regio more condenda. Matrem Philen prædicat Diodorus Siculus lib. 19. Tres fuerunt Antigoni, primus pater Demetrij, vnus ex quatuor successoribus Alexandri Magni. Secundus filius Demetrij, de quo hîc loquimur, tertius fuit tutor Philippi postremi, patris Persei.

Mens & cor] Voluntatis appellatio philosophica est. In dicto illo, quod cõtinet summam Decalogi, extat appellatio mentis & cordis. Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus.

His omissis] Vigilius Martyr lib 4. Non præiudicant verba, vbi sensus incolumis permanet. Idem est quod Cicero dicit: Rebus intellectis, faciles simus in verborum vsu.

Nam si natura] Antithesis naturæ integræ & corruptæ. Præcipua amplificatio in Prophetis est antithesis promissionum, comminationum, præmiorum, pœnarum, virtutum & vitiorum. De antithesi sæpe recitaui versum Iurisconsultorum: Ferro viam aperit, qui per contraria currit. Optima amplificatio est per contraria.

Nunc autem] Altera ἀντιθέσεως pars.

Primum] Hactenus tractata sunt προλεγόμενα. Nunc sequitur prima propositio.

Paulus] ad Titum 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos.

A raptu] Raptus & rapina differunt. Raptus pugnat cum ſeptimo præcepto, quia eſt violatio caſtitatis. Rapina cum octauo pugnat, vt Romani rapuerunt Sabinas virgines, vt eſt apud Liuium lib. 1. & Ouidium in Faſtis. Abſalon eripiens patri regnum & facultates regias, dicitur committere rapinam.

Inceſtorum] ζῶνη, cingulum nuptiale ſignificat. Inceſtus ſunt nuptiæ prohibitæ, non approbatæ à legibus: Blutſchandt.

Lex eſt poſita iniuſtis] 1. Timoth. 1.

Pædagogus] Galat. 3. Duo ſunt officia pædagogi, vnum docere, alterum tempeſtiuè caſtigare. Ita lex eſt pædagogus, partim docens, partim caſtigans.

Quare diſciplina eſt pædagogia? Primùm, quia homines non poſſunt doceri, vbi nulla eſt diſciplina. Si iam non eſſet aliquod ſilentiũ in hoc auditorio, quomodo poſſet audiri vox docentis? Sic ſi in templis eſſet ſtrepitus & tumultus, qualis olim erat in campo Martio, cùm eligerentur conſules, non poſſent homines audire docentem. Secunda cauſa eſt, quia doctrina non poteſt eſſe efficax & radices agere in animo, donec retinentur delicta contra conſcientiam. Donec tu manes adulter, fur, aut latro, non poteſt in te efficax eſſe doctrina Euangelij.

Xanthij] Plutarchus in vita Bruti: Cùm Brutus cinxiſſet obſidione vrbẽ Xanthiorum in Lycia, ciues ipſi vrbem incenderunt, & ſeſe perdiderunt, alij in ignem inſilientes, alij ſeſe fodientes ferro. Et cõſpecta eſt mulier, quæ ſeſe ſuſpenderat de tecto ſuæ domus, & de collo ſuo ſtrangulatum infantem ſuſpẽderat, & in dextra tenebat facem, qua domum inflammabat. Huius incendij, cùm ſpectator eſſet Brutus, miſit aliquot milites, vt opem ferrent hominibus miſeris & furioſis, ſed tanta fuit eorum rabies & furor, vt procul à ſe reiicerent opitulatores.

Sed in Eccleſia] Secunda propoſitio huius loci de impletione Legis. Quòd videlicet homo non poſsit ſatisfacere Legi Dei, hoc eſt, nec ardenter diligere Deum, nec proximum.

Rene-

Reuelatur] Rom.1. Reuelatur iuſtitia Dei aduerſus omnem impietatem & iniuſtitiam hominum. Reuelatur, ſcilicet in verbo diuinitus tradito. Iuſtitia, ira Dei. Ioan.16. Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, quaſi dicat, ratio non intelligit magnitudinem peccati ſine Spiritu ſancto.

Oppreſſa eſt peccato & morte] Pindarus, citante Plutarcho: Potenti morti omnia obtemperant. Et de peccato inquit Menãder, citante Seneca, in quæſt. natural. Omnes malè viuunt, ſinguli peccant, & ſcelus vbique contextum eſt. Hæc dicta ideo recito, vt intelligi poſsit, etiam Ethnicos aliquo modo fateri, quòd homo non poſsit deponere ſuis viribus vel peccatum, vel mortem.

De externa diſciplina] ſicut leges politicæ.

Quia Lex Dei non tantùm] Roman. 7. Lex eſt ſpiritualis, ego verò ſum carnalis, id eſt, Lex eſt ſpiritualis gubernatio, poſtulans integram obedientiam ſine peccato, & ſpirituale iudicium, accuſans immundiciem cordis. Hoc epitheton, Lex ſpiritualis, diſcernit Legem diuinam ab humanis legibus. Leges humanæ tantùm gubernãt locomotiuam. Lex Dei regit cor. Deinde leges humanæ accuſant externa delicta. Lex Dei eſt ſpirituale iudicium, accuſans immundiciem cordis.

Non tollit] Rom.3. Lex eſt agnitio peccati. Igitur non eſt deletio peccati, valet conſequentia à pondere verbi.

Beneficia Chriſti] Ioan.8. Si Filius vos liberauerit, verè eritis liberi. A quibus autem malis liberat nos Filius Dei? Primùm ab ira & maledictione Legis, vt dicitur Galat. 3. Chriſtus factus pro nobis maledictum, redemit nos à maledictione Legis. Summa maledictionis Legis recitata eſt in hoc dicto, Maledictus omnis, qui non ſeruat omnia, quæ ſunt ſcripta in libro Legis, Deuter. 27. II. Liberat nos à peccato, iuxta dictum 2. Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos eſſemus iuſtitia Dei per eum. III. Liberat nos à morte æterna & damnatione, vt Oſeæ 13. ſcribitur: De manu mortis redimam eos, & de poteſtate inferni eripiam eos. O mors, ero mors tua, & peſtis tua, inferne.

Voluntas eſt captiua] ſcilicet peccati & mortis, non libera.

Tertiò de actionibus ſpiritualibus] Actiones ſpirituales ſunt vera agnitio Dei, verus timor Dei, vera fides, ſpes, dilectio, humilitas, inuocatio, patientia, denique omnes cultus primæ tabulæ. Iam quæritur, quomodo exiſtant illi motus & actiones ſpirituales? Quòd Spiritus ſanctus ſit cauſa horum motuum, id non eſt poſitum in controuerſia, quia ipſe titulus ſeu nomen actionum ſpiritualium oſtendit ſuam cauſam. Non eſſent ſpirituales actiones, ſi non à Spiritu ſancto accenderentur. Deinde non eſt quæſtio de medio, vel inſtrumento, per quod efficax eſt Spiritus ſanctus. Omnes enim ſani conſentiunt, per verbum Spiritum ſanctum eſſe efficacem. Hoc igitur eſt κρινόμενον, de quo quæritur, videlicet de voluntate, An voluntas ſe habeat purè paſsiuè, aduerſatiuè, hoſtiliter, repugnatiuè, furenter in conuerſione.

Viua] Viua membra Eccleſiæ ſunt ſancti, renati, qui reguntur à Spiritu Dei. De quibus dicitur: Credo ſanctorum communionem. Mortua membra ſunt hypocritæ, in externa Eccleſiæ ſocietate viuentes. Sunt autem omnes hypocritæ in Eccleſia nomine tantùm, non re, viua verò membra, id eſt, ſancti & renati, re & nomine. Mortua mẽbra tantùm habent ius nominis, quia ſunt ſine timore Dei, ſine fide. Nabal, cuius fuit vxor ſapientiſsima & modeſtiſsima Abigail, fuit mortuum membrum populi Dei. Fuit igitur in Eccleſia nomine, non re. Dauid verò fuit viuum membrum, quia habuit Spiritum ſanctum, & habuit ius non tantùm nominis, ſed etiam rei. Hæc ideo dico, vt vnuſquiſque ſuum cor ſcrutetur, & probet ſe ipſum, vt Paulus loquitur, vtrum ſit viuum an mortuum membrum Eccleſiæ. Si quis enim Spiritum Chriſti non habet, non eſt eius.

Magis & minus] ſignificant gradus. Qualitas recipit magis & minus, non ſubſtantia nec quantitas recipit magis & minus, id eſt, diſcrimina graduum. Habemus eundem Spiritum fidei, 2. Corinth. 4. ſed non eandem menſuram fidei. Rom. 12. & 1 Corinth. 12. Omnes ſancti in Eccleſia, ſiue docti ſiue indocti, ſiue ſenes ſiue iuuenes, habent eundem Spiritum fidei, gratiæ & precum. Zachar. 12. Nemo enim poteſt eſſe ſanctus

ſanctus ſine Spiritu ſancto & fide. Sed non habemus ſinguli eandem menſurã Spiritus ſeu fidei, vt in Ioſeph & Daniele ſunt maiora dona Spiritus ſancti, & excellẽtiores gradus fidei & omniũ virtutũ, quàm in me & te, & aliis longè infirmioribus. Nos nihil ſumus, quod ad dona attinet, comparati cum Ioſeph, Daniele, Moyſe, Eſaia & Ieremia, ſed tamẽ habemus eundem Chriſtum, eundem Spiritum, eandem ſpem vitæ æternæ, vt dicitur Epheſ. 4. Rem eandem habemus, ſed diſsimiles gradus. Ideo pulcrum eſt quod Paulus inquit Roman. 12. Sapite ad modeſtiam, quia vnicuique Deus diſtribuit menſuram fidei. Deus non dat vni homini omnia, ſed dat ſingulis dona pro modo vocationis. Aliis donis inſtruit Dauidem bellatorem, aliis donis Ieremiam Prophetam.

Zachariæ] cap. 12.

Domum Dauid] Eccleſiam.

Nominatur Spiritus
- Gratiæ, quia teſtificatur, quòd ſimus in gratia, recepti à Deo in gratiam, filij Dei, & hæredes vitæ æternæ.
- Precum, quia impellit nos ad inuocationem, exuſcitat in nobis precationem. Hæc interpretatio ſumitur ex cap. 8. Roman.
- Hic Spiritus dat teſtimonium Spiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei. Deinde inquit: Hoc Spiritu adiuti, clamamus Abba, Pater.

Quantò magis] Lucæ 11.

Vt fuerunt & ſunt Ethnici] Quando volumus æſtimare præſtantiam alicuius boni, conſideremus eius boni priuationem, iuxta vulgaria dicta: Carendo homines diſcunt quàm chara ſint bona. Item: Ex priuatione æſtimantur habitus. Item: Carendo magis quàm fruendo intelligimus bona noſtra. Dulcia non meminit, qui nõ guſtauit amara. Si vis ſcire, quãtum ſit bonum Spiritus ſanctus in Eccleſia & in ſingulis piis, aſpice furores Ethnicos, Turcicos, Papiſticos, Anabaptiſticos &c.

Hæc autem ſententia] Propoſitio negatiua. Negatiuæ ſunt fortiores ad refutãdum. Affirmatiuæ ſunt magis ad docendum accommodatæ. Vt igitur negatiuis vtimur in refutatione: ſic vtimur affirmatiuis in confirma-

tione, quando volumus docere homines. Nulla est fortior ratio refutandi aduersarios, quàm negatio. Sed quãdo sunt homines docendi, non satis est propositione negatiua vti, sed oportet etiam addi affirmatiuam propositionem. Ita in hac materia non satis est dicere de negatiua sententia: Quòd homo non possit sine Spiritu sancto implere Legem Dei, & inchoare conuersionem. Hæc valent ad refutandos Pelagianos & alios hæreticos, qui immodicè amplificant libertatem voluntatis humanæ. Sed nobis in Ecclesia necesse est scire, quomodo conuertamur ad Deum, quomodo possimus exercere fidem in inuocatione, quomodo possimus præstare patientiam in ærumnis.

Fortitudinem] Est ne fortitudo in afflictionibus, donum Spiritus sancti? Est. Vnde probas, cùm quidem legas etiam Ethnicos fuisse fortes in rebus aduersis? psal. 51. dicitur: Cor mundum, id est, fide purificatum crea in me, Deus, & Spiritum firmum, id est, fortem, scilicet contra dubitationes & contra metũ in periculis, innoua in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctum, id est, sanctificatorem, gubernatorem meæ mentis, voluntatis & cordis, ne auferas à me, Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali, id est, heroico, spontaneo, sponte obediente & obtemperante in ærumnis, confirma me. Ita Paulus 2 Timoth. 1. inquit: Dedit nobis Deus Spiritum non timiditatis, sed fortitudinis, dilectionis & castitatis seu modestiæ.

Stephanus] Seneca in Hercule Oetæo.

Quis sic triumphans lætus in curru stetit?
Victor, quis illo gentibus vultu dedit
Leges Tyrannus? Quanta pax obitum tulit?
Vultus petentis astra non ignes erant.

Quod Seneca dixit de Hercule moriente, longè veriùs accommodari potest ad Stephanum, qui ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat. Est versus Bembi de Stephano. Valde prædicatur Herculis fortitudo non tantùm in rebus gestis, sed etiam in media morte, sed Hercules furens insiliit in rogum ardentem, vt finiret dolores & cruciatus, qui erant intolerabiles. Noster verò Stephanus tanta lætitia, tanta animi magnitudine tolerauit mortem & supplicium, vt fide & spe omnia sua damna leuaret. Vultus petentis astra non lapides erant.

Lauren-

Laurentius] Prudentius de Laurentio:

Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus
Vltrò è catasta iudicem
Compellat affatu breui:
Conuerte partem corporis
Satis crematam iugiter,
Et fac periculum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inuerti iubet,
Tunc ille, coctum est, deuora.
Et experimentum cape, sit
Crudum an assum suauius.

Ita Laurentius vstus in craticula ludit in media morte, sed non vt furra, sed vt ebrius Spiritu sancto.

Agnes] Fuit puella Romana, nata annos 12. Cogita autem qualis hęc fuerit fortitudo in virguncula, quæ propter sexum & ætatem fuit imbecillior. Prudentius de Agnete:

Vt vidit Agnes stare trucem virum
Mucrone nudo, lætior hæc ait:
Exulto, talis quòd potiùs venit
Vesanus, atrox, turbidus, armiger,
Quàm si veniret languidus ac tener
Mollisq; Ephœbus tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet, id est, contaminatione corporis.

Motus congruentes Legi Dei] Hierem. 31. Dabo legem meam in corda eorum.

Animalis homo] ψυχικὸς. Quidam insulsè interpretatus est, Der viehische Mensch. In epistola ad Epictetum inquit Athanasius super hunc locum: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Non ita est hæc promissio amplianda, vt etiã ad pecora extendatur. Sicut enim Christus est lux hominum: ita effundit Spiritum suum super homines. Non communicat Deus Spiritum suum brutis & pecudibus.

Impreſſa eſt notitia] Roman. 1. Qui veritatem in iuſtitia captiuam detinent. Ibi veritas ſignificat notitiam Dei & Legis. Et mox: Ius Dei. i. lex naturæ. Et capite 2. Opus Legis ſcriptum in cordibus eorum. 1. Corinth. 11. Nónne ipſa natura vos docet, id eſt, naturalis notitia. Flaciani cõtra hæc expreſſa teſtimonia vocis diuinæ pugnant, quòd prorſus ſit deleta notitia Dei in homine.

Suum quiſque cor conſulat] Hoc congruit cum illo: γνῶθι σεαυτὸν.

An Deus iraſcatur] Homo dubitat primùm de ira Dei. Non cogitat tantam atrocitatem eſſe peccati. Secundò de gratia: An recipiatur à Deo, cùm ſit contaminatus peccatis. Hanc dubitationem confirmat Synodus Tridentina. Tertiò dubitat homo de præſentia Dei in afflictionibus.

Ex aqua] Non priuatio, ſed contemtus Sacramenti damnat. Sacramenta ſunt neceſſaria, quando poſſunt haberi, ſed in credentibus diſpenſationem admittunt. Multi martyres ſunt ſupplicio affecti, priuſquam baptizarentur. Credo etiam latronem in cruce non fuiſſe baptizatum, nec tamen ideo ſunt damnati.

Pater traxerit] Sic argumentor:

Nemo poteſt venire ad Chriſtum, niſi trahente Patre.
Ergo expectandi ſunt raptus violenti ſeu tractio violenta.

Reſpondeo. Auguſtinus tractatu 11. in Iohannem, inquit, Nemo ſereniſsimum ſenſum nubiloſa contradictione perturbet, conſequentia perhibeant teſtimonium præcedentibus. Sequitur autem in ſexto capite Iohãnis, quomodo fiat tractio: Omnis qui audit à Patre & diſcit, veniet ad me, & venientem ad me non eiiciam foràs. Cùm iubeat nos diſcere, excludit violentum raptum ſeu tractionem. Nam creaturæ rationales docendo trahuntur, & perſuadendo ac delectãdo, non violenta coactione.

Nihil ſine me poteſtis facere] ſcilicet ſalutare noſtræ animę & Deo placens.

Qui redeunt ab iniquitate] Prodeſt redemtio iis, qui redeunt ab iniquitate, id eſt, qui conuer-

conuertuntur ad Deum vero timore & fide. Nunquam diuellenda est remissio peccatorum à præsenti conuersione, quia Christus hæc duo coniungit: pœnitentiam & remissionem peccatorum. Et in iuramento diuino, apud Ezechielem fit copulatio conuersionis & viuificationis: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Lucæ vlt. Oportet in meo nomine prædicari pœnitentiam, id est, conuersionem ad Deum, & remissionem peccatorum. Christi passio est vniuersale λύτρον, id est, propitiatio pro totius mũdi peccatis, sed tantùm prodest iis, qui redeũt ab iniquitate, id est, qui conuertuntur ad Deum.

Hoc est fœdus meum] Interpres Latinus vertit aliâs pactum, aliâs fœdus, aliâs testamentum, cùm tamen vnum verbum sit in Hebræo, sed in Latina lingua differunt illa vocabula. Pactum est ciuile. Fœdus est pactum militare. Sunt autẽ duplicia fœdera. Alia defensiua, alia offensiua. Fœdus defensiuum, συμμαχία, vbi cõiunguntur Principes tantùm ad defensionem necessariam. Fœdus offensiuum est ἐπιμαχία, hoc obligat confœderatos, non modò ad defensionem, sed etiam ad lædendum hostem, & ad inferendum bellum. Sic Christiani Principes nõ debent tantùm esse σύμμαχοι, sed etiam ἐπίμαχοι, id est, debebant esse confœderati, non tantùm ad defensionem suorum, sed etiam ad profligandum & lædendum Turcas, Moscouitas & alios barbaros, qui parant & meditantur omnia in perniciem regni Germaniæ.

Habet propria beneficia] Verbum Dei, remissio peccatorum, Spiritus sanctus & vita æterna. Hæc sunt bona & thesauri Ecclesiæ. De primo beneficio inquit psalmus 147. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: & paulò antè, Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitiam & iudicia sua Israel, id est, Sola Ecclesia habet possessionem verbi diuini, Legis & Euangelij. Nulla secta habet integram doctrinam Legis. Deinde nulla gens habet promissionem de Mediatore extra Ecclesiam. De secundo beneficio, id est, de remissione peccatorum dicitur Iohan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis cælo. De tertio, id est, de donatione Spiritus sancti dicitur Iohan. 14: Non relinquam vos orphanos, sed

veniam ad vos, rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, manentẽ vobiſcum in omni æternitate. De quarto beneficio, videlicet de vita æterna Iohan. 10. Oues meæ vocẽ meã audiunt, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & nemo rapiet eas ex manibus meis, quia ego & Pater ſumus vnum.

Accipiamus promiſsionem Spiritus per fidem] Simul ſunt Spiritus ſanctus & fides, & tamen Spiritus ſanctus eſt cauſa fidei, & antecedit fidem non tempore, ſed ordine naturæ, quia cauſa antecedit effectum. Simul ſunt ortus Solis & dies, & tamen dicimus, ortum Solis eſſe cauſam diei: Ita Spiritus ſanctus & fides ſunt ſimul tempore. Vbicunque eſt Spiritus ſanctus, ibi fides, & vbi fides, ibi Spiritus ſanctus eſt. Non neceſſe eſt hæc ſubtiliùs quærere, ſed ſatius eſt experiri in conuerſione.

Ac ſæpe dictum eſt] Hæc eſt propoſitio affirmatiua, de copulatione trium cauſarum in conuerſione.

Oportere ordiri à verbo] Aurea hypotheſis. Lutherus: Quæramus Deum non in ſubſtãtia, quantitate, qualitate, ſed in relatione, vel breuiùs, quæramus Deum non abſolutum, ſed relatiuum, id eſt, reuelatum in ſuo verbo, non abſconditum. Quando quæris Deum in arcana luce, vide ne conſumat te hic ignis, id eſt, in verbo & Sacramentis debemus quærere Chriſtum, quaſi inuolutum faſciolis.

Hîc concurrunt] Non vis aut numerus tãdem bona cauſa triumphat. De verbo & Spiritu ſancto non eſt quæſtio, ſed tantùm de voluntate.

Nec repugnans] pſalm. 45. Audi filia (non dicitur repugna) & inclina aurem tuam, & concupiſcet rex decorem tuum. pſalm. 2. Oſculamini Filium, non dicitur, Date ei colaphos. pſal. 95. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Si Deus conuerteret repugnãtes, tum dixiſſet pſalmus: Hodie ſi vocem eius audieritis, fortiter repugnate. Hunc locum vrget epiſtola ad Hebræos. pſal. 105. Non repugnauerunt ſermonibus meis, ſcilicet Moſes & Aaron. Poſſent alia multa colligi, ſed ſatis eſt iunioribus vnum & alterum proponi.

Adiu-

Adiuuante etiam Spiritu ſancto] Semper habent noſtri aduerſarij in ore nomẽ Lutheri, quod ſciunt gratum eſſe non ſolùm populo, ſed etiam omnibus eruditis & piis, & meritò quidem. Poſſumúſne igitur aliquid candidè & verè, ſine ſycophantia & ſophiſtica proferre ex ſcriptis Lutheri, quod cõfirmet hæc duo verba, quę non poſſunt tolerare aut admittere Flaciani: Quorum alterum eſt adiuuare, alterum conari? Sed ne quis putet, me tantùm pauca quædam dicta mutila decerpere ex ſcriptis Lutheri: hortor omnes, vt legant totum pſalmum 51. enarratum à Luthero longa & luculenta interpretatione. Ac ſi quidquam Lutherus ſcripſit lectione crebra digniſsimum, in eo numero meritò habetur enarratio illa pſalmi 51. de qua dixi. Sic igitur Lutherus enarrans pſal. 51. Apprehendit enim, ſcilicet Dauid, Deum promiſſorem, & toto intuitu cordis vertitur in miſericordiam, quod non poſſet, niſi adiutus Spiritu ſancto, Deum promittentem apprehendiſſet, & ſciret apud Deum reliquam eſſe ſpem remiſsionis peccatorum pro peccatoribus. Qui legerunt librum Auguſtini de Spiritu & litera, poſſunt teſtari, ſe plus quàm centies inueniſſe vocabulum auxilij in hac materia, à quo tantoperè abhorrent animis & auribus Flaciani.

Idem Lutherus in eodem ſcripto: Etſi impoſsibile eſt in hac infirmitate noſtra ſic viuere, vt nuſquam vel ad dextram vel ad ſiniſtram impingamus: tamen conatus requiritur, vt cùm ſentimus vel ſecuritatem, vel deſperationem, non indulgeamus, ſed reſiſtamus ei. Nõ dicit, q̃ debeamus reſiſtere Spiritui ſancto, ſed vt reſiſtamus deſperationi & ſecuritati. Sed cauillantur Flaciani: hæc verè dici de renatis, ſed non de iis, qui iam conuertuntur in præſentia. Quaſi verò pœnitentia ſit vnius momenti, vel vnius diei actio. Inchoatur regeneratio per baptiſmũ, & durat in tota vita Chriſtiana, quæ nihil aliud eſt, quàm perpetuum exercitium timoris, fidei, iuſtificationis, bonorum operum. Sicut rectè Lutherus ſcripſit in primis propoſitionibus: Tota vita Chriſtianorum nihil aliud eſt, quàm pœnitentia & conuerſio ad Deum.

Veteres dixerunt] Auguſtinus epiſt. 106. Omne opus bonum gratia præcedit, & id comitante, non ducente, pediſſequa, non præuia voluntate.

Baſilius] in enarratione parabolæ de filio prodigo.

Præoccurrit] vt significet præuenientem gratiam.

Vocat] Magna est gratia, quãdo Deus vocat aliquem ad magnam cœnam.

Ne repugnemus] Idem Lutherus in eodem psalmo: Si igitur Lex cor durum terruit & flagellauit, donec perduceret in sensum peccati, veniat etiam Christus secundum promissionem suam, & iterum sic territum cõsoletur & erigat. Nos autem eas consolationes fide accipiamus, & non fiamus increduli diuinæ reuelationi.

Tantum velis] Flaciani dicunt hoc esse dictũ synergisticum: sed sumtum est ex cap. 6. Iohannis. Omnis qui audit & discit &c. Iubet audire, non repugnare, sed assentiri, non indulgere diffidentiæ. Certè in Sacramentis necesse est eos, qui illis vtuntur, velle credere & accipere bona oblata. Petrus vocat baptismum stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum. Stipulatio est conceptio verborum, qua is qui interrogatur, id quod est interrogatus, se daturum facturúmve promittit, vt si tu interroges aurigam, Vis tu meas merces vehere VVitebergam? Et ille respondet: Ita volo. Vis pro hoc pretio vehere? Ita volo. Hæc nominatur à Iurisconsultis stipulatio. Ita in baptismo adultorum quæritur: Vis baptizari &c? Credisne in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum? Id ter quæritur, recitatis tribus articulis Symboli de creatione, redemtione, sanctificatione. Qui respondet, non dicit, repugno, contradico, resisto, reiicio, sed credo: Ita in Cœna Domini: Accipite, manducate, hoc est corpus meum, id facite in mei commemorationem. Non dicitur: repugnate, reiicite, repellite omnia quæ vobis dantur.

Experiamur] Hæc experiendo vera esse cognoscuntur. Non autem est contemnendum testimonium experientiæ spiritualis omnium piorum in Ecclesia, vt dicit Epiphanius contra Apostolicos: Scriptura non indiget allegoria, sed speculatione & sensu. Et Paulus inquit Rom. 8. Hic Spiritus dat testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei, De hoc testimonio suprà diximus inter gradus testimoniorum, quę ostendunt doctrinam Ecclesiæ veram esse. Et hæc est non theorica, sed practica Theologia.

Vt

Vt ſtatua] id eſt, purè paſsiuè.

Languidè aſſentitur] Marci 9. Credo, Domine, ſed opem fer meæ diffidentiæ. Infirma fides etiam eſt fides.

Vitioſis affectibus] Nemo decipiat vos vanis ſermonibus.

Non coacti] Lutherus de ſeruo arbitrio vtitur hac Sorite: Vbi eſt coactio, ibi non eſt libertas, vbi non eſt libertas, ibi non eſt voluntas, quia ſi voluntas cogeretur, voluntas non eſſet.

ὑλικὸς] materiales, ex materia factos. ὕλη & χοῦς idem nominant Manichæi. Fingunt enim duos Deos, bonum & malum. Bonum appellant lucem, malum, tenebras. A bono dicunt ortas eſſe bonas animas eorum hominum, qui poſſunt conuerti & fieri hæredes vitæ æternæ. Malas dicunt creatas eſſe à malo Deo ex materia. Inde ſunt hæc vocabula ὑλικοὶ καὶ χοικοὶ, conditi ex materia, ſeu orti ex chao & confuſione.

Sed agit aliquid liberum arbitrium] Hoc eſt κρινόμενον, vt ſæpe dixi, non quęritur an Spiritus ſanctus ſit efficax, & an per verbum ſit efficax, ſed de voluntate quæritur, an aliquid agat voluntas in cõuerſione, cùm incipit renaſci, an verò ſit ſimilis ſtatuæ, quæ habet ſe purè paſsiuè. Sic autem inquit Lutherus in enarrat. pſalm. 51. Nihil à nobis agi, nihil ſuſcipi debet præter hoc vnum, vt adhibeamus aurem, ſicut pſalm. 45 etiam monet (audi filia, & inclina) & credamus ea, quæ nobis dicuntur, hic ſolus auditus eſt auditus lætitiæ, & hoc ſolum eſt, quod nos facimus per Spiritum ſanctum in iuſtificationis cauſa. Item: Hîc nullum aliud noſtrum opus eſt, quàm vt oblatam miſericordiam non recuſemus, ſed eam fide accipiamus. Sed hoc ipſum quoque eſt donum Spiritus ſancti, quia fides non eſt omnium.

Sæpe dixi, nullam eſſe formam verborum in hac materia magis diſertam, propriam & perſpicuam, quàm qua vtitur Paulus 2. ad Timoth. 1. Cuſtodi præclarum depoſitum per Spiritum ſanctum. Hoc dicto tribuit Paulus efficaciam Spiritui ſancto, & tamen tribuit nobis diligentiam, circumſpectionem, & conatum in agendo, quia diſertè inquit: Cuſtodi pręclarum depoſitum per Spiritum ſanctum.

Hoc mandatum proponitur homini, non Spiritui ſancto, ſed tamen ne putet, ſe ſolum agere ſine auxilio Spiritus ſancti, coniungitur auxilium Spiritus ſancti cum diligentia noſtra. Hanc phraſin imitatur Lutherus inquiens: Hîc nullum aliud eſt noſtrum opus &c. & rurſus: hoc ſolum eſt quod facimus &c. ſed per Spiritum ſanctum. Ita nos ſine metu calumniarum dicere poſſumus: nos aſſentimur Euangelio per Spiritum ſanctum. Hæc phraſis nihil detrahit de gloria Spiritus ſancti, nec pugnant hæc inter ſe: Fides eſt donum Spiritus ſancti, & eſt noſtrũ opus. quia ſicut efficacia eſt Spiritus ſancti: ita quòd ad aſſenſum attinet, habemus nos actiuè. Nos enim ſumus, qui aſſentimur verbo, non Spiritus ſanctus. Is enim non opus habet conuerſione ad Deum, quia eſt amor ſubſtantialis inter Patrem & Filium. Nobis præcipitur conuerſio, nobis mandatur fides. Et quanquam Spiritus ſanctus hoc donum in nobis efficit: tamẽ datur hoc donum petenti & aſſentienti, non repugnanti.

Cur miniſterium] A cauſa cur inſtitutum ſit miniſterium. Flaciani volunt videri magni patroni miniſterij, ſed re ipſa ſuis clamoribus id euertunt, labefactant & conuellunt.

Nihil opus eſſet miniſterio Euangelij] Quis eſſet vſus miniſterij verbi, niſi placeret Deo, nobis audiẽtibus, meditantibus & quaſi ſubſcribentibus, Spiritus ſui gratiam inter nos diffundere? Sic Saulus Actor. 9. audita voce Chriſti, mox inquit, Quid vis me facere? Et cuſtos carceris Actor. 16. inter pauores & trepidationes exclamat, Quid me oportet facere, vt fiam ſaluus? Hæc exempla oſtendunt vſum miniſterij, & docent, quid voluntas agere debeat, audita voce miniſterij, videlicet non repugnare, ſed velle aliquomodo obedientiam, adiuuante gratia, & ſimul petere auxilium in ardua & difficili lucta. Sicut ille apud Marcum inquit cap. 9. Credo, Domine, ſed opem fer meæ diffidentiæ. Et Ierem. inquit cap. 31. Conuerte me, Domine, & conuertar, ſana me, Domine, & ſanabor.

Vt voce Euangelij obtemperes] Sic argumentor:

A mandato ad obedientiam non valet conſequentia.

Ergo fruſtrà proponuntur mandata de audiendo Filio &c.

Reſpondeo. Nulla Lex proponitur immutabili naturæ, ſed illi, quæ

quæ adiuuante gratia poteſt eligere bonum. Non enim νομοθεσία pertinet ad iumenta, teſte Paulo 1. Cor. 9. Nunquid boues Deo curæ ſunt? ſcilicet quod ad νομοθεσίαν attinet.

Imò aliquo modo potes] Auguſtinus tractatu 26. in Iohannem. Non traheris, ora vt traharis. Idem eſt quod in feriis natalitiis canit Eccleſia, Trahe me poſt te. Sed dicis, non poſſum orare? Geme. Certè repugnãdo non traheris. Semper ita docuit Lutherus, & ſemper ſic ſenſit tota antiquitas, quòd liberum arbitrium ſit facultas eligendi bona, aſſiſtente gratia, & facultas eligendi mala, deſiſtente gratia, id, eſt, cùm non iuuamur, non regimur à Spiritu ſancto.

Facultatem applicandi ſe ad gratiam] Manifeſtum eſt differre citationem alieni dicti à propria aſſeueratione. Aliud eſt enim loqui μιμητικῶς, imitatiuè, aliud diſpoſitiuè. Deinde veriſsima eſt regula, quam tradit Vigilius Martyr libro 4. non præiudicant verba, vbi ſenſus manet incolumis. Et Iuriſconſultus rectè vocat fraudem, cùm interpretamur τὸ ῥητὸν contra διάνοιαν. Tertiò, cùm multi in Eccleſia eodem modo loquantur, quibus tamen parcitur, cur tam ſeuerè agitur cenſura de tribus aut quatuor verbis obiter citatis? Sic enim alij ſcribunt, quos nemo hactenus reprehendit. An ſicut truncus in conficienda ſtatua nihil agit, ſed tantùm patitur, ita & liberum arbitrium habet ſe ad conſequẽdam veram ſalutem merè (vt ita dicam) paſsiuè? Nihil certè minùs. Non habet quidem liberum arbitrium ex ſe ipſo, quo ſe ad accipiendam ſalutem præparet, aut quo ſalutem mereatur, habet autem quo beneficia Dei excipiat. Nemo Flacianorum vnquam hoſtiliter inuectus eſt in autorem huius ſententiæ, cur igitur tantoperè propter recitationem alieni dicti incurrunt in Philippum? cùm tamen eadem lex debeat valere in ſimili caſu, iuxta Solonis dictum: De vna re debet eſſe vna lex.

Cùm promiſsio ſit] Hactenus eſt argumentatus à mandato vniuerſali. Nunc à promiſsione vniuerſali argumentatur.

Aliquã diſcriminis cauſam] Quia Deus non affert voluntati neceſsitatem aſſentiendi, ſeu coactionem.

Libertas voluntatis] 2. Corinth. 3. vbi Spiritus Do-

mini, ibi libertas. Spiritus ſanctus non eſt ſeruilis, ſed liber Spiritus.

Hæc exempla declarant] Hic rurſus obiiciunt Flaciani. Hæc ſunt vera de renatis, qualis fuit Ioſeph. Reſpondeo verbis Lutheri, in hiſtoria Ioſephi. Eadem eſt fides inchoans, proficiens & perficiens, id eſt, eadem eſt fides in principio, quæ eſt in medio & fine, ſed differunt gradus fidei. Eſt eadem fides omnibus temporibus, ſecundum quale, ſed non ſecundum quantum, quia gradus lucis differunt. Non eſt alia fides in Ioſeph renato, quàm in renaſcente.

Ideo autem] Applicatio doctrinæ ad vſum. Semper in diſcēdo cogitandum eſt de vſu doctrinæ.

Habenti dabitur] Auguſtinus: Dilectio meretur incrementum dilectionis.

Paulus] 2. Corinth. 6. In eo capite proponitur adhortatio, vt inchoata dona retineamus & exerceamus.

Petite & accipietis] Matth. 7.

Conſideranda eſt & querela] Hæc eſt poſtrema pars huius loci, quæ eſt commemoratio de impedimentis libertatis, quorum alia ſunt interna, alia externa. Internum & domeſticum impedimentum eſt peccatum originis. Externa ſunt duo, videlicet furor Diaboli graſſantis in mundo ſophiſtica & tyrannide, & ipſa moles negotiorum & periculorum. Additur etiam in fine erudita & vtilis enarratio duorum dictorum Hieronymi, quorum alterum loquitur de impoſsibilitate, alterum de poſsibilitate Legis, denique & reſtrictio additur dicto Syracidæ cap. 15. quod ſine declaratione intellectum, immodicè amplificat liberum arbitrium.

Multa enim accidunt homini inextricabilia humano conſilio] Ideo Eccleſia talibus ærumnis oneratur, ex quibus eluctari humanis conſiliis non poteſt, vt in liberatione conſpiciatur præſentia Dei (hæc ſunt practica, non ſpeculabilia) & fides in nobis confirmetur. Dauid fateri cogitur, ſe non humana ope in regnum ſtitutum eſſe, In talibus exemplis diſcendæ ſunt hæ conciones [illegible] Pſalm. 10.

Tibi

Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. psalm. 27. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me. (Nihil potest dici magis patheticum, neque vlla sunt exempla affectuum illustriora, quàm in psalmis.) Psalm. 72. Liberauit pauperem, cui non erat adiutor. Threnor. 3. Misericordiæ Domini, quòd non consumti sumus.

Ægyptio] Regi Neco. 2. Parali. 35. Paralipomena dicuntur reliquiæ historiarum. Quę non exponuntur satis in 4. libris Regum, ea vberiùs narrantur in paralipomenis. Ita Xenophontis libri de rebus Græcis sunt paralipomena Thucydidis. Quia quod est omissum apud Thucididem, id expletur in libris Xenophontis.

Multi sunt errores] Nemo hominum semper est sapiens: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός. Et sæpe citatur Græca sententia: Errat etiam sapiente sapientior. ἁμαρτάνει καὶ σοφὸς σοφώτερος.

Viam vocat vocationem] Psal. 1. Nouit Dominus viam iustorum, id est, approbat & adiuuat. Ita Christus: Ego cognosco oues meas, non loquitur de notitia speculatiua, sed de auxilio, præsentia, defensione, gubernatione.

Propter seditiones] Pericles apud Thucydidem lib. 1. Magis metuo domestica errata, quàm hostium consilia. Ante annos triginta, Ecclesia in his regionibus tantùm metuebat consilia hostium, sed iam magis metuit domestica dissidia, quæ inter nos ipsos extiterunt.

Baptista inquit] Iohan. 3.

Ezechias] Rex pius à Deo adiuuatur, iuxta dictum psalmi: Omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.

Achis non adiuuatur à Deo] Non sic impij, sed tãquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.

Antonius] Triumuiri post mortem Cæsaris fuerunt Antonius, Augustus, Lepidus. Antonij exemplum monet, quàm necessaria diligen-

tia sit videre metas officij, nec extra has vagari, nec appetere maiora. Plutarchus in vita Antonij.

Valde multa] Repetitio prioris axiomatis.

Cùm ignoramus] Deus est arx, ara & portus piorum. Homines tempore belli cõ fugiunt ad arces, supplices fugiũt ad aras, naufragi expetũt portum.

Ad te] scilicet tanquam ad nostram arcem, aram & portum.

Expedit] vt Deus recepit Adam, & reddidit ei vitam, deserto ab omnibus creaturis post lapsum. Ergo & nos recipiet, & iuuabit desertos.

Quia est æqualitas] sine μεσοπολιτία. Quando exempla congruunt ad regulas vniuersales, quibus nulla potest opponi exceptio, tunc habent vim regularum.

Propè est Dominus] 145.

Commenda Domino] psal. 37. Regula vitæ.

Es magistratus] doctrina practica.

Discuti petas] Solus Deus potest imperare ventis & mari, vt restituatur trãquillitas.

Ionæ erratum] Theodoretus orat. 10. de prouidentia: Dominus Ionam pœnitentiæ præconem ad Niniuitas misit, & nolentem facere imperata, sed cæco impetu fugere conantem, fluctibus, quasi cõpedibus vinctum, immani beluæ tradidit. Illa verò quamuis rationis expers, tamen mente præditũ in ea loca vexit, vbi docere iussus fuerat. Ionas conscenderat nauem in portu Ioppe, in littore maris Palæstini seu Mediterranei. Et tamen belua ista vehit eum intra triduũ istud in Assyriam, vbi erat Niniue, itinere præsertim in mari admodum longinquo. Vitare locum, non est vitare periculum.

Tanquam ebrij] Metaphora Demosthenica. Sic enim Demosthenes in Philippicis dicit: Philippum ebrium esse successibus.

Ambi-

Ambitionem vel auaritiam] De auaritia Virgilius inquit: Quid nõ mortalia pectora cogis Auri sacra fames? &c. De ambitione dicit alius poeta:

--Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum laudis titulique cupido.

Orat se à Deo regi] Adolescentes ediscant dulcissimam precationem, quam paulò ante mortem composuit Philippus, cuius initium est: AEterno genitore nate Christe, &c. In ea precatione est etiã hic versus assiduè repetendus in precibus: Nostras semper Christe doceto Mentes &c.

Moderatione] restrictione.

Naturæ corruptio] peccatum originis.

Occasiones] Theodoretus orat. 10. de prouident. Diabolus ex nobis ipsis sumit consilia & occasiones gerendi belli.

Nescis quid serus vesper vehat] Ita Sophocles: Futurum semper est incertum.

De integra natura] ante lapsum.

A negotiorum fluctibus] metaphora à fluctibus maris.

Magnam restrictionem] Talis restrictio addita est veteri definitioni: Liberum arbitriũ est facultas rationis eligendi bonum, assistente gratia, & eligendi malum, gratia desistente.

Fit voluntas magis libera] iuxta axioma: Quale efficiens, talis effectus. Est autem Spiritus sanctus liberrimum agens. Ideo vbi Spiritus Domini, ibi libertas.

Hieronymi] in expositione Symboli ad Damasum. Hieronymus fuit scriba Damasi, Episcopi Romani.

Omnis caro] Omnis homo. Carnis significatio est triplex, I. Totum hominẽ significat, vt Rom. 3. Non iustificatur omnis caro ex Lege. Ita Ioh. 1. Verbũ caro factũ est. i. homo perfectus. II. Significat corpus. 1. Cor. 15. Alia est caro hominis, alia caro pecudis, alia volucrũ, piscium &c. III. Significat phrasi Scripturæ carnales opiniones & affectus in natura non renata per Spiritum sanctum. Galat. 5. Caro cõcupiscit aduersus Spiritũ, id est, opiniones & affectus in homine, qui nondum est sanatus per regenerationem.

Etſi igitur offenduntur] Omnis Lex de diſciplina eſt poſsibilis. Sed Lex Dei non tantùm loquitur de diſciplina. Solon. Omnis lex, ſcilicet politica, debet habere tres cõditiones. 1. vt ſit honeſta. 2. poſsibilis. 3. probabilis. Lex non tantùm valet propter autoritatem magiſtratus, ſed etiam propter probabilem rationem. Sed hæc non debent intempeſtiuè transferri ad Legem diuinam.

Diabolus inſidians] Ex cap. 3. Geneſ. Et tu inſidiaberis calcaneo eius.

Anathema] propriè ſignificat quiddã Deo conſecratum, oblatum, dedicatum vſibus diuinis. Per μετάληψιν ſignificat maledictũ, quia quædam res Deo offeruntur, vt ira Dei in eas effundatur, ſicut in Leuitico præcipitur de duobus hircis & aliis quibuſdam, quæ vocantur phraſi Moyſica, maledicta, Fegopfer.

Per gratiam] per imputationem.

Et facti membra] 1. Corinth. 6. Quare tu, qui es membrum Chriſti, trãsfers tuũ corpus ad meretricem? Si hęc paræneſis Pauli non mouet te, vt ames caſti pudoris decus, nihil poteſt te mouere aliud. Dulce eſt, quòd appellamur fratres Chriſti, ſed longè dulcius eſt, eſſe membrum Chriſti, & habere caput Chriſtum: quia multò arctior eſt copulatio membrorum cum capite, quàm fratrum inter ſe.

Sepeliri peccatum] Roman. 6. Sepulti ſumus per baptiſmum cum Chriſto.

Dauid] 2. Reg. 24. Dauid iuſsit populum numerari, vel humana ſuperbia elatus, vt oſtenderet regnum creuiſſe: vel humano conſilio, ſine mandato Dei nouam in regno ordinationem facturus. Propter ſphalma Dauidis intra triduum peſte perierunt 70000 hominum. Quãdo Magiſtratus errat aut peccat, tota multitudo luit peccatum.

Experiremur] vetus dictum eſt: Tantũ quiſque ſcit, quantum operatur.

FINIS LOCI DE LIBERO ARBITRIO.

Studioſis

Studioſis in Academia Lipſica S. D.

SICVT medico diligenti, priuſquam conetur ægro adhibere medicinam, non ſolùm morbus eius, cui mederi volet, ſed etiam conſuetudo valentis & natura corporis cognoſcenda eſt: Sic magnitudo beneficiorum Chriſti intelligi non poteſt, niſi morbis noſtris cognitis. Eſt autem maximus hominum morbus peccatum, cui nemo mederi poteſt, niſi medicus ille Samaritanus, quem in campo Samariæ vidit Iacob ſtantem in ſcala. Hic ſolus vino lauat ſaucij viatoris vulnera, & in ea balſamum ſaluberrimum infundit, & geſtat ægrum ſuis manibus. Vt igitur ignorato morbo, ignorari medicinam neceſſe eſt: ſic ignoratio peccati, maximos errores parit de beneficiis Chriſti & Spiritus ſancti. Qui enim delent agnitionem peccati, vt omnes hypocritæ, inde vſque à Cain, ſimul extinguunt lucem doctrinæ de Mediatore & iuſtitia fidei. Nota eſt ſuperbiſsima vox Aiacis Sophoclei, qui dixit: Ignauis & timidis opus eſſe auxilio Dei, ſe verò ſine Deo poſſe vincere. Eodem modo Phariſæi & Pelagiani, ignorantes aut extenuantes magnitudinem peccati, ſomniant ſe propriis viribus & meritis conſequi poſſe iuſtitiam & vitam æternam, ſed nos reiectis ac repudiatis hypocritarum delirantium ſomniis, ad medicum noſtrum confugiamus, freti dulciſsima promiſsione, quæ à Matthæo recitatur: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã vos. Primùm.n. hic medicus vulnera noſtra ſanat ſuo merito, propter quod dantur remiſsio peccatorum & recõciliatio, qua coram Deo iuſti.i. accepti ſumus. Deinde eſt efficax in credentibus, quia nouã lucem accendit in mentibus, & oſtendit voluntatem Patris & Spiritus ſancti. Cùm igitur ad vtrumque plurimum conducat peccati agnitio, non eſt noſtrum nominisque Chriſtiani dubitare, quin Locus de peccato accuratè cognoſcendus ſit, cuius repetitionẽ die 12. Maij, Deo adiutore, ordiar. Bene valete. Die 11. Maij. M. D. LXIV.

Victorinus Strigelius.

LOCVS DE PECCATO.

MAGNA cognatio & similitudo est inter artem medicam & doctrinam Ecclesiæ. Sicut enim in schola medica, primus gradus ad sanitatem est notitia morbi & causarum, à quibus morbus oritur: ita in Ecclesia, nemo peruenire potest ad remissionem peccatorum, & recõciliationem cum Deo, quæ est sanatio nostrarum animarum, sine vera peccati agnitione. Qui enim ignorant aut extenuant peccatũ, quomodo magnificare possunt beneficium Christi, de quo dicitur in Symbolo: Credo remissionem peccatorum? Vt autem in nobis excitetur & crescat agnitio peccati, Deus quatuor modis peccatum arguit, & nobis patefacit. Primus modus est vox publici ministerij in Ecclesia. Secundus modus est dolor conscientiæ. Tertius, moles publicarum & priuatarum pœnarum. Quartus, sensus iræ Dei.

De primo modo Christus Iohan. 16. inquit: Spiritus arguet mundum de peccato. Et Paulus Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cælo aduersus omnem impietatem & iniustitiam eorum, qui veritatem quasi captiuam detinent in contumacia. Hic primus modus, quo arguitur peccatum voce ministrorum Ecclesiæ, est omnium lenissimus, & vtraque manu amplectendus. Quos enim non sanat hoc pharmacum, his adhibet Deus remedia asperiora, de quibus mox dicemus. Sinamus igitur nos argui à Spiritu sancto per vocem ministrorum, sonantium Legem & Euangelium. Quod si faciemus, Deus parcet nobis, ne reliquis remediis aduersus nos vtendum sit.

Secundus modus, quo arguitur peccatum, est dolor conscientiæ, qui etsi est aliquantisper in securis & ebriis hebes: tamen suo tempore fit sæuissimus, nec dissimilis carnifici laceranti cor humanum. Vt enim carnifex externa membra crudeli spectaculo lacerat: sic conscientiæ dolor est carnifex cordis humani. De hoc modo Paulus loquitur Roman. 2. cùm facit mentionem conscientiæ, eamq; definit esse cogitationem accusantem vel defendẽtem, accusantem quidem peccata, & defendentem rectè facta, quasi dicat: Conscientia est integer Syllogismus practicus, in quo Lex Dei ponit maiorem, postea attexuntur minor & conclusio, quæ est vel approbatio rectè factorum, vel condemnatio scelerum.

Tertius

Tertius modus est moles publicarum & priuatarum pœnarum. De hoc modo dicit psalmus 89. Propter iniquitatem corripis filios hominum, id est, peccatum est præcipua causa malorum in genere humano. Nec aliud sunt pœnæ publicæ & priuatæ, quàm monitrices & concionatrices de peccato & ira Dei.

Quartus modus est omnium grauissimus & tristissimus, videlicet sensus iræ Dei. De hoc modo dicitur Deuteron. 4. Deus est ignis consumens: & Ezechias rex, oppressus graui & mortifero morbo, & sentiens in corde iram Dei, tanquam fulmen & horribile incendiũ, exclamat, Esaiæ 38. Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Et Ionas in ventre ceti, cap. 2. Omnes fluctus tui & procellæ tuæ me obruerũt. Hi quatuor modi, quibus arguitur & monstratur nobis peccatum, semper sint in conspectu, vt emendetur in nobis securitas, nec laxemus fræna peccato, & ne dominetur in nobis peccatum. Quos enim non sanat pharmacum, id est, vox ministerij, his Deus adhibet vstionem & sectionem, hoc est, incutit nobis pauores conscientiæ, & opprimit sensu iræ suę, & foris circundat signa reatus, in quibus sani omnes fatentur, se iustè puniri, vt Mauricius interfectus à Phoca, cum coniuge nobilissima, & liberis generosissimis, dixit: Iustus es, Domine, & iustum iudicium tuum. Hæc ideo recitaui, vt studiosa iuuentus cogitet, non inanem nec futilem doctrinam proponi, quãdo differitur de peccato. Quòd si quis agnoscit peccatum & iram Dei, is haud dubiè magnifacit & miratur, & grato pectore amplectitur remissionem peccatorum, quam meruit nobis obedientia Filij Dei, quæ nobis imputatur propter hunc Mediatorem gratis, si modò fide eum amplectimur.

Distribuemus autem totum hunc Locum in sex capita. Primum continet definitionem peccati generalem. Necesse est enim prius dici de genere, postea de specie. Secundum caput est prima diuisio peccati in originale & actuale. Tertium complectitur causas & effectus peccati originalis. Quartum explicat quæstionem de tabulis fractæ nauis, id est, reliquiis bonorum in natura nostra post lapsum. Verè enim comparatur homo post lapsum naufrago, qui amisit & merces, & fregit nauem. Quintum est doctrina de peccato, quod manet post baptismum in sanctis, de quo sæpe quæritur, an sit peccatum, & quale sit. Sextum est altera diuisio peccati, quod est aut regnans aut non regnans, seu veniale & mortale. Quia verò in ipso libello Locorum Theologicorum hæc tota doctrina perspicuè

explicata est, non erimus prolixi in dictando, sed summa tantùm rerum fastigia sequemur.

Quid sit peccatum in genere.

CAPVT I.

PRIMA methodus est, quæ orditur à genere, & à thesi progreditur ad hypothesin. Monachi sic definiunt peccatum: Est cogitatum, dictum vel factum contra Legem Dei. Estne hæc definitio bona? Omnis definitio debet conuerti cum definito, ne sit angustior vel amplior definito. Sed hæc prorsus nihil dicit de radice & fonte peccatorum, id est, de originali peccato, ideo est vitiosa definitio. Dixi aliâs, post conuẽtum VVormacienſom, anno 41. veram & integram definitionem peccati esse constitutam. Nam ante hunc conuentum non fuit vsitata nec in scriptis, nec in lectionibus præceptorum ista definitio.

Breuis & erudita definitio peccati, quę est communis peccato originali & actuali, in epistola Iohannis, cap. 3. traditur: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, id est, peccatum est, non congruere cum Lege Dei.

In vulgari versione sententia huius definitionis non est disertè expressa: Peccatum est iniquitas. Hæc verſio est petitio principij, & otiosa ταυτολογία. Potest enim rursus quæri, quid sit ipsa iniquitas. Ἄνομον & νόμιμον sunt contraria. νόμος est lex, à νέμω distribuo. Hinc νόμιμος, legitimus, id est, congruens cum lege. Ἄνομος est violator legis, repugnans legi. Iustitia est quiddam νόμιμον, congruens ad legem, legitimum. Iniustitia est quiddam ἄνομον.

Vt enim priuationes definiuntur collatione habituum (rerum positiuarum) vt cùm dicimus, tenebras esse priuationem lucis: ita Iohannes rectissimè definit peccatum esse, quidquid est contrarium Legi Dei. Norma est Rom. 4. extat axioma Theologicum, declarans fontem defi-

iustitiæ

iuſtitiæ Lex Dei, quæ eſt ſapientia in Deo æterna & immota, cuius radij transfuſi ſunt in rationales creaturas, & quæ in promulgatione Decalogi repetita eſt: Contraria huic normæ & ſapiẽtiæ ſuæ Deus damnat, & peccata nominat, & propter ea ſontibus iraſcitur, & eos deſtruit. Ac apparet, Iohannem motum eſſe licentia eorum, qui ex gentibus ad Eccleſiam cõuerſi erant, quibus oſtẽdenda fuit norma, vnde iudicarent, quæ mala ſint à Deo damnata. Deducit igitur nos ad Legem, quam rectè vult intelligi. Intelligatur autem in hac deſcriptione & hoc, quòd propter hanc ἀνομίαν, id eſt, violationem Legis homo ſit reus iræ Dei, ſicut Lex ipſa inquit: Maledictus, qui non manet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Lege. Eſt igitur peccatum, quicquid pugnat cum Lege Dei, propter quod & perſona rea eſt, niſi fiat remiſsio propter Filium.

nitionis: vbi nõ eſt Lex, ibi nõ eſt peccatum. Declarabo hoc exemplo ſcholaſtico. Quãdo nulla extat lex prohibens affectationem nouitatis in veſtitu, tunc illa affectatio non poteſt à magiſtratu puniri. Sed quamprimùm lex eſt condita, prohibens veſtitum indignum ſcholaſticis perſonis, tũ illa affectatio eſt peccatũ dignum pœna ſeu mulcta. Ita ſi non eſſet lex transfuſa in noſtras mentes in creatione, & non eſſet repetita in monte Sina & alibi, actiones noſtræ non eſſent peccatum. Vbi autem lex eſt, ibi actio contra legem eſt peccatum.

Lex & iuſtitia ſunt vocabula correlatiua, ἀντιστρέφοντα. Vt enim iuſtitia eſt obediẽtia erga Legem diuinam vel humanam (iam enim loquimur in genere) ſic econtrariò Lex eſt regula iuſtitiæ: δίκαιον ἐστὶ νόμιμον, inquit Ariſtoteles, comprehẽdens hoc dicto ἀντιστροφὴν, id eſt, reciprocationem inter iuſtitiam & legem. Iam verò ex Dialecticis conſtat, in eodem prædicamento eſſe vocabula priuatiua & poſitiua, vt corpus viuum & cadauer ſunt in ſubſtantia: lux & tenebræ in qualitate. Vt igitur iuſtitia eſt quiddam νόμιμον: ſic priuatio iuſtitiæ eſt ἀνομία pugnans cum lege. Sed dicat aliquis, nimis eſſe breuem definitionem Iohannis: Reſpondeo. Si rectè intelligatur Lex, ſicut alibi enarratur copioſiùs, definitio erit optima. Complectitur enim Lex hæc quatuor. 1. præceptum. 2. prohibitionem. 3. promiſſionem. 4. comminationem. Vt in primo præcepto Deus præcipit, vt eum ſolum agnoſcamus eſſe verum Deum, quem colamus fide, ſpe

patientia. Deinde prohibet: Non habebis alienos Deos, id eſt, non habebis idola, opiniones falſas, & quicquid eſt contra veram notitiam Dei. Tertiò addita eſt promiſsio: Ego benefaciam multis millibus, qui ſeruant mandata mea. Quartò, additur comminatio: Ego ſum Deus fortis zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, &c. Hæc quatuor conſiderentur in appellatione ἀνομίας apud Iohannem, & apparebit, eum loqui tanquam artificem, & complecti hac definitione vtrumque: materiale & formale peccati.

Cùm autem vocabulum peccati ſit relatiuum, quæramus fundamentum & terminum, inter quæ tãquam extrema, relatio peccati verſatur. Eſt igitur fundamentum huius mali: inobedientia pugnans cum norma iuſtitiæ diuinæ. Terminus eſt iuſtiſsima ira Dei damnantis & puniẽtis hanc inobedientiam horrendis & triſtibus pœnis publicis & priuatis, præſentibus & æternis. Nequaquam igitur dicendum eſt, relationem nihil eſſe niſi cogitationẽ, cùm ſit vel applicatio, vel ordo fundamenti ad terminum.

Sæpe autem in Scriptura appellatio peccati vſurpatur loco abſoluti, id eſt, loco fundamenti aut termini, vt 2. Corinth. 5. Eum, qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum.

In huius dicti priore parte peccatum ſignificat fundamentum, id eſt, prauam concupiſcentiam [ἀταξίαν naturæ] & quaſcunque actiones pugnantes cum Lege Dei. Horum malorum prorſus nihil fuit in Filio Dei, non praua inclinatio, non defectus vitioſi, non vllæ vitioſæ actiones. Sed fulſit in eo agnitio firmiſsima æterni Patris, atſit in eo ſummus amor æterni Patris, & ceteræ pulcerrimæ virtutes. Poſtea cùm dicitur: Hunc fecit peccatum, ſignificatur terminus, non fundamentum, id eſt, quiddam reum, ſuſtinens iram Dei, & abiectum in triſtiſsimas pœnas. Iacet Filius Dei proſtratus coram æterno Patre, ſentiens iram

In dicto Pauli ſimul conſideretur amplitudo bonitatis & miſericordiæ Dei erga genus humanum. Nos miſeri & infirmi homines leui iniuria irritati, ſumus implacabiles. Sed Deus nequaquam eſt ἄστοργος. Sed tanta eſt ipſius bonitas, vt quanquam toties à nobis non leuiter, ſed atrociſsimè læſus, tamen inchoet reconciliationem & quadam amoris abundantia nobis offerat veniam. Id ſignificat Paulus inquiens: Legatione fungimur & Dei

Dei aduerſus peccata noſtra effuſam in ipſum, perinde ac ſi ſe poluiſſet meis, tuis, & omnium tetris ſceleribus. Sed huius ſententiæ amplitudinem nec angelorum, nec hominum eloquentia ſatis exponere poteſt. De ſumma vtcunque commonefeci iuniores, vt hoc dictum conſiderare & amare diſcant: deinde, vt cùm videbunt fieri vocabula illuſtriora rectè ad Dialecticen accommodata, magis amẽt hęc ſtudia paruarum artium, quæ rationem docendi & explicandi monſtrant.

precamur nomine Chriſti, Reconciliamini cum Deo: eum enim, qui non nouit peccatũ &c. Chriſtus Matth. 5. monet: Si habet aliquid aduerſus te frater tuus, noli ſacrificare, ſed ito ad eum, & redito cum eo in gratiã. In quo dicto prȩcipit Chriſtus, vt is qui læſit alterum, inchoet recõciliationem, & petat veniam. Quanquam autem Deus hanc legem ſanxit inter homines lædentes & læſos: tamen ipſe primò inchoat recõciliationem. Ex qua re æſtimari debet & poteſt φιλανθρωπία & χρηστότης Dei. Deinde magni Principes offenſi non placantur, niſi perſolutapœna, & quidem graui. At Deus toties à nobis offenſus non poſtulat pœnam ſeu ſatisfactionem, pro noſtro peccato & inobedientia, ſed voluit Filium ſoluere λύτρα pro nobis: De his rebus omnibus ſæpe & multum eſt cogitandum, vt excitemur ad conſiderationem bonitatis diuinæ, & hac permoti, ſeriò agamus pœnitentiam.

De prima diuisione peccati.

CAPVT II.

QVICVNQVE vtiliter in studio doctrinæ Christianæ versari volunt, non tantùm cognoscant articulos, quos hactenus vtcunque repetiuimus, de Trinitate, de duabus naturis in Christo, de Spiritu sancto, de creatione & aliis materiis: Sed præcipua quadam diligentia cognoscant tres locos practicos, quorum primus est de peccato, alter de Lege, tertius de gratia. Nam Lex est speculum peccati, id est, morbi, quo natura humana iacet oppressa. Gratia est remedium efficax & salutare, opponendum peccato & pœnis peccati. Et quidem Paulus ipse in epistola ad Romanos, quæ est methodus vniuersæ Scripturæ sacræ, præcipuè illustrat locos, de quibus dixi.

Constituta definitione peccati in genere, dicendum est de speciebus, quarum alia nominatur inobedientia seu ἀνομία originalis, alia actualis.

Actuale peccatum à Bernhardo & aliis vocatur etiam personale. Singularis peccati species est blasphemia aduersus Spiritum sanctum.

Peccatum originale est reatus propter lapsum primorum parentum, & propter prauitatem secutam lapsum primorum parentum in omnibus propagatis secundum naturam, quæ prauitas est multiplex caligo in mẽte de Deo, & concupiscentia repugnans Legi Dei, & propterea non tantùm pœna est, sed verè peccatum, propter quod & rei sunt æternæ iræ homines nascẽtes, nisi renascantur per Filium Dei.

Qui ignorat peccatum originis, ignorat beneficia Filij Dei & Spiritus sancti. Vt qui morbum ignorat, ignorat etiam remedia. Peccatum originis est in prædicamento relationis. Fundamentum est qualitas secundæ speciei, quę vocatur naturalis impotentia, terminus est reatus. Nũc fundamentum consideremus. Ac iuniores assuefaciant se ad hanc normam, vt cogitaturi, vel dicturi de peccato originis, ordine eant per præcipuas animæ potẽtias,

&

& quærant quid in ſingulis potentiis ſit ipſum peccatum originale. Hac enim conſuetudine aſſequentur, vt & rectiùs intelligere, & faciliùs meminiſſe, denique dexteriùs explicare doctrinam de peccato originali poſsint. Peccatum originale in mente, eſt multiplex caligo de Deo. Hæc non eſt otioſa, iners & ignaua, ſed parit triſtes dubitationes de Deo & rebus diuinis, vt verbi cauſa, de eſſentia, de voluntate Dei, de prouidentia diuina, de certitudine ſacræ Scripturæ, de promiſsionibus & cõminationibus diuinis, de præſentia Dei in Eccleſia, denique de futuro iudicio. Non igitur extenuemus, ſed vero gemitu deploremus hoc vitium, & petamus à Filio Dei, vt ſit noſtrarum mentium illuminator, pulſis tenebris nobiſcum naſcentibus. Deinde in voluntate peccatum originale eſt concupiſcentia, vt Scriptura loquitur, id eſt, auerſio voluntatis à Deo, tãquam obiecto ſummo & præcipuo, quod voluntas expetere maximè, & ad quod conuerſa & directa eſſe debebat. Hæc auerſio eſt mater fœcunda, gignẽs ſecuritatem, qua contemnitur, aut certè negligitur iudicium Dei aduerſus peccatum, & parit hæc auerſio diffidentiam fugitantem Deum, & impatientiam ac fremitum aduerſus Deum in ærumnis. Denique alia mala innumerabilia ex hoc fonte manant, qui nominantur auerſio voluntatis à Deo. Tertiò, peccatum originale in corde eſt concupiſcẽtia, ἀταξία omnium affectuum cõtra Legem Dei. Nam poſt lapſum homo ſe magis diligit, quàm Deum, & magis timet homines, quàm Deum, & ardet iniuſtis flammis amoris, odij, iræ, ambitionis, cupiditatis vindictæ. Denique tanta eſt peruerſitas cordis humani, vt exclamet Ieremias 17. cap. Peruerſum eſt cor hominis & ærumnoſum, & inſcrutabile. Hoc modo ſi per præcipuas potentias ducas peccatum originis, tanquam per methodi quæſtiones, tota res erit illuſtrior. Sed ſi quis quærat, quæ ſit ſedes huius materiæ de peccato originis: Reſpondeo, caput quintum epiſtolæ ad Romanos eſt prẽcipua probatio doctrinę de peccato originis. Sunt quidem in ſacris literis paſsim ſparſa dicta de peccato originis, ſed valde breuia, quæ indigẽt longiore declaratione. Caput verò quintum ad Romanos eſt luculenta concio de hoc malo, quod vocatur peccatum originis. Ideo qui volunt hunc locum rectè cognoſcere, faciant id ſibi familiariſsimè notum. Quod ad Patres attinet, nemo inter omnes Græcos & Latinos rectiùs ſenſit & ſcripſit de hac materia, quàm Auguſtinus in libris cõtra Pelagianos, & de ciuitate Dei. Nam vt reliqua eius ſcripta omittam, quibus præclarè refutat negantes

peccatum originis aut extenuantes: in libro 13 & 22. de ciuitate Dei ita disserit de hac materia, vt haud sciam, an possit aliquid præterea requiri. Reliqui Græci & Latini non sic elaborârunt in hac materia, vt Augustinus, cui præbuerunt occasionem copiosiùs disputandi Pelagianæ blasphemiæ.

Cùm autem ex priuatione aliquo modo iudicari possit de habitu [*de re positiua*] è regione consideremus, quid sit iustitia originalis seu imago Dei, de qua etiã suprà dictum est.

Iustitia originalis significat & acceptationem & rectitudinem, quæ fuit ante lapsum, videlicet lucem & firmam agnitionem Dei in mente hominis, & congruentiam volũtatis & cordis cum Deo, qui in hominib⁹, velut in templo suo habitasset, & suam sapientiam, iustitiam & lætitiam eis communicasset, si non essent lapsi. Hæc omnia significãtur nomine iustitiæ originalis, sicut clarè testatur Paulus, enarrãs imaginẽ Dei Ephes. 4. & Colos. 3.

Sæpe repetitur hæc regula Dialectica: Ex priuatione æstimandi sunt habitus, vt ex tenebris possumus æstimare lucis bonitatẽ, vt Cicero scribit 2. de nat. Deorũ: Si essent tantæ tenebræ, quantæ quondam eruptione AEtnæorum ignium finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per biduum nemo hominem homo agnosceret, & postea toto cælo lux diffusa diem efficeret, homines profectò sibi reuixisse viderentur, quasi ab Orco reuocati: ita ex peccato originis possumus ratiocinari, qualis res fuerit iustitia originalis. Sed ne hæc ratiocinatio tantùm sit humana, cogitentur dicta Pauli de imagine Dei in homine, Ephes. 4. Colos. 3. quorum summa hæc est: Homo est conditus in vera agnitione Dei. Deinde in iustitia & sanctitate vera, id est, iustitia originalis non est tantùm relatio seu acceptatio diuina, qua placuerunt Deo primi parentes, sed etiam qualitas secundæ speciei, videlicet potentia naturalis. In mente quidem lux & agnitio Dei firmissima procul segregata ab omni errore & dubitatione. In volũtate & corde fuit congruẽtia, consonantia, harmonia suauissima cum Lege Dei, id est, ardens dilectio Dei, purus amor proximi, sicut Lex diuina præcipit: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum, sicut teipsum. Et talis erit iustitia omnium beatorum in vita æterna, quãdo Deus erit omnia in omnibus.

Actuale

Actuale est omnis actio pugnans cum Lege Dei, siue fit in mente, vt dubitationes de Deo, siue in voluntate & corde, vt incendia malorum affectuum, siue in membris externis, vt externæ actiones pugnantes cum Lege Dei.

Actuale peccatum etiam ratio intelligit, sed originale peccatū ratio non intelligit. vnde psalm. 51. inquit: Sapientiam absconditam manifestasti mihi &c. Sapiētiam vocat veram agnitionem peccati, Legis, gratiæ. Mens humana sine verbo & Spiritu sancto, nec peccatum originis intelligit, nec Legem, nec gratiam promissam propter Mediatorē, sed hæc omnia rationi ignota in verbo mōstrantur. Quare non putemus esse doctrinam vulgarem & omnibus notam, quæ de peccato, Lege & gratia traditur. Si enim Ecclesia non haberet verbum & Spiritum sanctum, nemo ista sciret, aut intelligeret, quid sit peccatum, quid Lex postulet, & cur recipiamur à Deo in gratiam.

Sed nunc de originali dicamus: Quia Pelagiani & alij prophani homines contenderunt, aut nihil esse peccatum originis, aut tantùm esse pœnam, non peccatum. His furoribus opponenda sunt dicta Prophetica & Apostolica, quæ affirmant, omnes homines propagatos carnali generatione afferre secum prauitatem, quæ & inimicitia est aduersus Deū, & damnata à Deo.

Fuerunt nostra memoria aliqui pseudotheologi, qui ausi sunt dicere, doctrinam de peccato originis esse similem hypothesibus mathematicis de epicyclis & eccētricis. Mathematici in cęlo sculpunt machinas, quarum aliæ eccentrici orbes vocantur, aliæ epicycli. Non autem sentiendum est, reuera tales esse machinas, quales in Theoricis planetarum pinguntur. Sed hæc ideo excogitantur, vt reddi possit ratio ἀνωμαλίας apparentis. Nam aliâs tardissimè Sol mouetur, vt nunc circa solstitium, aliâs celerrimè, vt in bruma. Quæ igitur est ratio huius diuersitatis? Hanc vt reddere possent mathematici, attribuerunt Soli eccentricum orbem. Sic enim dari potest ratio, cur & quando celeriùs, quando tardiùs Sol moueatur. Quod igitur Mathematici de eccentricis & epicyclis dixerunt, hoc aliqui prophani transtulerunt ad doctrinam de peccato originis.

Roman. 5. Propter inobedientiam vnius, peccatores sunt multi.

Item: Propter vnius delictum condemnatio peruasit in omnes. Est ergo aliquod propagatum peccatum, cuius pœna est mors etiam in his, qui non habent actualia delicta, vt in infanti b⁹. Nam si nulla esset propagatio peccati, non posset dicere Paulus, ceteros propter Adam habere peccatum. Expresse autem dicit: Mors peruasit in omnes, quia omnes peccauerunt, id est, omnes habent peccatum, & in vocabulo peccati intelligatur prauitas & reatus, quia hic Paulus phrasi Hebræa vtrumque complectitur.

Quare omnes potenti morti obtemperant? Quia omnes peccauerunt. Non intelligas vocabulum peccati, Latino more, de actione, sed de malo, quod in nobis hæret, & radices altè egit, & propagatur in vniuersos posteros. Omnes peccauerunt, id est, omnes habent peccatum, & propter hoc malum sunt rei æternæ iræ Dei. Sermo Pauli est breuis, sed neruosus. Singula verba Pauli sunt singula pondera & testimonia Magna debetur Augustino gratia, quòd hunc locum illustrauit non solùm in libris elécticis, sed etiam de ciuitate Dei. vbi lib. 22. cap. 24. etiam hoc dictum extat: In malo originali duo sunt, peccatum atque supplicium.

Roman. 3. Omnes peccauerunt, id est, habẽt peccatum, & sunt rei, & carent gloria Dei, id est, iustitia, quæ est integra conformitas cum Deo sine peccato, sine morte, propter quam Deus hominem diligit, & non destruit.

Roman. 7. Inuenio aliam Legem in membris meis militantem contra legem mentis meæ, & rapientem me captiuum Legi peccati, quæ est in membris meis. Vocat enim Legẽ in membris [*id est, in potentiis animæ*] cæcas dubitationes & impetus auersos à Deo, errantes flammas cupiditatum, impatientiam in cruce.

Verba Pauli magis erudiunt lectorem, quàm omnes commẽtarij & disputationes humanæ. Nam vnus aphorismus Pauli pluris faciendus est omnibus scriptis humanis.

Roman. 8. Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum. Legi enim Dei nec subiicitur, nec subiici potest. Hæc sententia tristem descriptionem proponit hominis non renati, qui vel securus contemnit

temnit iudicium Dei, vel perterrefactus fremit aduersus Deum, & in tota natura circumfert magnam confusionem dubitationũ & affectuum. Non enim de externis gestibus loquitur Paulus, sed de interioribus malis, quæ sunt tenebræ & dubitationes, & prauę inclinationes.

Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, sicut & ceteri. Non loquitur Paulus de actualibus delictis & de exemplo Adæ, sed de propagatione peccati. Nam ab Adam propagatur natura rea, habens peccatum, & morti obnoxia.

Breuis est hic aphorismus Pauli, sed perspicuè de peccato originis docet. Disertè inquit, nos esse filios iræ, id est, addictos iræ, non exemplo, non imitatione, non tantùm assuefactione, sed natura, id est, naturali propagatione, sicut in hanc lucem nascimur. Pelagiani dixerunt, homines tantùm ideo peccare, quia sunt imitatores alieni exempli, videlicet primorum parentum. Contrà verò Paulus clamat: Eramus natura filij iræ.

Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei: cùm necessaria sit regeneratio, manifestum est, veterem naturam immundam & ream esse.

Vnde hoc sequitur? Christus dicit Iohan. 13. in historia de lotione pedum: Qui lotus est, non indiget vt lauetur, id est, vt physici loquuntur: præsentibus habitibus in materia cessat ἐνδιαλείχεια. Exemplum. Quando hic paries est albus, non indiget fidelia, vt dealbetur. Sic quando aqua est calida, non indiget calefactione. Quia igitur nos indigemus regeneratione, manifestum est, primam generationem esse immundam, pollutam, ream &c.

Psal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Hæc verba clarè testantur, peccatum aliquod à parentibus in natos propagari.

Sic argumẽtor: Dauid inquit: In peccatis concepit me mater mea. Ergo coniugium est peccatum, & per consequens, res Deo displicẽs, & ab eo damnata. Quia quidquid est peccatum, est abominatio coram Deo. Respondeo. Est fallacia accidentis. Non accusat psalmus ordinem coniugij sanctum diuinitus in paradiso, & postea multis testimoniis diuinis approbatum, sed deplorat ἀταξίαν, id est, cõfusionem appetitionum,

quæ accedit ad opus Dei, id est, ad opus generationis, quod certè nō est humanum, sed diuinum quiddam. Hæc ideo dico, ne quis abutatur dicto psalmi ad vituperationem coniugij.

Genes. 8. Cogitatio cordis humani mala est à pueritia. Eadem est sententia dicti Ieremiæ 17. cap. Prauum est cor hominis & ærumnosum, & inscrutabile. Tria mēbra sunt huius aphorismi. Primū est, quod dicit: Cor humanum esse prauum, peruersum, distortum: Id enim significat propriè Hebraica dictio, quæ hoc loco ponitur. Hoc epitheton describit ἀταξίαν cordis humani, quod in rebus secundis est insolens, tumidum & inflatum. Quia parua fortuna potest hominem inflare:

Nescia mens hominum, inquit Poëta, *fati sortisq; futuræ,*
Et seruare modum, rebus sublata secundis.

Item: *Luxuriant animi rebus plerunque secundis.*
Nec facilè est æqua commoda mente pati.

In historia Imperatoris Seueri extat memorabile exemplum de aulico homine Plauciano, qui ex summo fastigio dignitatis præcipitatus est in tragicas calamitates. Est enim interfectus à Seuero. Ac Imperator ipse de eo in Senatu dixit. Videtis quàm rara, & quàm ardua & difficilis virtus sit, moderatè vti rebus secundis, & non efferri fortunæ fauore. Econtrà in aduersis cor humanum est timidum, fugax, trepidum, quærens inconcessa præsidia & remedia dolorum.

Secundum membrum est, ærumnosum, quod epitheton describit pœnas peccati: quia in malo semper sunt duo consideranda, ipse defectus pugnans cum Lege Dei, & pœna, quæ iusto ordine comitatur defectum. Quid autem ærumnosius est corde humano in vita & morte? quàm tremit, quàm trepidat sæpe ad sonitum folij cadentis?

Tertium membrū est exclamatio seu ἀδύνατον. Quis potest enarrare vel peruersitatem, vel prauitatem, vel ærumnas cordis humani? Omnium poetarum eloquentia est consumta in miseriarum humanarum descriptione & deploratione. Sed nullus tragicus poeta, quantumuis copiosus & splendidus, potuit exhaurire hunc fontem miseriarum.

Etsi autem dicta Prophetica & Apostolica breuia sunt: tamen pia cogitatione euoluenda sunt, & magnitudo miseriæ nostræ cogitanda

gitanda est, ac iram suam Deus & in his dictis patefecit, & ostendit in mole calamitatum generis humani, in morte, morbis, fame, bellis, vastationibus & aliis ærumnis. Agnoscamus igitur iram Dei, & confugiamus ad Mediatorem. Taxemus etiam cæcitatem eorum, qui contendũt hos defectus in homine, non esse propriè loquendo peccata.

Constantinopolis circa hoc tempus capta est à Mahometo, ante annos 111. anno Christi 1453 die 29. Maij. Ideo exempli causa cõtẽtus ero breui recitatione historię huius vrbis, vt cõspiciatur ira Dei in pœnis publicis. Cõstantinopolis est ciuitas potentissima, sita in loco maximè opportuno, videlicet in Thracia. Totum triennium à Seuero Imperatore acerrimè obsessa est & oppugnata, ac tanta fuit pertinacia Bizantiorum, vt ventum sit propter famem ad carnes humanas. Ad extremum facta est deditio, ibi iussit Seuerus, non solùm multos interfici, sed etiam muros vrbis dirui, & ante oculos prosterni. Sed hanc vrbem dictam olim Bizantium, instauravit Constantinus Magnus, & quanquam nouam Romam voluit appellari: tamen consuetudo sermonis obtinuit, vt diceretur Constantinopolis. Transtulerat enim Constantinus sedem imperij ex Italia in Thraciam. Hanc vrbem à Constantino instauratam & amplificatam, Mahometus Turcicus tyrannus ante 111. annos cepit. Quanta verò vsus sit crudelitate in victoria, longum esset commemorare. In hoc exemplum intuentes, precemur à Deo, vt mitiget pœnas, quas nostra peccata quotidie merentur, nec finat fieri tales vastationes in Germania, quales in illa vrbe factæ sunt.

De cauſis & effectibus peccati originis.

CAPVT III.

TRIA ſunt grauiſsima teſtimonia, quæ oſtendunt magnitudinem peccati originalis. Dignitas victimæ [*Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*] magnitudo calamitatum humanarum, & lapſus ſanctorum. Nam extremis morbis extrema remedia, vt ait Hippocrates, opponenda ſunt. Quare cùm hoc malum non aliter, niſi ſanguine Filij Dei tolli atque deleri potuerit, perſpicuum eſſe debet, quanta ſit huius mali atrocitas.

Apud medicos ſectio & vſtio nominãtur extrema remedia.

Bernhardus ſermone 3. de natali Domini. Ex conſideratione remedij, morbi mei æſtimo quãtitatem. Item: Agnoſce homo, quàm grauia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt Chriſtum Dominum vulnerari. Si enim non eſſent hæc ad mortem, & quidem ad mortem ſempiternam, nũquam pro eorum remedio Filius Dei moreretur.

Quid dicam de mole pœnarum? quam non modò adulti, ſed etiam infantes ſuſtinẽt. Eſt autem Deus iuſtus, ſeruans æqualitatem in puniendis delictis.

Voluntatis diuinæ, quæ eſt immutabiliter bona, omnes effectus boni ſunt. Cùm igitur videamus pœnas peccati in infantibus, quis dubitet Deum iuſtè punire aliquod peccatum, quamtis arcanum in infantibus, quia Deus eſt æqualis, neminem afficit iniuria.

Poſtremò conſiderentur lapſus ſanctorum, vt Moſi, Aaronis, Dauidis & aliorum, qui peccãt ſecuritate, diffidentia, ſuperbia, impatientia & multis flammis cupiditatum. Hęc ſymptomata non obſcurè oſtendunt, quanta

Certum ſignum, quod monſtrat magnitudinem peccati originis, eſt lapſus ſanctorum. Si enim hoc malum tam eſt potens vis

vis morbi in natura nostra hæreat.

& efficax in renatis, quid existimandum est de non renatis, in quibus dominatur peccatum, quod nec est remissum, nec sanatum aliquo modo per Spiritum sanctum? Si sancti homines labuntur, quantò facilius est labi, hallucinari, errare non renatos? Mosi lapsus fuit diffidentia & dubitatio. Exodi 17. Cùm enim Moses iussus esset baculo percutere petram, vt inde eliceret aquam, bis pulsauit petram trepidè in magna consternatione & dubitatione. Etsi autem nobis peccatum videtur esse leue, puerile, negligendum: tamen propter id iusit eum Deus mori, ne posset ingredi in terram promissam. Lapsus Aaronis describitur Exodi 32. Absente Moyse populus cœpit tumultuari, mouere seditiones, quibus permotus Aaron, vitulum aureum fabricauit, vt quoquo modo demulceret animos vulgi. Dauidis lapsus quotidianis vocibus celebratur. Nam rapiens alterius coniugem, interfecit maritum, & paulò ante mortem numerauit populũ, proculdubiò superbia aut ambitione, vt ostenderet creuisse regnum suis victoriis & rebus gestis.

Vt autem tota doctrina de peccato originis magis fiat perspicua, causas & effectus ordine recitabo.

Causa efficiens peccati originalis est Diabolus & voluntas primorum parentum, quæ cùm esset libera, sua sponte auertit se à verbo Dei, nec retinuit obedientiam erga Deum. Ideo, quia dona acceperant primi parentes pro toto genere humano, & personæ eorum repræsentabant totam posteritatem, fit rea posteritas propter eorum lapsum, & quia

Quia in lumbis Adę, vt loquitur Augustinus, fuit totum genus humanum.

ipsi amittunt prima dona, tales postea gignũtur, quales ipsi sunt, amissis donis, id est, afferunt tenebras de Deo, & auersionem à Deo, & non sunt templa Dei. Quare nec lucem diuinam, id est, firmam assensionẽ de Deo, nec motus diuinos habent, nec vires possunt cõgruere cum Lege Dei.

Est vetus disputatio, & nondum adhuc explicata, & quę nũquam explicabitur in hac vita: An animæ nostræ propagentur ex traduce, id est, oriantur ex vi & natura seminis parentum: An verò creẽtur diuinitus post cor-

porum formationem in vtero. Hæc quæstio vt dixi, neque explicata est hactenus, nec poterit etiam ab vllo hominum explicari, quia creatio & conseruatio rerum sunt opera diuinæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, quæ nunquam possunt exhauriri. Sed siue ex traduce & vi seminis, seu alio modo dicas propagari animas: necesse est fateri hoc: tales procreari à primis parentibus, quales post lapsum ipsi fuerunt. Vt enim leprosus gignit leprosos, & multi morbi à parentibus propagantur in natos: sic certum est, ab immundis immundos, à peccatoribus peccatores gigni & procreari. Hæc dico, vt cogitetis, quas metas habeat humana cognitio, quousque progredi possit, & vbi debeat consistere. Simpliciſsimum est quod Augustinus dicit: Sicut in lumbis Abrahæ Leuitica tribus est decimata, & soluit Melchisedecho decimas: Genes. 14. Heb. 7. Ita nos omnes peccauimus in lumbis Adæ. Recitatur autem historia lapsus primorum hominum in scripto Mosi antiquisimo, quod Genesin appellamus, capite 3. Quod caput diligenter legi & considerari debet, quia in eo recitatur historia, non solùm de lapsu primorum parentum, sed etiam de restitutione seu instauratione Ecclesiæ, quæ profectò est magnum miraculum & maius opus ipsa creatione. Imò nisi Deus post lapsum instauraſſet Ecclesiam, edita promisione de venturo liberatore, nulla fuisset in genere humano Ecclesia, & frustrà conditum fuisset pulcherrimum hoc theatrum cæli, terræ, maris & aliarum rerum.

Iam cogita & de lapsus magnitudine & de miseria nostræ naturæ. In primo lapsu multa sunt delicta. Primum est dubitatio de verbo Dei. Secundum est amissio fidei. Non enim credunt Deo minitanti pœnam, sed fascinati speciosa promisione Diaboli desinunt metuere pœnam, & ardent illa cupiditate maioris gloriæ: Eritis sicut dij. Tertium est curiositas discedens à verbo, & quærens aliam sapientiam. Quartum, superbia, qua volunt se magnificare. Quintum, contemtus Dei, cùm violant mandatum contra conscientiã. Sextum, quòd anteferunt Diabolum Deo. Septimum, ingratitudo, quòd

A Græcis dicuntur delicta ἁμπλακήματα, quasi intricata, implicata, quia nullum peccatũ est solum, sicut nulla virtus est sola. Sed sicut vni virtuti multæ aliæ sunt adiunctæ: sic vni peccato multa alia implicantur.

Omne peccatum contra conscientiam, est contemtus Dei.

quòd expellunt Spiritũ Dei in ipſis habitantem, & illam æternam coniunctionem cum Deo aſpernantur. Octauum, homicidium ſui & totius poſteritatis, & quòd hic lapſus eſt ianua omnium ſcelerum & miſeriarũ totius poſteritatis.

Spiritus ſanctus eſt gluten, κόλλα, quo copulamur cũ Deo, 1 Corinth. 6. qui habent Spiritũ Dei, efficiuntur vnum, id eſt, copulantur cum Deo.

Obſeruentur pondera verborum in dicto Rom. 5. Per vnum hominem intrauit, tãquam per apertam portam, peccatum in mundum, & per peccatum mors, qua appellatione omnes ſignificantur calamitates publicæ & priuatæ. ſicut panis quotidianus ſignificat omnia commoda corporis neceſſaria in hac vita: ita mortis appellatio complectitur omnes calamitates publicas & priuatas. Et regnauit, ſcilicet tyrannicè. Morbi ſunt ὁδρομοι ad mortem.

Tãtus aceruus [συναθροισμὸς] ingentium delictorum fuit in hoc lapſu, de quo propter multas cauſas diligentiſsimè cogitandum eſt.

Auguſtinus lib. 14. de ciuitate Dei, cap. 15. verè & ſine Rhetorica exaggerat & amplificat magnitudinem primi lapſus eodem ferè modo, quo breuiter nos ſummã rei complexi ſumus. Cogita, inquit Auguſtinus, qualis & quanta fuerit ante lapſum dignitas hominis & præſtantia, & quanta in ipſo lapſu ſuperbia & ingratitudo, vt de ceteris non dicam. Homo non tantùm à Deo creatus fuit, ſicut aliæ res omnes, ſed etiam ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditus. Geneſ. 1. Deinde homini attributum dominium erat in omnes creaturas, iuxta illud: Dominamini piſcibus maris, &c. Præterea homo non accepit multas leges, ſed vnicam tantùm, de arbore ſcientiæ boni & mali. & poterat facilè nullo negotio illam legem obſeruare. Sed ſophiſtica Diaboli adeo de ſua mente & ſanitate deturbatus eſt, vt ſuperbè Deum contemſerit, ſua dona neglexerit, imò abiecerit, & tam ingratus fuerit, vt aſpernaretur æternã coniunctionẽ cum Deo, cuius nexus & gluten erat Sp. S. habitans in corde, tanquam in tẽplo & domicilio ſuo. Sic argumẽtabãtur autẽ primi parẽtes poſt lapſum, ante editam promiſsionem de Mediatore: Iuſtitia Dei eſt immutabilis. Iuſtitia Dei eſt, vt inobedientes pereant. Ergo decretum eſt immutabile de exitio generis humani, iuxta dictum: Quocunque die comederitis de arbore ſcientiæ boni & mali, moriemini. Ex hoc ar-

gumento non poterant se extricare primi homines. Nobis ex Euangelio facilis est responsio. Sic igitur respondeo ad Minorem: Iustitia Dei est, vt pereant inobedientes, scilicet, non persoluta pœna, quam soluit Filius Dei deprecans pro genere humano, & iram Patris in se deriuans inenarrabili misericordia. Hanc solutionem monstrauit Deus in promissione: Semen mulieris conteret caput serpentis. Nulla creatura potuit soluere hoc argumentum, sed omnes creaturę cōcesserunt præmissas & conclusionē. Sed Filius Dei protulit solutionem ex arcano sinu æterni Patris, quia monstrauit mirabile iustitiæ & misericordiæ Dei temperamentum. Misericordiæ Domini, inquit Ieremias, quòd non consumti sumus: ita inenarrabilis bonitas & misericordia Dei est, quòd non totum genus humanum deletum est, & abiectum inter Diabolos, & redactum in nihilum, sed vt satisfieret iustitiæ Dei, quæ est immutabilis, Filius factus est supplex Patri, & deprecator pro genere humano, promisit se satisfacturum Legi diuinæ pro peccatis.

Magnitudo verò miseriæ nostræ cōspicitur in effectibus primi lapsus, de quibus paulò pòst dicam.

Materia in qua, est anima, quia in mente humana est caligo gignens tetras dubitationes de prouidentia, de comminationibus & promissionibus Dei. Psal 73. illustri hypothesi pingitur felicitas impiorum. Non sunt in ligaminib⁹ mortis. Postea recitatur obiectio, quæ multos duriter exercet, Mei autem penè moti sunt pedes, & effusi sunt gressus, quòd singulis diebus castigor duriter, sed si iudicarem, sicut illi, reprobarem vniuersam generationem filiorum tuorum. Summa hæc est: Bonis debet bene ésse, malis malè, quod nunc abest. Ergo cœpi aliquantulum de prouidentia dubitare, propter hanc inæqualitatem & confusionem euentuum, sed me reuocauit ab hoc errore verbum Dei, quod expressè affirmat, Deum verè curare genus humanum, & suo consilio dare bona & mala, piis & impiis.

Deinde in voluntate auersio Dei, vnde sunt ingentia mala, securitas, neglectio iræ Dei, diffidentia, amor nostri [φιλαυτία] inordinatus, & multiplex praua inclinatio. Postremò, in corde horribilis contumacia, gignens errantes Ioseph erat adolescens septendecim annorum, præstans non

rantes appetitiones & flammas pugnantes cum Lege Dei, iniuſtos amores, iniuſta odia: ita loco morbi [*metaphora medica*] vt ſic dicam, monſtrato, propius aſpici malum poteſt.

ſolùm forma & ingenio, ſed etiam virtute. Hunc ſuauiſsimum adoleſcentem oderunt fratres ſine iuſta cauſa. Geneſ. 37.

Sic argumentor: Paulus Roman. 8. inquit: Corpus mortificatur propter peccatum. Ergo non ſola anima eſt ſubiectum peccati, ὑποκείμενον, materia in qua, ſed etiã corpus, quia ſi corpus eſſet expers peccati, non ſuſtineret tam atroces pœnas, putrefactionem & reſolutionem in quatuor elementa. Reſpondeo. Anima eſt principale ſubiectum peccati. Corpus eſt ſubiectum peccati per συμπάθειαν, & tanquam inſtrumentum & organum, quo anima peccãs abutitur. Differũt apud Medicos αὐτοπάθεια & συμπάθεια. Αὐτοπάθεια, propria paſsio, Συμπάθεια, compaſsio, id eſt, ſocietas ægritudinis. Chriſtus in cruce pendens eſt αὐτοπαθὴς, Maria & Iohannes ſunt συμπαθεῖς, compatiuntur Chriſto. Sic in corpore differunt αὐτοπάθεια & συμπάθεια. vt cùm malè affectus eſt ventriculus, ei caput compatitur & dolet propter συμπάθειαν, quia magna eſt συμπάθεια vẽtriculi & cerebri. Ita in anima eſt αὐτοπάθεια peccati, quia eſt cauſa principalis & primum ſubiectum peccati. Corpus dicitur per συμπάθειαν peccare, quia magna eſt cognatio & dulciſsima copulatio animæ cum corpore, cuius dulcedo ſentitur in morte. Deinde, quanquam anima eſt principale agens: tamen corpus eſt organum, quo abutitur anima, quoties peccat. Ideo remiſſo peccato & viuificato Spiritu, transfertur mors in corpus, quia anima eſt immortalis, & organum deſtruitur ad tempus, donec inſtauretur & reſtituatur ſingulari bonitate Dei.

Formale. Duplex eſt formale: aliud peccati regnantis, aliud nõ regnantis. Formale peccati regnãtis eſt reatus, id eſt, illa relatio, qua perſona propter vitium quoddam ordinata eſt ad æternas pœnas, niſi fiat remiſsio. Formale peccati non regnantis ſeu vitij, quod hæret in natura, epiſt. ad Hebr. vocat adhærẽs

Repetam argumentum vſitatum: Forma eſt, quę dat eſſe rei. In baptiſmo tollitur formale peccati, quia remittitur, tegitur & nõ imputatur, iuxta pſal. 32. Beati quorũ tectæ ſunt iniquitates. Ergo in ſanctis nullum eſt peccatum. Deleta enim forma, de-

est defectus pugnans cum Lege Dei. Hæc explicatio perspicua est, nec implicat auditorem otiosis labyrinthis, quales sunt in doctrina Monachorum.

peccatum. letur res ipsa.

Respondeo ad minorem. Tollitur formale peccati regnantis, sed manet formale non regnantis, id est, ipse defectus cum Lege pugnans. De quo Rom. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.

Fines seu effectus. Primus effectus, qui comitatur lapsum Adæ & peccati propagationē, est horribilis ira Dei, damnantis & reiicientis hominem non renatum. Si quis autem huiusmodi damnationem vel nimiā vel iniustam putat, metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, vbi tanta erat non peccandi facilitas, vt ait Augustinus lib. 14. de ciuitate Dei, cap. 15.

Fines & effectus sæpe coincidunt.

Peccata distinguuntur obiectis. Obiectum Euæ fuit pomū, res sanè parua, vt videtur. Ergo lapsus primorum parentum est non valde magnus. Respondeo ad Maiorem. Peccata distinguūtur obiectis minùs principaliter. Sed principalis distinctio sumitur à causis internis in mente & voluntate. Peccatum Euæ non tantùm versabatur circa pomum tanquam externum obiectum, sed principaliter circa legem Dei, quam mens intelligebat & voluntas volens violabat. Ergo non sequitur conclusio: lapsus primorum parentum est res parua & non magni momenti.

Secundus effectus est mors & calamitates omnes generis humani.

Hoc est breue carmen, sed habet lōgum epiphonema, id quod Erasmus de coniugio dixit. Nam calamitates generis humani nulla potest euoluere eloquētia. Cicero ex Oreste Euripidis: Nulla tam terribilis fandi, id est, fati ratio est, neq; fors, neq; ira cælitum inuectum malum, quod non humana natura patiendo ferat. Hæc Cicero in Tusculan. quæstio. vbi & hanc narrationem addit de Socrate, Is cùm audiisset in theatro recitari hos versus ab histrione, pro sua autoritate, qua valebat propter sapientiam & ætatem, iussit hos versus repetere clara voce. Omnes autem tragœdiæ consumtæ sunt in

oc

hoc vno genere, deploratione ſcilicet humanarum miſeriarum, neque tamen potuerunt exhaurire hoc pelagus malorum, & nos ludimus adeo ſecurè in media morte.

Tertius eſt vitioſa concupiſcentia, quæ & pœna eſt in rea natura & peccatum. Sæpe enim peccata puniuntur peccatis, vt lapſus Dauidis punitur ſeditione mota à Filio.

Thucydides lib. 3. de ſeditione Corcyræa dicit: In ſeditione eſt omnis ſpecies mali. Nam in pace latent hominum vitia & mores: ἡ γὰρ στάσις πᾶσα ἰδέα κακοτροπίας.

Quartus effectus eſt tyrannis Diaboli, qui & corporalibus malis conatur perdere homines, & impellit eos ad peccata omnis generis, ſicut de Saule & Iuda expreſsè ſcribitur: Intrauit in eum Sathanas: & illi magni furores in cultu idolorum, ſæuitia tyrannorum & bellorum ciuilium ſunt manifeſta opera Diaboli. Hæc recitatio cauſarum & effectuum aliquid lucis addit doctrinę de peccato originis.

De reliquiis bonorum in homine poſt lapſum.

CAPVT IV.

SIC argumentor: Paulus Rom. 7. inquit: Non inuenio in me, id eſt, in carne mea bonum. Ergo nihil boni eſt in natura hominis. Reſpondeo ad antecedens. Nihil eſt boni in carne noſtra, ſcilicet perſe, aut per accidens. Peccatum perſe eſt malum, id eſt, ſuo genere, ſua natura. Deinde, quædam perſe bona contaminantur per accidens, vt notitiæ naturales, συντηρήσεις φυσικαὶ, & gubernatio locomotiuæ. Multi verſantes in explicatione doctrinę de peccato originis, non meminerunt admonitionem grauiſsimam Auguſtini de vitandis contrariis hyperbolis, lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 24: Deus damnando, non

abstulit totam naturam, alioqui nec esset omnino. Item: In homine non penitus extincta est quædam velut scintilla rationis, in qua factus est ad imaginem Dei. Loquamur prudenter & circumspectè de singulis materiis Theologicis, & fugiamus hyperbolas, quarum aliæ nimium exaggerant, aliæ nimium extenuant res. Non corrūpimus doctrinam de peccato originis, etiamsi cum Augustino, sacra Scriptura, & experientia fatemur, afflictas reliquias in natura adhuc reliquas esse. Nec facimus ex scalmo nauem, nec ex ruderibus domū, sed suum cuique locum tribuimus salua religione & veritate. Hac μετριοπαθείᾳ vtendum est aduersus quosdam suspicaces, aut minùs candidè iudicantes de explicatione huius doctrinæ.

Quemadmodum in tabula Apellis cœno cōsperſa, exigua quædam vestigia apparent, quæ mōstrant autorem, & ipsius operis excellentiam: ita in humana natura horribiliter spoliata & vulnerata à latronib⁹ Diabolis, paruæ reliquiæ bonorum animaduerti & notari possunt.

Vetus & memorabile dictum est: Homini in creatione attributa esse duo genera bonorum, gratuita & naturalia. Gratuita sunt acceptatio diuina, qua homines placebant Deo: Spiritus sanctus habitans in cordibus primorum parentum, & vita æterna. Hæc & similia vocantur gratuita bona. Bona naturalia sunt vires & facultates in præcipuis animæ potentiis, vt lux in mente, & conuersio voluntatis ad Deum, & cordis obediētia erga Legem Dei. Deinde verisimè dicitur & hoc: Hominem spoliatum esse in lapsu bonis gratuitis, & vulneratum in bonis naturalibus. Nam homo amisit hæc gratuita, videlicet acceptationem diuinam, Spiritum sanctum, quia naturaliter non est templum Spiritus sancti, ante regenerationem & vitam æternam. Deinde in naturalibus, videlicet in mente, voluntate & corde, horrēda vulnera accepit, de quibus hactenus prolixè dictum est. Hæc omnia alludunt ad imaginem Lucæ 10. propositā de viatore spoliato & sauciato à latronib⁹, cui medetur Samaritanus medicus, vt nota est totanarratio.

Nam in mente mansit aliqua Legis notitia, quia Deus vult se adhuc agnosci & argui: vult etiam vitam, qualiscunque est, disciplina regi.

Colligi possunt testimonia ex capite 1. & 2. ad Roman. quæ conuincunt contradicentem, vt fateatur in homine esse reliquam notitiam Dei & Legis. Qui veri-

tatem

tem in iniustitia captiuam tenent. Veritas significat notitiam Dei & Legis. Item in eodem capite: Quatenus Deus cognosci potest, manifestū est illis. Id intelligatur dupliciter. Primùm de notitia simplici, quòd sit Deus. Deinde de ratiocinatione, quæ colligit testimonia de Deo, impressa singulis naturæ partibus. Sic cap. 2 Roman. Opus Legis scriptum in cordibus eorum. 1 Corinth. 11: Nónne natura vos docet, id est, naturalis notitia.

Deinde post hanc depravationē adhuc duo sunt genera actionum in voluntate humana: vnum est illustre & omnibus notum: Gubernatio potentiæ locomotiuæ, quæ regit motus locales in externis membris, vt voluntas in febricitante potest cohercere manus, ne poculum ori admoueant, etiamsi valde sitit. Hanc libertatem vult Deus in homine lapso reliquam esse, vt intelligatur discrimen inter agens liberū, & agens naturale, & vt sciamus, ipsum Deum esse agens liberrimum. Denique, vt posit in societate humana gubernatio aliqua esse externorum membrorum. Alterum genus actionum in voluntate obscurius est, cùm voluntas vera & seria electione seu προαιρέσει antefert honestas actiones, vt Fabricius seriò & sine simulatione reiicit aurum à Pyrrho oblatum. Sed hæ actiones seriæ & non simulatæ rariores & obscuriores sunt.

Postremò in corde parentum est mirificus quidam amor erga natos, non accensus consuetudine, vt amor erga alienos, sed naturale incendium est, quod Deus ita voluit in nobis flagrare, vt esset vinculum humanæ societatis, & commonefactio de amore Dei & erga Filium, & erga nos. Vicissim & in natis erga parentes, fratres, sorores naturalis quædam beneuolentia est. Hæ bonæ inclinationes vocantur σοφγαὶ φυσικαὶ, quæ essent puriores, si natura hominum non deprauata esset.

Ex hac commemoratione intelligi potest, quantum adhuc reliquum sit ex illa ingenti ruina, in qua beneficia diuinitus donata hominum generi, aut omnino extincta, aut certè obscurata sunt, vt quodam in loco Augustinus inquit: Ademta sunt homini gratuita bona, vnde salus dependet, naturalia verò corrupta pollutáque sunt. Nam hæc ipsa, vt ita dicam, rudera [ἐρείπια] partim à nostra prauitate, partim à Diabolo læduntur & deformantur. De Legis quidem notitia, quæ post lapsum reliqua mansit, Paulus

inquit Roman. 1: Veritas in iniustitia captiua tenetur.

Mens aliud suadet, aliúdq; cupido.

Itē: video meliora probóq;.

Deteriora sequor &c. ait Ouidius. Quanquam enim mens discernit honesta & turpia: tamen voluntas & cor non semper obtemperant recto iudicio, sed contumaciter repugnant.

Voluntas verò partim sua prauitate, partim à Diabolo incitata, sæpenumerò laxat frenos externis membris, vt ruant in atrocia delicta. Postremò Diabolus in multis extinguit σοργὰς, vt in Cain, Nerone, Alphonsio Diazio, & aliis monstris.

Iohannes Diazius frater Alphonsi, vixit in oppido Numburgo, quod est situm in ripa Danubij, non procul ab Ingolstadio, & fuit studiosus Euangelij, & vir verè pius. Frater verò Alphonsus fascinatus pontificia superstitione, vel, vt consentaneum est, Epicureus homo, deridens omnes religiones, simulauit quidem amorē & beneuolentiam erga fratrem, sed re ipsa à Diabolo incitatus, tanquā Cain odit fratrem, & omnia in eius perniciem parauit, & meditatus est, idq; paulò pòst atroci scelere ostendit. Cùm enim à fratre, quem salutauerat Numburgi, discessisset, & venisset Augustam Vindelicorum, mox furiis agitatus, rediit clàm vnà cum sicario Numburgum, præmisso tabellario, qui afferret fratri literas à se scriptas. Dum igitur frater Iohannes nullas metuit insidias, præsertim à fratre structas, & intentus est in lectionem epistolæ fraternæ, percussor infligit vulnus mortiferum capiti Iohannis, & relicta sica in ipso vulnere fugit. Etsi autem deprehensus est in fuga Alphonsus: tamen dimissus est ex carcere: cúmq; elusisset humana iudicia, tandem incidit in manus Dei viuentis, & punientis, quod est maximè horrendum, vt inquit epistola ad Hebræos. Nam Tridenti inuentus est laqueo strangulatus in stabulo. Hæc historia est verissima, mandata literis à fide dignis, nec remota à nostra memoria. Facta sunt enim ista anno 46. Hoc exemplum recito, vt iuuentus consideret, quomodo Diabolus, permittente Deo iusto iudice, extinguat σοργὰς in impiis, vt sit in eis potenter efficax.

An poſt baptiſmum, in renatis maneat peccatum.

CAP. V.

DE hac quæſtione teneantur duo dicta Auguſtini omnibus piis nota, lib. 13 de ciuitate Dei: Peccatum in baptiſmo remittitur, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Et lib. 2 contra Iulianum: Lex iſta, quæ eſt in membris, remiſſa eſt regeneratione ſpirituali, & manet in carne mortali. Remiſſa eſt, quia reatus ſolutus eſt Sacramento [ſcilicet Baptiſmi] quo renaſcuntur fideles. Manet autem, quia operatur carnis deſideria, contra quæ dimicant fideles.

Eadem doctrina traditur à Paulo, Rom. 7 & 8. Nam de reatu inquit: Nulla nunc condemnatio eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu. De morbo verò, ſeu vitio hærente in natura, cõcionatur his verbis: Inuenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Etſi enim ſanatio aliqua ex parte inchoatur, dato Spiritu ſancto, tamen ſancti adhuc circumferunt immunditiem in hac vita, quæ diſplicet Deo, ſed tecta eſt, vt in pſalmo dicitur: Beati, quorũ tecta ſunt peccata. Hæc doctrina & noſtram immunditiem nobis oſtendit, & magnitudinem miſericordiæ tegentis eam illuſtrat.

In ſcholis Dialecticis ſic ſolemus loqui: Materiale peccati originis manet in ſanctis, ſed formale, id eſt, reatus tollitur in baptiſmo. Sed verba Auguſtini magis ſunt popularia, & propiùs accedunt ad phraſin Scripturæ. Vt autem videãt ſtudioſi conſenſum de hac doctrina, obiter addam duo dicta Bernhardi, memoria digniſsima. Bernhardus in ſermone de Cœna Domini: In caſu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem ſuper aceruum lapidum, & in lutũ: vnde non ſolùm inquinati, ſed etiã vulnerati, & grauiter quaſſati ſumus. Lauari quidem citò poſſumus: ad ſanandum verò opus eſt curatione multa. Lauamur igitur in baptiſmo, & ſanamur in tota vita per verbum & Sacramenta. In hoc dicto Bernhardi eſt pulcerrima ὑποτύπωσις, id eſt, pictura & imago primi lapſus, & noſtræ ſanationis. Nos, inquit, non tantùm cecidimus in lutum, ſed etiam grauiter

quaſſati ſumus, & allisi ſolo, ita vt membra noſtra partim fracta, partim luxata ſunt. Quare nobis non tantùm opus eſt ablutione, id eſt, remiſsione peccatorum & imputatione iuſtitiæ, ſed etiam ſanatione vulnerum, & reductione membrorum luxatorum in locum naturalem. Credo Bernhardum ſumſiſſe occaſionem huius hypotypoſis ex capite 4 ad Epheſ. vbi Paulus de miniſterio Euãgelij ſic inquit: Ideo eſt inſtitutum miniſterium, vt ædificetur corpus Eccleſiæ, & vt fiat καταρτισμὸς, id eſt, reſtitutio membrorum, quæ ſuo loco ſunt mota per luxationem, in ſuum locum naturalem. Quanquam igitur in baptiſmo abluti ſumus, tamen ad reſtitutionem opus eſt longi temporis ſanatione, quæ inchoatur per verbum & Spiritum ſanctũ in hac vita, & erit plena & conſummata poſt hanc vitam. Ideo quotidie precamur: Adueniat regnum tuum, id eſt, non tantùm inchoatione, quæ fit in hac vita, ſed multò magis conſummatione in altera, in qua Deus erit omnia in omnibus. Idem in eadem concione:

» Licet damnationem, id eſt, reatum concupiſcentiæ abſtulerit: tamẽ
» ad humiliandos nos, ipſam concupiſcentiam adhuc patitur viuere
» in nobis, & grauiter affligere nos, vt ſentiamus, quid nobis gratia
» præſtet, & ſemper ad illius auxilium recurramus.

Hanc ſententiam declarabo, propoſita hiſtoria, quæ extat Ioſuæ 15: Iſraelitæ, duce Ioſua, poſt mortem Moſi occupant terram Canaan, ſed tamẽ non potuerunt primo impetu, & hoſtili impreſsione omnes Cananæos è medio tollere, & funditus delere. Manſerunt enim adhuc reliquiæ Iebuſæorum in Hieruſalem, quæ dicta eſt Iebus ab incolis. Sic in aliis tribubus manſerunt aliæ reliquiæ Cananæorum. Miretur autem aliquis, cur Deus non ſubitò omnes hoſtes ſui populi occiſione occiderit. De hac quæſtione reſpondet textus ipſe: Ideo manſerunt reliquiæ gentium in terra populi Iſrael, vt emẽdaretur ſecuritas populi, ne exiſtimarent Iſraelitæ, ſe nunc omnibus periculis perfunctos eſſe, & nihil præterea impendere malorum. Hanc imaginem de reliquiis Cananæorum transferamus ad noſtrum inſtitutum. Propter eandem cauſſam manet peccatum in nobis, ne ſimus ſecuri, & nos capiat obliuio gratiæ Dei, ſed vt nos res ipſa conuincat, nobis opus eſſe auxilio gratiæ.

vid. supra, fol. 23, 29, 40, fol. 47, 52, fol. 63, 64.

De discrimine peccati venialis & mortalis.

CAP. VI.

PECCATA manent in sanctis. Adulterium est peccatum. Ergo adulterium manet in sanctis. Respondeo. Nego consequentiam, quia est syllogismus ex puris particularibus, & peccat contra regulam dici de omni, & dici de nullo. Non enim omnia peccata manent in sanctis.

Cùm dictum sit, peccata manere in sanctis, necesse est discerni peccata, quæ in sanctis in hac mortali vita manent, nec excutiunt Spiritum sanctum ab aliis, propter quæ homo rursus fit reus iræ Dei, & æternarum pœnarum.

Estne in Alexandro Magno peccatum veniale? Non. Pertinétne discrimen hoc ad non renatos? Respondeo. Tantùm ad renatos pertinet, quia in non renatis omnia peccata sunt mortalia, etiam minima, vt nobis videntur. Sed in renatis necesse est constitui gradus seu discrimina. Propter quædam peccata expellitur Spiritus sanctus, sed alia quædam non excutiunt hunc gubernatorem.

Traditur autem regula in epistola ad Timotheum, ex qua hoc discrimen intelligi potest. Milita bonam militiam, seruans fidem & bonam conscientiam.

Quare Paulus primò mentionem facit fidei, cur non potiùs dicit: Milita bonam militiam, retinens bonam conscientiam & fidem &c? Repetatur memoria dicti ũ Tertulliani de præscriptionibus aduersus hæreticos, pagina 112 in postrema editione: Nemini licet discedere à veritate fidei Christianæ, qui meminerit futuri iudicij, quo necesse est, omnes stare ad tribunal Christi, reddẽtes rationem non modò operum, sed in primis fidei. Multi homines habent hanc falsam persuasionem, quòd tantùm lapsus atroces & manifesti, turbantes publicam tranquillitatẽ, vt cædes, furta, mendacia, adulteria sint peccata mortalia, propter quæ homo iusto Dei iudicio damnetur. Sunt quidem mortalia, sed

non ſola digna ſunt æterna damnatione. Duo ſunt gradus mortaliũ peccatorũ in renatis. Prior gradus eſt corruptela vel ignoratio fundamenti. Alter eſt lapſus contra conſcientiam. De poſteriore non opus eſt multa verba facere, quia, vt Paulus inquit: Manifeſta ſunt opera carnis. De priore, quia eſt obſcurior, aliquid dicendum eſt. Neceſſe eſt, te, ſi vis fieri ſaluus, tenere fundamentum, id eſt, omnes articulos fidei, ſine exceptione, vt nullũ aut prorſus ignores, aut corrumpas, infuſo aceto humanarum opinionum. Hæc ideo dico & repeto, ne ſtudioſi philoſophiæ & artis medicæ, aut iuriſprudentiæ cogitent hoc modo: Ego non ſeruiam aliquando in miniſterio Euangelij. Ergo mihi non eſt opus lectionibus Theologicis, & concionibus in templis: imò potiùs hanc ratiocinationem inſtituant: Nos in poſtremo iudicij die, quando Filius Dei iudicabit viuos & mortuos, reddemus rationem iuſto Iudici, non tantùm de factis, ſed omnium primùm de fide noſtra: Quid ſenſerimus de creatione, de redemtione, de ſanctificatione, de perſona Chriſti, de natura eius diuina & humana, de proprietatibus naturarum, de Trinitate. Deus minùs poteſt & vult diſpenſare de primo gradu, qui eſt corruptela fundamẽti, quàm de ſecundo. Quia vniuerſaliter pluris facit primam tabulam, quàm ſecundam. Etſi omnia peccata punit, tamen ſeueriùs ſemper puniuit idololatriam, quàm alia peccata. Omnes conciones Prophetarum, quid aliud ſunt, quàm accuſationes idololatriæ? De cultibus primi præcepti, Deus nullam diſpenſationem admittit.

Cùm igitur renati non retinent fidem, ſed aliquam fundamenti partem, id eſt, aliquem articulum fidei, ſiue ſcientes, ſiue errore amittunt, aut idola approbant, vt multi, qui falſis dogmatibus decipiuntur, aut non ſuſtentãt ſe conſolatione fidei, ſed ſuperantur dubitatione, aut deſperatione, aut violant vllum præceptum Decalogi contra conſcientiam, effundũt Spiritum ſanctum, & rurſus fiunt rei iræ Dei, &

Fundamentum complectitur omnes articulos fidei.

Nõ patitur luſum, fama, fides, oculus.

Matth. 12: Si neceſſe eſt, nos reddere rationem de omni verbo otioſo, videlicet, niſi quis conſecutus ſit remiſſionem peccatorum in hac vita: quantò maior erit reddenda ratio de fide noſtra? Conſequentia valet à fortiori.

& pœnæ æternæ, & nisi fiat conuersio ante exitum vitæ, tales morientes abiiciuntur in pœnas æternas.

Alia sunt peccata in renatis retinentibus fidem & bonam conscientiam, quæ non sunt corruptelæ fundamenti, nec sunt delicta contra conscientiam, sed sunt reliquiæ peccati originis, hoc est, dubitationes & incendia malorum affectuum, quibus tamen repugnant renati, ne ruant contra conscientiam, & dolent propter has sordes, & credunt se Deo placere propter Mediatorem, & tegi has sordes, & gratiam exuberare supra peccata.

Ne quis putet militiâ vitæ Christianæ rem factu facilẽ, & omnibus in promtu esse, recitabo dictum Pauli, ex 1 Corinth. 9, vbi sic in- 27.
quit: Ego meum corpus fugillo, ὑπωπιάζω, duriter pungo, betaub meinen leib, & in seruitutẽ redigo: ne, cum aliis prædicauerim, ipse fiam reprobus. Quid significant ὑπωπιάζειν, & in seruitutem redigere? Nolite putare Paulum fuisse stultum, qui suum corpus lacerauerit & flagellauerit, vt Baalitæ olim & Carthusiani monachi, & nũc Turcici Sacerdotes faciunt. Sed significat hoc verbum metaphoricè duras, difficiles & arduas represiones ambitionis, æmulationis, iræ, odij, & aliarum flammarum seu incendiorum pugnantium cum Lege Dei. Fuit quidem sanctus Apostolus, sed habuit suas infirmitates, sentit etiam suas flãmas, sed represit eas, & in seruitutem redegit, & Spiritu mortificauit has actiones: sicut dicit Rom. 8: Si carnis actiones mortificabitis, viuetis.

EXPLICATIO TEXTVS IN LOCIS THEOLOGICIS PHILIPPI MELANTHONIS

De peccato.

QVANQVAM ſumma doctrinæ de peccato originis mediocri diligentia explicata eſt, tamen repetitio earundem ſententiarum ſtudioſis grata eſſe debet propter cõfirmationem. Non enim poteſt ſubitò arripi doctrina, & fideliter retineri & cuſtodiri in theſauro memoriæ, niſi eadem de eiſdem ſæpiſsimè repetantur, & memoriæ inculcentur, & hæc res non tantùm adiuuat memoriam, ſed etiã format, acuit & auget iudicium. Qui igitur volunt vtiliter verſari in ſtudiis, non ſint curioſi, neque quotidie appetant noua, inaudita & inuſitata, ſed eaſdem res bonas ſæpius cogitent, & tanquam ſigillum ſuis pectoribus imprimant. Hæc ratio diſcendi plus conducit ad ſolidam eruditionem, quàm varietas lectionis, quæ facit, vt in magna copia ſimus inopes, & in mediis vndis ſitiamus, quemadmodum de Tantalo poetæ fingunt. Oportet enim, vt Seneca ait, certis ingeniis immorari & innutriri.

Etſi omnes gentes vident] Exordium huius loci conſtat duabus occupationibus, quæ monſtrant diſcrimina iudicij philoſophici & ſpiritualis de peccato. Etſi enim ratio agnoſcit aliquos fructus, hoc eſt, manifeſta opera carnis, vt adulteria, homicidia, furta: tamen radicem, id eſt, peccatum originis ignorat: quia putat naturã eſſe bonam, non vitioſam. Deinde etſi ratio aliquo modo agnoſcit materiale peccati: tamen ignorat formale & reatum: ita exordium nos docet de hac ſententia, quòd peccati agnitio ſit propria Eccleſiæ ſapientia. Ratio ſumitur ab antitheſi, ſeu diſcrimine doctrinarum philoſophiæ & Euangelij. Philoſophia ignorat, vnde ſit peccatum, & non intelligit primum fontem, de quo Paulus Roman. 5 ait: Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum. Et Geneſ. 3 recitatur hiſtoria de lapſu primorum hominum. Hæc prorſus ignorat philoſophia. Deinde nec rectè iudicat de fundamento, nec rectè ſentit de termino peccati. Agnoſcit quidem in fundamẽto aliquos fructus, id eſt, aliqua manifeſta opera carnis,

carnis, vt verbi causſa. Statuit ratio adulteriũ esſe rem turpem, furtum homine indignum sed radicem prorsus ignorat. Nam philosophia docet, naturam esſe bonam, & naturalia bona, integra & non corrupta esſe. Deinde de formali errat. Nam ratio secura ignorat, quid sit reatus, quanta sit ira Dei aduersus peccatum, vt Moses psalmo 90 exclamat: Domine, quis nouit potentiam iræ tuæ, & quis metuit te?

Sed arguit radicẽ & fructus] Hæc omnia ad discrimen philosophiæ & Euangelij pertinent. Philosophia arguit aliquos fructus, sed nõ radicem, id est, peccatum originis. Et quanquam aliquo modo vitium agnoscit: tamen formale, id est, reatum non agnoscit.

Videt Alexander]

Plutarchus in vita Alexandri: In prælio ad Granicum, cùm dimicanti Alexandro dux Persicus Spithridates galeam decussisset, & incitato equo, iam nudatum interfecturus esſet, Clitus interueniens, Alexandrum protexit, & ducem Persicum occurrentem hasta transfixit. Pro hoc beneficio & aliis multis, Alexander ebrius post captam Babylonem reddidit Clito mercedem anguinam. [*aulicam*] Nam in conuiuio interfecit Clitum, cuius fuit hæc postrema vox: TALIA SVNT PRAEMIA LABORVM. Alexander verò, vbi secum facinus reputans, tacitos vidit astantes, ex occisi vulnere telum raptim eductum, in suum vertisſet iugulum, nisi satellites correptas ipsius manus à cæde retraxisſent, ipsúmq; vi intra cubiculum intulisſent. Eam noctem nunc vociferans, nunc lamentans, sæuis exegit luctibus, adeo vt postridie iaceret elinguis, graues tantùm emittens gemitus. Hæc Plutarchus. flumen Asiæ minoris, vbi traiecit Alexander Hellespontum.

Spiritus sanctus arguet] Intertexitur exordio, quod constat antitheſi, enarratio concionis Christi, quæ extat Iohannis 16. Partes in hac concione tres sunt: prima, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato: secunda, de iustitia: tertia, de iudicio. Quod peccatum arguet? Incredulitatis, quia non credunt in Christum. Deinde de iustitia, quia Christus vadit ad Patrẽ. Tertiò, de iudicio, quia Diabolus princeps mundi, iudicatus est. Hæc in textu satis luculentè explicantur.

De hoc peccato] De hac ſpecie peccati. Nemo quidem miratur peccatū argui, quoniam dignum eſt accuſatione. Sed quid hoc ſibi vult, mundum argui de iuſtitia? Annon ea eſt formoſior heſpero & lucifero? quis ferat vituperatorem iuſtitiæ?

Nam ſapientes putant] vt Ariſtoteles 5 Ethicorum.

Diſciplinam qualemcunque] Diſciplina eſt folium fici, qua ſe tegebant primi parentes. Quæ eſt iuſtitia Chriſtiana? Tranſitus Chriſti ad Patrem, paſsio & reſurrectio, vt Paulus Roman. 4 dicit: Chriſtus traditus eſt pro noſtris peccatis, & reſurrexit propter iuſtitiam noſtram.

Furores Diaboli non delebunt] Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Matth. 16.

Cùm igitur Spiritus ſanctus voce] Auguſtinus Tractatu 95 in Iohannem: Credant homines in Chriſtum, ne arguantur de peccato infidelitatis ſuæ, quo omnia peccata detinentur. Tranſeant in numerum fidelium, ne arguantur de iuſtitia eorum, quos iuſtificatos non imitātur [*ſcilicet fide, & bona conſcientia.*] Caueant futurum iudicium, ne cum mundi Principe damnentur. Etenim ne ſibi exiſtimet parci ſuperbia Manente incredulitate, id eſt, ignoratione & contemtu Filij Dei, manent omnia peccata. Credenti remittuntur. Qui enim nō credit, ſuper eum manet ira Dei. dura mortalium, de ſuperborum terrenda eſt ſupplicio angelorum.

Contra primum membrum huius concionis ſic argumētor. Lex arguit peccatum, quia per Legem venit agnitio peccati, vt ait Paulus. Ergo Spiritus ſanctus non arguit peccatum. Reſpondeo. Lex arguit totam molem peccati, radicem & fructus. Sed Spiritus ſanctus in Euangelio nominatim & diſertè hanc ſpeciem arguit, ſcilicet incredulitatem, ἀπιστίαν, quæ aut ignorat, aut contemnit Filium Dei. Scio de hac ſententia motas eſſe atrociſsimas rixas diſputationum, ſed veritas manet veritas, etiamſi minis & calumniis fremat Diabolus & mundus. Hæc enarratio eſt tradita ante bellum, Luthero viuente, & viuis, ac florentibus adhuc reliquis præceptoribus, & extat in

in publico scripto, videlicet in commentario in Iohannem, cap. 16. Nemo tunc de hac re mouit litem. Postea cœperunt etiam hanc particulam arrodere, & allatrare Flaciani. Sed dicat aliquis disputator: Nónne etiam primum præceptum concionatur de fide? Annon fides numeratur inter virtutes primi præcepti? Respõdeo. Paulus ad Galatas inquit: Lex non est ex fide, id est, fides non oritur ex Lege, sed ex Euangelio. At quòd mentio fit fidei in primo præcepto, id ideo fit, quia Decalogus non potest intelligi & enarrari sine ὀντολογίᾳ Euangelij. Nam Euãgelium est interpretatio Legis, iuxta regulam: Christus est finis Legis. Roman. 10: Et vox Euangelij dulcissima est mitigatio rigoris legalis.

Secunda obiectio de iustitia. Quicquid laudem meretur, id non dignum est reprehensione. Sed iustitia laudem meretur, cùm sit formosior hespero & lucifero. Ergo non est digna reprehensione, non debet argui à Spiritu sancto. Respondeo ad Minorem: Iustitia, quæ vocatur disciplina, habet suam laudem, & suum locum in iudicio humano, nec debet opponi iudicio Dei, in quo agitur de remissione peccatorum. Huic iudicio Dei sola iustitia Christi, quæ est transitus Christi ad Patrem, potest opponi. Valeat ergo suo loco iustitia Legis & operum, nec migret in cælum sine Mediatore.

De tertio membro quærat aliquis, vbi sit patefactum iudicium Diaboli? Respondeo: In voce Euangelij, seu promissione de Mediatore, primùm patefacta est iustissima condemnatio Diaboli, Genes. 3: Semen mulieris conteret caput serpentis. Hæc est prima promulgatio promissionis de Mediatore, & iudicij de condemnatione aduersus Diabolos. Deinde, vt dicit Augustinus ex epistola Petri & Iudæ, præcipuum signum & testimonium iræ diuinæ aduersus peccatum est æterna abiectio angelorum. Ita enim argumentatur: Si Deus non pepercit angelis peccantibus, quãtò minùs hominibus parcet, qui perseuerant in delictis contra conscientiam?

Nec intelligi beneficia Christi] Axioma Theologicum. Non possunt intelligi beneficia Christi, si ignoretur, quid sit peccatũ. Seneca citat dictum Epicuri, quod est bonum & verum, etiamsi persona non est laudãda: Initium virtutis est agnitio vitiorum, hoc est, primus gradus sanitatis est, nosse morbum: Ignorato morbo, non quæruntur remedia. Vnde Matth. 9 dicitur: Non opus est sanis medico. Et Ouidius: Firma valent per se, nullúmq; Machaona quærunt.

Ad medicam dubius confugit æger opem.

Voce miniſterij & ingentibus] Aphoriſmus Hippocratis, ſectione 8: Quos morbos nõ ſanat pharmacum, his addẽda eſt vſtio ſeu vſtulatio, καῦσις. Quos non ſanat vſtio, his adhibẽda eſt ſectio. Qui nec ſectione ſanantur, nec vſtione, hos certè oportet eſſe immedicabiles. Ita Deus primùm arguit peccatũ voce ſui miniſterij. Deinde ſi non emendatur pharmaco, Deus concionatur per vſtiones, id eſt, per calamitates: Si neque hoc modo emendatur, Deus adhibet ſectiones, vt Pharaonem delet in mari rubro.

Et Paulus in epiſtola ad Romanos] Cap 5, 6, 7, 8, in analyſi: Peccatum, Lex, gratia, ſunt loci prẽcipui in Paulina Theologia. Qui intelligit hos locos, is habet ſuccum Theologię Paulinæ. Diſpoſitio epiſtolæ Pauli ad Romanos generalis hæc eſt: Eſt perpetua cõcio pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum. Partes pœnitentiæ tres ſunt: contritio, fides, noua obedientia. Ita tres ſunt etiam partes huius epiſtolæ. Prima pars eſt accuſatio peccati. Primum caput gentes accuſat. Secundum Iudæos. Tertium exæquat gentes & Iudæos, quòd attinet ad peccatum. Secunda pars eſt concio de fide & remiſsione peccatorũ propter Chriſtum: Fide iuſtificamur gratis propter Chriſtum. Hæc inchoatur in fine capitis tertij, & pertexitur in quarto per longam confirmationem. In quinto capite additur epilogus de effectibus. Has duas partes ſequitur ἀνάλυσις, reſolutio. Quia enim facta eſt mẽtio peccati, Legis, gratiæ, in capitib⁹ 1, 2, 3, 4, 5: ideo optima methodo inſtituit ἀνάλυσιν, in qua dicitur, quid ſit, vnde ſit peccatum, quid efficiat, quis ſit vſus Legis, quis effectus gratiæ. Et hæc analyſis inſtituitur capite 5, 6, 7, 8. Poſtea ſequitur digreſsio in capite 9, 10, 11, de Eccleſia, de vocatione gentium, & reiectione Iudæorum. Tertia & poſtrema pars eſt cõcio de noua obedientia, de bonis operibus. In 12 cap. de omnibus virtutum officiis primæ & ſecundæ tabulæ docet. In 13 capite de officiis politicis. In 14 & 15 loquitur de ceremoniis & vſu ceremoniarum. Poſtremum caput conſumitur ſalutationibus. Hæc diſpoſitio epiſtolæ ad Romanos, digna eſt memoria & conſideratione. Eſt enim clauis vniuerſæ Scripturæ Propheticæ. Multum autem refert in lectione proſpicere metas, ac videre initia & progreſsiones, neque vagari in aliquo ſcripto, tanquam in mari immenſo.

Vſitatum

Vſitatum eſt in docendo] Cicero in 1 de oratore: Ego id faciam, quod in principio fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo, vt quid illud ſit, de quo diſputetur, explanetur. Et in 1 officiorum: Omnis quæ à ratione ſuſcipitur aliqua de re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputetur. Definitio eſt fons omnis veræ explicationis, & error in definitione eſt cauſſa plurimarum confuſionum.

In Longobardum] Qui fuit Epiſcopus Pariſienſis ante annos circiter 400. De hoc quid ſentiat D. Lutherus, legat qui volet, in lib. de Cõciliis. Summa iudicij hæc eſt: Nemo poſt Apoſtolos de omnibus partibus doctrinæ Chriſtianæ talem methodum collegit ante hæc tẽpora, qualis extat in quatuor libris ſententiarum Longobardi. Illud autem meritò deſideratur in eo, quòd de fide iuſtificante nimis frigidè & tenuiter loquitur.

Nominis ratio] definitio nominis.

Quiddam reum] Exempla huius ſignificationis ſunt illuſtria in pſalm. 34: Impium interficiet malum [*id eſt, calamitas*] & qui oderunt iuſtum, erunt rei Aſcham. Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum, & non erunt rei omnes, qui ſperant in eo. In his verſibus peçcatũm ſignificat reatum.

Rei] iræ Dei & æternæ damnationis.

Non erunt rei] Nulla eſt cõdemnatio his, qui in Chriſto Ieſu ſunt. Nunc multi oderunt homines iuſtos, viuos & mortuos, & maledicunt eis ſine vlla cauſſa graui. Tales igitur quicunque ſunt, cogitent ſe eſſe reos iræ Dei, & damnationis, niſi agant pœnitentiam.

Id propter quod] fundamentum.

In hac definitione] ἀνάλυσις, vel declaratio.

Hanc proprietatem] reatum. In hac definitione cõtinentur quinque prædicabilia: Peccatum quod definitur, eſt ſpecies, iuxta regulam Boëtij: Omne quod definitur, eſt ſpecies, aut habet rationem ſpeciei. Genera ſunt

tria, defectus, inclinatio vel actio. Priora duo ad peccatum originale: tertium ad peccatum actuale pertinet. Tertiò, differẽtia communis est peccare contra Legem Dei. Quartò, accedit proprium, quod maximè considerandũ est in doctrina de peccato. Offendere Deum, mereri iram Dei & æternas pœnas. Postremò fit mentio accidentis: nisi fit facta remissio propter Christum. Hoc accidens est separabile, quia non omne peccatum remittitur, eò quòd multi perseverant in delictis contra conscientiam.

Sumta est autem hæc definitio] Sæpe soleo monere discentes, vt non sint contenti puerili diligentia, vtcunque recitante verba præscripta. Non igitur discamus Theologiã & alias artes, vt puer Donatum, sed cogitemus, ex quibus fontibus hauriantur, vt etiam remotis libris possimus scribere & loqui de rebus bonis.

Maledictus, qui non manet] Theologicum axioma. Deut. 27. Galat. 3.

Sed vniuersa] inobediẽtia duplex est, actualis & originalis.

Est autem] Argumentatur à pondere verbi, id est, ab etymologia.

In horribiles pœnas] Contrà sic argumẽtor: Quidquid nihil est, nõ est dignum pœna. Peccatum nihil est: Ergo non est dignum pœna. Respondeo. Nego consequentiam, quia est fallacia æquiuocationis. In Maiore significat nihil negatiuum, quod est vniuersalis interitus & destructio subiecti & accidentium, cui Deus non irascitur, vt Deus non irascitur Bucephalo, qui redactus est in nihilum, cuius neque subiectum, neque accidentia reliqua sunt. In Minore significat nihil priuatiuũ, quale est peccatum. Priuatio autem significat destructionem in aliquo subiecto, quod adhuc supereſt. Tale nihil priuatiuum est peccatum in natura humana, quæ certè adhuc reliqua est.

Per Legem peccatum fit excellenter] Contrà. Quicquid auget peccatum, non est docendum in Ecclesia, Lex auget peccatum, teste Paulo, Rom. 7: Per Legem, peccatum fit excellenter peccatum. Ergo Lex non est docenda in Ecclesia. Respondeo. Nego consequentiã, Est fallacia accidentis. Lex auget peccatum per accidens. Natura vitiosa

tiosa auget peccatū per se. Lex Dei est bona, sancta, iusta, quia est regula iustitiæ in Deo, sed per accidens auget peccatum in nobis, quia nostra natura est vitiata. Plinius lib. 33: Calx viua, aqua accenditur, & oleo restinguitur: ita peccatum per accidens Lege augetur, & Euangelio minuitur. Quomodo autem peccatum fiat excellenter peccatum per Legem, ostendunt exempla Cain & Iudæ, quorum alter exclamat: Maior est iniquitas mea, quàm vt possit remitti: alter exclamat: Prodidi sanguinē innocentem. In his exemplis cernitur, qua ratione crescat peccatum à Lege accusatum in pauoribus conscientiæ. Deus dicit Genes. 4 ad Cain: Peccatum tuum quiescet, id est, cubabit, dormiet, donec reueletur. Quid significant hæc verba tristissima? Hæc verba describunt securitatem cordis humani, aliquātisper negligentis iram & iudicium Dei, & pauores conscientiæ horribiles & inenarrabiles, in quibus peccatum velut è somno suaui excitatum magis conspicitur, & verè fit supra modum peccans peccatum. Reuelatur autem per Legem peccatum, quia per Legem agnitio peccati. Deinde per calamitates, quæ sunt signa reatus, vt Dauid in exilio, mota seditione à Filio, magis sentit iram Dei, quàm antè, cùm status esset tranquillus. Tertiò in pauoribus conscientiæ, qui maximè sentiuntur in aditu mortis.

Quoties ergo nominatur] Vitium est inobedientia, contra rectam rationem: Peccatum in Ecclesia Dei est inobedientia contra Legem Dei, offendēs Deum, & attrahens iram Dei & pœnas. Vitium, in philosophia tantùm significat particulam fundamenti, non complectitur terminum. Peccatum autem significat totum fundamentum & integram relationem, quæ versatur inter fundamentum & terminum.

Sed nolo tenuissimè] Sicut nimium altercando amittitur veritas: ita nimium limando, etiam amittitur veritas.

Anshelmi descriptionem] Anshelmus fuit Episcopus Cantuarienſis in Anglia, anno Christi, M.L X. Anglia dedit Ecclesiæ multos Doctores, satis eruditos & acutos, inter quos etiam est hic Anshelmus.

Peccatum originis est carentia] Priuatio aut est destructio rei bonæ in subiecto, quod reliquū

est, aut absentia rei bonæ, quæ debebat esse in subiecto, quod superest. Quid est peccatum originis? Est priuatio, id est, carentia rei bonæ in subiecto, in quo debebat esse res bona. Quomodo Horatius definit virtutem? Virtus est vitium fugere. Sic castitas est vitare libidines. Hæc forma definiendi vocatur κατ' ἀναίρεσιν & ἐναντίν. Sic peccatum originale est carẽtia iustitiæ originalis, quæ debebat in nobis esse. Hæc est definitio per remotionem contrariorum. Non possum intelligere, quid sint tenebræ, nisi priùs sciam, quid sit lux: sic nec intelligere possum, quid sit originale peccatum, nisi sciam, quid sit iustitia originalis.

Acceptatio] Relatio.

Interpretatur Paulus] Ephes. 4 Gal. 3: Iustitia originalis est qualitas, pertinet ad secundam speciem, δύναμιν φυσικὴν Habétne hoc vocabulum annexam relationẽ? Habet. Iustitia originalis est relatiuum secũdum dici, quia cùm sit qualitas secundæ speciei, adhæret ei respectus quidã. Fundamentum iustitiæ originalis est lux, id est, sapientia in mente. Deinde est in voluntate conuersio ad Deum, tanquam ad obiectum principale & summum. Tertiò eadem iustitia est obedientia cordis erga Legem Dei. Terminus est acceptatio, qua primi parẽtes fuerũt Deo accepti & placentes. Iam coniunge hæc duo extrema, manifestum erit, sumtam esse definitionem ex prædicamento Relationis. Habet autem fundamentum hæc definitio apud Paulum, Ephes. 4. Galat. 3, vbi concionatur de renouatione: Renouamini Spiritu mentis vestræ &c.

Veram sanctitatem] Differunt iustitia & sanctitas, non forma, sed fine. Nam obediẽtia est formale iustitiæ & sanctitatis. Sed fine differunt, quia sanctitas significat obedientiam, quæ refertur ad agnitionem & celebrationem Dei, vt Aristides est iustus ciuiliter, sed nõ est sanctus, quia suam obedientiam non refert ad celebrandum Deum.

Est in natis ex virili semine] Hæc dicuntur ad differẽtiam Christi & aliorum hominum. Nam Christus est conceptus à Spiritu sancto, vt canimus in hymno: Non ex virili semine, sed mystico spiramine.

Hugonis] Hugo presbyter & monachus Parisiensis,

Parisiensis, anno Christi 1130, Augustini normam secutus est. Augustinus habuit duos discipulos, quorum scripta adhuc extant: Prosperum Aquitanicum, & Maximum. Horum vestigia sequitur Hugo, & mediocriter docet.

Bonauenturæ] Bonauētura vixit anno Christi 1283, cuius hæc est memorabilis sententia de satisfactione: Sicut Adam non potuit satisfacere de peccato suo: sic nemo potest sufficienter satisfacere de suo, nisi super satisfactionem passionis Christi per fidem sit fundatus. In sola enim fide passionis Christi remittitur omnis culpa, & sine fide eius nullus iustificatur. Ego hoc dictum recito iunioribus, vt videant, semper aliquos pios ante hæc tempora in Papatu, & magnis tenebris retinuisse scintillam fidei, & fundamētum, etsi aliquid stipularum huic fundamento addiderunt. Nulla doctrina tam perplexa, obscura & intricata fuit in Papatu, quàm de pœnitentia. Cuius fecerunt tres partes: contritionem, confessionem, & satisfactionem. Ac vt non dicam de contritione & confessione, non potest quisquam iuniorum credere, quanta fuerit moles traditionum, quæ conscientiis iniecerunt scrupulos & laqueos de satisfactionibus. Cùm igitur non posset Bonauentura Gordium nodum soluere, imitatus est Alexandrum Magnum, & dissecuit gladio, scilicet doctrina de sola fide iustificante sine nostra satisfactione. Vtitur autem exemplo Adæ, quod est primum & antiquissimum pœnitentiæ exemplum, & maximè illustre, quod nos docet de omnibus partibus doctrinæ Christianæ, & in primis de pœnitentia.

Testimonia] fontes definitionum.

Proprius locus] Sedes materiæ. Voco autem sedes præcipua testimonia & probationes, quibus nititur fides nostra, tanquam immoto & æterno fundamēto. Fundatur autem doctrina de peccato originis, Rom. 5.

ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον] Erasmus vertit, Quatenus omnes peccauerūt. Melior est versio Domini Præceptoris, Quia peccauerunt. Nam particula QVATENVS, quæ extat in versione Erasmi, facilè potest inflecti ad Pelagianorum opinionem, qui dicunt, omnino nullum esse peccatum originis, sed posteros Adæ accersere sibi peccatum imitatione alieni exempli. Ne igitur vocabulum QVATENVS ambiguitatem pa-

riat, hanc verſionem [*Quia omnes peccauerunt*] amplectamur.

Quia omnes peccauerunt] Matth. 26, Chriſtus ad Iudam proditorem: ἐφ' ᾧ πάρει, id eſt, cur ades? quare veniſti? Et Æſchines contra Cteſiphontem, ἐφ' ᾧτε ξυμβήσεται, vt opitularentur, opem ferrent Amphiſſenſibus. [*amplißima vrbs Locrenſis*] Hæc exempla oſtendunt, particulam ἐφ' ᾧ habere ſignificationẽ cauſſæ impulſiuæ, aut finalis, & rectè reddi in loco Paulino, Quia.

Si tantùm actualia] Ratiocinatio, vt Dialecticè & breuiter dicam. In peccato duo ſunt, Fundamentum & terminus. Fundamentum eſt ἀταξία, vitium, inobedientia, quæ ſunt ſynonyma. Terminus eſt ipſe reatus. Iam Paulus Roman. 5 de vtraque re concionatur, de fundamento & termino. De fundamento dicit, quia omnes peccauerunt, id eſt, omnes habent peccatum, ſeu naturam vitioſam. Nam verba actiua apud Hebræos non tantùm ſignificant actionem ſeu motum, ſeu impetum, ſed ſæpe vſurpantur pro re continua. Peccare igitur ſignificat hoc in loco malum hærens in natura, non tantùm actionem: & vt vno verbo dicam, ſignificat radicem & fructum. De termino mortis & pœnæ dicit Paulus: Vnius delicto omnes mortui ſunt: eſt autẽ mors, pœna, quæ pertinet ad reatum. Argumentatur autem à ſingulis partibus relationis.

Aliam Legem in membris] potentiis animæ. Mentem, voluntatem & cor, Paulus membra vocat. Vt enim Ariſtoteles in tribus libris de anima, diſcernit potentias animæ: ſic Paulus populariter loquens, appellat eaſdem potentias membra. Repugnans legi mentis meæ, id eſt, in mente, voluntate & corde eſt quiddam repugnans Legi mentis meæ, id eſt, Legi Dei.

Senſus carnis] φρόνημα. Fleiſchlich geſinnet ſeyn/ complectitur actiones mẽtis, voluntatis & cordis, νῦν καὶ ὄρεξιν, mentem & appetitionem, id eſt, opiniones & affectus. Cicero: Meus me ſenſus admonet, quanta ſit vis fraterni amoris. Geſinnet ſeyn, eſt habere opinionem, & affectum eſſe.

Non ſubiicitur] Intelligatur non de diſciplina, ſed de integra obedientia.

Quid

Quid atrocius?] αὔξησις, exaggeratio pertinet ad formas amplificandi, vt si velim exaggerare parricidium: Tu interfeciſti illum, qui te genuit, educauit, aluit, cuius beneficio verſatus es in luce, & adhuc verſaris, qui te conſtituit ciuem in Republica. Sic hoc loco eſt amplificatio: Nos ſumus inimici Dei, quia circumferimus ignorantiam, contemtum Dei, ſecuritatem carnalem, diffidentiam, impatientiam & fremitum in ærumnis. Omnes nos in rebus ſecundis ſumus ſuperbi, in aduerſis timidi, deſperabundi: non mouemur Dei promiſsionibus & comminationibus, non curamus mandata Dei.

Filij iræ] Epheſ. 5: Ideo venit ira Dei ſuper filios inobedientiæ, id eſt, mancipia inobedientiæ, & addictos cõtumaciæ. Ita hoc loco inquit: Sumus filij iræ, id eſt, mancipia iræ Dei.

Naturæ malum] non imitationis.

Exemplo] imitatione.

Niſi quis renatus fuerit] Fons huius argumentationis eſt dictum Chriſti: Qui lotus eſt, is non indiget vt lauetur. Cùm autem nobis opus ſit regeneratione: ſequitur, naturam eſſe ream & immundam.

Conceptus] formatus, in Hebræo.

Concepit] calefecit me mater mea.

Breuitas] Cicero de orat. Breuitas etſi habet ſuum locum in aliqua parte eloquentiæ, vt in dicendis ſententiis, tamen in vniuerſa eloquentia nullam habet laudem, quia non relinquit aculeos in mentibus auditorum.

Nam vetus docendi] Plato in Protagora pagin. 295: Hic modus erat veterum philoſophorum, ſuas ſententias Laconica breuitate proponere, vt: Noſce te ipſum, Ne quid nimis. ὅτι ὁ τρόπος ὧν τῶν παλαιῶν τῆς φιλοσοφίας, βραχυλογία τῆ Λακωνικῆ. vetuſtas habuit multum rerũ, parum verborum. Nos in hac garrula mundi ſenecta ſumus loquaces, ſicut natura ſenes ſunt loquaces. Ideo Homerus comparat eos cicadis, 3 Iliados. Nos habemus multum verborum, parum rerum. Non enim habemus ſapientiam veterum.

Expende quæſo] Collatio dictorum Pauli & Ieremiæ.

Non poteſt verbis] ἀδύνατον.

Peruerſum eſt cor] peruerſum, id eſt, auerſum à Deo, inordinatum, diſtortum, ærumnoſum, id eſt, miſerum, plenum miſeriarum, vt prorſus ſit inenarrabile.

Cor peruerſum] malum culpæ.

Deinde defectum pœnæ] Malum pœnæ. Nam peccatũ complectitur culpam & pœnam, fundamentum & terminum.

Ego dixi] pſal. 116 in exceſſu, id eſt, in cõſternatione, ſeu pauore meo.

Omnis homo mendax] Non intelligatur ciuiliter, ſed Theologicè, id eſt, non rectè ſentiens de ira & miſericordia Dei. Sic Iudas & Cain ſunt mendaces, aliquandiu ſecuri, & tandem deſperant.

Occam] Fuit Theologus Anglicus, ingenioſiſsimus & acutiſsimus. Errant autem ſcholaſtici omnium maximè de fundamento: nam de termino concedunt, Deum iraſci peccatis.

Sequitur in textu recitatio cauſſarum peccati originis, ac in prima quidem cauſſa, quæ vocatur efficiens, agitatur grauiſsima quæſtio de origine animarum. Vtrum ex traduce, an verò ex nihilo creentur, & corporibus iam formatis immittantur. De hac quæſtione nihil poſſumus certi pronuntiare ex manifeſtis teſtimoniis Scripturæ ſacræ. Sed tamen ſi aliquid dandum & tribuendum eſt opinionibus non abſurdis ſummorum virorum in Eccleſia, ſic ſentiendum eſt iuxta illas opiniones: Non ex traduce propagari animas vnà cum corporibus, id eſt, ex viſceribus parentum, ſed formato corpori creatas ex nihilo, inſeri ac velut immitti. Hanc opinionem præceptorũ, ſi quis non probat, ſed contrariam defendit pertinaciter, cum hoc ego non pugnabo, ſed ſinam potiùs eum ſua ſapientia frui. Nobis ſatis eſt, in tãta rerum obſcuritate tenere hypotheſin firmiſsimam, quòd natura talis conſeruetur & propagetur, qualis fuit poſt lapſum, vt ſi quis pedem, quamuis claudum, foueat & retineat.

Quæ

Quæ merentur aliquid] Cauſſa alia eſt principalis, alia impulſiua. Ad impulſiuam quatuor ſpecies referũtur: 1, affectus, vt amor, odium. 2, meritum. 3, obiectum. 4, Lex. Sed omiſsis ceteris ſpeciebus cauſſæ impulſiuæ, nunc dicamus de merito. Paulus Rom. 5, in concione de peccato originis ſic inquit: Adam eſt typus futuri, ſcilicet Chriſti. Iam quæro, qua in re conſiſtat ſimilitudo Adæ & Chriſti? Reſpondeo. Quia vterque & Adam & Chriſtus meruit aliis. Deinde tres ſunt diſsimilitudines inter Adam & Chriſtum. Prima eſt ipſarum rerum diuerſitas. Nam Adam ſuo lapſu, & ſua inobedientia meruit toti generi humano & poſteritati mortem & alias miſerias, imò etiam peccatum, quod propagatur in omnes poſteros Adæ. Chriſtus verò meruit nobis & vniuerſæ Eccleſiæ iuſtitiam & vitam æternam. Opponitur iuſtitia peccato, vita morti. Secunda diſsimilitudo verſatur in modo propagationis. Omnes poſteri Adæ, natura ſunt filij iræ, Epheſ. 2. In omnes poſteros Adæ propagatur carnali generatione peccatum & mors. Eccleſia verò non propagatur carnali generatione, ſed ſpirituali regeneratione, teſte Chriſto, Iohan. 3: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c. Tertia diſsimilitudo Chriſti & Adæ conſiſtit in gradibus diuerſis, quia gratia exuberat ſupra peccatum, id eſt, eſt potentior peccato & morte, & eſt victrix operum Diaboli. Si enim gradus peccati & iuſtitiæ, item mortis & vitæ eſſent pares, non poſſet gratia vincere peccatum, aut vita mortem, iuxta regulam à phyſicis & Medicis traditam: Oportet agens eſſe fortius, quàm patiens. Cùm remedium non eſt fortius quàm morbus, tum vincit morbus remedium, & non fit ſanatio. Vincit autem gratia, imputatione, deinde effectu. Imputatione, quia omnia peccata, quantacunque & quàm innumera ſint, remittuntur credenti. Deinde datur Spiritus ſanctus credenti, qui eſt efficax, delet peccatum inchoatione in hac vita, & conſummatione poſt hanc vitam.

Et quales ipſi] Seruatur & propagatur natura talis, qualis nunc eſt, vt qui pedem, quamuis claudum retinet. Quæſtionem verò de origine animarum, explicat idem author lib. 3 Chronicorum, in hiſtoria Iuſtiniani Imperatoris.

Iuſtinianus Imperator, qui eſt celeberrimus apud Iuriſconſultos propter Pandectas & Codicem, cõuocauit Synodum quintam Oecumenicam. In illa Synodo eſt agitata quæſtio de origine animarũ,

& refutata opinio Origenis, qui finxit, omnes animas simul esse creatas, & lapsas in cælo demitti in corpora humana. Quid de hac tota re piè sit sentiendum, sine curiositate seu ludis disputationum, docet in 3 Chronicorum præceptor noster Philippus.

Vbi est] Materia in qua, ὑποκείμενον.

Amor inordinatus] Nemo est, quem non possis aliqua in re cernere suffenum, id est, sibi placentem, Catull. Est autem anima principale, corpus minus principale subiectum peccati.

Intelligenda est enim] Paulus Rom. 7: Nesciebã concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset: Non concupisces.

De ἀταξία] Confusio, perturbatio ordinis. Sæpe monui, quòd peccatũ non sit res positiua, sed defectus seu priuatio. Hanc sententiã author iam repetit, nihil noui dicit. Ideo breuiter percurram. Peccatum aut est originale, aut actuale. Quòd originale sit defectus, manifestũ est, quia in mente est defectus lucis & sapientiæ. In voluntate & corde est defectus ordinis, iuxta Decalogum, id est, illius obedientiæ & cõformitatis cum Lege Dei. Sicut ergo nox est defectus lucis diurnæ: sic peccatum originale in mente defectus est lucis, id est, sapientiæ: In corde & voluntate est defectus conformitatis cum Deo, vt crassè & populariter dicam. Sed defectus peccati actualis est obscurior, vt quãdo Cain interficit fratrem, quæro an hæc cædes sit defectus? Est. Contrà. Omnis motus est res positiua. Cain interficiens fratrẽ mouet manum & totum corpus. Ergo hoc peccatum actuale in Cain interficiente fratrem, non est defectus, sed res positiua. Respondeo. Quanquam motus membrorum in Cain est quiddam positiuum: tamen in hoc ipso motu est defectus, videlicet ἀταξία, aberratio à Lege Dei, quia hic motus non regitur Lege Dei, sed ruit contra Legem Dei inordinatè.

Formale] Formale peccati est duplex, aliud regnantis, id est, non remissi: aliud non regnantis, id est, condonati, tecti. Quod est formale peccati regnantis? Reatus, æterna damnatio: Formale peccati non regnantis in Dauid, Petro & aliis sanctis, est pugnare cum Lege Dei, vel defectus ipse, ἀταξία.

Veram

Veram ſententiam] Cicero: Falſa ſunt ἀκαταλήπτα, non poſſunt comprehendi, ſed vera ſunt καταλήπτα. Poteſt enim veræ rei imago in animo concipi & formari.

Sed non ſubitò morbus] Motus fit ſucceſsiuè, id eſt, per partes, non ſubitò. Ideo generatio & corruptio non numerantur inter ſpecies motus apud Ariſtotelem, quia generatio & corruptio fiunt in inſtanti. Reliqui motus fiunt ſucceſsiuè, vt aqua non ſubitò calefit, ſed ſucceſsiuè, ſic etiam vulnus non ſanatur ſubitò.

Vt Samaritanus] Medicus Samaritanus eſt Filius Dei, cuſtos Eccleſiæ ſuæ, quẽ in Samaria vidit Iacob ſtantem in ſcala, Geneſ. 28. Samaria à Ieroſolyma diſtat 8 miliaribus, in quo campo dormiens Iacob, vidit per imaginem ſomni ſcalam, in qua aſcenderunt & deſcenderunt angeli, & ſcala attingebat vertice cælum, & inſiſtebat terræ. Scala eſt Filius Dei. Nemo venit ad Patrem, niſi per me.

Balſamum] Inde habet nomen, quia inter omnia olea pretioſiſsimum eſt balſamum.

Glutinari] gluten, κόλλα, 1 Cor. 6.

Ita Chriſtus] enarratio allegoriæ.

Exercitiis crucis] In cantico canticorum 1 cap. dicitur: Dilectus meus mihi eſt faſciculus mirrhæ. Mirrha eſt acris & amara, & tamen ſanat vulnera: ita crux etiam eſt inſuauis, ſed eſt ſalutaris piis. Roman. 5: Gloriamur in afflictionibus, quia afflictio affert patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes non confundit, Hebr. 12. Omnis afflictio in præſentia valde eſt inſuauis, ſed exercitatis per eam affert fructum pacificum iuſtitiæ. Qui non eſt tentatus, qualia ſcit?

Crucis & inuocationis] Climax, ſeu gradatio Theologica, neceſſaria in lectione pſalmorum. Pius tentatur, tentatus orat, orans exauditur, exauditus gratias agit. Proba quòd pius tentetur? pſal. 34: Multæ tribulationes iuſtorum. 2 Timoth. 3: Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Actor. 14: Oportet nos per multas tribulationes ingredi in regnum Dei.

Tentatus orat] psalm.50: Inuoca me in die tribulationis, & eripiã te, & tu glorificabis me, scilicet per gratiarum actionem. Tentamur autem, vt Paulus inquit, dupliciter, vel foris, vel intus. Intus sunt pauores, foris pugnæ. *Orans exauditur*] scilicet in tempore oportuno. *Gratias agit*] Confitebor tibi toto corde. Christus pependit in cruce, nos stamus sub cruce.

De finali caussa] Finis & effectus sæpe coincidunt.

Oedipus] Suidas in dictione Oedipus, integram historiam de Oedipo & filiis eius narrat. Oedipus vixit ante bellum Troianum, fuit filius regis Thebani Laij. Hic iussu parentis expositus, educatus est à pastore quodam, & adultus interfecit patrem non cedentem de via, sed ignarus hoc fecit. Deinde ignarus duxit in vxorem suam matrem Iocastam, ex qua procreauit duos filios, Eteoclem & Polynicen, & aliquot filias, Antigonem, Ismenem, &c. Cùm autem propter hanc incestam consuetudinem grassaretur pestis in agro Thebano, oraculum consultum respondit, non aliter tolli posse pestem, nisi pulso Rege in exilium. Rex Oedipus, cognitis caussis publicarum calamitatum, sibi eruit oculos, & abiit in exilium, & in agro Attico hiatu terræ absorptus est, cùm priùs ictus esset fulmine. Liberi, Eteocles & Polynices inter se dimicarunt de regno, & tandem per mutua vulnera ceciderunt. Hæc ferè est summa historiæ Thebanæ, quã non modò Suidas narrat, sed etiam Sophocles & Euripides scriptores tragœdiarum, rhetoricè & copiosè illustrant. Iuniores necesse est hanc historiam habere in promtu & memoria, propter Tragœdias Senecæ, Euripidis, Sophoclis, à quibus hoc argumentum illustratur sententiarum & verborum pulcerrimis luminibus.

Tam tetra accidũt homini] Epiphonema: Nullius scripti lectio est vtilior post Bibliorum lectionẽ, quàm Sophoclis, Euripidis, & Senecæ Tragœdiæ, quia & res sunt optimæ in Tragœdiis, & summa est eloquentia. Et quanquã Poetæ ornandi & delectandi caussa addiderunt aliquid colorum: tamen corpus Tragœdiarum est historicum, non fabulosum. Ac nihil aliud sunt Tragœdię, quàm conciones legales de iustitia & omnibus virtutibus. Continent enim exempla horribilium pœnarum, quibus oppressit Deus non solùm vulgus, sed etiam summos Principes.

Gentes

Gentes nullas audiuerunt alias conciones, quàm Tragœdias. Summa Tragœdiarum eſt in hoc verſu Virgilij: Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

Dirum morſum] Diabolus aut lacerat tuũ corpus, aut famam, aut lædit facultates, aut turbat œconomiam, aut implicat te ſtudiis factionum, aut intus vulnerat conſcientiam.

Conteri caput] Etiã in ſanctis conculcat Chriſtus caput Serpentis, ſed viciſsim Serpens non parcit nobis, ſed inſidiatur calcaneo noſtro, & morſu lædit.

Poſt cauſſarum recitationem in loco de peccato originis, ſequitur admonitio de quibuſdam dictis, quæ olim in Scholis iactata ſunt, vt verbi cauſſa: Nihil eſt peccatum, niſi ſit voluntarium. Item: naturalia ſunt bona. Ac prius quidem dictum eſt forenſe & politicum, nequãquam transferendum ad alienum forum. Aliud enim eſt iudicium Spiritus ſancti de peccato, aliud Prætoris in foro ſeu curia. Alterum verò dictum: Naturalia ſunt bona, ſumtum eſt ex primo Ethicorũ Ariſtotelis, vbi ſic Philoſophus inquit: Natura nos hortatur ad optima. Habet autem hoc dictum Ariſtotelicum ſuas metas, intra quas debet coherceri. Notitiæ quidẽ naturales veræ & bonæ ſunt, & hortantur ad optima, ſed affectus in voluntate & corde ſunt vitioſi, & impediunt notitias in mente. Quanquam & ipſæ notitiæ in mente impediuntur naturalibus dubitationibus.

Vt fortuita cædes] Cædes alia fortuita, alia volũtaria eſt. Hoc diſcrimen extat Deuteronomij 19. In eo capite Deus ipſe diſcrimen facit inter cædem voluntariam, ſiue ex inſidiis factam, & inter cædem fortuitam. Vt autem ſeueriſsimè iubet punire autorem cædis humanæ, videlicet inſidiatorem & latronem: ita præcipit populo Iſrael, vt benignè & clementer, tanquam ſupplices tractet eos, qui patrarunt cædem inuoluntariam & fortuitam, & parcere iubet eis confugientibus ad aliquam ex iis ciuitatibus, quas peculiari priuilegio Deus muniuerat, ne liceret inde abſtrahere authorem cædis. Cogebantur autẽ authores cædis fortuitæ tãtiſper exulare, dum moreretur ſummus Sacerdos, quo mortuo, quaſi iure poſtliminij redibãt in patriam, liberati pœna & culpa. Hæc lex ſignificat totum genus humanum propter parricidium primorum parentum vagari in exilio, nec poſſe

aliter redire in patriam, niſi morte Filij Dei ſummi Sacerdotis. De hac allegoria, quæ non eſt Origenica fabella, cogitemus legentes caput 19 Deuteronom.

Dexterius eſt non miſcere] Axioma Theologicum. In docendo requiritur iuſtitia diſtributiua ſuum cuique tribuens, nec omnia miſcens & confundens in vnum chaos. Recitabo duas leges Moſi, quæ in Deuteronomio extant: vnam, de ſemente, ſeu ſatione: alteram, de textura. Prima lex hæc eſt: Non ſeres in vno & eodem agro diuerſa ſemina. Ad hanc legem ſine dubitatione alludit Paulus Galat. 3, vrgens pondera verborum in promiſsione tradita Abrahamo: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. In ſemine tuo, inquit, nõ in ſeminibus, quaſi multis, ſed tantùm in vno, qui eſt Chriſtus. Sicut agricolæ iuxta legem Moſaicam, non miſcebãt diuerſa ſeminum genera in ſatione, ſed ſingulis ſuum agrũ aſsignabant: ita in articulo iuſtificationis, cùm quæritur de cauſſa noſtræ iuſtitiæ coram Deo, non ſunt miſcenda meritũ Chriſti, quod amplectitur noſtra fides, & opera. Sed noſtra conſcientia nitatur vnica ancora ſacra, merito Chriſti & eiuſdem obedientia. Altera Lex eſt: Non miſceas in texendis pannis linum & lanam, wie man ig Parchen wircket. His duabus legibus, de non miſcendis ſeminibus diuerſis, & de non iungendis lino & lana, hoc ipſum quoque ſignificatur, non eſſe miſcendam politicam ſapientiam cum Euangelio.

Imago vulnerati] Homo ſpoliatus eſt bonis gratuitis, & vulneratus eſt in naturalibus, id eſt, homo lapſus amiſit gratiam Dei, excuſsit Spiritum ſanctum, & hæreditatem vitæ æternæ amiſit. Hæc ſunt dona gratuita. Deinde vulneratus eſt in naturalibus, mente, voluntate & corde. In locum lucis ſucceſſerunt tenebræ: in locum iuſtitiæ, contumacia contra Legem Dei.

Diſcernantur autem] Digreſsio de diſcrimine rerũ conditarum & deprauationis nõ conditæ, id eſt, de reliquiis bonorum in natura. Tria bona reliqua ſunt in homine: In mente, notitia Legis: in voluntate, gubernatio locomotiuæ: in corde, φιλοσοργία, & tamen addẽda eſt ſingulis reſtrictio & correctio. Notitia eſt obſcurior & aſſenſus languidior. Locomotiua etiam habet ſua impedimenta, domeſtica & externa. σοργαὶ contaminantur per accidens: non enim rectè reguntur à renatis,

renatis, nec manent intra suum ordinem.

Vt contemtus Dei] præsertim in ærumnis.

Abraham ardenter] Quò quæque natura præstantior est, eò habet ardentiores στοργὰς, vt ostendunt exempla Abrahæ, Dauidis & aliorum, qui suos liberos ardentissimè amârunt, & tamen huic amori anteposuerunt mandatum Dei, vt Genes. 21: Abraham eiicit ex domo sua Agar & Ismaelem. Idem Genes. 22, iussus immolare filium Isaac, paratus est ad obedientiam. De hac gubernatione affectuum meminerint studiosi duo dicta: vnum Cypriani, alterum Augustini. Cyprianus in cõcione de oratione Dominica: Nihil omnino debemus Christo præponere, quia nec nobis ille quicquam præposuit. Augustinus verò lib. 1 de ciuitate Dei, cap. 26: Quomodo potest pius parentes, liberos & coniugem plus amare quàm Christũ, cùm eos propter Christum amet? Propter quod vnumquodque tale est, illud magis tale est, vt ego amo philosophiam propter hanc caussam, quòd sit instrumentum docendi de Deo. Ergo doctrinam de Deo magis amo. Sic amo cognatum sanguinem propter Christum. Ergo Christum magis amo.

ἀπαθεία] Est vacuitas & carẽtia omniũ affectuum. Cicero vertit indolẽtiam, & nominat speciem pro genere.

ἀστοργία] Immanitas, quæ non diligit cognatum sanguinem.

Lætitia in agnitione] Voluntatis duo sunt obiecta: Bonum infinitum, & bonum finitum. Bonum infinitum est Deus, in quo omnium primùm & maximè lætari debemus, teste psalmo 33: Exultate iusti in Domino. Item, Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperabimus. Postea concessa & approbata est diuinitus lætitia, quæ suo ordine complectitur bona finita, iuxta regulam Matth. 6 traditam: Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & cetera adiicientur vobis.

Viscera] σπλάγχνα, maiuscula mẽbra thoracis sunt cor & pulmo. Hippocrates: Somnus ꝑdest σπλάγχνοις, sed motus & exercitia neruis

& articulis, quia in ſomno optima fit coctio. Hoſeas ca. 11, paraphraſi enarrat verbum συλλαγχνίζομαι. Quomodo te puniam, Ephraim? Num deleam te, ſicut Sodomam & Gomorrham? Iuſtè quidem te ſic delerem. Sed commotum eſt intra me cor meum, & exarſit commiſeratio mea, &c.

Deus amat nos] Pſalm. 103: Sicut pater miſeretur filiorum, ita Dominus timẽtium ſe. Quia Dominus nouit figmentum ſuum. Eobanus ſic reddidit: Vt pater errantes reuocat ſua pignora natos. Et poſtea: Nouit enim vili quàm ſimus origine ducti, &c.

Deus charitas eſt] Nõ dicit, Deus diligit nos, ſed Deus eſt charitas, quia amor in Deo eſt eſſentialis, ſicut etiam aliæ virtutes.

στοργὰς] στοργαὶ propter duas cauſſas conditę ſunt in cordibus noſtris, 1, vt ſint vincula ſocietatis. 2, vt ſint concionatrices de amore Dei erga Filium & Eccleſiam.

Apparuit bonitas] Bernhardus ſermone primo de natali Domini: *Apparuerat antea potentia in creatione* [quia creatio eſt opus omnipotentiæ] *apparebat ſapientia in earum gubernatione, ſed benignitas miſericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate.* eſt αὔξησις, ſeu gradatio Rhetorica.

Herodias] Matth. 14. Marc. 6. Quæ res prębuit occaſionem necis Baptiſtæ? Occaſio eſt circumſtantia temporis aut loci, quæ præbet facultatem agendi quod volumus. Fuit igitur occaſio necis Baptiſtæ ſaltatio meretriculæ filiæ Herodiadis, Salomes. Cùm enim Herodes magnam cepiſſet voluptatem ex geſtibus ſaltatriculæ, iuramento promiſit ei, ſe omnia facturum & daturum, quæ petiiſſet. Huius iuramenti prætextu curauit Herodes interfici Baptiſtam, cùm meretricula non petiuiſſet partem regni, ſed caput Iohannis. Poſtea allatum caput à carnifice, meretriculæ impoſitum patinæ, geſtauit in conſpectum regis & conuiuarum.

Fuluia] Vxor Antonij Triumuiri. Dion in Auguſto: Fuluia, ore Ciceronis aperto, linguam extraxit, & aciculis, quibus ad ornandum caput

caput vtebatur, confodit, addens multa verba plena nigri ſalis.

De morte Ciceronis legant ſtudioſi lib. 1 Senecæ de ſuaſoriis materiis, vbi citantur verba Liuij, & verba Aſinij Pollionis digna memoria. Item carmina Seueri, deplorantia mortem Ciceronis. Propter Auguſtum graues ſuſcepit inimicitias cum Antonio, & ſcripſit contra eum Philippicas, in quibus ait ipſe, ſuam orationem caneſcere, id eſt, non eſſe puerilem, ſed grauem & ſenilem. Propter has orationes perſecutus eſt Ciceronem Antonius, & ex pactione cum Auguſto & Lepido iuſsit ſibi donari Ciceronẽ. Quo facto, ſatellites Antonij caput à Ciceronis humeris auulſum attulerunt ad roſtra fori, vbi oſtentauit caput Ciceronis Antonius. Sed Fuluia vxor Antonij non contenta ſæuitia mariti, addidit plures contumelias.

Sciendum eſt affectus] Nauis deſtituta gubernatore variè iactatur ventis: ſic affectus ſine rectore Spiritu ſancto ſunt cæci & temerarij impetus.

Sequitur nunc doctrina de peccato reliquo in hominibus renatis. Non eſt dubium quin in adultis hominibus ſint reliquiæ veteris fermenti, vt loquitur Paulus 1 Corinth. 5: Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio. De infantibus videtur eſſe quæſtio obſcurior, ſed credamus Scripturæ perſpicuè aſſeueranti, neminem in hac vita eſſe ἀναμάρτητον, ſed omnes circumferre ſordes & mala pugnantia cum Lege Dei.

Omnes concedere] victi teſtimonio experientiæ.

Quare Iohannes] In epiſt. Canonica, cap. 1, Tertullianus de præſcriptionibus aduerſus hæreticos: *Saul bonus præ ceteris, liuore poſtea euertitur* [liuor tabificum malis venenum] *Dauid vir bonus ſecundum cor Domini.* [1 Regum 13: Ego inueni virum ſecundum cor meum] *poſtea cædis & ſtupri reus eſt. Salomon omni gratia & ſapientia donatus à Domino, ad idolatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Filio Dei ſeruabatur ſine delicto permanere,* ἀναμάρτητον καὶ ἀνυπεύθυνον τῷ).

Tres fuerunt continua ſucceſsione reges in populo Dei. 1, Saul: 2, Dauid: 3, Salomon. Quantus fuerit vir Saul, non ſolùm corpore, ſed etiã animo, teſtatur hiſtoria ſacra. Sed hunc virum de gradu deiecit liuor, inuidẽtia, æmulatio, & cognatæ peſtes. Hæc æmulatiõ ſeu hic liuor impulit miſerum hominem ad crudelitatem ſeu tyrannidem. Interfecit enim Sacerdotes in Nobe oppido, quod non procul

fitum est à Ioppe & Arimathia. Persecutus etiam est Dauidem & totam familiam eius, & aluit 3000 satellitum totum decennium, ad hunc vsum, vt noctes & dies insidiarentur Dauidi, eúmq; è medio tollerent. Verissimè Chrysostomus dixit, 1 capite Roman. de liuore: φθόνος est mater, filiola huius matris est cædes, tyránis, crudelitas. Ideo Paulus in epistolis, enarrans opera carnis, semper coniungit φθόνον καὶ φόνον. Secundus rex Dauid blandissimis voluptatibus ita se dedidit, vt arte primùm interficeret Vriam seruum fide præstantem, deinde raperet eius coniugem: sed rediit in viam hæc aberrans ouicula. Tertius rex Salomon sapientia antecelluit omnibus Regibus in toto genere humano, sed in senecta adeo dementatus est à mulierculis, vt coleret idola. Hæc tria exempla semper nobis posita sint ob oculos, vt admoneant nos non solùm de humana imbecillitate, sed etiam de acerrimis insidiis Diaboli, & compellant nos orare assiduis lacrymis, Ne nos inducas in tentationem &c. His tribus exẽplis addit Tertullianus epiphonema: Soli Filio Dei seruabatur sine delicto permanere.

Augustinus tractatu 84 in Iohannem: *Dicere, se sine peccato esse, iustum non potest exhibere, sed fingere. Vnus enim est solus, qui & carnem hominis habere, & peccatum potuit non habere.*

Extenuant hæc ipsa mala] Aristoteles damnat illos affectus vitiosos, ad quos accedit cõ sensus voluntatis. Papistæ olim ineruditè miscuerũt philosophiam & Euangelium. Hanc mixturam Paulus damnat, cùm inquit: Ne quis vos decipiat per inanem philosophiam.

Radicem] morbum.

Mergitur Cato] Plutarchus in vita Catonis: Cato, antequam moreretur, sic exclamauit: O quanta est obscuritas rerum diuinarum. Antea felix fuit Pompeius in longè deterioribus causis, nunc vincitur in caussa optima.

Vt dicitur] Psalm. 32: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata: Beatus vir, cui Dominus non imputat peccatum. Remittere peccata, est definere irasci peccatis, seu præteritis, seu præsentibus. Tegi peccata, est Mediatorem esse vmbraculum, ne effundatur

datur in nos ira Dei, & propriè dicitur tegi peccatum, quod adhuc adest in renatis. Non imputare peccata, est non cogitare, nõ decernere quòd persona credens sit punienda æterna pœna.

Metaphora vmbraculi pulcerrima est. Filius Dei est vmbraculum iræ Dei. Sumta est hæc metaphora ex Esaiæ 4: Messias erit vmbraculum aduersus æstum, scilicet iræ diuinæ.

Est incrementum rhetoricum, ascendit per gradus. Primò, Deus remittit peccatum. Secundò, tegit peccatum. Tertiò, non imputat peccatum. Si hac hora moriẽdum esset, certò statuere deberes, imò semper debes, quòd tibi credenti in Christum, peccata tua non tantùm sint remissa, sed etiam tecta per Mediatorem, ne sint tibi in omnem æternitatem imputanda.

Deinde concupiscentiam] Error in definitione. Paulus Roman. 7 de se nondum conuerso, inquit: Ego aliquando vixi sine Lege: & nesciebam, concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset: Non concupisces.

Agnoscenda est igitur] Sanis non est opus medico, sed ægrotis.

Semper hypocritæ] Prima dissensio fuit inter Abelem & Cain. Cain fuit hypocrita, extenuauit suum peccatum. Cõtrà Abel agnouit magnitudinem sui peccati.

De peccatis actualibus.

Nec imaginemur otiosam] Paulus comparat peccatum originis fermento, 1 Corinth. 5. Vt igitur fermentum totam massam agitat & inflat: ita peccatum originis nunquam est otiosum, sed à principio vitæ vsque ad finem tumultuatur in membris nostris, hoc est, in potẽtiis animæ, mente, voluntate & corde.

Dominus Lutherus sæpe hanc vocem in suis scriptis repetit per κατάχρησιν. Nos, inquit, transimus de virtute in virtutem. Prima ætas ardet flammis libidinum: media ardet ambitione, cupiditate laudis & gloriæ: postrema attẽta est ad rem, & quò minùs restat viæ, eò plus requirit viatici. Vt iuuentus ante annos 24 sentit flammas

libidinum, nisi quis sit singulari dono Spiritus sancti præditus: ita media & virilis ætas stimulatur ambitione. Postrema ætas, senectus est plerunque auara. Iam quæro de comparatione horum malorũ, quod in his est pessimum? Auaritia. Quia Paulus clarè vocat cultum idolorum, & radicem omnium malorum, & auaros dicit incidere in laqueos Diaboli, ex quibus expedire se non possunt.

Iohannes] cap. 3.

Qui non credit, manet] Vtitur verbo manẽdi, vt discernat iram diuinam ab humana. Nam iram hominis possumus eludere aut fugiendo, aut quærendo latebras, aut migrando ex hac vita. Iram verò Dei nulla ratione effugere possumus, neque viui, neque mortui, quia Deus est vbique, & est lux, teste psal. 139, & est iudex viuorum & mortuorum. Magna res est offendere voluntatem Principis, cuius beneuolentia non est contemnenda: sed si in iusta causa est offendenda volũtas Principis, consolemur nos fauore & gratia diuina, quæ longè anteponenda est omnium hominum studiis & voluntatibus, quia de Principibus inquit psalm. 146. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam. In illa die peribunt omnes cogitationes eius. Deus autem viuit & regnat, & est iudex viuorum & mortuorum. Non igitur potes, vitato loco, vitare periculum: non potes quærere latebras, nec morte corporis liberaris ab ira Dei.

Aristides] fuit optimus omnium Græcorum, & propter summam virtutem est pulsus patria ostracismo, id est, exilio decennali, quod tamen nõ erat infame, sed erat remedium aduersus inuidiam populi.

Fabij] Fabius celeberrimus est in scriptis Ciceronis & Liuij. Fuit præcipua persona in Senatu populi Romani, tempore secundi belli Punici, de quo Ennius:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.

Pomponij Attici] Pomponius Atticus, amicus Ciceronis, exulanti Ciceroni tulit opem, & ei suppeditauit sumtus. A Cornelio Nepote inter alia & hæc de eo narrantur: Nemo minùs fuit emax, nemo minùs ædificator.

cator. Nam hæ duæ sunt pestes rei familiaris : emacitas, & nimium ædificandi studium.

Herculis] Hercules vixit ante bellum Troianum, tempore Samsonis, & quanquam maximas res gesit, omnium Poetarum carminibus celebratas: tamen polluit se libidinibus, & furens interfecit coniugẽ & liberos, & tandem rogum sibi struxit, vt finiret vitam morte voluntaria. Hanc totam historiam describit Ouidius 9 Metamorph. Euripides in Hercule furente. Sophocles in Trachiniis. Seneca in duabus Tragœdiis, Hercule furente & Oetæo.

Fuit oppidum, vbi struxit sibi Hercules rogum, non procul à Thermopylis.

Themistocles] De Themistoclis ingenio Thucydides lib. 1, pag. 31. & de eiusdem petulantia Athenæus lib. 12, pag. 263.

Thucydides sic laudat Themistoclem, ducem Atticum in bello contra Xerxem, vt dicat, eum in subitis periculis potuisse reperire optimum consilium, & habere de futuris rebus coniecturas certissimas, & cogitationes potuisse rectè enuntiare. Sed hæc dona Dei deformauit inaudita petulãtia, quia passus est se trahi in forum à quatuor nudis mulierculis.

Pausaniæ] De Pausaniæ virtute post pugnam ad Platæas, Herodotus lib. 9. De vitiis & exitu eiusdem tragico Thucydides lib. 1, pag. 30. & Lycurgus contra Leocratem.

Pausanias, dux Laconicus vicit Mardonium, præfectũ & Satrapam Persicum in agro Platæensi, terra Bœotiæ, insigni victoria, quæ celebratur omnium historiis. Post eam victoriam fuit & castus, & modestus. Castus, quia abstinuit à muliercula Coa, nata in insula, quæ fuit patria Hippocratis. Modestus fuit, quia dixit, sibi satis esse, si placeat suis Spartanis. Sic nos debemus placere Deo iustissimo iudici: deinde veræ Ecclesiæ rectè iudicãti sine sophistica & liuore, de puritate doctrinæ, & sanctitate vitæ. Nemo autẽ potest placere omnibus, sicut nec Iuppiter placet omnibus, siue serenans, siue pluens. Quanquam autem talis fuit Pausanias: tamen paulò pòst agitauit consilium cum Persis de proditione patriæ, & ob eam perfidiam reuocatus ab vrbe Bizantio, & ab Ephoris, summo magistratu Lacedæmoniorum condemnatus, inclusus sacello, & fame necatus est.

Sicut multi faciunt] Contrà regulam Iohannis: Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Auguſtinus: *Falli non vis, ego ſum veritas. Mori non vis, ego ſum vita. Non eſt quò eas, niſi ad me* [Venite ad me omnes] *non eſt quà eas, niſi per me.*

Quod enim aliqui] Refutatio falſæ opinionis. Multi enim putant, homines ſemel renatos non poſſe amittere gratiam Dei. Sed hæc opinio longè à re ipſa & veritate diſtat. Ratio eſt, quia de peccato iudicandum eſt ex verbo diuinitus tradito.

Sed intueamur verbum] Eſaiæ 8. Ad Legem ſcilicet & teſtimonium alligata eſt Eccleſia. Lucæ 16: Habent Legem & Prophetas, hos audiant. Item: Scrutamini Scripturas.

Adam & Eua] Prima refutatio ab exemplis.

Aliter iraſcitur Deus] Sicut enim aliter videt & audit Deus, quàm nos: ita verè iraſcitur peccato, & diligit ſuam Eccleſiam, etiamſi nos non intelligamus, quomodo hi affectus ſint in Deo.

Stoici ſic argumentantur, negantes iram & gratiam Dei. In Deo non ſunt organa affectuũ, vt cor, & quatuor humores. Ergo neque ira & gratia Deus mouetur. Reſpondeo. Nego conſequentiam, quia Deus eſt Spiritus, non eſt moles corporea. Et ſicut ſine oculis videt, ſine auribus audit, ita etiam iraſcitur & amat ſine corde humano & humoribus, qui ſeruiunt certis affectibus, flaua bilis iræ, melancholia mœſtitiæ, ſanguis copioſus lætitiæ.

In ira & amore eſt multum deformitatis & ineptiarum. Ergo affectus non cadunt in Deum. Reſpondeo. Diſcernenda ſunt ira & amor Dei ab affectibus humanis. In Deo omnia ſunt ordinata, nulla eſt ἀταξία. In nobis omnia plena ſunt confuſionum, deformitatis, ineptiarum.

Ægyptium cultum] AEgyptij, cùm eſſent agricolæ, propter agriculturã diuinum honorem tribuerunt boui, qui nominabatur Apis vel Serapis. Huius bouis luculenta deſcriptio extat apud Plinium, lib. 8. cap. 46. Et in lib. Auguſtini de ciuitate Dei 18, cap. 5: Aaron, abſente Moſe, totos dies 40, vt populum tumultuantem demulceret, finxit aureum vitulum.

tulum. Hæc idolatria fuit κακοζηλία, id est, praua imitatio cultus Aegyptij, qui præcipuo honore affecerunt bouem, qui dicebatur Apis vel Serapis.

Aaronis historia] In historia Aaronis præcipuè consideretur, quanta sit hominũ miseria, quòd post tanta miracula populus recipit idoli cultum, quem sciebat damnatum esse, & quòd Aaron assentitur.

1 Corinth. 10: Qui stat, videat ne cadat. Videmus Aaronem, primum Sacerdotem in populo Dei, horribiliter lapsum contra primũ præceptum: & Saulem primum regem in eodem populo: sed hoc interest, quòd alter, Aaron scilicet, egit pœnitentiam. Alter non rediit ad Deum per pœnitentiam, sed ruens in desperationem, sibi ipsi manus intulit.

Manasses] Manasses filius Ezechiæ regis repleuit Ierusalem cruore sanctorum ab ore ad os, vt loquitur Scriptura, id est, ab vna porta ad alteram oppositam, sed est duriter castigatus à Deo.

Iohannes] 1 Iohannis 3.

Ac Paulus] Postrema pars de discrimine peccati regnãtis & non regnantis, seu mortalis & venialis.

Discrimen tradidit] sedes materiæ, Rom. 8.

Gradum constituit] Duo sunt gradus peccati mortalis: prior est amissio fundamẽti, id est, Legis & articulorum fidei. Alter est lapsus contra conscientiam. Hi gradus sumuntur ex dicto Pauli: Milita bonam militiam, retinens &c.

Quicquid pugnat cum fide vel bona conscientia, est peccatũ mortale, id est, damnans, regnans, propter quod homo est reus iræ Dei & æternæ pœnæ, nisi reuertatur ad Deum in hac vita. Olim docebatur in templis & scholis, solos lapsus contra conscientiam esse peccata mortalia, vt adulteria, furta, cædes: sed hæc non dicuntur sufficienter. Addẽdus est alter gradus, qui est amissio fundamẽti, quod phrasi Paulina significat Legem & articulos fidei. Nam & Lex & Euangelium debent extare pura, sincera, segregata ab omnibus erroribus.

Omnia peccata] Cicero in paradoxis.

Etſi autem nolo] Admonitio grammatica de appellationibus variis. Cicero in Topicis: Cùm intelligitur quid ſignificetur, minùs eſt elaborandum de nomine. Idem lib. 3 de Finibus: Rebus intellectis in verborum vſu ſimus faciles. Sed omnium maximè memorabilis eſt ſententia martyris Tridentini Vigilij: Non præiudicant verba, quando ſenſus manet incolumis.

Emphaſis vocabuli] à pondere verbi.

Dominans peccatum] Secundum exemplum.

Auellit] reatus ipſe. Regnans peccatum duo complectitur. Prius eſt ipſe reatus. Alterum eſt fructus peccati & efficacia. Non otioſum eſt peccatum regnans, ſed efficit congruentia cum ſua appellatione, id eſt, impellit homines, vt ruant ex vno ſcelere in aliud, ex vna turpitudine & calamitate in aliam.

Flammis æmulationis] Aemulatio eſt iniuſtis modis pugnare de antecellētia. Deſcribitur æmulatio in verſu Ennij: Omnibus cura viris, vter eſſet Induperator. Contra hanc æmulationem modeſtiſsimus iuuenis Hippolytus apud Euripidem inquit: Non volo in Republica eſſe primus, ſed ſecundus. Saul certabat æmulatione cum Dauide, id eſt, non tātùm inuidebat diuinam vocationem ad regnum factam per Samuelem: ſed etiam conabatur è medio tollere optimum, & bene meritū virum, & noctes & dies omnia parabat in eius perniciem.

Theodoretus de prouidentia: Parua ſcintilla nullo negotio extinguitur, ſed rogum ardentem extinguere difficilè eſt. Sic principiis affectuum errantium obuiam eundum eſt & repugnandum: ſi fuerint nimis ardentes, longo vſu confirmati, vix vnquam poterunt reſtingui. Ideo inquit Ouidius:

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuēre moras.

Quas initio] tanquam ſcintillas exiguas.

Aaron] Numer. 12. Etiam fratres chariſsimi & cōiunctiſsimi ſæpe inter ſe certant æmulatione, vt fratres Ioſeph inuident ei prærogatiuam paternam. Sic Dauid æmulationem tulit in ſuis fratribus. Sic Aaron & Maria, ſoror Moſi, inuidebant Moſi onus potiùs laboris, quàm

quàm honorem, qui tamen redierunt in viam. Maria eſt percuſſa lepra, & ſanata per preces Moſi. Sed Aaroni pepercit tum Deus, quòd eſſet ſummus ſacerdos in populo Dei.

Rex Anabaptiſticus] Schleidanus lib. 10. Anno 36 ſupra M. D. cincta eſt obſidione vrbs VVeſtphaliæ Monaſteriũ, ab aliquot Principibus, & Epiſcopo Monaſterienſi, & cùm eſſet capta, ſumtum eſt ſupplicium à rege Anabaptiſtico ſartore, & eius ſociis.

Diuinos afflatus] Enthuſiaſmos.

Atreus & Thyeſtes] Seneca in Thyeſte. Atreus, pater Menelai & Agamemnonis, habuit in matrimonio Aeropen. Hãc Thyeſtes, frater Atrei vitiârat: vt igitur Atreus vindictæ cupiditatẽ expleret, mactauit filios Thyeſtis, & patri ad cõuiuium inuitato, non modò carnes liberorum epulandas dedit, ſed etiam cruorem eorundem patri propinauit, ac poſtea iuſsit afferri capita filiorum. Hinc natum eſt prouerbium de cœnis Thyeſteis.

Geneſ. 4] Prima concio Legis poſt lapſum.

Primùm tradit] Valet vſus ceremoniarum iacto fundamento, id eſt, prælucente fide, & inchoata obedientia morali. Hæc regula traditur Rom. 2: Circumciſio prodeſt, ſi Legem obſerues. Cœna Domini prodeſt, non ex opere operato, ſed homini agenti pœnitentiam, credenti Euangelio, & habenti bonum propoſitum non perſeuerandi in peccatis.

Caligula] Seneca: Quem rerum natura nõ miſi in exitium opprobriúmque humani generis edidit [*Paulus vas iræ vocat*] Suetonius dixit, exitio ſuo omniúmque Caium Caligulam viuere, & ſe natricem [*ſerpentis id genus*] populo Romano, Phaëthontem orbi terrarum educare.

Non dubium eſt] Aureum axioma in Theologia, quod gubernat totum locũ de iuſtificatione & bonis operibus. In omnibus locis, qui concionantur de bonis operibus, facienda eſt Synecdoche, id eſt, copulatio fidei & operum, quia opera ſine fide, nec fieri poſſunt, nec placent

Deo. Roman. 14: Quidquid fit ſine fide, peccatũ eſt. Hebr. 11, Impoſſibile eſt ſine fide Deo placere. De altera propoſitione Iohannis 15: Sine me nihil poteſtis facere. In dictis verò, quæ de fide loquuntur: [*Abacuc: Iuſtus fide viuit*] ſynecdoche fugienda eſt, quia fides non nititur duabus ancoris, ſed ſolo mediatore Chriſto, Iohan. 14: Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Ego ſum via, veritas & vita. Et Petrus Actor. 4: Non eſt aliud nomen datum ſub cælo, in quo oportet ſaluari, præter nomen Ieſu Chriſti. Galat. 3: Et ſemini eius: non dicit, in ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno. Cùm legimus locos de bonis operibus, vt pſalm. 41: Beatus, qui intelligit ſuper pauperem. Item pſal. 111: Beatus, quem diligit Dominus; Addamus hanc interpretationem: Beatus qui intelligit ſuper pauperem, fide prælucente &c. Nam ſi ſine fide benefacis pauperi, non placet miſericordia Deo. Contrà verò, cùm legis dicta de fide, noli addere Papiſticam Synecdochen, quia fides tantùm Mediatore Chriſto nititur.

FINIS PRIMAE PARTIS LOCORVM THEOLOGICORVM VICTORINI STRIGELII.

SECVNDA PARS

LOCORVM THEOLOGICORVM VIRI CLARISSIMI D. VICTORINI STRIGELII,

EDITA A

Christophoro Pezelio sacrae Theologiae Doctore.



NEAPOLI NEMETVM
excudebat Matthæus Harnisch.
cIↃ. IↃ. Lxxxiii.

INCLYTIS AC GENEROSIS COMITIBVS ET DOMINIS, DOMINO IOHANNI GEORGIO, & Domino OTTONI Comitibus in Solms, Dominis in Minzenberg & Sonnenvvaldt &c. Dominis suis reuerenter colendis,

Christophorus Pezelius, Sacræ Theologiæ Doctor

S. P. D.

INGENS Dei beneficium est, quòd se patefecit, non solùm impressis in hæc mundi corpora vestigiis, quæ de Deo testantur, sed edita etiam voce doctrinæ suæ, quam immensa bonitate, Prophetarũ & Apostolorũ Scriptis cõprehendi voluit, & illustribus testimoniis extra naturæ ordinem in genere humano confirmauit. Hac voce colligit sibi æternam Ecclesiam, & in hac publicum Euangelij ministerium instituit, ac subinde instaurat, quod & recitat Scripta Prophetica & Apostolica, & ea interpretatur.

Et quanquam ab hac norma, inde vsque ab initio, ingens multitudo hominum discessit, & horribili audacia alij Cyclopum more rident omnem doctrinam de Deo, & de vita secutura, alij noua numina, cultus & opiniones fingunt ac stabiliunt: tamen non sinit Deus prorsus extingui lucem veræ agnitionis ipsius inter homines, ac semper aliquam Ecclesiam seruat, custodem veræ doctrinæ.

Nec verò nouam doctrinam Ecclesia gignit, sed velut Grammatica est sermonis diuini: docet ætatem teneram & vulgus, quid vocabula significent, & distribuit ac numerat vt cunque membra doctrinæ, & adiungit testimonia perspicua, sumta ex Scriptis Propheticis & Apostolicis, & reiicit ac refutat opiniones pugnantes cum hac luce veritatis.

Nec aliud agunt scriptores probati in Ecclesia, siue recentes, siue veteres, quorum monumenta extant, aut eduntur, vt posteritati seruiant. Non gignunt nouum doctrinæ genus, sed vnam illam perpetuam Catholicæ & Orthodoxæ Ecclesiæ Dei vocem, quam sonuerunt Prophetæ & Apostoli, & quæ in symbolis expressa est, propagare ad posteros studeant. Et alij quidem ipsa Prophetarum & Apostolorum scripta enarrant, monstrato genere sermonis & vsu seu applicatione ad Ecclesiam omnium temporum: alij methodum doctrinæ informant, ostensa certa quasi serie præcipuorum capitum Legis & Euangelij: nonnulli corruptelas veterum & recentium hæresium taxant, refutatis erroribus, & veræ sententiæ confessione proposita.

Etsi autem enarrationes sacrorum librorum ceteris scriptorum generibus haud dubiè anteferendæ sunt, & cura omnium hominum præcipua esse debet, vt fontes ipsos Scriptorum Propheticorum & Apostolicorum assiduè legant: tamen rudiorum animos ceu præparari oportet proposita priùs doctrinæ cœlestis summa, qualis & in symbolis initiò comprehensa, & postea in puerili κατηχήσει tradita est, cujus explicationes paulò vberiores, sunt libri methodici, in quibus σωματοποιία dogmatum Ecclesiæ instituitur, adhibitis artium adminiculis, definitionibus, diuisionibus, collatione, ratiocinatione, &

aliis

aliis artium neruis, qui sunt velut metæ, quibus inclusa veritas conseruanda est.

Excellit autem inter libros tales Methodicos, quales & à veteribus nonnullis, & nostra ætate ab eruditis hominibus scripti sunt quamplurimi, Locorum Theologicorum Domini PHILIPPI opus, non modò quia rebus optimis refertum est, & summam doctrinæ, quæ sonat in Ecclesiis Germaniæ, amplectentibus Cõfessionem Augustæ Anno 1530 exhibitam (quam non dubium est, verè esse consensum Catholicæ Ecclesiæ Dei) fideliter recitat: sed etiam quia orationis genere maximè ad docendum accommodato, hoc est, proprio, puro, perspicuo, ac minimè affectato constat.

Ac notum est, Reuerendum D. Lutherum, præclaris elogiis ornasse hunc ipsum librum Locorum Theologicorum D. Philippi, & pios ac eruditos plerósque eas in Philippo virtutes admiratos fuisse semper, quas in docẽdo maximè necessarias esse omnes sani iudicare possunt: amorem veritatis, prudentiam in delectu rerum necessariarum, modum disputationum, studium concordiæ, candorem in iudicandis aliorum dictis, odium sophisticæs & calumniarum, artificium ordinis ac methodi, denique proprietatem orationis, qua in primis opus est in tradenda doctrina Ecclesiæ. Quamdiu etiam huius summi viri cùm cætera scripta ad erudiendam iuuentutem vtilissima, tum liber Locorum Theologicorum in pretio habitus est annis superioribus: & minùs monstrosarũ opinionum, & maior inter docentes consensus fuit in Ecclesiis per Germaniam.

Fortassis autem multis puerile videri potest, quòd ante hæc tempora, cùm tranquillior esset status Ecclesiarũ nostrarum, in plerísque Academiis Germaniæ, liber Lo-

corum D. Philippi publicis prælectionibus iuuentuti proponi, atque enarrari solebat. Sed si vera est laus, Epicharmi Epitaphio inscripta, ἔπεται σὺν χρήσιμα, μεγάλα αὐτῷ χάρις: cur non in Ecclesia multò magis fateamur, gratiam illis deberi, qui teneræ ætatis studia iuuãda putarunt, vtilissimi huius scripti crebra repetitione in scholasticis cœtibus? in quibus erant non solùm prouectioris ætatis iuuenes, paulò pòst ad ministerium Ecclesiæ accessuri, sed etiam magna multitudo adolescentum, qui hac velut κατηχήσει præparandi erant ad interpretationes sacrorum scriptorum, quę simul in iisdem scholis proponebantur, cum fructu maiori audiendas.

Sic igitur & vir clarissimus, de Ecclesia & scholis Christianis optimè meritus, D. VICTORINVS STRIGELIVS, primùm quidem in VVitebergensi, postea etiam in Ihenensi, ac tandem in Lipsensi Academia, more & consuetudine tum recepta, atque adeo etiam iussu illorum, qui studia publica in iis Academiis gubernabant, ad reliquas, quas proponebat, prælectiones, perpetuò adiungere solebat, Locorum Theologicorũ Domini Philippi enarrationem. In qua ad discipulorum captum sese accommodans, eam in docendo rationem tenebat, vt quoties nouum aliquem Locum doctrinæ ordiebatur, priùs ceu Ideam Loci integri certis capitibus distinctam cõplecteretur, vt auditores, velut in σύνοψει res præcipuas, quas singuli Loci continebant, ob oculos, atq; animum propositas haberent. Et hanc velut σύνοψιν, aut sua ipsius oratione ac stylo expositam, aut ex ceteris scriptis Domini Philippi collectam, dictando plerumq; proponere solebat.

Postea verò pagellas ipsas Locorum communium D. Philippi legendo percurrebat, atque in iis, cùm alia, quę sunt

sunt penè innumerabilia, tum hæc vel maximè monere adolescentes solebat.

Primùm; optimæ & pulcherrimæ methodi exemplũ in singulis Locis propositum, cum quadam admiratione & studio imitandi contemplari discentes iubebat.

Deinde definitiones ac diuisiones singulorum Locorum, sumtas ex scriptis Propheticis & Apostolicis, & magno iudicio à D. Philippo compositas, diligenter commendabat studiosis, eásque vt ad verbum ediscerent, hortabatur.

Tertiò: tabellas sanctissimorum testimoniorum Scripturæ sacræ passim aspersas locis Theologicis, in conspectu habẽdas esse monebat, vt de natura & voluntate Dei, & de vniuersa doctrina Ecclesiæ insigniores sententiæ, & dicta Scripturæ in promtu haberent discentes, quibus se ipsos erudirent & consolarentur, & ad precandum & cetera pietatis exercitia excitarent, atque impellerent. Et quia plerumque eruditæ ac piæ enarrationes multorum dictorum intertextæ sunt operi Locorum D. Philippi, has quoque interpretationes minimè negligi aut contemni volebat.

Quartò: omnium maximè inculcabat confessionem veræ sententiæ de tota doctrina Ecclesiæ, repetitam in pagellis Locorum, & coniunctam cum refutatione corruptelarum, quas, aut impij, aut indocti doctrinæ cœlesti affingunt.

Quintò: accuratè notari volebat catholica theoremata, seu regulas vniuersales, quæ aut iudicium gubernant de maximis rebus, aut vitam dirigunt ad normam iustorum & honestorum operum, cuiusmodi multas in Locis D. philippi reperire licet.

Sextò: considerari iubebat & historica de certamini-

bus controuersiarum, quæ omnibus temporibus in Ecclesia extiterunt, cùm passim volumen Locorum moneat, quomodo doctrina diuinitus tradita, inde vsque ab initio propagata, & à quibus testibus defensa sit aduersus patronos falsarum opinionum.

Septimò: cùm in opere locorum D. Philippi emineat antithesis doctrinarum, vt inter stellas Hesperus eminet, præcipuè in hanc diligentiam auditores incumbere volebat, vt quantum inter Philosophiam, doctrinam Legis, & arcanam Euangelij sapientiam interfit, accuratè perpenderent.

Postremò: non aspernandas esse judicabat Grammaticas declarationes vocum & phrasium, intertextas Locis Theologicis: Et quoniam non est cujuslibet artificis, propriè ac disertè articulos doctrinæ cœlestis explicare, sedulò iubebat cõsiderare atque imitari, qua lege verborũ D. Philippus in singulis materiis vteretur, ne inepta nouitatis affectatione à proprietate sermonis Ecclesiastici auditores discederent.

Hæc ergo, cùm inter prælegendum fideliter subinde moneret, & cùm aliis donis eximiis, tum in primis facundia extemporanea, & suauitate dicendi, ac dexteritate in docendo singulari præditus esset: fiebat plerumque, vt in magna frequentia auditorum doceret, & plurimi exemplo & voce ipsius ad D. Philippi scripta per omnem vitam libentiùs atque auidiùs legenda, atque adeo etiam ad summam doctrinæ cœlestis diligentiùs cognoscendam inuitarentur atque excusciarentur. Cuius rei testes locupletes esse possunt tot viri doctissimi, quorũ plerique & ante hæc tempora, & nunc quoque in Ecclesiis aut scholis docent, quos fateri necesse est, plurimum se D. Victorini opera adiutos fuisse, vt & Domini Philippi

Philippi ſcripta intelligerent rectiùs, & vniuerſam doctrinam Eccleſiæ feliciùs perciperent ipſi, & alijs viciſſim traderent.

Cùm autem non tantùm de œconomica parſimonia, ſed etiã de diligentia aſſeruandi in Eccleſia reliquias veræ doctrinæ, à Chriſto præceptum ſit: Colligite quæ ſuperfuerunt fragmẽta, vt ne quid pereat: non dubitaui obtemperare monitis ac precibus multorũ præſtantiũ virorum, qui, cùm Dialecticas & Ethicas ſcholas D. Vict. à me editas vidiſſent, magnoperè me hortati ſunt, vt eãdem operam iuuentuti nauarem in contexendis ſcholis Theologicis, eiuſdem D. Victorini mei quondam præceptoris. Itaque & paulò antè, primam partem Locorum Philippo Victorinianorum edidi, in qua continentur Loci de Deo, de creatione, de cauſa peccati, de contingentia, de libero arbitrio, & de peccato: & nunc alteram partem in publicum emitto, quæ maximè inſignes Locos doctrinæ Chriſtianæ, de Lege Dei, de Euangelio, de iuſtificatione, & bonis operibus vtiliter explicat.

Nec verò ignoro, in hac opinionum tum confuſione, tum perturbatione, & in tanta calumniandi libidine, quæ apud multos inualuit, qui nihil, niſi quod ipſi faciunt, rectum putant, fore, vt hæc ſcholarum Victorinianarum editio in varias reprehenſiones incurrat. Sed his omnibus oppono conſcientiam honeſtiſſimi conſilij, quo ſimplici ſtudio propagandæ doctrinæ Melanthonianæ, & iuuentutis ſtudia iuuandi cauſſa hæc in publicum profero, quorum lectio, vt ſpero, multipliciter prodeſſe diſcentibus poterit.

VESTRIS verò generoſitatibus, Inclyti, ac generoſi Comites, Domini benigniſsimi, dedicare hanc ſecundã partem Locorum Philippo Victorinianorum volui,

quia & amare, & præclarè intelligere doctrinam Eccleſiæ, & merita ac nomen Domini Philippi venerari, & diſcipulis huius tanti viri fauere vos ſcio. Atque eſt hic, vt opinor, annus decimus octauus, quo vterque veſtrum in Academiã VVitebergenſem venit, in qua annis aliquot ita vixiſtis, vt non modò ſigna tum apparerent præclaræ indolis, & animi in vtroque ad omnia ſumma nati, ſed etiam vt exempla multarum virtutum, pietatis, reuerentiæ erga præceptores, ſedulitatis & ſtudij indefeſſi in diſcendo, caſtitatis, modeſtiæ, grauitatis coniunctæ cum eximia humanitate & beneficentia, in adoleſcentia illa veſtra lucerent, quibus veſtri ordinis hominibus, & vniuerſæ multitudini ſcholaſticæ quaſi facem præferebatis, ad cuius intuitum cæteri quoque vitam, & ſtudiorum ſuorum curſum inſtituerent.

Te etiam, Generoſe Comes, IOHANNES GEORGI, circa annum 65. in ea, quam nominaui, VVitebergẽſi Academia, quæ tunc omnium in Germania florentiſſima erat, ampliſsimo Rectoris munere functũ eſſe memini, cùm præcedente anno (quo ego in VVitebergenſem Academiam, vt ibi priuatim ac publicè docerem, reuocatus ſum) Illuſtriſsimi principes, Duces Pomeraniæ, D. Erneſtus Ludouicus, & D. Barninus frater, eundem magiſtratum geſsiſſent. Quibus tu ſucceſſor datus, magnũ decus & ornamentum attuliſti Academiæ, vtpote in qua & ciuis, & ceu ſocius ſtudiorum communium vnà cùm fratre Generoſo D. Ottone verſari voluiſti, atque inſuper ſcholaſtici magiſtratus labores ac moleſtias cum dignitate Academiæ, & tua laude ſuſtinuiſti.

Vt autem apud omnes bonos & doctos memoria nominis, & virtutum vtriuſque veſtrum ex eo tempore celebrata fuit in Academia illa; ſic ego admiratione heroicæ

roicæ indolis veſtræ & virtutum accenſus, animo meo venerari vos nunquam deſtiti. Nec parum aucta fuit mea de virtutibus veſtris concepta opinio, cùm in Naſſouienſi Comitatu aliquandiu verſatus, ſemel atque iterum Dillenbergum, tui, Generoſe Comes, Iohannes Georgi, videndi & alloquendi oportunitatem nactus ſum: & de vtroque veſtrum ab omnibus bonis honorificentiſsima mentionem fieri cognoui.

Quamobrem & hanc compellationem publicam, tanquam ſignificationem meæ erga vos obſeruantiæ, inſtituere volui. Quam vt in optimam partem accipiatis, reuerenter vos oro. Deum autem æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti precor, vt Generoſitatibus veſtris tribuat felicem, tranquillam, & ſalutarem gubernationem, & beatam ac florentem poſteritatem. Bene & feliciter valete. Fabiranæ Saxonum,

Menſe Aprili, Anno Chriſti

M. D. Lxxxii.

ORATIO

Habita in Academia VVitebergensi, à Generoso Comite IOHANNE GEORGIO Comite in Solms, Domino in Minzenberg & Sonnenvvaldt, &c. cùm Rectoris munus gereret, & recitarentur publicæ leges Academiæ.

VT graui consilio institutam, & ætati teneræ necessariam esse existimem hanc repetitionem legum publicarum, cum aliqua commonefactione de disciplina, quam in Academia vsurpari video, moueor non tantùm autoritate Illustrissimorum Principum Electorum Academiæ οἰκιστῶν, quorum mandato id fit, etsi hæc apud me, vt par est, ac decet, maxima est, sed multò magis causis ipsis consilij huius & moris, quas res ostendit ad excitandum pietatis & virtutum amorem adferre plurimum momenti.

1. Duo enim agi spectarique præcipuè animaduerto: vt mentes teneræ discant
2. rectè intelligere fontes & vim legum: & adsuefiant ad reuerentiam erga totum ordinem politicum, & obedientiam.

Cùm fontes Legum in Decalogo monstrantur, deducitur mens ad νομοθέτην primum legum autorem, atq; ordinis politici Architectum Deum, & non tam magistratui, quàm ipsi Deo obligatur omne obediendi studium, quia id, quod Magistratus statuit, atque sancit, Deum velle, illa declarat congruentia cum Decalogo, in quo sapientiæ ac iustitiæ suæ Ideam ac normã Deus expressit, cui conformes vult esse homines, in quorum mentibus hanc lucem accẽdit, vt natura intelligant τὸ δικαίωμα θεοῦ, vt Paulus nominat, & voluntatem animauit, vt regere externa membra, seu vt vocant, motũ voluntarium possint.

Quare sicut in non conformes Legi diuinæ, lata est immota sententia: Maledictus omnis qui non fecerit hæc, quæ in Lege scripta sunt, καὶ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, id est, quicquid discrepat ab illa norma, peccatum est: ita de ciuilibus Magistratuum legibus pronuntiat Paulus: Necesse est obedire, non tantùm

propter

propter iram, sed & propter conscientiam, qua violans leges magistratuum sit rea coram Deo.

Summum in homine ornamentum est, τὸ πειθαρχεῖν τῷ μέγιστον ἀγαθὸν, εἰς τὸ κατατείνειν τὰ ἀγαθὰ, quia efficit homines conformes voluntati diuinæ, qui vltimus est finis, ad quem homo conditus est, & ornatur ingentibus præmijs diuinitùs.

Contrà nihil tetrius est contumacia aduersus leges, quia non delinquit negligentia aut incuria: sed ferociter repugnat voluntati diuinæ, cum quodam Cyclopico contẽtu Dei, & horribiliter punitur supplicijs huius vitæ, & æternis.

Nec cùm in poëmatis Gigantes accumulatis montibus struxisse aditus ad cælum, vt Iouis bellum inferrent, & à Ioue fulmine oppressi ac disiecti esse finguntur, significari aliud quicquam cogitemus, quàm hos manifestos furores, magistratui ac legibus contumaciter aduersantium, quorum pectora simul Diabolus occupat, insaniæ ferociam adaugens: deinde & atrocitatem pœnarum, quæ ὕβριν talem comitantur, Deo manente in statione, ac magnam partem delinquentium rapiente ad supplicia suis manibus, quos vincire legum repagula, & coërcere magistratuum vires non possunt. Vt cùm non puniebantur â iudicibus Pharao, Alexander, Antiochus, Antonius, Caligula, Nero, & innumerabiles alij, opprimebat eos Nemesis diuina, & opprimet similes alios omnibus ætatibus. Verissimè enim dictum est.

Non vrbs, non regio, non ætas vlla seueri
Iudicij exemplis, non domus vlla caret.

Ita cùm de ordine politico dicitur, quòd sit opus Dei, indicatur mentione autoris, qua veneratione hoc opus tractandum, qua fouendum sit, atque tuendum cura, scilicet tanquam res sacra, & munus vitæ nostræ iucundissimũ.

Vtinam verò hæ conciones eos parerent fructus in omnium animis, qui queruntur.

Sed magna ingeniorum dissimilitudo est. Alij infirmitate naturæ ruunt contra leges: alij studio aut consuetudine sibi furores accersunt, quas vbi inuasit Diabolus, furores illi crescunt. Neq; eodem modo commonefactiones accipiuntur à iunioribus, & à natu grandioribus, qui iam non solùm ætate, doctrina & vsu assuefacti sunt, vt propiùs considerent hanc Dei voluntatem & ordinis pulchritudinem, sed etiam calamitatibus ita sunt edocti, vt iudicium & iram Dei metuant. Cùm enim re ipsa experimur, euentus certò respondere comminationibus diuinis, firmior fit assensio. Ictus sapit, vt dici solet: ita nos pœnis commonefacti ac territi, submittimus animos, & intra modestiæ fines nos recipimus.

Plato rogatus, vt Cyrenaicis leges scriberet, respondit: Difficillimum esse Leges ferre secunda fortuna vtentibus: nihil enim indomitum magis esse & efferum, animo rebus prosperis, & ad voluntatem fluentibus inflato, contrà tractabilius nihil esse, & flexibilius calamitatibus aliquantulum subacto, & condocefacto.

Idem & teneræ ætati accidit, quæ cùm sit ignara miseriarum humanarum, atque improuida, nec magnitudinem rerum tantarum intelligat, & lasciuientium adhuc, atque exultantium cupiditatum iuuenilibus stimulis agitetur, non minùs odit & auersatur conciones de disciplina, quàm ipsa legum vincula, ceu caput quatiens, ac frenum mordens instar equorum indomitorum, cùm de officio admonetur, aut seueriùs cohercetur.

Sed hoc interest, quòd etsi nostra ætas velut luxurians genuino succo fertur naturæ impulsibus, & ferocior est, nondum obriguit tamen, sed à deterioribus ad meliora flecti ac traduci potest. Ideo in scholis doctrina excolitur, & regitur disciplina, vt cicurata & domita conuertatur ad agnitionem DEI, ad timorem DEI, ad obedientiam. De quo fine Legis Paulus grauissimè inquit, Lex est pædagogus, & additur laus amplissima, cùm inquit, esse pædagogũ, vt Christum agnoscamus, id est, lex docendo & castigando rudibus instillat initia sapientiæ cælestis, & paulatim prouehit discentes, & compescit errantes impetus, vt mentes admittant doctrinam de Filio, & incipiant fieri templa DEI.

Cùm igitur hæ publicæ commonefactiones instituantur præcipuè nostra caussa, quibus disciplina maximè opus est, audiamus reuerenter diuinam vocem in legibus sonantem, & his magna cura obtemperemus, summam laudem in obedientiæ studio ponentes.

Agnoscamus etiam paternas affectiones præceptorum, qui pia solicitudine consulunt, quibus possunt modis, ætati nostræ, & vt ἐυσοργοι patres sæpe tolerant nonnullorum errores, aliquorum etiam ferociam, spe emendationis. Nõ existimate tamen, eos, qui indulgent cupiditatibus, nec desinunt petulanter detrectare autoritatem legum & præceptorum, quos & Deus suo & parentum loco nobis constituit, Deo placere: Sed tales sine omni dubio cogitate à Deo deseri, & futurum esse, vt tandem tristissimis pœnis inuoluantur. Immota enim sunt hæc oracula: Nolite errare, Deus non irridetur: Idolatræ, scortatores, adulteri, homicidæ, maledici, auari, fures, raptores, &c. nõ possidebunt regnum Dei. Item, Propter hæc venit ira Dei super vos. His oraculis omnes commonefacti, disciplinam statuamus necessariam esse, & timore Dei ad modestiam animos componamus. Hoc qui facient, indies magis magisq; intelligẽt, quantum sit bonum, esse domicilium Dei, & regi, duci, protegi diuinitùs.

Hanc

Hanc, quam audiuistis commonefactionem, & leges ipsas, apud modestiores, qui disciplina reguntur, qui veram obedientiæ laudem appetunt, quæ fundamentum est, et virtutum omnium radix, seu quæ verius omnes in se virtutes continet, denig; qui & esse Deum sapientem, iustũ, & vindicem statuunt, & eius iram & pœnas metuunt: Apud hos ergo confido, illas hoc effecturas esse, vt cogitatione de his assidua sese excitẽt ad hæc diuina bona veneranda, & ad obedientiam Deo debitam, ac disciplinæ amorem. Hos adhortor, vt consuetudinem ceterorum, qui furenter disciplinæ repagula excutiunt, & frenos abiciunt, fugiant, eosq; velut pestes & ἀλάστορας vitent. Cogitate, vt rectè censuit apud Xenophontem Cyrus, pietatem eorum, quibuscũ versabimini, singulis vestrum conducere, iuxta dictum: Cum bonis bonus eris, cum peruersis peruerteris.

Quare vt ij, qui mare ingressuri sunt, nauigare malunt cum pijs, quàm qui aliquid scelerate fecerunt: ita in contubernio scholastico, velut in naui, honestis vos potiùs & modestis adiungatis, quàm turbulentis & inquietis, quos, vt mare, sic & societas humana, & hic ordo politicus, cùm tolerare amplius non potest, tandem euomit. Tales enim, certum est esse hostes Dei, & suis cupiditatibus quærere infinitam licentiam, & præbere causſam dissipationibus & vastationibus in optimè constituto cœtu, & tandem his turbis obrui, quibus simul implicantur alij minùs mali, sed horum consuetudine & societate contaminati.

Oro autem Deum æternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt seruet Ecclesias ac politias, & custodiat hoc agmen scholasticum, in quo doctrinam Filij sui Iesu Christi multi rectè discunt, quos magno vsui & ornamento Ecclesiis & politiis futuros esse spes est. Auertat occasiones dissipationum, & pericula contagionum, & lumen doctrinæ suæ nunquam sinat extingui.

D I X I.

Recitata VViteberg æ, 17. Calend. Maij,
Anno Christi 1565.

Series Locorum & capitum, quorum explicatio in hoc libro continetur.

LOCVS DE LEGE. 3.

I. Quid sit Lex, & de discrimine inter Legem humanam & diuinam. 3.
II. Diuisio Legis, & de fine politiæ Mosaicæ. 11.
III. Quare Lex moralis voce diuina sæpè repetita sit, cùm naturâ aliquo modo nota sit. 14.
IV. Admonitiones necessariæ ad intelligentiam Decalogi. 18.
V. Enarratio primæ tabulæ. 27.
VI. Enarratio secundæ tabulæ. 50.
VII. De promissionibus & comminationibus additis Legi. 65.
VIII. Collatio legum naturæ ad Decalogum. 74.
IX. De triplici vsu Legis. 77.
X. An Lex in Ecclesia docenda sit. 80.

DE PRAECEPTIS ET CONSILIIS. 138.
Catalogus consiliorum, quæ Monachi à præceptis distinguunt, & fons huius erroris. 159.

DE EVANGELIO. 218.
I. Definitiones Philosophiæ, Legis & Euangelij. 222.
II. Discrimen inter Philosophiam & Euangelium. 226.
III. Discrimen Legis & Euangelij. 234.
IV. Refutatio imaginationis Monasticæ de triplici Lege. 251.
V. Quòd Euangelium non fuerit ignotum Patribus & Prophetis. 256.
VI. Refutatio eorum, qui faciunt confusionem Ecclesiæ & Ethnicorum. 264.

DE IVSTIFICATIONE. 288.
I. Declaratio vocabulorum Iustitiæ, Fdei, & Gratiæ. 288.
II. Concio pœnitentiæ. 303.
III. Summa doctrinæ de modo iustificationis. 311.
IV. Confirmatio veræ sententiæ. 316.
V. De caussis iustificationis. 333.
VI. Discrimen iustificationis & regenerationis. 337.
VII. Cur retinendæ particulæ exclusiuæ, Sola fide, Gratis, Sine operibus. 340.
VIII. Refutatio errorum pugnantium cum vera sententia Pauli de iustificatione. 343.

DE BONIS OPERIBVS. 385.
I. Quæ opera sint facienda. 387.
II. Quomodo fieri possint in hac tãta infirmitate humanæ naturæ. 392.
III. Quomodo placeat Deo obedientia, cùm sit imperfecta. 396.
IV. Cur bona opera sint facienda. 400.
V. De discrimine peccatorum. 408.
VI. Solutio argumentorum Papisticorum contra iustitiam fidei. 410.

STVDIOSIS IN ACADEMIA LIPSICA. S. D.

PLACET *mihi veterum interpretatio, qui, cùm Paulus inquit, Legem per manum Mediatoris datam esse, intelligunt ipsum Filium Dei,* λόγον *æterni Patris fuisse oratorem ad populũ, dicentem verba Legis, qui ipse postea in natura humana inquit: Non veni soluere Legem, sed implere. Etsi enim in historia Stephani, & in epistola ad Hebræos scribitur: Legem per angelos promulgatam esse: tamen hæc nequaquam inter se pugnãt, sed rectè distributa suauissimè congruunt. Vt enim in postremo mundi die, Filius Dei veniet resuscitaturus omnes mortuos voce & ministerio angelorum: ita cùm Legem edidit in monte Sinai, audientibus sexcentis millibus virorum, voce & ministerio angelorum vsus est. Hæc suo loco copiosiùs sunt declaranda. Cùm igitur cõstet, ipsum Filium Dei, & ante assumtionem naturæ humanæ, promulgasse Decalogum, & in natura humana eundem repetiuisse docendo, seu sanciendo, seu declarando, vt testatur concio apud Matthæum, cap. 5. & 7. non est nostrum dubitare, quin vox Legis moralis, vbicunque sonat, sedulò & diligenter audienda sit. Nam Lex in creatione fuit insita rationalibus creaturis, & postea semper in Ecclesia diuinitus repetita est, & quidem in sola Dei Ecclesia semper Lex sine corruptelis retenta est. Quanquam enim promissio de Mediatore præcipuè discernit Ecclesiam ab aliis sectis, quæ ignorant aut contemnunt Euangelium: tamen fundamentum, cuius cognitio necessaria est, complectitur Decalogum & articulos fidei. Ac certum est, in vniuersa Scriptura, duo genera doctrinæ summa contineri, Legem, & promissionem gratiæ, quæ propriè vocatur Euangelium. Non igitur est populus, Deo pla-*

cens in illis congregationibus, in quibus contraria Legi diuinæ & Euangelio docentur. Ament etiam ſtudioſi Decalogum, cùm propter commonefactiones de maximis rebus, tum propter methodum, de qua ſuo tempore, Deo iuuante, dicetur. Ordiar autem repetitionem vtiliſſimam Loci de Lege Dei. 17. Auguſti, & hortor ſtudioſos, vt explicationem Legis valde neceſſariam attentis auribus audiant. Bene valete, & orate Deum, vt ſemper in arca fœderis, id eſt, in Eccleſia ſua ſeruet duas tabulas Decalogi, & Manna, hoc eſt, natiuam ſententiam Legis & Euangelij, nec ſinat nos ab vlla parte fundamenti aberrare. Die 15. Auguſti. Anno Domini 1564.

Victorinus Strigelius.

DE LEGE DEI.

HIC Locus, vt omnes norunt, eſt altera pars totius doctrinæ Chriſtianæ. Nam vniuerſa Scriptura Prophetica & Apoſtolica diuiditur in hæc membra præcipua, in Legem & Euangelium. Diſtribuam autem docendi cauſa hunc Locum in capita decem: quorum Primum docebit quid ſit Lex.

Alterum, quæ ſit Legis diuiſio.

Tertium diſſeret de cauſis promulgatæ Legis in monte Sinai.

Quartum proponet admonitiones neceſſarias ad intelligẽdum Decalogum.

Quintum erit enarratio breuis & ſuccincta primæ tabulæ.

Sextum enarrabit alteram tabulam.

Septimum continebit doctrinam de promiſsionibus & comminationibus diuinis.

Octauum recitabit doctrinam de Lege naturæ.

Nonum erit commonefactio de triplici vſu Legis.

Decimum explicabit hanc quæſtionem contra Antinomos: An Lex in Eccleſia Dei docenda ſit.

Vt autem iuuentus maiore attentione doctrinam de Lege audiat, & domi ſecum repetat ac meditetur, pauca tantùm præfabor de cauſis, cur hæc ſapientia Legis magnifacienda ſit.

QVOTies de Lege diuina cogitationem ſuſcipitis, non tantùm reſpiciatis ad duas tabulas Moyſis, quæ fuerunt lapideæ, & ſemel fractæ ſunt propter populi contumaciam, ſed referatis omnium primùm mentes & oculos ad fontem Legis, hoc eſt, ad ipſum Deum. Nam in Deo, non ſolùm eſt ſapientia Legis, diſcernens recta & non recta, iuſta & iniuſta, honeſta & turpia, ſed etiam voluntas volens & approbans recta, & quadam lætitia acquieſcens in rectis, & contraria horribiliter repellens ac deſtruens. Huius ſententiæ, quæ quidẽ grauiſsima & ſanctiſsima eſt, auctorem habetis Dauidem in Pſalmo 5. Non volens Deus iniquitatem tu es &c. Sit igitur hoc iam vobis à principio perſuaſum, Deum ipſum eſſe fontem Legis. Vt autem fons ſpargit riuulos, quibus hortuli ſuauiter irrigantur: ita Deus in creatione hominum transfudit notitiam ſuæ Legis in mentes humanas. Ac ſi homo nõ eſſet lapſus notitia legis multò eſſet illuſtrior

& minùs obſcura. Nunc verò quia poſt lapſum notitia eſt facta obſcurior, & aſſenſio de Lege languidior, ideo Filius Dei per miniſterium angelorum in monte Sinai ante aſſumtionem humanæ naturæ promulgauit Decalogũ, inter horrenda tonitrua & fulgura, & fragores montium. Huius aſſeuerationis teſtis eſt Paulus, Gal. 3, Lex data eſt per manum Mediatoris. Etſi autem aliqui interpretes hoc dictum intelligunt de Moſe, qui eſt Mediator typicus, tamẽ magis eſt probanda veterũ interpretatio, qui hoc loco Paulum intelligunt loqui de vero mediatore inter Deum & hominem. Idem Filius aſſumta natura humana apud Matthæum cap. 5. ſic exclamat, Non veni ſoluere Legem, ſed implere: quaſi dicat, Nemo exiſtimet, me eſſe Antinomum, id eſt, hoſtem & inimicum Legis, ſed ita vnuſquiſque habeat ſtatutum, me præcipuè veniſſe in mundum ob hanc cauſſam, vt per meam obedientiam Legi ſatisfiat, & placata ira Dei, genus humanum in gratiam recipiatur, non quidẽ propter Legem, ſed propter meum meritum & meam obedientiam.

Poſtremò illud meminerint ſtudioſi pietatis, Spiritum ſanctum, qui eſt Spiritus gratiæ & precum, ſecundum Zachariam, effundi in noſtra corda, vt reſtituat in nobis, in hac quidem vita inchoatam, in altera conſummatam conformitatem cum Lege Dei. De hac ſententia concionatnr Hieremias cap. 31. Dabo Legem meam in corda eorum, & in mentibus eorum ſcribam eam. Quid enim aliud erit vita æterna (vt de conſummatione loquar, quæ eſt illuſtrior incoatione) quàm ſtatus optimus & pulcerrimus, conformis Legi Dei, hoc eſt, talis, in quo noſtra corda ardebunt dilectione Dei & proximi, ſine vllo peccato & concupiſcentia? Si igitur magnificamus Deũ fontem huius ſapientiæ, & miramur & ſuſcipimus Filium Dei, qui & protulit Legem in monte Sinai, & poſtea venit, vt impleret Legem pro nobis, ſi denique magnificamus beneficium Spiritus ſancti & habemus ſpem vitæ æternæ, quæ erit conformitas cum lege Dei: amemus & amplectamur toto pectore, & tantùm non exoſculemur doctrinam Legis diuinæ, vbicunque proponitur & repetitur, ſiue in templis, ſiue in ſcholis.

Quid

Quid ſit Lex, & de diſcrimine inter Legem diuinam & humanam,

CAP. I.

IN cap. 6. Deuteronomij diſertè præcipitur de aſsidua meditatione & repetitione Legis diuinæ: Acues eam filiis tuis, id eſt, non trades eam tectam ſqualore, vel non negligenter trades, ſed limatam & illuſtratam propones, repetes & inculcabis. Huius præcepti cùm cauſſam quærerem, has cauſſas inueniebam quatuor: vnam, quia Lex eſt norma regens diſciplinam: altera eſt, vt hæc doctrina ſit ſpeculum peccati: tertia, vt quæramus Mediatorem, qui pro nobis implet Legem: quarta, vt petamus in nobis reſtitui conformitatem cum Lege. Earum, ſi placet, cauſarum, quantum quęque valeat, quantúmque iuſta ſit vnaquæque, videamus.

Omnium rerum humanarum optima & pulcerrima eſt diſciplina, id eſt, ordo vitæ externæ, in omni ſermone, geſtu & actione, nec quidquam melius aut pulcrius habet humana natura ante regenerationem. Sed huius ordinis normam eſſe oportet Legẽ, quę nec hominum ingeniis excogitata, nec ſcitum aliquod eſt populorũ, ſed æternum quiddam, quod iubet ea quæ facienda ſunt, prohibétque contraria. Talis autem iuſtorum iniuſtorumq; diſtinctio nulla eſt, niſi lex, ad illam antiquiſimã & rerum omniũ principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum dirigun rur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, defendũt ac tuẽtur bonos.

Non Laconicã, quæ permittit adulteria, furta, expoſitionis infantium &c.

Non comparamus diſciplinã motibus Spiritus ſancti. Scimus aliam rem eſſe diſciplinam, aliam, fidem & ceteros motus accenſos per Spiritum ſanctum. Ideo additur hoc loco, Ante regenerationem.

Cicero 2. de Legibus.

Disciplina est necessaria propter multas causas, sicut sæpe dicitur. Huius oportet esse normam certam, & æternam & immotam. Talis nulla est, nisi sola Lex Dei. Nam reliquæ leges humanæ nihil valent, nisi congruant cum hac norma Legis diuinæ.

Altera verò causa, cur Lex diuina semper in conspectu esse debeat, longè maior est, quia vult Deus non modò præstari disciplinam, sed etiam agnosci peccatum hærens in natura.

Hoc dicitur ad discrimen peccati actualis, quod ratio cernere potest, vt cædem, furtum &c. Hęrens peccatum in natura, id est, originale, ratio non videt. Ideo Psalmus 51. agnitionem huius peccati vocat absconditam sapientiam.

Hoc ingens malum non monstrant sententiæ libris Iurisconsultorum inscriptæ, nec Principum decreta in æs incisa: sed Lex, ipsius Dei voce certissimis testimoniis in monte Sinai inter fragores horrendos & fulmina promulgata.

Exodi ca. 19. extat historia de promulgatione Decalogi, quæ historia est vna de præcipuis, in omnibus libris Prophetarum. Moyses tempore Paschatis eduxit multitudinem sexies centenorum millium virorum ex Aegypto, non annumeratis mulieribus, senibus, pueris, seruis & ancillis. Hæc tanta multitudo & audiuit vocem Dei edentis Decalogum, & fuit spectatrix flammarum in monte Sinai: ac species promulgationis tam fuit horrenda & terribilis, vt populus diceret ad Moysen, Non loquatur nobis Dominus, cuius vocem ferre non possumus: sed tu nobiscum loquere, id est, Tu sis orator perferens mandata Dei ad nos.

De hac concione feriente hominum corda, intelligantur dicta Pauli, Lex est agnitio peccati, Rom. 3. Lex iram efficit, Ro. 4. Per legem peccatum fit excellenter peccatum. Rom. 7. Aculeus mortis peccatum, peccati potentia Lex, 1. Cor. 15.

Hieremiæ 23. Lex mea est malleus conterens petras.

Lex est agnitio peccati, id est, speculum, quo cernimus peccatum. Lex iram efficit, id est, non tantùm ostendit iram, sed efficit vt sentiatur ira Dei, sicut inquit Ezechias: Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Per Legẽ peccatum fit excellenter peccatum, id est, vt

vt Dialecticè loquamur, fit formaliter peccatum, seu fit supra modum reum, seu omnium mtximè conspicitur reatus per Legem. Aculeus mortis peccatum, id est, caussa mortis est peccatum, quia potenti morti omnes obtemperant propter peccatum, teste Paulo Rom. 8. Corpora nostra mortificantur propter peccatum &c. Sed quæ est potentia peccati? Lex est coticula, qua acuitur vis peccati.

Postquam autem didicimus intuentes in hoc speculum, naturam nostrã esse massam depraua-tam & horribiliter immundam, & collatam ad Legem, non dissimilem esse stercori collato ad Solem: ipsa necessitas nos cogit quærere Filium Dei, qui impleuit Legem moralem, non solùm integra obedientia, sed etiam deriuando in sese pœnã, quam nos Legi debuimus, sicut ipse inquit Matth. 5. Non veni soluere Legem, sed implere. Et Paulus Gal. 3. Christus nos redemit à maledictione Legis, factus pro nobis maledictum. Philipp. 3.

Quare non dicit liberauit, sed redemit? Vt significet non recipi genus humanum in gratiã quadam futilitate & leuitate. Non enim Deus negligit peccatum, nec deponit suam irã, sicut pueri, sed recipit homines propter hanc compensationem & λύτρον, quod soluit Filius Dei pro nobis, vt Matth. 20. inquit. Venit Filius Dei ponens animã suam λύτρον, pro multis. Deinde dicit, redemit nos à maledictione Legis, vt intelligas, semper manere obligationem ad obedientiam. Maledictio est sublata, sed nequaquam obligatio ad obedientiã. Imò ideo passus est Christus, & ideo dat Spiritum sanctum, vt restituatur in nobis ius Legis, teste Paulo, Rom. 8. Tertiò addit Apostolus: Factus pro nobis maledictum, id est, piaculum, κάθαρμα. Est autem piaculum talis res, cui Deus irascitur, & quam necesse est tolli è medio, ne effundatur ira Dei in totas gentes. Nihil igitur tristius dici potest, quàm si res aliqua nomineturpiaculum.

Postremò assiduè petendũ est, vt Filius Dei in nobis restituat cõformitatem cum Decalogo. Adeo enim vult Deus ratam esse Legem, vt ideo Filium miserit, vt & pœnam pro nobis lueret, & restituat in nobis obedientiã, quæ quidẽ in hac vita per Spi-

Psal. 69. Quæ non rapui, tum exoluebam. Nos contraximus debitum & æs alienum, sed Filius Dei persoluit.

ritum ſanctum inchoatur, ſed in Eccleſia cæleſti erit integra, cùm Deus erit omnia in omnibus beatis.

2. Cor. 5. Superinduemur, ſi non nudi reperiemur. Id eſt, oportet fieri in hac vita inchoationem.

Spero ex his, quæ breuiter dixi, nemini obſcurum eſſe, cur Lex Dei ſemper in Eccleſia ſonare debeat. Eſt enim norma diſciplinæ: & ſpeculum peccati: & παιδαγωγία ad Chriſtum, Gal. 3. Denique occaſio petendi, vt in nobis reſtituatur imago Dei.

Cogitate has quatuor cauſſas, & ordine ite per tres articulos Symboli de creatione, redemtione, & ſanctificatione, vt cogitetis attentiùs, quid ſit Lex, quem vſum habeat, quare neceſſe ſit eã in Eccleſia repeti & inculcari. Sequitur autem in hoc capite de definitione nominis & rei, vt Dialecticis verbis vtar. Eſt enim nobis dicendum, & quid vocabulum Legis ſignificet, & quid ſit ipſa Lex diuina, ac quomodo differat à legibus humanis.

Ne autem aliquid erroris in vocabulo Legis relinquatur, pauca de vſu huius nominis dicã. Sæpe hæc appellatio generaliter pro doctrina ſeu pro verbo Dei vſurpatur, vt in toto Pſalmo, cuius initium eſt, Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini &c.

Habetis exemplum huius ſignificationis in primo Pſalmo, In Lege Domini voluptas eius, & in Lege eius meditabitur dies ac noctes. Ibi Lex ſignificat omne verbum Dei, ſiue ſit Euangelium, ſiue Lex propriè dicta. Idem eſt vſus huius vocabuli in Pſal. 119. vbi plus centies repetitur vox Legis.

Deinde quia Lex aut gubernat obedientiam, aut iudicat contumaciam, aliquãdo ſignificat gubernationẽ: vt cùm Paulus inquit Rom. 8. Lex Spiritus liberauit me à Lege peccati, id eſt, gubernatio ſpiritualis liberauit me à peccato regnãte. Sed propriiſsimè ſignificat doctrinæ diuinitus traditæ eam partem,

Triplex eſt vſus vocabuli Legis in ſacris literis: primò generaliter vſurpatur pro omni verbo Dei: ſecundò, Lex ſignificat non totam relationem, ſed per ſynecdochen altetam partem, videlicet terminum. Sæpe enim

tem, quę præcipit recta & prohibet contraria, propositis pœnarum comminationibus & præmiorum promissionibus.

in omnibus linguis vocabula relatiua vsurpantur pro absolutis, hoc est, vel pro fundamento, vel pro termino. Hæc scitis tradita esse in regula septima, in prædicamento Relationis: Quæ quidem regula nihil aliud est, quàm Grammatica συνεκδοχὴ, qua vsurpatur vocabulum totius pro parte altera. Cùm igitur Lex, quod ad totam relationem attinet, aut gubernet obedientiam, aut iudicet contumaciam, sæpe vocabulum Legis in sacris literis vsurpatur vel pro gubernatione, vel pro iudicio, vt Ro. 8. Lex Spiritus liberauit me à Lege peccati, i. gubernatio Spiritus S. liberauit me à domino, seu à regno peccati. Eadẽ phrasi vtitur Paulus Gal. 2. Per Legẽ Legi mortuus sum, id est, per gubernationẽ Spiritus, mortuus sum Legi, scilicet iudicanti, seu cõdemnanti, hoc est, liberatus sum à maledictione Legis. Similia exempla multa sunt apud Paulum, præsertim de iudicio, Rom. 6. Non estis sub Lege, scilicet iudicante, accusante, maledicente, condemnãte, id est, vt Paulus alibi inquit, Christus factus est pro nobis maledictum, vt nos liberaret à maledictione Legis. Non dicit hoc Paulus nos liberatos esse ab obedientia, quam Lex postulat: manet enim in omnem æternitatem illa obedientia, qua sumus deuincti & adstricti ad præstandam Deo obedientiam, iuxta principium, Omnis creatura rationalis debet obedientiam suo creatori. Sic 1. Timoth. 1. Iusto non est posita Lex, scilicet accusans, iudicans, damnans. Tertia significatio est omnium maximè propria, qua vtimur hoc loco. Propriè enim Lex, quando discernitur ab Euangelio, significat eam partem doctrinæ Christianæ, quæ postulat obedientiam Deo placentem, & prohibet ac damnat contumaciam. Ac ad obedientiam quidem inuitat nos promissionibus: deterret autem nos à contumacia propositis fulminibus pœnarum & comminationum.

Est igitur Lex Dei moralis, doctrina & mentibus hominum in creatione insita, & postea voce diuina sæpe repetita, docens, quales nos esse oporteat, & quæ facienda sint, & quæ non faciẽda sint, præcipiens integrã obedientiam, pro qua & præmia promittit, & denuncians iram

Obseruate in hac definitione particulam [*voce diuina sæpe repetita*] & colligite in animo quasdam repetitiones Legis diuinæ, factas ante promulgationem publicam Decalogi in monte Sinai.

Dei & pœnas violantibus hanc normã, cuius ſumma recitata eſt in Decalogo.

Poſt lapſum primorum parentũ repetitur Lex in concione ad Cain, Geneſ. 4. Nónne ſi fueris bonus, eris acceptus: ſin autem malus, peccatũ tuum quieſcet donec reuelabitur? Si fueris bonus, id eſt, ſi Legi iuxta Euangelij declarationem obtemperabis, eris acceptus, placebis Deo: ſin fueris malus, id eſt, ſi atrociter violaueris contra conſcientiam hoc vel illud præceptum, tum peccatum tuum quieſcet ad tempus, id eſt, exiguo tempore, donec reueletur, videlicet in pauoribus conſcientiæ, & in pœnis præſentibus & æternis. Sic repetitio præcepti, Non occides, facta eſt poſt diluuium. Gene. 9. Sic enim Deus inquit ad Noe: Qui fuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius per hominem, id eſt, per Magiſtratum, quia homo ad imaginem Dei factus eſt. Hæc eſt expreſſa prohibitio homicidij, & neruus politici ordinis, & planè congruit hæc prohibitio çum quinto præcepto. Tandem verò educto iam populo ex Aegypto, die 50. Deus in monte Sinai, ſua voce totam Legem edidit atq; promulgauit.

Ex hac deſcriptione perſpicuũ eſt, quid interſit inter leges humanas & Legem diuinam, quam vſitatè moralẽ vocamus. Nam leges humanæ tantùm regunt locomotiuam. At Lex Dei gubernat cor: quia poſtulat ardentem dilectionẽ Dei, & purum amorẽ proximi. Deinde leges humanæ tantùm puniunt externa delicta, vt dici ſolet, cogitationis pœnam nemo patitur, ſcilicet ſine externo conatu, & in iudicio humano. Lex verò Dei eſt iudicium ſpirituale, accuſans & condemnans cordis immundiciem. Differunt igitur leges humanæ à diuina, partim gubernatione, partim iudicio.

Externa membra.

Sine concupiſcentia, ſine πλεονεξίᾳ.

Paulus dicit Rom. 7. Lex eſt ſpiritualis, ego verò ſum carnalis: id eſt, Lex eſt gubernatio ſpiritualis & iudicium ſpirituale: Hęc breuitas ſic declarari poteſt, vt fiat illuſtrior: Leges humanæ tantùm gubernant externa membra, eaq; retinent in officio, ne ruant contra bonos mores, & ne perturbent publicam tranquillitatem. Lex verò Dei gubernat cor & ſpiritum, iuxta illud, Diligas Deum ex toto corde &c. Deinde leges humanæ

humanæ tantùm iudicant, accuſant & puniunt externa delicta incurrentia in oculos, & perturbantia ciuilem ſocietatẽ, vt ſunt adulteria, homicidia. Lex verò Dei eſt iudicium ſpirituale, quo Spiritus ſanctus arguit mundum de peccatis interioribus, & hærentibus in noſtra natura, quæ ſunt in intimis medullis oſsium, vt Scriptura loquitur, & in intimo thalamo pectoris.

Diuiſio Legis, & de fine politiæ Moſaicæ.

CAPVT II.

OMNIS Lex aut eſt humana, aut diuina. Humana, vt ait Demoſthenes in 1. oratione contra Ariſtogitonem, eſt decretum prudentum virorum, emendatio delictorum, quæ vel conſultò, vel inconſultò admittuntur, ciuitatis commune fœdus, iuxta quod viuere omnes ciues decet.

Diuina aut eſt naturalis, aut Moſaica. Lex naturæ eſt notitia principiorum practicorum, & concluſionum ex his extructarum de regendis moribus, congruens cum æterna & immota norma mentis diuinæ, inſita nobis diuinitus, vt ſit teſtimonium de Deo, & regat nos, vt congruat obedientia noſtra cum voluntate Dei.

Moſaica aut eſt moralis, aut ceremonialis, aut forenſis. Moralis duabus tabulis continetur, & à numero præceptorum Decalogi nomen accepit. Eſt autem repetitio & explicatio legis naturæ, quæ mentibus hominũ in creatione inſita, & quaſi inſculpta erat.

Leges ceremoniales Moyſis ſunt præcepta à Deo tradita de ritibus Sacramentorum & ſacrificiorum, & priuatorum quorundam exercitiorum in cibo & veſtitu, qui ritus inſtituti ſunt, vt eſſent vincula conſociantia hunc ipſum populum in politia Moſaica, & diſtinguentia eum ab omnibus aliis gentibus, & eſſent nerui publicæ congregationis ad conſeruandum miniſterium docendi integram & incorruptã doctrinam à Deo traditam, videlicet Legem & promiſsionẽ de Meſsia.

Quærat fortaſſe iuniorum aliquis, An etiam veteres in politia Moſaica habuerint Sacramẽta? Omnino habuerunt Sacra-

menta. vt enim nos habemus duo Sacramenta, Baptiſmum, quo infantes & adulti inſeruntur Eccleſiæ Dei, & fiunt membra Chriſti, & Cœnam Domini: Ita populus Iſraeliticus habuit tum alias, tum in primis duas ceremonias, quæ rectè appellantur Sacramenta: vna Circumciſio, non inſtituta per Moyſen, ſed primùm à Deo tradita Abrahæ. Altera fuit manducatio Paſchatis, quæ deſcribitur Exod. 12. ſicut Circumciſionis inſtitutio deſcribitur capite 17. Geneſis, Vt autem ſucceſsit Circumciſioni noſter Baptiſmus: ita manducationi Paſchatis ſucceſsit Cœna Domini. Cur autem mutatæ ſint hæ ceremoniæ diuinitus inſtitutæ, & quare Chriſtus non voluerit gentes circumcidi, dicemus in titulo de Sacramentis. Etſi enim ſemper vna eſt Eccleſia, & idē genus doctrinæ, & eadem vis & efficacia Sacramentorum: tamen ipſi ritus & ipſa externa ceremoniarū ſpectacula mutata ſunt propter certas cauſſas. Quod ad ſacrificia Moſaica & typica attinet, ſciamus fuiſſe illa inſtituta à Deo propter tres cauſſas. Primò, vt eſſent commonefactiones de doctrina. Quoties enim pij videbant mactari agnum aut aliam pecudem, cogitabant de venturo agno tollente peccata mundi. Erant igitur ipſis ſacrificia, ſymbola commonefacientia de ventura victima. Secundò, vt eſſent nerui publicæ congregationis. Eſt enim omnium Sacramentorum & ſacrificiorum vnus finis publicus, ſcilicet congregatio Eccleſiæ: non enim poſſunt homines doceri, niſi in honeſta cōgregatione. Neque Deus vult celebrari in genere humano Eleuſinia, id eſt, arcana ſacra, ſed vult publicè audiri vocem Legis & Euangelij, & tractari ceremonias, quas ipſe inſtituit. Tertiò, voluit Deus, ſacrificia eſſe alimenta Sacerdotum. Nam de certis hoſtijs ſeu victimis dabantur Sacerdotibus certæ partes, vt verbi cauſſa, pectus, armi, quæ ſunt admodum carnoſæ, & ad veſcendum accommodatæ, reliquæ partes cremabantur Deo. Item offerebantur Sacerdotibus panes propoſitionum, quibus alebantur familiæ Sacerdotum.

Leges forēſes ſeu iudiciales in libris Moſis ſunt præcepta à Deo tradita de externis actionibus regentibus hanc ciuilem ſocietatem in diuiſione hæreditatū, in contractibus, iudicijs & pœnis.

Nulla fuit pulcrior politia, nec eſt aut erit, quàm Moſaica fuit. Si quis enim conſiderat leges forēſes, vt de cæteris ſpeciebus nihil dicam, profectò animaduertet fuiſſe in hoc populo magnam diſciplinæ ſeueritatem & mores optimos,

optimos. Apud nos quidē puniuntur cædes & furta, sed quando libidines vagæ & adulteria puniuntur? Interdum vnus miser hæret in pœna, potētiores perrumpunt vincula legum & pœnarum, sicut crabrones perrumpunt telas aranearum. Sed in populo Iudaico omnis adulter capitali supplicio afficiebatur, ita seuerè puniebantur contumaces filij aduersus parentes. Sed non volo colligere exempla optimæ & pulcerrimæ disciplinæ Mosis. Reliquæ Respublicæ, Romana, Attica & Laconica nihil sunt collatæ ad hanc formam diuinitus institutam. Nec volo hæc accipi in hanc sententiam, quasi simus alligati ad leges Mosaicas. Quæ enim non sunt naturalia in legibus Moysis, ab his sumus liberati beneficio Christi Mediatoris. Cùm autem sit facta aliquoties mentio politiæ Mosaicæ, in fine huius capitis breuiter dicendum est, propter quas causas hæc politia sit cōstituta: quarum sunt quatuor: prima est, Quia Deus voluit, hāc politiam esse officinam, vt ita dicam, suarum patefactionum, sue doctrinæ & miraculorum: de hac causa loquitur psalmus, Notus in Iudæa Deus, & magnum nomen eius in Israel: & Esaias cap. 31. dulcissimè inquit, haud dubiè alludens ad psalmi dictum, quod recitauimus: Dixit Deus, cuius ignis est in Sion, & focus in Hierusalem, quasi dicat, Hæc politia est ἐργαστήριον, id est, officina, in qua Deus edidit maxima opera. Secunda causa est, quia Deus voluit esse certam scholam in genere humano, ex qua, doctrina de vera agnitione & inuocatione Dei in totum orbem propagaretur. Fuit enim Iudæa sita ferè in medio mundi habitabilis: quare locus fuit oportunus ad propagationem doctrinæ. Tertia causa, quia Deus voluit in hac politia, velut in bibliotheca asseruari scripta Prophetica. Quarta causa, voluit etiam Deus hanc politiam esse hospitium Ecclesiæ & Christi nascentis, docentis, crucifixi & resuscitati. Has causas complectemur breuiter.

Fuit autem constituta politia Mosaica, vt certus populus & certus locus esset, qui esset velut certa scholæ sedes, vbi illustribus testimonijs & miraculis ederentur promissiones, & subinde repeterentur & confirmarentur, & vbi, veluti in schola excitaret Deus doctores sonantes doctrinam de Deo traditam, & vbi libri eius doctrinæ per certos testes custodirentur, & ad posteros transmitterentur, denique vt certum esset, quo in loco, inter quos homines, & penè in quo vestigio Deus Messiam nasci, conspici, docere & pati vellet. Propter has tantas causas politiam Israel Deus 1. 2. 3. 4.

constituit, & assiduis miraculis ornauit, vt certum esset, in eo populo veram doctrinam diuinitus traditam, veri Dei agnitionem & inuocationem, & veram Ecclesiam esse.

Quare Lex moralis voce diuina sæpe repetita sit, cùm natura aliquo modo nota sit.

CAP. III.

POstquam vsitata partitio Legis recitata est, quærant studiosi causas, cur Lex moralis [*Decalogus*] cùm natura nota sit, tamen voce diuina, cùm aliâs sæpe repetita, tum in monte Sinai magnis miraculis promulgata sit.

Aristoteles sæpe repetit hoc suum dictum in lib. de generat. & corrupt. Item de anima, Præsentibus habitibus, id est, formis, in materia cessat ἐνδελέχεια, id est, agitatio ad illos habitus seu formas. Si quis satur est, non expetit cibum aut potum. Ita in natura rerum materia contenta est præsentibus formis, nec appetit alias, vt iam nõ dicamus de priuatione Aristotelica. Si hic paries est albus, non indiget dealbatione: ita Christus inquit Iohan. 13. Qui lotus est, non indiget vt lauetur. Hinc posset aliquis ita argumentari: Si Lex naturaliter est nota, cur Deus doctrinam Legis toties inculcat & repetit in sua Ecclesia?

Ac prima quidem causa huius promulgationis est: Quia post lapsum nõ modò obscurior est naturalis notitia Legis, sed etiam manifesti furores pugnantes cum hac notitia in maxima parte generis humani recepti sunt, vt à primo præcepto horribili audacia plurimæ gentes discesserunt, confícta Deorum

Profectò prima causa est magna & grauis. Non tantùm notitia mentis est obscurior, sed etiam foris in externa societate fuerunt recepti, approbati & stabiliti furores pugnates cum Decalogo. Varro, qui Ethnica nu-

porten-

portentosa multitudine & inuocatione mortuorum: à quinto, mactatione humanarum hostiarum: à sexto, tetra & horrenda confusione libidinum. Tales furores perpetuò grassarentur in toto genere humano, nisi Deus sua voce edidisset Decalogum prohibẽtem hæc portenta cultuum, & monstrantem, quæ officia Deo placeant. mina præcipua conquisiuit diligentia, supra triginta millia commentitiorum numinum reperisse se annotauit. De Varrone scribit Augustinus de ciuitate Dei, quòd constituerit triplicem Theologiam, primã poeticam, alteram, philosophicam, tertiã, politicam: & Augustinus præclarè de his tribus speciebus philosophatur in libris, quos sæpè citauimus. Tertullianus aduersus Gnosticos: Scytharum Dianam, Gallorum Mercurium, Afrorũ Saturnium hominum victima placari apud seculũ [*olim*] licuit, & Latio in hodiernum Ioui (annis ferè ducentis post Christum natum) media in vrbe [*Roma*] humanus sanguis inguſtatur [*offertur, sacrificatur.*] Apud Euripidem in Iphigenia Taurica (scripsit enim duas Tragœdias hoc titulo: Iphigeniam in Aulide, & Tauricam) describitur mactatio humanarum hostiarum, facta in honorem Dianæ, quam Scythæ coluerunt. Deinde de Gallorum sæuitia in mactandis humanis hostiis in honorem Mercurij, scribit Cæsar lib. 6. Comment. de bello Gallico, vbi etiam narrat quales fuerint sacerdotes, qui vocantur Druidæ. De Carthaginẽsibus, qui Saturno suos liberos mactarũt, scribit Plutarchus in Apophthegmatis: Cùm rex Siciliæ Gelon vicisset Carthaginẽses magno prælio, non voluit cum eis pacem facere, nisi hac conditione, vt desisterent à mactatione liberorum. Hostis fuit magis propitius liberis, quàm parentes. De Ioue Latio habetis testẽ ipsum Tertullianum, qui fuit spectator istius turpitudinis Romæ. Bacchanaliorum descriptio extat apud Liuiũ, lib. 9. Decad. 4. qui volet legat illam: inde cognoscet lector, quanta fuerit turpitudo in Orgiis, id est, in sacris Bacchi.

Secunda causa est, quia cùm assensio de Lege sit languidior, voluit Deus hoc testimonio nos confirmari contra fluctus dubitationũ, vt statueremus, has notitias naturales ab ipso nobis insitas esse, & iudiciũ conscientiæ, & pauores, qui ex illis notiIn prima causa dictum est de notitia obscuriore, in secũda dicitur de languidiore assensione.

tiis oriũtur, esse Dei iudicium, & pœnas interiores & exteriores, quæ sequuntur delicta, non accidere casu, sed ordine diuino.

Quærat aliquis ex iunioribus, quomodo differunt notitia & assensio? Respondeo. Sunt diuersæ actiones mentis humanæ, aliud est notitia & aliud assensio. Assensus est pars iudicij, quod vel approbat propositionem, vel reijcit eandem. Nihil est enim iudicium aliud, quàm vel approbatio alicuius propositionis, vel reiectio: est igitur assensus pars quædam iudicij. Est autem longè alia actio iudicium, quàm simplex notitia, Iam verò non tantùm notitia obscurior facta est post lapsum, sed etiam languidior nunc est assensio, quia impeditur multis dubitationibus. Quoties videmus cõfusiones in genere humano morum & euentuum, cogitamus: Si esset Deus & aliqua Dei iustitia, tum hæc non fierent. Contra has dubitationes voluit nos Deus confirmare expressa voce, quæ testatur, notitias Legis non esse imaginationes vndecunque ortas & conceptas, sed esse Dei veritatem, ius Dei, & opus Dei in cordibus nostris, vt Paulus dicit.

Tertia caussa promulgationis est, vt nos Decalogus de maximis rebus admoneat, videlicet de iustitia originali, de peccato originis, de Christo, de futuro iudicio & de vita æterna.

Recitabo iunioribus sermonem D. Lutheri. Ad hunc aliquando filius venit, ac interrogatus à patre, quid didicisset, quid sciret: respondit, se scire Catechismum. Ibi subiecit reuerendus senex: Profectò, mi fili, tu longè es doctior, quàm ego: etsi enim sum Doctor Theologiæ, tamẽ non possum affirmare, me scire Catechismũ, scilicet perfectè & integrè. Non igitur putemus, doctrinam Catechismi, siue in templis, siue in scholis repetatur, esse negligendam, tanquam rem paruam. Pertinet autem hæc tertia caussa ad sanctã doctrinam quæ in Catechismo traditur, quæ exhauriri nunquam potest.

Fuit enim iustitia originalis firmissima agnitio Dei in mente, & in voluntate, & corde ardens amor Dei & proximi, qualem Lex diuina postulat. Nunc autem in mente est caligo de Deo, & auersio voluntatis à Deo, & cõtumacia cordis contra Legem Dei. Neque verò Lex promulgata est, vt propter eam iusti simus, sed vt sit

sit commonefactio de Mediatore, qui constitutus est, vt fiat victima, sustinens pœnã Legi debitam pro nostra contumacia, & vt propter ipsius obedientiam in gratiam recipiamur.

Paulus dicit Gal. 3. de Legis vsu: Si esset data Lex, quæ posset viuificare, vtique per Legem esset data iustitia. Quærat ergo aliquis, Quare data est Lex? ad quem vsum, si non iustificat? Sequitur in Paulo, Propter transgressionẽ data est: id est, Lex est agnitio peccati: vel vt alibi dicitur, Lex iram efficit, & est pædagogus ad Christum, vt in eodem capite dicitur. Quia enim animaduertis & fateris, te non posse satisfacere Legi Dei, Lex commonefacit te, vt quæras aliam iustitiam, quæ est obedientia Mediatoris. Neque enim recipimur in hac vita propter vllam aliam caussam, quam propter obedientiam huius personæ, quæ est Deus & homo, nec viuificamur per Spiritum sanctum, nisi membra eius facti per fidem.

Concionatur etiam Lex de secuturo iudicio, & de vita æterna. Cùm enim pœnæ in hac vita non respondeant iustitiæ Legis, necesse est sequi aliud iudicium, in quo Deus pro peccato non remisso propter Mediatorem, cuius est infinita malitia, compensationem æquiualentem postulabit.

Est demonstratio Theologica: Necesse est satisfieri iustitiæ Legis, vel per obedientiam, vel per pœnam. Sed pœnæ peccatorum in hac vita non sunt æquales iustitiæ Dei, quia & iustitia Dei est æterna atque infinita, & peccatum est infinitæ malitiæ. Quid est autem punctum ad circumferentiam, momentum ad omnem æternitatem? Ergo necesse est restare aliud iudicium, in quo impij, qui non habent remissionem peccatorum, iustas & pares pœnas persoluent pro peccatis. Hanc demonstrationem nemo potest euertere, quia est sumta ex primo principio Theologico: Lex obligat, vel ad obedientiam, vel ad pœnam. Sequitur altera demonstratio.

Et quoniam impossibile est, genus humanum vniuersum ad æternum exitium conditum esse, & Legem frustrà voce Dei propositam esse, haud dubiè restat alia vita, in qua renati erunt sine peccato, & præstabunt integram obedientiam, iuxta illud

Considerate & hanc alteram demonstrationem: Impossibile est Legem Dei frustrà propositã

Dabo Legem meam in corda eorum, Hier. 31. Hebr. 8.

esse toti generi humano, quod certè non est vniuersaliter conditum ad exitium & interitum aut tantùm ad hanc vitam. Sed experientia testatur, neminem, ne quidem renatorum posse satisfacere Legi per obedientiam: omnis enim obedientia nostra est tantùm inchoata, id est, imperfecta, mãca & mutila. Ergo necesse est restare aliam vitam, & quidem talem, quæ sit conformis Legi Dei sine peccato & sine morte.

Hæ causſæ, quas recensui, sint nobis in conspectu, vt diligentiùs consideremus Legem Dei, & cogitemus, sapientiam in Decalogo propositam nequaquam exhauriri posse.

Admonitiones necessariæ ad intelligentiam Decalogi.

CAP. IV.

RECITAVI definitiones, diuisiones & causſas promulgatæ Legis diuinæ, nunc accedendum est ad enarrationem Decalogi, primæ & secundæ tabulæ: sed antequam hoc præstem, auditores de quibusdam rebus admonendi sunt, ne imparati, vt dicitur, accedant ad rem tantam. Magna enim sapientia est, & quæ nunquam exhauriri potest, in Decalogo. Quare ipsa docendi ratio postulat, vt auditorum animi præparentur ad percipiendam aliquo modo hanc sapientiam, de qua dicit Moses in Deuteron. Hæc est sapientia vestra, audire & intelligere præcepta Dei. Prima autem admonitio est dulcissima & vtilissima de ordine Decalogi. Si enim nihil esset boni in Decalogo, tamen ordinis concinnitas posset & deberet nos permouere ad cognoscendam hanc sapientiam. Est enim ordo Decalogi, summi artificis, hoc est Dei sapientissimo consilio institutus.

Prima admonitio de ordine Decalogi.

Optimo ordine orditur Decalogus à notitia Dei & motibus volun-

voluntatis ac cordis erga Deum. Secundò, præcipit illius veræ agnitionis professionem. Tertiò, custodes & executores priorum mandatorum cõstituit, videlicet doctores cælestis doctrinæ: quia certissimum est, Lege de Sabbatho comprehendi totũ ministerium, & propagationem veræ agnitionis & professionis.

Hic est ordo primæ tabulæ, qui ex natura sumtus est, & habet rationes euidentissimas, quas debetis attentè considerare. Principale membrum in homine est COR, sicut Aristoteles dicit, Cor est primum viuens & vltimum moriens. Orditur ergo Decalogus ab iis rebus, quas Scriptura sacra tribuit cordi, videlicet à vera notitia Dei, & illis veris motibus seu affectibus, qui & solent & debent comitari veram Dei agnitionem, cuiusmodi sunt timor Dei, fides, dilectio &c. Secundum præceptum concionatur de vsu sermonis seu de professione illius veræ agnitionis Dei. Sicut enim in aula oratores sunt regibus proximi, tanquam interpretes: ita Deus cordi humano adiunxit in fabricatione corporis organa vocis & sermonis, inter quæ lingua facilè principatum tenet. Vt igitur primum præceptum gubernat cor, sic alterum regit linguam seu sermonẽ. Cùm autem Lex sine executione nihil valeat, Deus prioribus præceptis addidit tertium de ministerio Ecclesiastico, quod conseruat, & latè dispergit in genere humano semina doctrinæ de vera agnitione Dei, & de vera inuocatione. Videtis igitur ordinem primæ tabulæ congruere cum natura hominis, & sapientissimo consilio institutum esse.

Vt autem prima tabula concionatur de operibus, quibus immediatè cum Deo agimus: ita secunda continet opera erga homines, quæ sunt vincula humanæ societatis. Huius tabulæ initium sapientissimè sumitur à stirpe societatis, & à personis gubernantibus. Cõstituta iam societate, sit cura tuendæ vitæ hominum. Ideo statim additur, Non occides. Sextum præceptum tuetur coniugia. Septimum domos seu nidos singulorum, & res ad victum necessarias. Octauum defendit famam honestorum hominum, & iudicia ordinat, quæ sunt explicationes veritatis & iustitiæ. Nonum & decimum addunt declarationem, vt sciamus Lege Dei non tantùm de externis operibus præcipi, sed accusari & damnari etiam vitium hærens in hac deprauata hominum na-

tura, quod vocant prauam concupiſcentiam. Hic ordo præceptorum ſapientiſsimi artificis conſilio inſtitutus, etiam demonſtrationibus congruit. Quod igitur de duodecim tabulis Cicero dixit, multò veriùs de Decalogo dici poteſt: Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, Bibliothecas, mehercule, omnes omnium philoſophorũ, vnus mihi videtur duodecim tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate ſuperare.

in 1. de Oratore.

Secunda tabula ſumit initiũ à ſtirpe humanæ ſocietatis, videlicet à parentibus, à quibus procreamur & ſuſcipimur. Nemo enim ex terra naſcitur, vt gigantes in fabulis. Cùm autem homo ſit conditus ad ſocietatem, Deus in quarto præcepto ſimul conſtituit & ordinat gubernatores humanæ ſocietatis. Nam in qualibet ſocietate opus eſt gubernatoribus. Sic inquit Ariſt. in 4. politic. Impoſsibile eſt, Remp. permanere ſine Magiſtratibus. Ideo etiam in politia apum, in examine, alueolo, eſt quidam rex à natura conſtitutus, quem reliquę apiculę obſeruant, 4. Georgic. Conſtituta iam ſocietate & ſuis vinculis adſtricta, proxima eſt vitæ humanæ procuratio, quia nihil homini naturaliter eſt dulcius & iucundius vita. Hanc ergo tuetur & defendit quintum præceptum, Non occides. Et tanta eſt huius præcepti ſeueritas, vt Deus dixerit ad Noam poſt diluuium cap. 9. Geneſ. Qui fuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo: Hanc ſuam imaginem, hoc ſuum templum non vult deſtrui Deus, ſine iuſta & neceſſaria cauſſa. Poſt vitã nihil eſt homini optabilius honeſto, tranquillo & ſuaui cõiugio, in quo eſt amor mutuus, ardens ſine ſimulatione & coactione, ſincerus ſine ſuſpicionibus & πλεονεξίᾳ, denique ſuauis ſine morositate & faſtidio. Quare ſextum præceptum cuſtodit & tuetur rem omnium cariſsimam, videlicet coniugium, Non mœchaberis. Et quanquam Magiſtratus ſæpe ſunt negligentes in puniendis ſcortatoribus & adulteris, tamen vox diuina affirmat Hebr. 12. Deum fore iudicem punientem in hac etiam vita tragicis pœnis omnes ſcortatores & adulteros, & vt maximè agant hi pœnitentiam, & liberentur à culpa, & impetrent remiſsionem peccatorum: tamen raro liberantur à pœnis corporalibus, vt oſtẽdit exemplum Dauidis,

cui

cui Deus nō pepercit etiam post remissionem peccatorum. Et quoniam homini non tantùm opus est vita & coniugio, sed etiam certo hospitio & rebus ad vitam sustētandam necessariis, septimum præceptum circumdat mœnia, vallum, fossam, murum tuo nidulo & tuis reculis, quantulæcunque illæ sint, Non furtum facies. Octauum præceptum suscipit patrocinium & defensionem tuæ famæ, vt tibi concedatur honestus locus in ciuili societate, & simul gubernat iudicia, quæ certè debent esse explicationes veritatis & iustitiæ. Nonum & decimum accedunt tanquam declarationes totius Decalogi, ne quis existimet, tantùm externam iustitiam postulari, aut tantùm prohibita esse externa delicta, neque discernat Legem diuinā à legibus humanis. Concupiscentia autem est & peccatum, & pœna peccati, & caussa peccati. Primò est peccatum, quia Lex dicit, Non concupisces: deinde est pœna, quia in natura integra nulla fuit concupiscentia, id est, ἀταξία, sed secuta est lapsum primorum parentum. Postremò eadem est caussa & fons omnium peccatorum, vt Iacobus in epistola dicit, Concupiscentiam esse matrem, quæ concipit omnia peccata. De hac sententia præclarè differit Augustinus li. 5. contra Iulianum Pelagianum. Non igitur frustrà Paulus Rom. 7. hoc malum multis & quidem tristibus verbis deplorat. Locum quem de 12. tabulis citaui ex Cicerone, requirite in 1. libro de Oratore, quem omnes studiosi iuris ad verbum debent scire, quia turpe est, dignitatem artis quam discis, aut prorsus ignorare, aut non satis intelligere. Iuniores etiam adhortor, vt ad hanc consuetudinem & diligentiam se assuefaciant, vt omnia quæ legunt, audiunt & discunt in historiis, accommodent ad Decalogum. Nam omnes historiæ sacræ & Ethnicæ possunt accommodari ad præcepta Decalogi. Quàm multæ historiæ Ethnicæ, vt iam de sacris non dicam, congruunt ad quintum præceptum, Qui fuderit humanum sanguinem &c. Qui acceperit gladium &c. Ad has regulas pertinent pœnæ tyrannorum, pœnæ seditiosorum, pœnæ omnium homicidarū. Deinde ad sextum præceptum referuntur exempla pœnarum, quibus Deus puniuit incestas libidines, scortationes, adulteria & totā sentinam libidinum. Quicquid igitur legitis, auditis & discitis, loquor de moralibus, non de speculabilibus (speculabilia habent aliū ordinem) ea accommodate ad Decalogum. Hæc consuetudo adiuuabit memoriam, formabit iudicium, & instruet vos magna copia & varietate optimarum rerum & verborum.

Secunda admonitio.

Æqualitas primæ & ſecundæ tabulæ conſiſtit in certitudine, neceſsitate, & cauſſa finali. Eſt enim vna & eadem Dei ſapiẽtia & iuſtitia, quæ cultus primæ & ſecundæ tabulæ copulat, & in nobis vult coniungi ad hunc finem, vt Deo debitum honorem tribuamus, & ei in his officiis, quæ iudicat eſſe cultus, ſeruiamus. Olim monachi multis inſtillarunt hanc perſuaſionem, vt exiſtimarent, officia politica & œconomica non placere Deo, ideo multi deſerta vita politica & œconomica quæſiuerunt latebras in monaſteriis, aut certè ſepulti ſunt in habitu monaſtico, in cucullis monachorum, ſicut optimus Princeps VVirtembergicus Eberhardus indutus veſte monaſtica ſepultus eſt, nec dubito multos in familia Saxonica ſic ſepultos eſſe. Vnde quæſo hic error extitit? quam habuit occaſionem? quia ſuperſtitioſi & auari monachi & ſacrificuli tantùm amplificarunt dignitatem ſui ſtatus, loci & ordinis, & interea abiecerunt reliquos gradus vitæ humanæ, ordinem politicum & œconomicum: ſed Chriſtus Dominus noſter & Saluator apud Matth. cap. 22. aliter nos docet, & refutat has ſuperſtitiones & præſtigias impias monachorum, dicens: Secundum mandatum eſt ſimile primo. Contrà, dicat aliquis, Prima tabula anteferenda eſt ſecundæ, & primum præceptum eſt omnium ſummum & maximũ. Cur igitur Dominus noſter comparat & exæquat ſecundam tabulam primæ? Reſpondeo. In caſu quidem confeſsionis prima tabula anteferenda eſt ſecundæ, ſicut Chriſtus inquit Matth. 10. Qui non magis diligit me quàm patrem, aut matrem, aut liberos, aut vxorem, non eſt me dignus: & Deuter. 33. de Leuitis, Qui non dixerit patri ſuo & matri, neſcio vos, &c. Hæc vera ſunt de caſu confeſsionis, in quo ſecũda tabula cedit primæ. Quia gloria Dei eſt omnibus rebus humanis anteferẽda, noſtræ vitæ, noſtræ famæ, noſtris rebus & omnibus aliis. Sed excepto hoc vnico caſu, veriſsima eſt & manet regula Chriſti, de æqualitate primæ & ſecundæ tabulæ. Si igitur es politica aut œconomica perſona, & credis in Filium Dei, ſcito, te tam placere Deo, tuo loco, tuo officio, & tam gratos eſſe cultus tuos, quàm ſi eſſes miniſter Eccleſiæ, aut doctor in ſchola. Sed qua in re conſiſtit ſimilitudo? Primò in certitudine, quia ſicut prima tabula eſt, à Deo tradita: ita Deus etiã ſecundæ tabulæ eſt auctor. Idem fons eſt ſapientiæ primæ & ſecundæ tabulæ: ſicut prima tabula habet ſuas demon-

demonſtrationes, quas audiuiſtis in Ethicis, ita tabula ſecunda habet ſuas demonſtrationes. In ſumma, omnia præcepta poſſunt demonſtrari. hæc eſt certitudo. Scitis enim ſummam eſſe certitudinẽ demonſtrationum. Secundò conſiſtit hæc æqualitas in neceſsitate: quàm enim neceſſaria eſt erga Deum vera agnitio Dei, vera inuocatio, tam eſt neceſſeria ſuo loco & ordine dilectio proximi, ſicut teſtatur dictum Oſeæ cap. 6. quod ſæpe citat Chriſtus, & multi putant hoc dictum fuiſſe ſymbolum Chriſti, Miſericordiam volo & non ſacrificium, id eſt, beneficentiam erga proximum. Tertiò cõſiſtit hæc æqualitas in cauſſa finali. Etſi enim opera primæ tabulæ agunt immediatè cum Deo, opera ſecundæ agunt immediatè cum hominibus: tamen operum primæ & ſecundæ tabulæ vnus & idem eſt finis principalis, ſcilicet gloria Dei, ſicut Paulus inquit de hoc fine, 1. Cor. 10. Omnia facite ad gloriam Dei, & neſitis ſcandalo Eccleſiæ. Et Chriſtus ipſe, Sic luceat lux veſtra, vt videant opera, & glorificent Patrem veſtrum. Videtis igitur, quantas res λόγος Filius Dei & ſapientia Patris, complexus ſit hoc breui dicto & ſermone: ſecunda tabula eſt ſimilis primæ. Magna conſolatio propoſita eſt omnibus iis, qui verſantur vel in munere politico, vel in œconomico. Non enim omnes poſſumus eſſe doctores in templis vel in ſcholis, oportet eſſe aliquos auditores, oportet etiam aliquos ſeruire huic vitæ mortali.

Scilicet primæ & ſecundæ tabulæ.

Tertia admonitio.

De omnibus præceptis hæc quinque cogitanda ſunt. Primùm, quæ opera flagitentur: ſecundò, quomodo fieri poſsint & placeant: tertiò, quæ peccata prohibeantur: quartò, promiſſiones additæ Legi: quintò, cõminationes.

Quando vultis explicare primum præceptum, primò dicite, quæ opera, quos cultus, quas virtutes Deus in hoc præcepto requirat. Sunt autem ſeptem virtutes primi præcepti, vera agnitio, verus timor, vera fides, vera dilectio, vera humilitas, vera patientia, vera ſpes. Secundò quærite, quomodo hæc opera vel virtutes præſtari poſsint, videlicet non viribus humanis, ſed per Spiritum ſanctum. Deus eſt, qui efficit vt velitis: ſine Spiritu ſancto, ſine Chriſto nihil eſt in homine: & in eadem quæſtione cogitandum eſt,

quomodo placeant. De hac quæstione pulcerrimum dictum recitatur, ex libris cuiusdam Euagrij: placere nostra opera bona Deo, μετὰ μίξεως τῆς πίστεως, id est, vt nos loquimur, prælucēte fide. Nam sine fide nihil placet Deo. Quicquid nō est ex fide peccatum est: impossibile est placere Deo sine fide. Tertio loco, quæ peccata prohibeantur, hîc est instituenda antithesis: Cum vera agnitione pugnat idololatria, cum timore, securitas negligens & cōtemnens iudiciū Dei: cum fide, diffidentia & desperatio: cum dilectione, odium Dei: cum humilitate, superbia: cum patientia, impatiētia &c. Quarto loco dicendum est de promissionibus additis primo præcepto. Quinto, de comminationibus: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans &c. Quo autem ordine vtimur in primo præcepto, eodem vtendum est & in reliquis.

Quarta admonitio.

Lex Dei flagitat non tantùm externa opera, quæ possunt esse simulata, sed omnium virium ordinem in homine. Deinde non verè fiunt opera aliorum præceptorum sine operibus primi præcepti, & non placet obedientia in aliis præceptis, nisi iacto fundamento primi præcepti, videlicet agnitione & fide Mediatoris. Sic ergo intelligantur & fiant omnia præcepta, vt in singulis cogitemus Deum esse, qui præcipit, & Deo hanc obedientiam præstādam esse, & prospiciatur hic finis, vt fiant hæc opera propter Deum.

Hæc quarta admonitio est responsio de prima & secūda quæstione: prima enim quæstio quærit, quid Lex diuina postulet, quid flagitet. De hac quæstione respondetur: Lex Dei non tantùm flagitat externa opera, quæ possunt esse simulata, sed requirit ordinem omnium facultatum & virium in tota natura humana, sicut Lex dicit, Diliges Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum sicut te ipsum, & non concupisces, id est, non contamines obedientiam vllo peccato. Secunda quæstio suprà proposita, hæc est, quomodo possint fieri, & quomodo placeant bona opera? Respondeo, & fieri possunt & placent Deo, iacto fundamento primi præcepti, videlicet agnitione & fiducia Mediatoris. Est enim primum præceptum fundamentum aliorum, &, vt ita dicam, basis totius Decalogi. Vt igitur Nazianzenus dixit in senario versiculo, Omnis rei principium & finem constitue Deum:

Deum: ita nos dicimus de primo præcepto, Omnium operum principium & finis sit primum præceptum. Non potes inchoare aliquam obedientiam, nisi προηγουμένης τῆς πίστεως, id est, prælucente fide: Deinde non placet tua obedientia nisi propter Mediatorem, sicut dicitur 1. Pet. 2. Offerte Deo hostias placentes per Christum.

Quinta admonitio.

Sicut omnes promissiones Legis intelligendæ sunt cum exceptione crucis & castigationis: ita omnes comminationes additæ Legi, intelligantur cum exceptione pœnitentiæ. Nam Euangelium est Legis interpretatio & ἐπιείκεια.

Quinta hæc admonitio respõdet etiam de duabus quæstionibus, de quarta & quinta, id est, de promissionibus & comminationibus. Quomodo sunt intelligendæ omnes promissiones legales? Respondeo. Cum exceptione crucis & castigationis, quia Deus vult Ecclesiam in hac vita subiectam esse cruci propter multas causas. Hæc regula traditur psalmo 89. Cuius initium est, Misericordias Domini in æternum cantabo &c. Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autẽ meam non amouebo ab eis. Quid potest dulciùs dici? Minatur Deus castigationẽ paternã, non carnificis aut lictoris, suis filiis, id est, piis, & addit hanc consolationem: Misericordiam autem meam non amouebo ab eis. Etsi enim Ecclesia certo consilio Dei & propter iustas causas duriter castigatur, vt Petrus inquit, Iudicium Dei à domo Domini incipit: tamen semper habet hanc consolationem in media cruce & morte, quòd Deo accepta est per misericordiã, quòd placet Deo, nec abiicitur aut deseritur propter calamitates, sicut dulcissimè inquit Hier. 12. Dedi dilectam animam in manus inimicorum eius. Vocat Ecclesiam animam suam dilectam, & tamen affirmat, se eam propter peccatũ tradere in manus inimicorum, id est, Babyloniorum. Altera confirmatio est apud Marcum 10. Qui reliquerit domum aut alias res charas propter me, hic accipiet centuplũ in hac vita, sed cum tribulatione, & postea vitam æternam. Cùm enim circumferamus peccatum in nostra cute, fieri non potest, vt simus expertes crucis & castigationis. Altera verò regula hanc habet vim & sententiam: Omnes conciones legales intelligendæ sunt cum exceptione pœnitentiæ, id est, si egerimus pœnitentiam, Deus mitigabit ærumnas. Vbi traditur hæc

regula? In multis quidem locis Scripturæ, ſed Eſaiæ cap. 1. extat ſplẽ didiſsima concio de hac ſententia, Deſinite malè facere, & diſcite benefacere, iudicate pupillo &c. hoc ſi feceritis, tum ſi peccata veſtra fuerint ſicut coccinũ, vt nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt, id eſt, Si egeritis pœnitentiam, ſi agnoueritis veſtra peccata, ſimul fide cõfugientes ad Mediatorem, non ſolùm remittentur peccata veſtra, ſed etiam pœnæ mitigabuntur, & ſic lenientur, vt poſsitis eas perferre, ſine indignatione & fremitu aduerſus Deum. Tales cõfirmationes paſsim extãt in pſalmis.

Sexta admonitio.

Præceptorum Decalogi alia ſunt ſimpliciter moralia & immota, alia ſunt mixta, id eſt, partim ceremonialia, partim moralia: vt in Lege de Sabbatho, genus eſt naturale & morale, hoc eſt, vt aliqua certa tempora tribuantur publico miniſterio cœleſtis doctrinæ: ſpecies ſeu mandatum de ſeptimo die ceremoniale eſt.

Septima admonitio.

Omnia præcepta ſecundæ tabulæ, excepto quarto, ſunt negatiua. Semper autem in negatiuis meminerimus affirmatiua contineri.

Octaua admonitio.

Primum præceptum eſt principium & finis aliorum præceptorum. Ideo includendum eſt deinceps in omnibus mandatis, cùm ad totam Legem referatur.

eſt α & ω, vt in Apocalypſi dicitur.

Hæc eſt admonitio, quę in Catecheſi crebris ſermonibus vſurpatur. Debemus Deum timere & diligere &c. Hæc repetitio nõ eſt otioſa ταυτολογία: ſed quia primum præceptum eſt principiũ & finis reliquorum: ideo tanquam anima rectè intertexitur enarrationi ſingulorum præceptorum.

Enarratio

Enarratio primæ tabulæ.

CAPVT V.

Affirmatiua ſententia primi præcepti.

EGO ſum Iehoua Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti. Hæc verba ampliſsimam doctrinam & dulciſsimam conſolationem continẽt. Docent enim, quis ſit verus Deus, & quomodo agnoſcendus ſit, & diſcernendus ab omnibus commẽtitiis numinibus. Vt igitur verus Deus agnoſci poſsit, inſigni appellatione deſcribitur. Conſtat enim, patres & Prophetas ſemper vſos eſſe nomine Iehoua inter precandum, vt ſignificarent, ſe Deum patefactũ in Eccleſia compellare, & reiicere idola Chaldaica, Ægyptia & alia, quæ extra Eccleſiam opinionis errore coluntur.

Quando vis perſonam aliquã deſcribere & notiorem aliis facere, ſoles ordiri à mentione nominis proprii: ita cùm Deus velit innoteſcere ſuæ Eccleſiæ, diſcernit ſe ab omnibus idolis inſigni & illuſtri appellatione, videlicet Iehoua, quæ ſignificat ſecundum etymologiam, fontem omnis eſſentiæ. Haia verbum ſubſtantiuum, apud Hebræos ſignificat idem quod apud Latinos ſum, vel apud Græcos εἰμί. Ab hoc verbo ſubſtantiuo deducitur nomen Iehoua, quaſi dicas, qui fuit, eſt & erit in omnem æternitatẽ, & qui omnibus creaturis præſtat, vt ſint, id eſt, eſſentiam ſuppeditat & ſeruat, donec vult: ſed relatiuè Iehoua ſignificat Deum patefactum in Eccleſia, & diſtinctum ab omnibus idolis. Ideo patres & Prophetæ inter precandum non tantùm appellant Deum Elohim, ſed etiã Iehoua, vt ſignificent, ſuam precationem directam eſſe ad illum verum & viuum Deum, qui ſe patefecit populo Iſraël, imò primis parentibus ante & poſt lapſum, item Patriarchis ante & poſt diluuiũ, vſque ad eductionem populi ex AEgypto, vt Petrus inquit Act. 3. Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum, id eſt, ego loquor de illo vero Deo, qui damnat & reiicit, abominatur & execratur omnia idola AEgyptia, Chaldaiça, Græca, Romana, & qui certo verbo, videlicet lege & Euangelio, & illuſtri-

bus teſtimoniis miraculorum, vt reſuſcitatione mortuorum, & aliis ſe reuelauit, manifeſtauit, patefecit.

Deinde proponitur illuſtre teſtimoniũ, quis & qualis ſit Deus, vbi & quando ſit patefactus. Hunc igitur ſtatuas verum eſſe Deũ, conditorem cœli & terræ, ſapientem, immenſæ potentiæ, iuſtum, veracem, miſericordem, liberrimũ, qui te ex Aegypto tot ac tantis miraculis exduxit, & nunc tibi Legẽ inter tonitrua & fulgura proponit. Quamobrem de Deo cogitans, non indulgeas otioſis & vagabundis ſpeculationibus, ſed reuoca mentem ad hæc illuſtria teſtimonia miraculorum, quæ exhibita ſunt in exitu ex Ægypto, vt aſſenſio de Deo & de tota Eccleſiæ doctrina in nobis confirmetur.

Vt iuniores totam rem rectiùs accipiant, vtar ſimilitudine pueri li. Si tu ignoras, qualis vir fuerit pictor excellens in vrbe Noriberga, non tantùm mentione proprij nominis, videlicet Alberti Dureri, te ad huius viri cognitionem deduco, ſed etiam propono tibi aliquot tabulas pictas ab hoc ſummo artifice, in quibus ſic imagines rerũ depictæ ſunt, vt parum videantur differre à natura rei, vel re ipſa. Eſt enim hæc ſumma laus pictoris, non ludere varietate colorum, ſed exprimere lineamenta, proportionem, denique figuram rei. Ita Deus in primo præcepto non tantùm ſeſe nominat, non tantùm exprimit ſuum nomẽ Iehoua, nec tantùm tradit verbum, quod auribus percipitur, quod ſonat in auribus: ſed etiam addit teſtimonia incurrentia in oculos, velut tabulas à ſe depictas, ex quibus ratiocinari & potes & debes, quis ſit & qualis ſit Deus, vbi & quando ſe patefecerit. Quoties igitur de vero Deo cogitat, ſis animo & cogitatione conuerſus ad eductionem populi ex AEgypto, & ad mirandam gubernationem & defenſionem eiuſdem populi in deſerto, quæ durauit nõ anno vno, ſed annis 40, vſque ad occupationem terræ Canaan. Non tantùm Lex eſt promulgata die 50. poſt exitum ex AEgypto inter horrenda tonitrua & fulgura, ſed etiam datæ ſunt populo carnes, datum manna de cælo, non vnum diem, ſed totos annos 40. petra percuſſa baculo Moſis effudit larga flumina aquarum. Denique tot & tanta miracula complectitur hiſtoria recitata in Exodo, Leuitico & Numeris, vt dies recitantẽ iſta miracula deficiat. Quare his paucis iamſimus contenti, & ex his æſtimemus auctorem, iuxta regulam,

Opus

Opus commendat artificem: &, Res effecta liquidò ostendit suam causſam.

Tertiò consideretur dulcissima consolatio inclusa pronomini tuus, quasi dicat, Ego sum conditor & conseruator Ecclesiæ, quæ vocem Decalogi & Euangelij audit & amplectitur, & opitulator liberrimus, etiamsi causſæ secundæ eam vel destituant vel oppugnent.

Loquitur iam de speciali actione Dei.

non alligatus causis secundis, non Stoicus Deus.

Sumite exempla ex Actis Apostolorum. Petrus coniectus est in carcerem ab Herode, vt scribitur Act. 12. Nec verò incluſus est carceri, vt ibi aliquantisper detentus liberetur, sed vt interficiatur, sicut antè Herodes interfecerat Iacobum Apostolum, filium Zebedæi. Quid igitur fit? Ecclesia precatur pro liberatione Petri. Hanc precationem ita exaudit Deus, vt in media nocte angelus Dei aperiat omnes fores carceris, & educat eum ex vinculis, & ex custodia, quæ erat firmissima. Vides igitur in hoc exemplo, qualis sit opitulator Deus. Si esset Stoicus Deus, non potuisset ex carcere educere Petrum, sed est talis Deus, qui habet claues, quibus potest aperire carcerem, etiamsi omnes desperent de salute captiui. Simile exemplũ legitur de Paulo Act. 16. hiſtoria est nota, ideo nõ volo eam recitare.

Ego hunc cœtum custodem verbi à me traditi, verè & ardenter diligo, curo, respicio, exaudio, rego ac defendo, & huic mea bona in omni æternitate communico. Hanc esse vim pronominis, conciones psalmorum & Prophetarum ostendunt, quæ magna ex parte nihil aliud sunt, quàm enarrationes primi præcepti, vt psal. 18. luculenta paraphrasis primi præcepti extat, Domine, fortitudo mea, refugium meum, præsidium meũ, liberator meus, scutum meum, cornu salutis meæ.

Pronomina in scriptura non sunt otiosa, sed monent nos de applicatione.

psalmi sunt paraphrases primi præcepti. i. doctrina de fide, de spe, de inuocatione, de gratiarũ actione.

Græci nominãt ἀμυντήριον illud genus armorum, quo nos

defendimus aduersus hostem, ita cerui & boues sunt armati cornibus contra hostes.

De virtutibus primi præcepti.

Diligenter discenda est sapientia, quæ traditur in primo præcepto Decalogi, cùm ob alias causas, tum ob hanc vel maximè, quia conciones Prophetarum & psalmorum magna ex parte consumuntur in huius præcepti enarratione & illustratione. Sciunt enim omnes, qui vel obiter tantùm aspexerunt Prophetica scripta, plurimas conciones esse grauissimas accusationes, non solùm idolatriæ, sed etiam impiæ fiduciæ humanorum præsidiorum, impatientiæ, superbiæ & reliquorum peccatorum, quæ aduersa fronte repugnãt primo præcepto. Si igitur nulla alia esset causa diligenter cognoscẽdi primum præceptum, tamen propter lectionem Prophetarum amanda & magnifacienda erat enarratio huius præcepti. Versamur autem adhuc in affirmatiua sententia, Ego sum Dominus Deus tuus &c. & hactenus quidem pondera verborum ad libram appendimus, & monstrauimus quantum in vnoquoque sit momenti. Nunc breuiter recitabimus virtutes seu opera primi præcepti, & postea addemus antithesin, id est, negatiuam sententiam, in qua recitabuntur gradus præcipui peccatorum pugnantium cum primo præcepto. Ideo autem ero brevior in hac enarratione, quia recens est memoria doctrinæ de virtutibus traditæ in Ethicis, inde qui volet, reliqua assumat. Quanquam enim bonarum rerum nulla debet esse satietas: tamen modum quendam esse oportet harum repetitionum.

Septem sunt maximè insignes & conspicuæ virtutes primi præcepti: vera notitia Dei, fides, dilectio, spes, timor Dei, humilitas, patientia. Hæc enumeratio rectissimè sumitur ex verbis, Ego sum Dominus Deus tuus: necesse est enim, notitiam monstrantẽ quis sit verus Deus, omnibus affectibus voluntatis & cordis præ-lucere, quia ignoti nulla cupido. Nisi enim verus Deus agnoscatur, quomodo timeri aut diligi potest? Hanc veram notitiam comitantur affectus in voluntate & corde.

Non sunt hæc tantùm philosophica, sed etiam Theologica. Quando in philosophia describimus affectum, his verbis vti solemus: Affectus est motus voluntatis seu cordis sequens cognitionem

tionem. Cur in hac definitione fit mentio cognitionis? Quia notitia monſtrans obiectum, eſt cauſſa ſine qua non affectuum. Veræ cauſſæ affectuum ſunt duæ, ipſum cor, & obiectum ſiue bonum ſiue malum. Cauſſa ſine qua non eſt notitia monſtrans obiectum. Poteſt ſumi huius rei declaratio ab oculo vel à viſione. Duæ ſunt cauſſæ viſionis per ſe & veræ: prima eſt oculus, vt craſsiſsimè dicam, altera eſt obiectum, lux vel color: cauſa ſine qua non, eſt medium lumine aliquo illuſtratum. Nam in tenebris nihil cernimus. ita res etiam ſe habet de affectibus. Affectus oriuntur à corde, & ab obiectis, tanquam à cauſsis veris, ſeu cauſsis per ſe: ſed ad has veras cauſſas oportet accedere cauſſam ſine qua non, ſcilicet notitiam monſtrantem obiectum. Ideo prima virtus huius præcepti, Ego ſum Dominus Deus tuus &c. eſt vera notitia Dei, monſtrans quis ſit verus Deus, vbi & quando ſe patefecerit, & quomodo velit diſcerni ab omnibus idolis. Hanc notitiam veram comitãtur in voluntate & corde motus ſeu affectus, vt timor, fides, ſpes, dilectio, humilitas, patientia. Quòd autem hæc non tantùm dicantur more philoſophico, ſed habeant etiam fundamentum in ſacris literis, vno pſalmo propoſito iunioribus demonſtrabo. Legant iuniores, & ad verbum ediſcant pſalmum 33. Exultate in Domino &c. In eo pſalmo primùm deſcribitur verus Deus, Verbo Domini cœli facti ſunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Adduntur etiam aliæ quædam deſcriptiones multarum proprietatum Dei eſſentialium, quæ lucent in ipſius operibus. Tandem verò ſubiicitur concio de timore Dei, id eſt, de affectu comitante agnitionem & contemplationem tantæ maieſtatis, Timeat eum omnis terra, metuant ab eo omnes inhabitantes orbem &c. Vtitur igitur pſalmus hac ipſa methodo, vt primùm diſſerat de notitia Dei, poſtea hortetur nos ad concipiendum timorem Dei. Idem fit in multis aliis pſalmis.

Quia enim initio proponitur dulcis & grata conſolatio, non obſcurum eſt poſtulari fidem, quæ & hanc conſolationẽ amplectitur, & omnibus partibus doctrinæ à Deo traditæ aſſentitur. Fides autem gignit timorem, ſtatuens comminationes Legis eſſe veras. Eadem fides apprehendens miſericordiam Dei propter Mediatorem promiſſam, parit dilectionem. Vt autẽ fidei cognata eſt ſpes: ſic timori vicinæ virtutes ſunt humilitas & patientia. Harum ſeptem virtutum deſcriptiones aſſumantur ex doctrina de virtutibus in Ethicis tradita.

Dicat aliquis, Tu mihi videris confundere Legem & Euangelium. Quare tu dicis fidem esse virtutem primi præcepti? Annon fides oritur ex Euangelio? Nihil opus est talibus cauillationibus, quia Christus est finis Legis, teste Paulo Rom. 10. & Lex, vt idem ait cap. 3. ſtabilitur per fidē, hoc est, Lex nec intelligi, nec enarrari, nec præstari, ac ne quidem inchoari potest sine Christo, seu sine Euangelio. Quare non confundimus ineptè & ineruditè duo genera doctrinarum: sed suum cuique locum tribuimus, ita tamen, ne fingamus separationem, & distractionem seu diuulsionem harum doctrinarū. Tradunt inter se mutuas operas Lex & Euangelium. Vt enim Lex est pædagogia ad Christum, teste Paulo, ita vicissim Euangelium est interpres Legis. Proponimus igitur definitiones virtutum Decalogi, iuxta enarrationem siue interpretationem Legis, quæ sumenda est ex Euangelio. Et huius rei habemus auctores & testes locupletissimos, qui eodem modo enarrarunt Decalogum. Sic cùm obiicitur hoc argumentum Matth. cap. 19. Si vis ingredi in vitā, serua mā data, mox respondetur, Serua mandata, scilicet iuxta declarationē & ἐπιείκειαν Euangelij. Si valet in tali argumento diluendo & soluendo hæc additio, cur non magis valeat in enarratione primi præcepti? Hæc dico ad refutandos cauillatores, qui nimio studio argutiarum corrumpunt res rectè traditas. Crede mihi, sapere est, nō nimium sapere. Et quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.

Negatiua sententia, seu antithesis.

Non habebis Deos alienos.

Etsi species peccatorum pugnantium cum primo præcepto non magis numero comprehendi possunt, quàm arenæ maris, quia cor hominis est non modò peruersum & ærumnosum, sed etiam inscrutabile, Ieremiæ 17. tamen docendi causſa sex gradus maximè insignium & horribilium peccatorū recitabo, quorum consideratio mentes de aliis vicinis malis commonefacere potest.

Si qui volunt docere alios cū fructu, siue in schola, siue in templo, hi non debent auditores onerare nimis exilibus & concisis ac scrupulosis enumerationibus, diuisionibus aut partitionibus. Est quidam inter medicos veteres

teres, interpres Auicennæ, quem vocarunt medici per iocum, Iacobum de partibus. Is etsi sit doctus philosophus & medicus, & doceat multa vtilia in suis Scriptis: tamen offendit lectorem nimis crebris partitionibus, subdiuisionibus & collectionibus partium. Ego semel audiui quendam concionantem, qui proponebat octo locos cuiusdam Euangelij: & postea singulos locos distribuebat in tres aut quatuor partes. Sed finita concione nemo poterat dicere, quæ fuissent principalia aut minùs principalia membra concionis. Hæc rursus dico, vt iuniores discant, etiam in bonis rebus modum quẽdam seruandum esse. Quorsum pertineret, si viginti aut triginta gradus peccatorum contra primùm præceptum constituerem, cùm non possit aliter fieri, quàm vt obruatur memoria discentium ista multitudine? Ergo constituam sex tantùm gradus docendi caussa: ad hos sex gradus (nam pauciores non possunt commodè constitui) referat vnusquisque alios vicinos & cognatos.

Primus gradus est Epicureus furor, contemnens Deum, & Academica dubitatio de Deo. Nam alij homines horribili securitate contemnunt Deum, vt Cyclopes & Centauri: alij sunt pleni Academicarum dubitationum, vt Pompeius, Brutus, Cato.

Vnde dicitur Cyclops? à κύκλος, id est, circulus, & ὄπτω, video. Quia enim fingunt poetæ, Cyclopem habere tantùm vnicum oculum, seu vnicum orbẽ in media fronte, ideo impositum est ei nomen Cyclops. Sed fabula habet hanc originem. In galea est foramen angustum, per quod equites aut pedites solent prospicere, & hostem cernere, inde est nata fabula. Vnde dicitur Centaurus? à κέντω, id est, pungo, & ταῦρος, taurus, qui pungit boues, qui abigit pecora. Talia quæ pertinent ad etymologias vocabulorum, asperguntur nonnunquam propter pueros, quibus vtile est tradi eiusmodi commonefactiones Grammaticas.

Secundus gradus est idololatria, eáque non vniusmodi & simplex, sed varia & multiplex.

Hæc discant iuniores rectè intelligere, propter lectionem Prophetarum. idololatria est similis hydræ, cuius multa sunt capita.

Possunt tamen præcipuæ species quatuor discerni.

Aut enim fingitur aliquid esse Deus, quod non est Deus, aut

Deus alligatur ad aliquam rem, cui ſe non alligauit ſuo verbo, aut tribuitur creaturæ honos ſoli Deo competens, aut excogitantur opiniones de Deo & cultus ſine verbo Dei.

Alia idolatria eſt craſſa & manifeſta, quæ etiam à ratione poteſt vtcunque iudicari, ſed aliæ ſunt ſpecies ſubtiliores, & tamẽ populares admodum & plauſibiles, quæ blandiuntur humanæ rationi, & putantur eſſe præcipui cultus Dei. Sed eamus ordine per ſingulas ſpecies: Prima eſt craſsiſsima, quæ fingit, aliquid eſſe Deum, quod non eſt Deus, vt, ſi quis fingat, ſtatuam lapideam vel ligneam eſſe quoddam numen, & habere vim exaudiendi preces & opitulandi. Sed hæc ſpecies etiam à ratione poteſt iudicari, ſicut Socrates & alij philoſophi damnarũt multitudinem Deorum, & propter eam condemnationem ſupplicio affecti ſunt. Vt Socrates eſt morte mulctatus propter reprehenſionem multitudinis Deorum. Secunda ſpecies eſt, alligare Deum ad aliquam rem, cui ſe nõ alligauit ſuo verbo: vt cùm in Papatu circumfertur panis hoc titulo, quòd ſit corpus Domini. Certè ad panem non alligauit Chriſtus ſuam præſentiam, ſed in vſu iſtius panis, congruente ad inſtitutionem Cœnæ, promiſit ſe præſentem fore ad ſalutarem κοινωνίαν cum homine. Tertia ſpecies eſt, tribuere honorem creaturæ, qui ſoli Creatori debetur. Ad hanc tertiam ſpeciem pertinet inuocatio mortuorum. Sunt quidem honore afficiendi, Maria, Apoſtoli, martyres, ſed nequaquam ſunt inuocandi, quia ſcriptum eſt, Dominum Deum tuũ adorabis, & ei ſoli ſeruies. Item, Inuoca me in die tribulationis, &c. Nequaquam vult Deus, hunc honorem transferri ad creaturas, vt ad Angelos, homines viuos aut mortuos, aut quaſcunq; creaturas. Quartus gradus eſt omnium ſubtiliſsimus, qui vocatur à Græcis ἐθελοσοφία, item ἐθελοθρησκεία. ἐθελοσοφία eſt opinio de Deo excogitata ſine verbo ipſius, vt ſunt philoſophorum diſputationes de Deo, de prouidentia, quæ diſcedunt à rei veritate, vt Stoica imaginatio de Deo, de fatali neceſsitate, quæ non ſolùm in creaturis rationalibus, ſed etiam in Deo ipſo tollit omnem libertatem ſeu contingentiam. Ἐθελοθρησκεία, quo verbo Paulus vtitur Coloſſ. 2. ſignificat cultus humana audacia ſine verbo, imò contra verbum excogitatos. Hoc modo peccauit Ieroboã, qui cùm vellet in officio retinere decem tribus auulſas à poſteritate Salomonis, collocauit vitulos aureos in Dan & Bethel, poſtea creuit idolatria excogitato cultu Baal,

Baal, & aliis idolis inuentis, quæ recenſentur à D. Stephano martyre in capite 7. Actor. Ad hunc quartum gradum pertinet vitulus aureus, quem fabricauit Aaron in deſerto. Exodi 32. Talium idolorum plenus eſt Papatus, ſed præcipuum idolum eſt Miſſa venalis. Non dicit Chriſtus inſtituens Cœnam, Sacrificate meum corpus & meum ſanguinem pro viuis & mortuis, ad redimendas animas ex purgatorio, ſed dicit, Hoc facite in mei recordationē. Videtis quàm latè pateant hæ quatuor ſpecies. Sed quartum gradum præcipuè taxant Prophetæ in ſuis concionibus. Oſeas nominat adulterium.

Ad hunc gradum referatur ſuperſtitio, quæ tribuit cuicunque rei aliquam vim, ſine ordinatione diuina, & ſine cauſis naturalibus: vt cùm aliqui morbis medericonantur, ſuſpenſis de collo certis figuris.

Poſſumus refutare hanc ſuperſtitionē ex Dialectica: Quantitates nō ſunt efficaces. Figuræ ſunt quantitates. Ergo non ſunt efficaces. Superſtitio Græcè δεισιδαιμονία, eſt falſa opinio, tribuens alicui rei vim, quam non habet, neque ex cauſis naturalibus, neque ex diuina aliqua ordinatione. Quæro an baptiſmus ſit ſuperſtitio? Non. Tamen non poteſt mundare cor naturalibus cauſis, ſeu vi cauſſarum ſecundarum: certè aqua non habet vim abluendi peccatum? Reſpondeo: Ideo non eſt ſuperſtitio ſeu ſuperſtitioſa ceremonia, quia habet ordinationem diuinam, mandatum expreſſum: Ite, baptiſate omnes gentes. Auguſtinus inquit in Iohan. Quomodo aqua tangens corpus, poteſt mundare cor, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur.

Tertius gradus eſt hæreſis, id eſt, pertinax aſſeueratio alicuius dogmatis, pugnantis cum fundamento, ſeu cum perſpicuis præceptis moralibus aut articulis fidei.

Expendantur pondera verborum in hac definitione, quia nullum verbum eſt otiosè poſitum. Non omnis error eſt hæreſis, ſed quando ad errorem de doctrina cœleſti accedit pertinacia, quæ pugnat cum docilitate. Tantiſper donec homo eſt docilis, & cedit recta monentibus, & patitur ſe conuinci argumentis, nequaquam eſt appellandus hæreticus, quia humanum eſt errare, inquit Hieronymus, ſed perſeuerare in errore, eſt diabolicum. Deinde hæreſis eſt ille tantùm error, qui pugnat cum fundamento, id eſt, vel

cum Decalogo, vel cum tribus Symbolis. Error in philoſophia, vt de iride, halone, nō eſt hæreſis, ſed habet ſuam reprehenſionem ſuo loco: error verò, qui propriè vocatur hæreſis in Eccleſia, pugnat cum fundamento, hoc eſt, vel cum Decalogo, vel cum Symbolo, ſeu cum articulis fidei. Hac definitione conſiderata, non eſt difficile iudicare, quæ opiniones ſint hæreticæ. Non ſtatim eſt aliquis hæreticus, cùm appellatur ab inuidis, maledicis, calumniatoribus hoc nomine. Alioqui etiam Chriſtum oportuiſſet eſſe hæreticum, quē contumeliosè Iudæi proclamant Samaritanum, & qui habeat dæmonium. Sic Apoſtoli in Actis vocantur impoſtores, ſeditioſi, ſeductores.

Quartus appellatur Magia, quæ eſt artificium à Diabolo traditum, quo dæmones moniti aut euocati à confœderatis ſuis, præſtant quæ requirunt, quatenus vel condixerunt operam confœderatis, vel placet ſtare promiſsis, vel Deum permiſſurum præuident. Nullam autem vult Deus pactionem & ſocietatem nobis cum ſuis hoſtibus Diabolis eſſe, nec vult, nos ab ipſis opem petere.

Vſitata eſt in his Eccleſiis ceremonia, qua in baptiſmo compatres nomine infantum renuntiant Diabolo & omnibus operibus eius. Hæc ceremonia eſt commonefactio de vitandis omnibus fœderibus, & de omni ſocietate cum Diabolo & eius membris fugienda. Nam in prima promiſſione expreſsè dictum eſt: Inimicitias ponam inter ſerpentem & mulierem &c. Quod interpretatur Iohannes: Filius Dei venit, vt deſtruat opera Diaboli. Non vult igitur Deus nos colludere cum Diabolo. Magia eſt vocabulum Perſicum, & fortaſſe ſumtum ex Hebræo Haga, meditatus eſt. Sed vndecunque eſt appellatio, Perſæ plurimum vſi ſunt hoc vocabulo, & fuit apud Perſas honeſtæ rei appellatio, videlicet doctrinæ de Deo & de rebus diuinis. Huius ſignificationis teſtis eſt Plato in Dialogo, qui inſcribitur Alcibiades, vbi dicit, Perſicum regem omnium primùm imbutum fuiſſe Magia, quam interpretatur religionem. Poſtea mutata eſt ſignificatio huius vocabuli, & nunc ſignificat fœdus & colluſionem cum Diabolo. Nam vocabula valent vſu, ſicut nummi. Sophiſta olim ſignificabat ſapientem, nunc eſt appellatio odioſi & moleſti rixatoris.

Quintus gradus eſt hypocriſis ſeu ſimulatio pietatis, ſine timore Dei

re Dei & ſine fide. Vt autem hypocritæ in rebus ſecundis tumidi & inflati ſunt: ſic in aduerſis timidi & impatientes. Pertinent igitur ad hunc gradum ſecuritas, ſuperbia, fiducia & admiratio ſui, impatientia & deſperatio, quia ſunt vitia propriè oppoſita timori Dei & fiduciæ auxilij diuini.

Fieri poteſt, vt in externa diſciplina neque ſis Epicureus, neq; idololatra, neque hæreticus, neque magus, ſed nemo noſtrum eſt, qui non habeat aliquam particulam huius quinti gradus, qui nominatur hypocriſis, id eſt, ſimulatio pietatis, ſine vero timore, & ſine vera fide. Quis enim noſtrum adeo eſt ἀναμάρτητος, vt non interdum ſecurè viuat, & indulgeat ſuis cupiditatibus? quis noſtrum non eſt aliqua in re Suffenus, id eſt, ſibi placens? quis noſtrũ tantum habet fidei erga Deum, vt non interdum quærat anxiè & ſolicitè humana præſidia, humanas defenſiões, opes & reliquas copias, quibus poſsit aduerſas res aut omnino tollere, aut arcere, aut certè lenire & mitigare? Quare hunc quintum gradum omnes nos & ſinguli ſine exceptione ſæpe conſideremus. Quod ſi faciemus, profectò deplorabimus peccata, quæ in nobis hærẽt, vſque ad mortem, pugnãtia partim cum vero timore, partim cum vera fide, ſemper etiam orabimus cum Apoſtolis: Domine auge nobis fidem. Sed præter infirmos, ſemper in ipſo cœtu Eccleſiæ magna eſt multitudo aliorum hypocritarum, non loquor iam de reliquiis peccati, de quibus iam dixi, ſed de illa hypocriſi, qualis fuit in Nabal marito Abigail. Is enim volebat membrum videri populi Dei & ciuis Eccleſiæ, & tamen erat auarus hypocrita, pluris faciens ſuas opes, quàm Deum & Eccleſiam. Vnuſquiſque igitur contempletur ſe in hoc ſpeculo, & emendet ac corrigat ſuas labes & maculas.

Sextus gradus eſt neglectio Euangelij, quæ etiam eſt multiplex. Nam alij contemnunt, aut etiam oderunt doctrinam Euangelij: alij pluris faciunt opes & voluptates, quàm doctrinam à Chriſto traditam. Hanc varietatem pingunt parabolæ de ſemine & de Cœna magna, Lucæ 8. & 14.

Quotannis repetuntur hæ duæ parabolæ in Eccleſia: prior de ſemine, altera de Cœna magna: Exiit, inquit Chriſtus, quidam facturus ſementem, aliud autem ſemen cecidit ſuper viam tritam, aliud ſuper Petram, & aliud inter ſpinas. Et hanc parabolam

fic enarrat Christus, vt dicat, quosdam nunquam admittere intra animum doctrinam Euangelij: alios verò dicit initio quidem amplecti Euangelium & amare, sed ab eo rursus deficere, quando nouæ procellę Ecclesiam obruunt, quando Tyranni minantur ignem, flammas, ferrum confessoribus Euangelij. Credunt ad tempus, inquit, sed deficiunt tempore tentationis. Semen verò, quod cadit inter spinas, significat eos, qui non sunt hostes blasphemi, sed tamen inter suas opes & voluptates non possunt afferre fructus dignos pœnitentia. Altera parabola de cœna magna, est notior, quàm vt prolixiùs videatur repetenda esse.

Quomodo autem huius præcepti opera in hac imbecillitate naturæ fieri possint, & Deo placeãt, Paulus Rom. 3. docet, inquiẽs, Lex stabilitur per fidem. Quia enim fide agnoscimus Mediatorem, & propter eum accipimus remissionem peccatorum & reconciliationem, sumus iusti & accepti Deo propter obedientiam Filij, quanquã adhuc procul absumus à perfectione Legis. Deinde cùm hac consolatione erigimur, effunditur in corda nostra Spiritus sanctus, & lętitiam acquiescentem in Deo, dilectionem Dei, & alias virtutes accendit. Porrò de promissionibus & comminationibus additis primo præcepto, infrà in capite septimo dicetur.

Ita absoluimus breuiter primum præceptum, iuxta methodum, quam suprà instituimus. In quolibet præcepto enarrãdo, quinque sunt considerանda: Primò, quæ opera flagitẽtur: secundò, quæ peccata prohibeantur: tertiò, quomodo bona opera cuiusque præcepti, & fieri possint, & Deo placeant: quartò, quæ promissiones sint additæ singulis præceptis: quintò, quæ sint comminationes additæ. Diximus autem septem esse præcipuas virtutes primi præcepti, videlicet, veram agnitionem, timorem, fidem, spem, dilectionem, humilitatem, patientiam. Harum septem virtutum descriptiones traditæ sunt in Ethicis. Quod ad secundam quæstionem attinet, constituimus sex gradus peccatorum pugnantium cum primo præcepto. Etsi enim plures numerari possent, tamen omnes possunt reduci ad hos sex. Quod ad tertiam quæstionem attinet, quomodo possint fieri bona opera in tanta imbecillitate naturæ, & quomodo placeant, respondet Paulus breui aphorismo: Legem non abolemus, sed stabilimus per fidem. Quomodo? primò, imputatione: secundò, inchoatione:

tione: tertiò, consummatione. Quomodo imputatione? Quia in Christo sumus consummati, Colos. 2. id est, per Christum & propter eum habemus remissionem peccatorum, & reconciliationem gratis, & ita placemus Deo, ac si ex omni parte essemus iusti, sancti & innocentes: secundò inchoatione: quia semper cum reconciliatione coniuncta est donatio Spiritus sancti, qui non est otiosus, sed efficax, accendens nouam lucem, iustitiam, fidem. Postremò, stabilitur Lex consummatione, quia hoc, quod lex postulat, inchoatur in hac vita, consummabitur in altera, videlicet ardens dilectio Dei & proximi. De quarta & quinta quæstione, videlicet de promissionibus & comminationibus primo præcepto additis, infrà dicetur peculiari titulo.

De secundo præcepto.

Non vsurpabis nomen Domini Dei tui vanè.

SICVT primum præceptum regit cor, ita secundum gubernat linguam, quam voluit Deus esse mentis & cogitationum interpretem, vt alij alios de Deo & de aliis rebus bonis docerent, & vt sermo vinculum esset consociationis hominum. Sunt igitur veri vsus sermonis & Deo placentes, vera inuocatio Dei, gratiarum actio, confessio, veræ doctrinæ propagatio.

Apud Salomonem in Prouerbiis cap. 10. extat dulcissimum dictum de vsu & effectu sermonis. Fons, inquit, vitæ est os iusti. Est aphorismus cõstans quatuor verbis. Quare ornat Salomon tali epitheto linguam veracem & modestam? primùm, quia mortalis hæc vita magna ex parte regitur sermone, doctrina & consilio, vt Virgilius inquit 1. AEneid. Ille regit dictis animos & pectora mulcet. Profectò homines magis retinentur in officio oratione vera & modesta, quàm suppliciorum metu, & aliis rebus, quæ sunt terribiles. Certè in curia, in aula, imò in ipsa œconomia res maximæ geruntur & conficiuntur sermone & oratione. Deinde vita æterna, quæ sola est vita nominanda, inchoatur in cordibus voce & sermone, id est, oratione ministerij Euãgelici, teste Paulo: Fides ex auditu,

auditus per verbum. Quomodo credent, si non audiant? quomodo audient, si nemo prædicat? Verè igitur dixit Salomon, linguam iusti esse fontem vitæ, scilicet mortalis & æternæ. Loquimur autem de lingua veraci & modesta: econtrà de mala lingua, quæ abutitur sermone, verisimè dixit poeta Iuuenalis, lingua mali pars pessima serui, id est, Nullum est telum nocentius, si ad nocendum conferatur, quàm lingua. De qua sententia non dicam hoc tempore plura, quia extat oratio copiosa & splendida Erasmi de lingua, quam debent studiosi propter copiam & multas bonas sententias sæpe legere. Nunc in summa meminerint hoc adolescentes: Quòd sicut lingua bona est fons vitæ, sic mala lingua est fons mortis.

Etsi enim inuocatio & gratiarum actio fieri possunt cogitatione mentis, tamen Deus etiam expressam vocem postulat, tanquá confessionem, qua Ecclesia priuatim & publicè sese ab idolis seiungit, ac se quisque erudit & commonefacit de vero Deo & de vero cultu. De hac recitatione exemplum Christi nos admonet. vt ait Augustinus tract. 104. in Ioan. Poterat Dominus noster orare silentio, sed ita se Patri exhibere voluit peccatorem, vt meminisset se nostrum esse doctorem.

Quare recitatio precum est à Deo mandata? Primò, quia Deus vult inuocationem esse quasi Confessionem, testificantem de nostra fide & pietate, testificantem qua mente, qua pietate Deum colamus. Deinde hæc ipsa recitatio est vtilis commonefactio de multis rebus, quia in vera orationis Dominicæ recitatione necesse est cogitare, quid significet nomen Dei, quid regnum Dei, quid voluntas Dei, quantum bonum sit remissio peccatorum, & panis quotidianus &c. Tertiò vult Deus nos expressè recitare verba nostræ precationis, vt hanc Gorgonem obiiciamus Diabolo, qui nulla re magis expauescit, quam audita vera inuocatione.

Antithesis.

Dixi de veris vsibus, qui hoc mandato præcipiuntur: nunc cõsiderẽtur abusus pugnantes cum iuuocatione, cum gratiarum actione, cum puritate doctrinæ, & cum confessione. Sunt autẽ abusus nominis diuini omnes

Elegans est metaphora Matt. 15. Ex thesauro cordis proferũ sermo-

sermones, quibus peccata contra primum præceptum abditè latentia, in lucem proferuntur.

tur bona vel mala. Cur vocat Christus cor thesaurum? Quia sicut diues aliquis ex magno thesauro profert varia & diuersa numismata vetera & recentia, item alia κειμήλια: ita si cor est bonum, profert ex thesauro cordis bona, si est malum, profert abdite latentia mala.

Vt verbi caussa Epicurei, Stoici & Academici furores, omnes falsæ inuocationes, omnes corruptelæ veræ doctrinæ, magicæ incantationes, omnia periuria, omnes blasphemiæ omnia scandala, quibus præbetur occasio aliis maledicendi Euangelio, ingratitudo aduersus Deum, abiectio veritatis in confessione, iniustum silentium.

Recitaui breuem antithesin, cuius explicatio longum volumen desiderat, sed his generibus consideratis, multa affinia inde iudicari possunt.

De tertio præcepto.

VERSAMVR adhuc in explicatione primæ tabulæ Decalogi, quæ continet tria præcepta, quorum primum gubernat cor, alterum regit & moderatur linguam, tertium collocat hominẽ in congregatione Ecclesiæ, quia homo nõ est conditus ad latebras, quales quærunt & amant Monachi, sed Deus vult hominem aspici in clara luce & in oculis Ecclesiæ. Quare sicut primi & secundi præcepti vsus est priuatus: ita huius tertij præcepti vsus est publicus. Sicut enim Aristoteles in primo politicorum multis verbis disputat de hac sententia, quòd homo sit conditus ad ciuilem societatem: ita nos versantes in prima tabula Decalogi, sæpe repetimus hanc commonefactionem, hominem non tantùm debere priuatim pium esse & religiosum, sed etiam publicè, id est, in publica congregatione Ecclesiæ debere inuocationem, gratiarum actionem, & studium verbi diuini exercere. Hæc ideo dico, vt iuuentus intelligat ordinem præceptorum primæ tabulæ, & cogitet quo consilio tria præcepta in prima tabula disposita & dispensata sint.

Ante enarrationem huius præcepti auditor admonendus est

de vario vſu vocabuli ſanctificationis, & de diuerſis ſabbathi ſpeciebus, quarum fit mentio in ſacris literis. Ac primùm quidem ſanctificatio vſurpatur pro iis actionibus, in quibus ſe Deus Eccleſiæ communicat, & quæ viciſsim ornant gloriam Dei, vt cùm dicimus, Sanctificetur nomen tuum. Secundò, ſignificat approbationem ſeu conceſsionem diuinam, vt 1. Cor. 7. Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, id eſt, conceſſum & diuinitus approbatum eſt coniugium, in quo maritus & vxor habet diſsimiles ſententias de Deo: ſi modò perſona impia non abiiciat alteram, Et 1. Timoth. 4. Sanctificatur cibus per verbum Dei, & per precationem, id eſt, Cùm in vſu cibi aut aliarum rerum corporalium hæc quatuor concurrunt, videlicet congruentia operis cum verbo Dei, fides, gratiarum actio & petitio auxilij, vſus ille fit ſanctus, id eſt, opus à Deo approbatum, & Deo placens in credente. Tertiò, caſtitatem ſignificat, vt 1. ad Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis à ſcortatione, & poſsideat quiſque vas ſuum in ſanctificatione & honore. Et Heb. 12. Sectamini ſanctificationē, ſine qua nemo Deum videbit.

Tertium præceptū reſoluendum eſt per ἀνάλυσιν in ſuas partes & membra. Sunt autem duę partes huius præcepti. Prior loquitur de ſanctificatione: altera de Sabbatho. Sic enim verba ſonant, Memento vt diem Sabbathi ſanctifices. Ergo ante omnia dicēdum eſt de vocabulo ſanctificationis, ne aliquid obſcuritatis aut erroris relinquatur in ſermone. Sumus enim Grammatici in Eccleſia, non gignimus noua dogmata, vt Heſiodus in Theogonia fingit nouos Deos. Eſt autem triplex huius vocabuli vſus: primò ſanctificatio dicitur de iis actionibus, in quibus Deus ſe nobis communicat, & quæ viciſsim ornant gloriam Dei. Hac ſignificatione vtitur Dominus noſter apud Iohannem 17. in ardentiſsima precatione ante agonem recitata: Pater, inquit, ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas, id eſt: Communica te, tuam ſapientiam, iuſtitiam & vitam Eccleſiæ, quæ verbum tuum & eius veram atque natiuam ſententiam amplectitur & retinet ſine idolis & ſine blaſphemiis, & da, vt Eccleſia te viciſsim agnoſcat & celebret, nō ſolùm in hac mortali & fugaciſsima vita, ſed in omni æternitate. Idem dicitur in precatione Dominica, Sanctificetur nomen tuum, id eſt, Communica te nobis & tua dona, & perfice, vt nos te viciſsim agnoſcamus & celebre-

lebremus. Secunda significatio hæc est: Sanctificatio sæpe significat approbationem seu concessionem diuinam, vt 1. Cor. 7. agitatur à Paulo quæstio, an coniugia sint distrahenda, seu an sint facienda diuortia propter dissimiles opiniones de religione rebúsque diuinis, sicut hoc tempore sæpe in coniugio versantur maritus Lutheranus & mulier Papistica, aut mulier Lutherana & maritus Papisticus. De hac quęstione respondet Paulus, vt doctor sapiens & συμβιβαστικὸς, id est, amans consilia, quæ ad concordiam spectant, non ad distractionem. Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, & vicissim sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem: quasi dicat: Talis coniunctio, talis societas coniugalis non displicet Deo, nec propter diuersas opiniones de religione facienda sunt diuortia, nisi impia & idolatrica persona abiiciat & deserat alteram. Eadem significatione vtitur Paulus, 1. ad Timoth. 4. Sanctificatur cibus per verbum & precationem. Hæc sententia memoria repetęda est, quoties prandemus aut cœnamus. Non enim Ethnico more accedendum est ad mensam, sed more Christiano. Sanctificatur cibus, id est, vsus cibi & omnium rerum corporalium fit concessus per verbum & precationem, id est, si congruat opus cum verbo, & exerceatur in vsu cibi vel aliarum rerum corporalium fides, gratiarum actio, precatio. Tertiò idem vocabulum vsurpatur pro castitate, vt in dulcissimo dicto Pauli ad Timoth. 2. Mulier saluabitur per filiorum generationẽ, si tamen permanserit in fide, dilectione & sanctificatione, id est, castitate. Et 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, non est adiaphoron, sanctificatio vestra, id est, puritas mentis & corporis, seu vt vna voce dicam, castitas, vt abstineatis à fornicatione, & retineat vnusquisque vas suum, id est, suum corpus, quod est hospitium & receptaculum animæ, in sanctificatione & honore. Quare dicit in honore? Quia corpus nulla re magis deformatur & dedecoratur, & quasi concacatur, quàm libidinibus vagis aut incestis. Si igitur nulla alia esset caussa vitandi libidines, tamen hæc satis magna & iusta esset, quòd corpus deformatur, dedecoratur, polluitur libidinibus, & in summa, fit cloaca Diaboli. In hanc sententiã loquitur Paulus 1. Cor. 6. vbi seuerissimè prohibet vagas libidines. Libidinosus, inquit, peccat in proprium corpus. Est autem maius peccatum, proprium corpus deformare & violare, quàm alienum Hebr. 12. Sectamini sanctificationẽ, quia nemo sine sanctificatione Deum videbit. Deum non videre, est esse cæcum, amentẽ, præcipitem, furiosum, & instar canis

immundi & rabiosi ruere ex aliis sceleribus in alia, & præcipitari subinde in nouas & tragicas calamitates, quæ sunt initia mortis æternæ. Quia propria pœna libidinis est cæcitas, furor & amentia. Hæc vtinam sæpe consideraret iuuentus, cui Diabolus maximè insidiatur hoc genere peccati.

Sunt autem qninque species sabbathi, de quibus sacræ literæ concionantur. Prima est sabbathum creationis, de quo expressè in Mose dicitur [*Genes. 2.*] Postquá homo cõditus est, Deus cessauit alias res cõdere & creare, videlicet alios nouos mundos, aut nouas elementorũ & animantiũ species, sed cõdito homine quieuit Deus, quia vult in homine acquiescere, & eo delectari, & ei in tota æternitate communicare sese, suam sapientiã, iustitiam & lætitiam.

Sic argumentor contra primam speciem sabbathi: Deus est merus actus, vt veteres loquuntur, mera ἐντελέχεια, iuxta dictum Iohannis 5. Pater meus vsque modò operatur, & ego operor, id est, Deus nũquam cessat, nunquam quiescit, semper aliquid agit, semper aliqua opera molitur. Ergo non rectè tribuitur Deo sabbathum creationis, id est, quies. Sunt enim hæc pugnantia, agere & quiescere. Respondeo, Deus est merus actus, quo ad conseruationem & gubernationem, & sustentationem suorum operum, à quibus non discessit, nec discedet: In ipso sumus, viuimus & mouemur, Act. 17. Sed Deus dicitur quiescere, id est, cessare ab opere creationis, quia post conditum hominẽ nullam nouam speciem creauit, sed opera priùs condita conseruat & moderatur sua præsentia, sua sapientia, sua bonitate. Est autem prima species sabbathi testimonium illustre de duabus rebus maximis, primò de φιλανθρωπίᾳ & amore Dei erga genus humanum: secundò de dignitate ipsius humanæ naturæ. Quòd enim Deus ardenter diligat homines, testatus est ipso facto, quia post conditum hominem nihil noui creauit, sed voluit hominem esse vltimum opus, in quo acquiesceret & delectaretur. Deinde quòd sit hominis magna dignitas & præstantia, ex eo iudicari potest, quòd omnia sunt condita propter hominem, homo verò propter Deum. Ideo Deus non primo aut secundo, sed sexto, id est, vltimo die creationis condidit hominem, vt ordo creationis ostenderet, hominem esse finem aliarum rerum, & totum, vt ita dicam, laborem creationis susceptum esse hominis caussa, sed nos aut rarò, aut frigidè de his rebus cogitamus.

II. Species est sabbathum pædagogicum [*ceremoniale*] quia nos admonet de sabbatho creationis & de aliis speciebus, vt Exod. 20. scribitur, Memento vt diem sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die sabbathum est Domini Dei tui. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbathi, & sanctificauit eum, id est, destinauit rebus sacris.

Si quis putat ceremoniam fuisse indifferentem, quòd die septimo debebant quiescere homines & iumenta: is legat cap. 17. Ieremiæ, vbi est luculenta enarratio huius præcepti. Ibi enim proponũtur promissiones & comminationes. Cõminatio talis est, Si tu non sanctificabis diem sabbathi, sed facies operas seruiles impedientes ministerium, & non concedes quietem neque hominibus, nec iumentis, sed exercebis contractus &c. tunc ego accendam ignem in portis tuis, quem nemo poterit extinguere. Multæ ciuitates, multi pagi, multæ gentes dissipantur & delentur propter violationem sabbathi, quòd non obtemperant huic præcepto, Memento vt diem sabbathi sanctifices. Econtrà si tu seruaueris sabbathum, & obtemperaueris tertio præcepto, ego dabo tibi politiam florentem, vt videas reges tuos egredientes & ingredientes per tuas portas, &c.

Tertia species est sabbathum animæ, de quo concionatur epistola ad Hebræos cap. 4. Qui ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus. Et Christus Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem [*id est, sabbathum*] animabus vestris. Vt enim impij non habent portum, in quo acquiescunt, sed fluctibus dubitationum & errantium cupiditatum perpetuò agitantur, vt Esaię 57. scribitur: Impij quasi mare æstuans, quod quiescere non potest, non est pax impiis, dicit Deus meus: Ita piorum a-

Macarius homilia 35, item Hieronymus Esaię vltimo, vtũtur hac forma verborum: Pij quietẽ agunt à malis operibus, nec mouent se ad opus seruile peccati. Christus dicit Iohan. 8.

nimæ translatæ ex potestate tenebrarum in regnum lucis, [*Coloss. 1.*] habent remissionem peccatorum & tranquillã conscientiam, & lætantur non viribus naturæ nostræ, aut vllius creaturæ auxilio, sed Domino Deo suo, in quo iam viuunt vita æterna.

Qui facit peccatum, seruus est peccati, quia vnusquisque est seruus illius, cui obedit. Rectè ergo Hieronymus peccatũ vocat seruile opus, non libero homine dignum. Christiani sunt liberi homines iuxta illud, Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Ergo non debent sibi accersere seruitutem, quod fit peccãdo. Hæc est igitur descriptio veri sabbathi: Pij quietem agunt non à bonis, sed à malis operibus, nec mouent se ad opus seruile peccati. Quando tu reprimis cupiditatem vindictę, aut iniustum amorem, aut iniustam iram, aut ambitionem & superbiam, tunc celebras hoc sabbathum animæ, de quo dicitur Hebr. 4. Qui ingressus &c. & obtemperas dicto Christi, Discite à me &c. Quicunque verò indulget cupiditati vindictæ, aut est superbus, aut ambitiosus, ille nunquam potest conquiescere, sed noctes & dies agitatur fluctibus perpetuis errantium cupiditatum. Hanc sententiam venustissimè pinxit Esaias cap. 57. Et Genes. 4. de impio hypocrita Cain dicitur, Eris vagus & instabilis, id est, nõ habebis pacem, quietem, tranquillitatem, sed & corpus tuum vagabitur sine sede & domicilio, & animus tuus fluctuabit pauoribus, dubitationibus & aliis errantibus affectibus.

Quarta species est admiranda quies Filij Dei in passione. De hac specie loquitur Paulus Philipp. 2. Qui cùm esset in forma Dei, non rapuit æqualitatem Dei, sed semet ipsum inaniuit, forma serui assumta, & habitu inuentus est vt homo, & factus est Patri obediens vsque ad mortem. Et Irenæus lib. 3. Sicut homo erat vt tẽtaretur, sic & Verbum erat, vt glorificaretur, requiescente quidem Verbo, vt pollet tentari, crucifigi & mori.

Hanc quartam speciem non satis intelligimus in hac vita. Est enim magnum mysteriũ, quod perspiciemus in æterna vita. Deus est merus actus, vt sæpe dixi, & tamen λόγ⊙ in passione quieuit, hoc est, cessit iræ Patris propter nostram salutem, non exercuit suas vires, suum robur & potentiam diuinam in depellenda passione & morte carnis assumtæ, sed permisit, vt caro horribiliter laceraretur à Iudæis & gentibus, & siuit etiam suam carnem quiescere

quieſcere in ſepulchro vſq; ad tertium diem. Hoc magis poſſumus mirari, quàm enarrare.

Quinta eſt ſabbathum æternum, quod promittitur Eccleſiæ reſuſcitatę ex mortuis, Eſaię vltimo. Erit ſabbathum ex ſabbatho. Hoc ſabbathum celebrátes, tantùm ſancta opera faciemus. Quia nullus erit vſus culinæ coquendi cibos, & finem ſuum habebunt œconomicæ & politicæ actiones, quæ ſunt vel officia, vel opera debita ex contractibus. Ad hoc ſabbathum initia vitæ æternæ afferamus, & nihil aliud in hac vita peregrinationis noſtræ meditemur, niſi quia & hic non ſemper erimus, & ibi nobis locum bene viuendo præparabimus, vnde nunquam migremus, vt Auguſtinus ait tractatu 31. in Iohannem.

Tota hæc vita nihil aliud eſt quàm peregrinatio, ſicut inquit Iacob Geneſ. 47. Dies peregrinationis meæ pauci & mali. Et Paulus 2. Cor. 5. comparat hanc vitam tabernaculo, ſed vitam æternam comparat ædificio firmo & ſtabili, quod neque à ventis, neque à pluuiis poteſt euerti.

Quæ ſunt officia doctorum in Eccleſia?

Miniſter Euangelij doceat Legem & Euangelium, & adminiſtret Sacraméta à Chriſto inſtituta, & puniat contumaces, non vi corporali, ſed verbo Dei, & legitima excommunicatione, & recipiat eos, qui ſe emendant, ac remiſsionem peccatorum eis annuntiet: præterea timeat Deum, & moribus honeſtis ornet doctrinam, & ſit in primis amans veritatis, & inimicus ſophiſticæ, & ſtudioſus cõcordiæ publicæ, poſsit etiam flectere animum, vt quædam

Id eſt, vt Chriſtus inquit apud Matth. Proferat ex theſauro ſuo vetera & noua: & Paulus iubet ſermonem Dei rectè ſecare, id eſt, rectè diſcernere Legem ab Euangelio.

In miniſtro Eccleſiæ duo ſunt ſpectanda: primò doctrina, deinde vita & mores. Ac quando hęc duo inter ſe congruunt, nulla ſuauior harmonia, nullus concentus dulcior cogitari poteſt.

incommoda ferat ac diſsimulet, nec concordiam publicam turbet.

Verùm ſi vita pugnat cum profeſsione, illud accidere ſolet, quod venuſtè dixit Nazianzenus, Qui bene docet, & malè viuit, quod vna manu ædificat, hoc altera deſtruit, & quod vna porrigit, altera rurſus eripit. Sed tamen ſi alterutro carendum eſt, malo ego doctrinam puram & ſinceram, quàm ſimulationem ſanctitatis & probitatis coniunctam cum præſtigiis, impoſturis & corruptelis doctrinæ. Sic Cicero inquit, Malo indiſertam prudentiam, quàm ſtultam loquacitatem, quaſi dicat: Etſi valdè neceſſaria eſt, & laude ac prædicatione digna, ſapientia & eloquentia copulata, tamen ſi hæc duo non poſſunt coniungi, ſatius eſt carere eloquentia quàm ſapientia. Ita nos poſſumus dicere de miniſtris Euangelij, qui ſunt oratores in Eccleſia, ſi non omnino vita congruit cum doctrina, tamen ſatius eſt, doctrinam eſſe ſinceram & incorruptam. Quales autem mores requirantur in miniſtro Euangelij, docet Paulus in epiſtola ad Timoth. 3. & Tit. 1.

Quæ ſunt auditorum Euangelij officia?

Auditores diligenter diſcant Euangelium, & piè vtantur Sacramentis, & Deo gratias agant pro inſtituto miniſterio, pro cõſeruatione Eccleſiæ, pro conſeruatione Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum, & precentur in publica congregatione pro Eceleſiis, politiis & œconomiis, & ſuis exemplis ornent Euangelium, veneretur etiam pios miniſtros, & ſoluant eis debitas mercedes, denique obediant eis iuxta Euangelium.

Dixi ſuprà in admonitionibus neceſſariis ad intelligẽtiam Decalogi, duplicia eſſe mandata, alia abſoluta, alia relatiua. Sunt autem duo relatiua mandata in toto Decalogo, tertium & quartum præceptum, quia non poſſunt hæc enarrari ſine mutua collatione certarum perſonarum. Sicut quartum præceptum concionatur de officiis gubernatorum & ſubditorum, parentum & liberorum, dominorum & ſeruorum, præceptorum & diſcipulorũ: ita tertium præceptum educit nos ex latebris, & collocat nos in luce Eccleſiæ,

Ecclesiæ, videlicet in publica congregatione, & attribuit certa officia non modò doctoribus & ministris, sed etiam ipsis auditoribus. Ac de officiis doctorum breuiter diximus, nunc consideremus, quę sint officia auditorum. Primum ac præcipuum est, reuerenter audire vocem ministerij publici: proximum est, piè vti Sacramentis: tertium, in publica congregatione inuocare Deum, & ei gratias agere pro omnibus beneficiis spiritualibus & corporalibus, publicis & priuatis: quartum est, ornare professionem Euangelij bonis exemplis, ne nomen Dei propter nos blasphemetur inter gentes, Rom. 2. Postremum officium est, tribuere ministris non modò honorem debitum, sed etiam victum & defensionem, sicut Paulus inquit, Qui fideliter seruit, duplici honore dignus est, id est, victu & defensione.

Antithesis.

Peccata pugnantia cum tertio præcepto, sunt omnes corruptelæ doctrinæ & prophanationes Sacramentorum, & Scandala deformantia ministeriũ & Ecclesiam, neglectio, contemtus, odium, denique omnia impedimenta studiorum doctrinæ, quæ sunt Ecclesiæ necessaria.

Si non essent Scholæ magnæ & paruæ, quomodo posset conseruari ministerium? Quid sunt scholæ? Sunt plantaria Ecclesię, id est, hortuli in quibus plantæ educantur, transferendæ in alios hortos, vt fiant arbores magnæ. Sic hæc schola & aliæ omnes Christianæ scholæ sunt seminaria Reip. & plantaria Ecclesiæ, imò si rectè volumus iudicare, scholæ sunt bona & magna pars Ecclesiæ Dei: Etsi enim in cœtu scholastico multi sunt hypocritæ, tamen magna pars celebrat Deum, & in hac vita, & in futura vita. Sic Deus ipse nominat scholas & Ecclesias Esai. 51. Posui verba mea in ore tuo, & vmbra manus meæ protego te, vt plantes mihi cælos, id est, cælestes hortulos, plantaria, seminaria.

Enarratio ſecundæ tabulæ.

De quarto præcepto.

CAP. VI.

HOnora patrem & matrem &c. Dictum Siracidæ cap. 3. Honora parentes ſermone, opere & patientia, tres gradus honoris complectitur, quorum primus eſt agnitio ordinis diuini, in quo lucet ſapiẽtia, iuſtitia, bonitas & præſentia Dei. Conſpicitur enim iuſtitia Dei in pœnis politicis, & bonitas in cõſeruatione ſocietatis, deniq; totus ordo politicus plenus eſt teſtimoniorum ſapientiæ & præſentiæ Dei in genere humano, quod ideo conſeruatur diuinitus, vt inde Eccleſia colligi poſſit.

Memorabile dictum eſt in 3. capite Siracidis, quod explicat rotundè & breuiter quartum præceptum. Honora, inquit, parentes tuos tribus modis, primùm ſermone, vel quod idem eſt, opinione, quia omnis ſermo formatur cogitatione, deinde ipſo opere ſeu ipſo facto, tertiò patientia. Quid eſt ſermo, vel opinio, honorifica, quam poſtulat Siracides à liberis & omnibus ſubditis? Reſpondeo: Hic primus gradus eſt agnitio ſapientiæ, iuſtitiæ, bonitatis & præſentiæ Dei in ordine politico & œconomico. Primùm enim ſapientia conſpicitur in ipſo ordine legum, contractuum, & in diſcrimine virtutum & vitiorum. Deinde lucet bonitas Dei in conſeruatione humanæ ſocietatis, quam conatur Diabolus mille modis diſſipare, partim homicidiis, partim mendaciis. Tertiò, videre licet in ordine politico & œconomico expreſſa veſtigia diuinæ iuſtitiæ, videlicet in pœnis & ſuppliciis improborum, & in æqualitate, quæ exerceturin iuſtis ac legitimis contractibus: denique totus ordo politicus & œconomicus plenus eſt teſtimoniorum præſentiæ Dei in genere humano. Niſi enim adeſſet Deus parturientibus, quis noſtrum editus eſſet in lucem ſaluus & incolumis? Niſi Deus defenderet parentes & liberos noctes & dies, Diabolus omnes interficeret aut ruinis ædium, aut incendiis, aut ſubitis tempeſtatibus, aut aliis mille modis.

Secun-

Secũdus gradus est vera cordis reuerentia & subiectio erga parentes, & legitimos magistratus. De hoc gradu Paulus inquit Rom. 13. Necesse est obedire, non solùm propter iram, id est, pœnam, sed etiam propter conscientiam.

Ira sæpe significat pœnam Hebraica phrasi. Est autem hoc dictum Pauli adamantinum vinculum obedientiæ ciuilis. Vbicunque in corde est vera reuerẽtia & subiectio, ibi sponte præstantur omnia debita officia.

Tertius gradus est ἐπιείκεια, æquitas in toleranda infirmitate parentum & magistratuum. Ad hunc gradum pertinet regula à Petro tradita 1. Petr. 2. Obedite dominis, non solùm bonis & æquis, sed etiam morosis & durioribus.

Patientia, de qua in Siracidis dicto fit mentio, est æquitas & lenitas eleganter tolerans aliqua leuia errata, & aliquas infirmitates gubernatorum. Non est enim iustus in terra, qui non peccet, inquit Ecclesiastes cap. 3. Ac præcipuè gubernatores non possunt omnia ita administrare, vt nulla accidant errata, nulla σφάλματα. Tu quidem, qui adhuc es in numero subditorũ aut discipulorum, hãc habes imaginationem valde suauem, Me regem esse oportuit, si ego essem gubernator, ego omnia sic administrarem, vt nemo haberet, quod in me posset desiderare: sed si quando fueris collocatus, non dico in magna naui, qualem rexerunt Argonautæ, sed in parua aliqua cymbula duorum scalmorum, ipse euentus refutabit hanc tuam imaginationem, & reipsa experieris, te fuisse stultũ & ineptum admiratorem propriæ sapiẽtiæ & industriæ, & te erasse in eo, quòd aliorum leuia errata & σφάλματα exagitasti.

Postquam autem de subditorum officiis dictum est, nunc de gubernatoribus dicendũ est, quorum officia Rom. 13. & aliâs sæpe describuntur. Vult enim Deus, gubernatores esse scuta terræ, id est, custodes disciplinæ & pacis, & nutritios Ecclesiæ, adiuuantes omni officio propagationem doctrinæ, vt Psalm. 47. dicitur, Principes populorum congregati sunt cum populo Dei Abraham, quo- id est, cum vera Ecclesia.

Hic versiculus de tribus rebus commonefacit gubernatores: primùm de adiunctione seu

niam Deus à ſcutis terræ vehementer eleuatus eſt.

aggregatione ad Eccleſiam, vt ſe coniungat cum vera Eccleſia. Nam vt omnium hominum ſine exceptione præcipua cura eſſe debet, vt ſint membra & ciues veræ Eccleſiæ, ita etiam Principes non ſint hoſtes Eccleſiæ, non alieni ab Eccleſia, ſed huic corpori inſerantur per baptiſmum & per totum miniſterium. Deinde hic verſus commonefacit gubernatores de officio: appellat enim diſertè gubernatores ſcuta terræ, id eſt, defenſores & cuſtodes diſciplinæ ac pacis. Sed vnde ſumta eſt metaphora? Apud Homerum & Ouid. 16. Metamorph. deſcribitur ſcutum Aiacis, ſeu clypeus. Aiax Telamonius fuit vir grandis, procereſtaturę, eminens ſupra alios homines, & inſtructus diuino robore animi & corporis. Hunc armatum ingenti ſcuto ſeu clypeo, vocat Homerus μέγα ἔρκος Ἀχαιῶν, id eſt, magnum ſeptum Græcorum. Vt enim non facilè tranſiliri poteſt ſepes grandis, qua muniuntur agri: ita Aiax fuit ſcutum & ſeptum magnum ſeu firmum præſidium Græcorum cõtra Troianos, & multi potuerunt latere in tutela & præſidio Aiacis: ita omnes gubernatores debent ſuorum ſubditorum eſſe ſcuta ſeu magna ſepta. Tertiò, quare Pſalmus dicit, Deus eleuatus eſt vehementer? Vt ſignificet, Principes & alios gubernatores conuerſos ad Deum, eſſe præcipua membra Eccleſiæ, & Deum exaltari ab ipſis non ſolùm illis officiis, quibus adiuuant conſeruationẽ miniſterij, & propagationem doctrinæ, ſed etiam exemplis bonis, quæ multi imitantur, & quibus plurimi inuitantur ad ſocietatem Eccleſiæ. Conſtantinus Magnus fuit pius Princeps, & verum Eccleſiæ membrum. Hic non tantùm defendit Eccleſiam contra Tyrannos, Maxentium, Licinium & alios, ſed etiam ſuo exemplo plurimas gentes pertraxit ad ſocietatem Eccleſiæ. Qualis enim rex eſt, tales ſunt ſubditi. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Si Principes harum regionum non eſſent Chriſtiani, non amplecterentur Euangelium, vbi manerent Scholæ? vbi manerent miniſtri Euangelij? Aut nullæ eſſent Scholæ, aut non eſſent rectè inſtitutæ, aut nulli eſſent miniſtri in his regionibus, aut eſſent oppreſi tyrannide. Iam cùm Deus dederit his regionibus pios & mediocres gubernatores, ſtudia mediocriter florent, & quia Principes ſunt amantes religionis & eam defendunt, eorum exemplo inuitantur multi, vt ipſi quoque ament & diſcant Euangelium.

Et Pſalmo 102. Cùm colligentur populi in vnum & regna, vt ſeruiant

ſeruiant Domino. Hic dulciſsimus verſiculus concionatur Principibus & populis, ac præcipit vtriſque, vt conueniant, id eſt, tueantur communem congregationem & miniſterium vocis diuinæ, & diſcant veram doctrinam, & vero conſenſu Deum inuocent, & doctrinam conſeruare ſtudeant. Huius autem pij conſenſus reges debent eſſe duces & auctores.

Hæc breuiter ſint dicta de officio gubernatorum in Republ. de quibus extant longa volumina veterum & recentium ſcriptorum. Plato in libris de Legibus, & Iuriſconſulti in Pandectis, & alij ſcriptores prolixè philoſophantur de officiis regum, Principũ & aliorum gubernatorum. Summam verò nos breuiter complexi ſumus, ſicut & Ariſtoteles in libr. 5. Ethic. vna definitione omnia comprehendit, quæ poſſunt verè, eruditè, & vtiliter dici de hac materia. Magiſtratus, inquit Ariſtoteles, eſt cuſtos legis, id eſt, eſt vox Decalogi, vt nos interpretamur in Eccleſia, repetit & ſancit Decalogum, & addit Decalogo ſuas quaſdam leges poſitiuas. Deinde eſt executor legis, partim in defenſione iuſtorum, partim in pœnis & ſuppliciis improborum.

De officiis parentum inſigne præceptum traditur Epheſ. 6. Educate liberos veſtros in doctrina & diſciplina Domini. Cùm enim diſciplina non ſufficiat, iubet Paulus addi doctrinam Domini, quæ nõ poteſt tradi ſine lectione & cognitione ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum. Neceſſaria ſunt igitur in familiis ſtudia literarum. Etſi enim certis perſonis gubernatio Eccleſiæ cõmendata eſt: tamen omnes pueros & puellas noſſe ſummam doctrinæ cæleſtis neceſſe eſt.

Hęc de quarto præcepto. Si enim vellemus omnia cõplecti, quæ ad hoc præceptũ pertinent, vix vnius anni ſpatium nobis ad enarrãdum hoc præceptum ſufficeret. Reliqua, quæ hic omitto breuitatis cauſſa, in Ethicis & alibi traduntur. Inſigne dictum eſt Pauli ad Eph. 6. quod iam annotaſtis, de liberali & Chriſtiana inſtitutione iuuentutis. Educate, inquit Paulus, liberos veſtros in doctrina & diſciplina Domini. Iam conſideretur diſcrimen inter educationem Ethnicam & Chriſtianam. Cicero filium ſuum liberaliter curat inſtitui & educari, & ſcribit ab eum tres libros de officiis,

sed hæc omnia tantùm pertinent ad disciplinam, quæ est opus humanæ rationis: nondum verò tradit Cicero filio suo doctrinam Domini, quam nos vocamus Catechesin Christianâ, seu breue Euangelium. In Ecclesia verò alia debet esse forma institutionis liberorum, quia liberis Christianis non tantùm sunt proponenda præcepta de honesta gubernatione vitæ & morum, sed præcipua cura teneris mentibus instillanda est doctrina propria Ecclesiæ, & quæ Ecclesiam, ab aliis sectis discernit. Sed non volo in re manifesta immorari. Sequitur quintum præceptum.

De quinto præcepto.

Non occides.

ETSI exhauriri sapientia Legis diuinæ non potest, tamen de eius auctoritate, quæ immota est, & de causis sæpè & reuerenter cogitandum est. Vtilitas huius Legis, Non occides, manifesta est. Vult enim Deus conseruari societatem generis humani. Ac ipsi cruciatus conscientiæ in nece iniusta, qui naturaliter sequuntur, ostendunt talia facta iniusta esse. Deinde στοργαὶ in natura humana appetunt conseruationem cognati sanguinis. Et quanquâ alij sunt propiores, alij longiùs distant à stirpe, tamen communis cognatio est inter omnes homines propagatos ab Adam, vt præclarè dixit Augustinus lib. 14. de ciuitate Dei cap. 1. Deus ex homine vno voluit homines instituere, vt humanum genus non solùm naturę similitudine consociatum, verùm etiam quadam cognationis necessitudine in vnitatem concordem pacis vinculo colligatum esset.

Id est, propagari, nasci.

Paulus Act. 17. in concione verè philosophica ad populum Athenienſem, inter alia sic inquit: Deus voluit ex vno sanguine, ex vna guttula sanguinis, totum genus humanum propagari, quasi dicat: Deus potuisset, si voluisset, ita condere genus humanum, sicut condidit naturam Angelicam. Angelos enim simul condidit vno & eodem momento, éstque maxima similitudo naturæ inter angelos, tâquam Spiritus. Sed aliud fuit consilium Dei in creatione & propagatione generis humani. Non enim omnes homines

mines simul & semel condidit, sed primus homo fuit Adam, ex huius latere seu costa extructa atque ædificata est Eua vxor, vt loquitur Scriptura venustissimè & disertissimè cap. 2. Genes. Abhis duobus hominibus Adam & Eua, nos omnes & singuli, quoquot in terra viuimus, aut viuemus, aut viximus, propagati sumus. Quam ob caussam? De hac quæstione satisfacit tibi Augustinus inquiēs, Deus ideo voluit ab vno homine, vel abvno sanguine, vt Paulus loquitur in Actis, totum hominum genus propagari, vt essemus consociati non tantùm naturæ similitudine, sed etiam cognationis seu cognati sanguinis arctissimo vinculo & necessitudine. Est igitur quoddā naturale & commune fœdus omnium hominum, seu naturalis obligatio, vt loquuntur Iurisconsulti, de qua Propheta Esaias cap. 58. inquit: Carnem tuam, id est, cognatum sanguinem propagatum ab Adam, sicut & tu es propagatus, ne despexeris, noli contemnere. Quando vides pauperem mendicum, & Lazarum scatentem vlceribus, noli eum auersari & abominari, sed memor esto dicti Prophetici, carnem tuam ne despexeris.

Sunt autem & aliæ caussæ huius Legis. Non vult Deus à Diabolis & hominibus trucidari Dominum nostrum Iesum Christum, qui est imago æterni Patris. Ad hunc Filium Dei Lex illa primùm referatur. Deinde nec reliquam massam naturæ humanæ vult Deus deleri, quæ est domicilium Dei, & in qua lucet Filius, qui est imago æterni Patris.

Loquor de piis.

λόγῳ æterni Patris, Iohan. 1. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.

Vnde sumimus hanc caussam? an ex philosophia? non, sed ex dicto Genes. cap. 9. vbi Deus post diluuium repetit Legem, Non occides. Quicunq; fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius per hominem, id est, per magistratum. Quæ est ratio huius seueritatis? sequitur in textu, quia homo ad imaginē Dei factus est, vel, quod idem est, homo est imago Dei. Exemplúmq; Dei quisque est in imagine parua. Hanc suam imaginem non vult deleri aut destrui Deus, non vult interfici hunc suum sacerdotem & hoc domiciliū, in quo Filius vnà cum Patre & Spiritu sancto habitat & lucet. Cùm autem Filius Dei sit imago nō quidem creata, vt nos, sed essentialis & subsstātialis æterni Patris, primùm hæc Lex ad ipsum accommo-

detur. Sed contrà disputet aliquis, Nónne oportuit Christum pati & interfici? quomodo igitur hæc Lex pertinet ad Christum? Respondeo. Deus voluit obedientiam Filij in morte & passione, hanc approbat, hanc vult, & hanc compensauit inenarrabili gloria, de qua dicit Christus Lucæ vltimo: Nónne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? Et Philipp. 2 dicitur: Propterea exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen supra omne nomẽ &c. Sed Deus non voluit, id est, non approbauit sæuitiam, quam Diaboli & eorum organa exercuerunt in Filium Dei, etiamsi volens & certo consilio permiserit eos sæuire.

Cùm pecudes interficiuntur, nihil pecudis supereſt, quod viuat, nec pecudes ad æternæ vitæ societatem conditæ sunt, & subiecit eas Deus hominum dominio. At trucidato Christo, supereſt diuina natura [λόγος] sociam massam desiderans, & vindictam ordine iustitiæ poscens. Trucidato etiam alio homine contra Legem Dei, supereſt anima desiderans sociam massam & vindictam poscens, sicut scriptum est [*Gen. 4.*] Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

Apud Senecam in quadam Tragœdia hoc præceptum traditur iudicibus, vt abstineãt ab effusione iusti & innocentis sanguinis. Iudex futurus, inquit Seneca, sanguine humano abstine, scilicet iusto & innocenti. Nam scelera nostra, scilicet Principum, gubernatorum, maiore vindicantur modo. Hæc sententia Senecæ grauissima congruit cum libro sapientiæ, vbi scribitur, Potentes, id est Tyranni, potenter tormenta patientur. Sicut enim delicta sunt atrociora in Tyrannis & omnibus iniustis gubernatoribus: ita etiam pœnæ erunt maiores, quia Deus seruat æqualitatem Geometricam in distributione præmiorum & pœnarum.

Nec homo sic in potestate sua est, vt ius habeat dissoluendæ copulationis animæ & corporis, quam condidit Deus, vt esset perpetua.

Sic argumentor: Scienti & volenti non fit iniuria. Cato Vticẽsis sciens & volens sibi necem conscíuit. Ergo Cato non fecit sibiipsi iniuriam. Aristoteles in postremo capite 5 Ethicorum agitat hanc quæstionẽ, an possit aliquis sibiipsi facere iniuriam. Respondeo ad Maiorem, Volenti, scilicet eam

eam rem, quam habet in ſua poteſtate. Nemo autem eſt Dominus ſuorum membrorum, vt rectè dicunt Iuriſconſulti. Deus inquit Leuitici 25. in deſcriptione anni Iubilæi: Terra mea eſt, vos tãtùm coloni mei eſtis. Et in Pſal. 24. dicitur, Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo. Ex his dictis & ſimilibus extruuntur regulæ pulcerrimæ, quæ ſæpe repetũtur: Lex magis eſt domina noſtrarum rerum, quàm nos ipſi. Qui enim Legem iubet præeſſe, Deum præficit, dicit Ariſtoteles 3. politic. Itẽ, Nemo eſt dominus ſuorum membrorum. Ergo Cato peccauit, & quidem atrociter, quòd ſibi necem cõſciuit, & magis peccauit, quàm ſi alienum interfeciſſet: quia maius ſcelus eſt, proprium corpus violare & deſtruere, quàm alienum, teſte Paulo 1. Cor. 6. vbi dicit, ſcortationem eſſe turpiſsimum ſcelus, quia alia peccata ſunt extra corpora, hoc verò peccatum committitur in ipſo corpore.

Hæ tantæ cauſſæ in Lege, Non occides, conſiderandæ ſunt. Ac de prioribus cauſsis ſæpius loquuntur homines, quæ ab vtilitate ſumtæ, ſunt magis conſpicuæ, ſed poſteriores illæ oriuntur à ſapientia & iuſtitia Dei.

Breuiter & Dialectico more repetam cauſſas. Prima cauſſa huius præcepti, Non occides, ſumitur ab vtilitate, quia ſi nemo obtẽperaret huic præcepto, ſed omnes facerent ei contraria, quid ſequeretur? promiſcuæ cædes in toto genere humano. Secunda cauſſa, ſumitur à volũtate Dei. Deus vult conſeruari genus humanum, non deſtrui. Tertia ſumitur à cruciatibus conſcientiæ, qui ſequuntur necem iniuſtam, vt Cain poſt interfectum fratrẽ obiurgatus à Deo, Vbi eſt frater Abel? mox exclamat, fractus deſperatione, Maior eſt iniquitas mea, quàm vt poſsit remitti. Quarta cauſſa ſumitur à φιλοστοργία, id eſt, à naturali beneuolentia erga cognatum ſanguinem. Omnes ſumus propagati ab vno ſanguine, & ab vno Adam, ergo nemo deſpiciat, nemo lędat ſuam carnem. Poſtrema eſt omnium maxima & grauiſsima, quæ recitatur Geneſ. 9. Quia homo eſt imago Dei, hanc imaginem non vult deleri, non deſtrui, non violari. Hæc cauſſa primùm accommodetur ad Chriſtum, poſtea ad ceteros homines.

De ſexto præcepto.

Indidit Deus omnibus angelis & hominibus notitias virtu-

tum, & in his intellectum caſtitatis. Quia vult intelligi, qualis ſit ipſe, & ſe diſcerni vult à malis & immundis naturis. Vult etiam nos cum ſua ſapientia & voluntate congruere. Sed quia radius lucis diuinæ inſitus menti hominũ de caſtitate obſcurior erat, ideò mox poſt creationem mandatum expreſsè traditum eſt, Erunt duo in carnem vnam, id eſt, inſeparabiliter iuncti. Hac voce ſancitum eſt coniugium, & tradita prohibitio omnium vagarum libidinum. Ac ne exiſtimemus, pollutos adulteriis aut aliis libidinibus prohibitis ruere in exitium caſu & ſine conſilio Dei, multa ſunt in diuinis dictis & hiſtoriis teſtimonia propoſita, quæ affirmant, diuinitus hæc ſcelera puniri, vt ſcriptum eſt, Scortatores & adulteros Deus iudicabit. Et in hiſtoria deletionis Sodomæ dictum eſt, Pluit Dominus ignẽ & ſulphur à Domino. Id eſt, puniet.

Deus ſparſit gratam ſui nominis famam, non tantùm in artibus, ſed etiã in virtutibus. Ideo nefas eſt negligere & non facere eius mentionem, quoties vel de artibus, vel de virtutibus oratio habetur. Ac vt iam de artibus nihil dicam, notitiæ quidem virtutum à Deo humanis mentibus ſunt inſitæ, quia Deus vult agnoſci, qualis ſit ipſe, & diſcerni ab omnibus malis, iniuſtis & immundis naturis, hoc eſt, Diabolis & eorum organis. Vult etiam nos cum ſua ſanctitate, iuſtitia & voluntate congruere, ſicut Paulus inquit 1. ad Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis à fornicatione, & ſciat vnuſquiſque vas ſuum, id eſt, corpus ſuum poſsidere in ſanctitate & honore: ſed inter omnes notitias virtutũ nulla eſt obſcurior, & de nulla aſſenſus eſt languidior, quàm notitia de caſtitate. Ideo Deus mox poſt cõditum genus humanum ſanxit legem coniugij, Erunt, inquit, duo in carnem vnam, id eſt, inſeparabiliter iuncti, vnus mas & vna fœmina. Ac ne quis exiſtimet, pœnas adulterij & aliarum libidinum eſſe fortuitas & caſuales, & non regi conſilio Dei, Scriptura & dicta proponit, & horum dictorum, tanquam regularum, exempla valde horribilia, quæ declarãt, quæ ſit voluntas Dei, & quantoperè Deo diſpliceat adulterium & vagæ libidines. Ex multis verò duo nũc eligamus breuitatis cauſſa. Ad Hebræos vltimo, Scortatores & adulteros Deus puniet: quod ita intelligatur, Deus punit aut immediatè ſine miniſterio creaturarũ, aut punit mediatè per Angelos & homines. Immediatè deleuit

Deus

Deus totum mundum diluuio, & Sodomam igne & sulphure. Scribitur autem disertè Genes. 19. Pluit Dominus, id est, Filius Dei, à Domino, id est, ab æterno Patre. Hoc dictum perpetua memoria dignũ est, quia discernit Patrem à Filio, & Filium à Patre, & est illustre testimonium de distinctis personis diuinitatis. Deinde altera caussa est, quare hoc dictum debeat imprimi nostris pectoribus, non aliter quàm imago sigilli imprimitur cerę, quia testatur, Filium Dei fuisse executorem harum pœnarum, cùm quidem hæc persona diuinitatis fuerit hospes Abrahami Genes. 18. Abraham vidit tres, & adorauit vnum, videlicet Filium Dei, euntem inter duos Angelos. Vt autem Filius Dei est medicus piorum, & hospes & conuiua habitans in ipsorum pectoribus per fidem, Ephes. 3. ita est seuerus iudex & exsecutor pœnarum, quas merẽtur contumaces in atrocibus delictis, vt in Epicureo contemtu Dei & ministerij Euangelij, in parricidiis hominum innocentum, in flagitiosis libidinibus &c.

Intelligamus igitur voluntatem Dei immotam, & ordinem à Deo institutum, audiamus vocẽ diuinam, & intueamur pœnas, ac reuerenter Deo obtemperemus, & sciamus eum hac obedientia coli velle. Hæc etsi longiore declaratione indigent, tamen nũc breuiores sumus, quia proprium locum commemorationi de castitate & de coniugio infrà tribuemus.

Post Locum, in quo nunc versamur de Lege, sequetur alius titulus de prẽceptis & consiliis. In eo titulo etiam fiet mentio castitatis, in fine verò Locorum Theologicorum extat titulus de coniugio: ergo in his duobus titulis erit hæc doctrina vberiùs explicanda & declaranda.

De septimo præcepto.

Non furtum facies.

Condita Ecclesia, & sancita Lege cõiugij, institutum etiam est dominium rerum corporalium, quæ necessariæ sunt vitæ corporali. Est autem ordinatum dominium his verbis, Genes. 2. Subijcite vobis terrã, & dominamini piscibus maris, id est, Generi humano trado hoc ius, vt de vsu harum rerum tales ordinationes fa

ciat, quæ prosint ad æqualitatem, conseruatricem societatis. Hac Lege & distinctio dominiorũ & contractus comprehenduntur. Post diluuium verò Genes. 9. hæc eadem Lex repetita est.

Post conditos homines & institutum coniugium, Deus sancit dominium rerum corporalium, inquiens Gene. 2. Subiicite vobis terram, id est, Colite terram, estote agricolæ, & plantatores, subijcite vobis terram colendo & plantando, & dominamini piscibus maris &c. Ex his verbis colligitur, quatuor rationes comparandi victum maximè naturales esse, vt etiam Aristoteles docet in primo politicorũ. Prima ratio est agricultura, cuius laudatio extat apud Xenophontem in libro de re familiari tuenda, & apud Aristotelem in 1. libro Oeconomico, vt alios auctores omittã, qui agriculturam laudibus in cœlum extulerunt. Altera ratio est piscatio, tertia aucupium, quarta venatio. Hæ quatuor rationes comparandi victus recensentur in dicto Genes. 2. & Genes. 9. post diluuium. Quid autem de alijs rationibus comparandi victum existimandum sit, Aristoteles præclarè docet in 1. Politicorum, vbi de fœneratoria inquit: Meritò odio digna est, quia vtitur nummo tãquam re fructificante, cùm quidem nummus sit natura sterilis, & omnis fructus expers ac vacuus. Ergo agricultura (vt de alijs nõ dicam) est iustissima & maximè naturalis ratio comparandi victum, quia vtitur rebus fructificantibus. Sed de hac re alio loco erit dicendum.

Primùm igitur hæc Lex sit nobis testimonium contra fanaticos, qui fingunt Deo displicere distinctionem dominiorum.

In Ethicis diximus, quid Plato in libris de Repub. scripserit de communione rerum, & quomodo Aristoteles in 2. Politicorum hanc Platonicam communionem refutauerit. Ibi etiam diximus de furore Anabaptistarum, qui conantur hominibus persuadere, vt omnes facultates conferant in commune. Est autem præceptum, Non furtum facies, expressa refutatio Anabaptisticæ & Platonicæ communionis.

Deinde gratias agamus Deo, qui contractus miranda sapientia ordinauit, vt iusta communicatione rerum genus huma-

Contractus sunt testimonia de sapientia & iustitia Dei. Non enim tantùm instituti sunt & ordinati contractus propter vtilinum

num conſeruetur, & intelligamus, Deum eſſe iuſtũ, id eſt, æqualem, iuxta regulam quam propoſuit.

tatem & neceſsitatem, de qua dicit Xenophon in Oeconomico: Natura alterum alterius indigere voluit, quia quod vni deeſt, præſtò plerunque eſt alteri: ſed præcipuè hi contractus ordinati ſunt, vt ſint monitores & concionatores de iuſtitia & ſapientia Dei. Nam ſapientia Dei & iuſtitia ordinat & amat æqualitatem, quæ eſt conſeruatrix omnium congregationum & ſocietatum, ſicut econtrà inæqualitas deſtruit genus humanum, & eſt fons omnium ſeditionum, bellorum & diſsipationum in genere humano. Quoties igitur exerces cõtractum cum altero, emis, vendis, locas, conducis, cogites te commonefieri de maximis rebus, videlicet de ſapientia Dei, ordinante contractus, & de iuſtitia, id eſt, de æqualitate ſeruanda in contractibus, vt agnoſcas, Deum eſſe iuſtum, id eſt, æqualem, ſine προσωποληψία.

Poſtremò reprimamur voce Dei, & pœnarum metu, vt abſtineamus à rebus alienis, & nec voluntas, nec manus ſint auidæ rerum alienarum.

Laudatur à Cicerone dictum Periclis gubernatoris Attici, qui dixit ad Sophoclem poëtam, collegam in gubernatione: Decet gubernatorem non modò manus habere abſtinentes, ſed etiã oculos cõtinentes. Non ſatis eſt te manus reprimere, niſi etiam cõtineas oculos, & cogitationes, & affectus, qui inordinatè inhiant alienis rebus. De hac ſententia plura dicenda erunt infrà in nono & decimo præcepto, Non concupiſces.

De octauo præcepto.

Non dicas falſum teſtimonium.

BONE Deus, quoties ſumus vno die falſi teſtes! Præcipitamus iudicia noſtra, indulgemus ſuſpicionibus, & deformamus homines abſentes & ignotos, quorum nec doctrina, nec vita nobis nota eſt: & interrogati, cur hoc faciamus, reſpondemus, Quia alij hoc faciunt: Sed non eris in illo die excuſatus, ſi dixeris, Quia hic vel ille cõdemnauit. Audi priùs vtramque partem, & ſine præiudicio iudica rectè, iuxta regulas in verbo Dei propoſitas.

Præcipuæ virtutes ſecundæ tabulæ ſunt iuſtitia, caſtitas & veritas, quæ amandæ & colendæ ſunt, non tantùm propter neceſsitatem & vtilitatem, ſed multò magis propter agnitionem & inuocationem Dei. Nec Deum, nec hoſtes Dei Diabolos cernis oculis corporis, ſed mente facienda eſt firma diſtinctio, conſideratis proprietatibus. Deum agnoſcis omnipotentem, ſapientem, bonum, beneficum, æqualem, iuſtum, iudicem, caſtum, veracem, miſericordem, liberrimum, qui ſe patefecit talem, & Filium redemtorem miſit, qui & harum virtutum cõgruentiam cum Deo in nobis reſtituit, & hæc de eo cogitare & celebrare in inuocatione oportet, & hunc Deum in inuocatione alloqueris, & ſegregas eum ab omnibus naturis iniuſtis, pollutis & mendacibus, execraris etiam Diabolos hoſtes Dei mendaces & immundos, qui impellunt miſeram hominum naturam ad ſeditiones, cædes, libidinũ confuſiones, mendacia, vt quàm plurimos auellant à Deo, & in æternum exitium rapiãt.

De hoc diſcrimine pios quotidie cogitare neceſſe eſt. Sit igitur in cõſpectu doctrina de his virtutibus, iuſtitia, caſtitate & veritate, quæ perſpicuè diſtinguunt Deum ab omnibus iniuſtis, immundis & mendacibus naturis. Eſt autẽ veritas firma προαίρεσις in voluntate, qua cõſtanter amplectimur veras ſententias, dicimus vera, ſeruamus pacta, & in ſermone & geſtu vitamus inſidioſas occultationes. Sed quoniam tota doctrina de virtutibus in Ethicis explicata eſt, ad poſtrema præcepta Decalogi accedo.

Quærat aliquis ex auditoribus, quare ego in enarratione præceptorum ſecundæ tabulæ toties inculcem & repetam commonefactionem de Deo, & de virtutibus Dei. Ad hanc quæſtionem breuis & expedita reſpõſio hæc eſt: Natura & pulcritudo virtutum rectiùs intelligitur, quãdo earum exempla in Deo aſpicimus & conſideramus, quia in nobis miſeris peccatoribus vix ſunt vmbræ tenues & exiguæ ſimulacra virtutum, vt Cicero inquit in 1. Offic. Non viuimus inter perfectos homines, ſed inter eos, cum quib. præclarè agitur, ſi habeant quædam ſimulacra virtutum. Etſi autem in Lege diuina, tanquam in ſpeculo imagines virtutum propoſitæ ſunt: tamen nos à Lege, tanquam à carcere abhorremus. Ergo gratiſsima nobis eſſe debet deductio ad Deum & cõmonefactio de virtutibus Dei,

Dei, quæ sunt illustriores, quàm in Angelis, vel hominibus. Quòd autem resita se habeat, hoc est, quòd natura & decus virtutum magis conspiciatur in Deo, quàm in omnibus creaturis, docet nos Filius Dei cap. 11. Matth. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, id est, in me est summa mansuetudo & humilitas, lōgè superans mansuetudinem & humilitatem angelorum & hominum, quare meum exemplum vobis ad imitandum proponite. Sic Paulus deducens nos ad exemplum Filij Dei, grauissimè inquit Philipp. 2. Is affectus sit in vobis, qui fuit in Christo, qui cùm esset in forma Dei, non rapuit æqualitatem Dei, sed se ipsum exinaniuit &c. quæ humilitas maior cogitari potest, aut quæ similis præstari potest ab Angelis & hominibus? Sit igitur nobis grata mentio de Deo & de virtutibus Dei, vbicunque proponitur, siue in Ethicis, siue alibi.

De nono & decimo præcepto.

Non concupisces.

SICVT Paulus Rom. 7. de se inquit, Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces: ita ratio sine verbo Dei non cernit immundiciem interiorem cordis, quæ vocatur concupiscentia, phrasi Scripturæ, id est, ἀταξία & deprauatio omnium affectuum. Quare sicut in speculo facies nostras & earum maculas contemplari solemus: ita sæpe aspiciamus Decalogum, tanquam speculum tersum & politum, vt monstret nobis interiora vitia, in visceribus nostris, vt ita dicam, hærentia, quæ iudicio rationis non intelliguntur. Sunt igitur duo postrema præcepta, interpretationes totius Decalogi, & discernunt sapientiam Decalogi à legibus politicis & philosophorum disputationibus. Nam politici viri, vt Solon, Lycurgus, Augustus & similes, & Philosophi omnes extra Ecclesiam, tantùm concionantur & præcipiunt de externa disciplina, & seueriſsimè prohibent violationem disciplinæ, sed nihil dicunt de interioribus morbis, qui vno nomine appellantur concupiscentia. Nos verò in Ecclesia discimus, peccata esse non tantùm externa facta, turbantia ciuilem societatem, sed etiam sordes interiores, quibus contaminata est mens nostra, voluntas nostra, & cor nostrum.

Suprà aliquoties dictum est de discrimine inter leges politicas & Legem Dei, Leges politicæ sunt qualecunque frænum, quo

externa disciplina regitur, & tantùm accusant externa delicta, vt verbi causſa, seditiones, cædes, adulteria, furta, mendacia. At Lex Dei accusat non tantùm externa delicta, sed etiam prauas inclinationes in corde, vt Christus enarrans Legem in cap. 5. Matthęi, accusat totius naturæ ἀταξίαν, eámque vult aliquo modo intelligi & agnosci, vt sciant homines, se non satisfacere Legi Dei, nec disciplina iustos esse coram Deo, sed quærant remissionem peccatorum per Mediatorem. Hac interpretatione considerata, Lex fit pædagogus ad Christum [*Gal. 3.*] qui & implet Legem pro nobis integra obedientia, & solutione pœnæ, quam nos Legi debuimus, & restituit in nobis conformitatem cum Lege, quæ quidem in hac vita inchoatur, sed in Ecclesia cælesti erit integra, cùm Deus erit omnia in omnibus.

Hic fit finis enarrationis Decalogi, in qua enarratione fumus vsi magna breuitate, ppter duas causſas. Primùm, quia nullis voluminibus & cõmentariis exhauriri potest hic fons sapientiæ diuinæ, sed integrè discemus Legem in vita æterna. Nunc fimus contenti hac puerili Catechesi, quæ traditur in Ecclesiis & Scholis. Altera causſa est breuitatis, qua sum vsus: Quia in Ethicis multa sunt dicta de singulis virtutibus, quæ non volui intẽpestiuè repetere & inculcare. Nõ enim volo multos menses in vno Loco consumere, præsertim in legalibus materiis, quæ facilius intelliguntur, quàm Euangelicæ, sed cupio primo quoque tempore absoluere hunc Locum, & accedere ad sequentes, qui longiore explicatione indigent, præsertim articulus de iustificatione. Christus Dominus noster Matth. 5. non tradit Stoica paradoxa, & hyperbolas Stoicas, vt aliqui scripserunt, sed rectè enarrat Decalogum, & refutat Pharisæorum opiniones, quales hodie sunt Monachorum, qui fingunt, disciplinam externam satisfacere Legi, & hominem hac disciplina coram Deo iustum esse. Non ita se res habet, inquit Christus. Dictum est antiquis, Non occides. Ego verò dico vobis, Si quis irascitur fratri suo, &c. Item dictum est, Non mœchaberis. Ego dico, Quicunque aspexerit vxorem alterius ad concupiscendum eam &c. Hæc dicta omnia, quæ prolixè recitata sunt Matth. 5. testantur, Legem diuinam non esse intelligendam tantùm de vmbra externorũ operum, sed omnium primùm & maximè de interiori obediẽtia & munditie, & voce

Legis

Legis accusari non tantùm atrocia delicta, quæ ratio iudicat & punit, sed radicem cum suis fructibus, id est, peccatum originis & omnia peccata actualia. Hæc cùm consideramus, Lex fit nobis pædagogus ad Christum, & quasi cogit nos quærere Mediatorem, qui pro nobis implet Legem, primùm integra sua obedientia sine peccato, deinde solutione pœnæ, quam nos Legi debemus, deniq; qui restituit in nobis cõformitatem cum Lege, dato Spiritu sancto, iuxta illud Ieremię cap. 31. quod citatur in epistola ad Hebræos 8. Dabo Legem meam in cordibus eorum.

De promissionibus & comminationibus diuinis.

CAP. VII.

REcitabimus in hoc capite septem Locos valde necessarios & vtiles. Primus erit diuisio promissionum diuinarum, quæ sumitur ab obiectis diuersis. Aliæ promissiones diuinæ pollicentur gratiã, aliæ offerunt nobis bona corporalia. Sicut enim constamus ex corpore & anima, ita indigemus duplici genere bonorum, bonis spiritualibus, æternis: & corporalibus, pertinentibus ad hanc vitam mortalem. Quare Deus tradidit vtriusque generis promissiones, vnam gratiæ, quæ est principalis, alterã de pane quotidiano. Secundus erit discrimen inter promissionem gratiæ & promissiones bonorum corporalium. Tertius locus recitabit causas, propter quas Deus tradidit Ecclesiæ promissiones bonorum corporalium. Quartus docebit, quomodo sint intelligẽdæ promissiones corporales, videlicet cum exceptione crucis & castigationis. Quintus locus docebit auditorem, quomodo sint ratæ promissiones additæ bonis operibus, cùm nemo Legi satisfaciat. Sextus monstrabit intellectum comminationum diuinarum: nam omnes comminationes diuinæ habent exceptionem pœnitentiæ. Septimus conciliabit apparentem ἀντιλογίαν seu contradictoriam, inter comminationem additam primo præcepto, & dictum Ezechielis cap. 18. Filius non portabit iniquitatem patris sui.

In Eccleſia oportet notiſsimam eſſe doctrinam de promiſsionibus & comminationibus diuinis: Cùm enim Deus ſit verax, nec promiſsiones diuinitus traditæ ſint θελκτήρια, ſicut pueris res demulcentes, blanditiæ, narrantur fabellę de fortunatis inſulis, aut de campo Elyſio, nec comminationes ſunt inania terriculamenta.

Primùm autem ſemper in conſpectu ſit hæc diuiſio. Duplices ſunt promiſsiones Dei, vna gratiæ, altera bonorum corporalium. Promiſsio gratiæ offert credentibus bona æterna, remiſsionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iuſtitiæ, donationem Spiritus ſancti & vitæ æternæ, gratis, propter Mediatorem. Promiſsio bonorum corporalium duplex eſt, aut eſt gratuita conſeruationis corporis Eccleſiæ, aut eſt addita bonis operibus iuſtorum. Gratuita aut eſt ſpecialis, aut generalis. Specialis promiſsio non eſt omnium temporum, ſed Abrahæ poſteris tradita, & cõſtitutum eſt tempus, quo durare ſedes illa deberet, nec pertinet hæc ſpecialis promiſsio ad cetera tẽpora, aut ad alias gentes. Aliæ ſunt generales, quæ ſunt omnium temporum, de victu, hoſpitiis & defenſione cœtus Eccleſiæ etiamſi poſt deſtructionem politiæ Iſraeliticæ non eſt vna Eccleſię, ſedes in politia certa, ſed paſsim inter gentes Eccleſia colligitur.

Omnis promiſsio diuina aut eſt promiſsio gratiæ, aut eſt promiſsio bonorum corporalium. Promiſsio gratiæ, vt Geneſ. 3. Semen mulieris conteret caput ſerpentis, id eſt, Filius Dei natus ex virgine apparebit, vt deſtruat opera Diaboli, 1. Ioh. 3. Et Geneſ. 22. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, id eſt, per hoc ſemen Abrahæ benedictum tolletur maledictio legis, placabitur ira Dei, & reddetur Eccleſiæ benedictio cœleſtis, quæ complectitur gratiam Dei & veritatem, id eſt, vera & æterna bona. Promiſsio verò bonorum corporalium duplex eſt, aut eſt gratuita, aut eſt addita certis operibus. Gratuita eſt, quæ pertinet ad totũ corpus Eccleſiæ, quod Deus ſeruat immensa bonitate & miſericordia, iuxta dictum Pſal. 115. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, propter miſericordiam tuam & veritatem tuam, ne dicant in gentibus, Vbi Deus eſt eorũ? & Eſa. 48. Propter me, propter me faciã, ne blaſphemer, id eſt, Ego ſeruabo

ſeruabo meam Eccleſiam, & aliquod ſemen ſanctum, ſeu aliquas reliquias propter gloriam meam, quam nolo contumelia affici à Diabolo & eorum organis. Certiſsimum eſt igitur, conſeruationem totius corporis Eccleſiæ eſſe gratuitam, non pendere ex noſtra dignitate. Gratuita verò rurſus duplex eſt, aut ſpecialis, aut generalis. Specialis promiſsio traditur Abrahæ & eius poſteris. Geneſ. 15. & aliàs ſæpe: Tibi, inquit, dabo terram hanc, id eſt, terram Canaan ad Iordanem, inter duo regna florentiſsima, Aegyptium & Syriacum, & ſemini tuo poſt te, id eſt, tuis poſteris. Sed Lex & Prophetæ vſque ad Iohannem, id eſt, exhibito Meſsia ceſſat hæc promiſsio. Habet enim ſuum finem & terminũ hæc ſpecialis promiſsio tradita Abrahę & eius poſteris, non eſt omnium temporum & ætatũ, nec ad omnes gentes pertinet, ſed eſt ſolius populi Iſrael, ſicut inquit Pſalmus: Nõ fecit taliter omni nationi. Alia verò eſt generalis promiſsio, quæ pertinet ad nos & ad omnes, qui ſunt membra Eccleſiæ, vt Matth. 6. Primùm quærite regnũ Dei &c. Item, 1. ad Timoth. cap. 4. Pietas habet promiſsionem prę ſentis & æternæ vitæ; hoc eſt, Deus curabit vt Eccleſia ſemper habeat aliqua hoſpitia, aliquos nidulos, in quibus poſsit excludere ſuos pullos, vt Pſalmus 84. venuſtiſsimè inquit, comparans Eccleſiam auiculę nidificanti, & incumbenti ouis, & excludenti pullos. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & hirundo, id eſt, Eccleſia eſt ſimilis auiculæ halcyoni, nidificanti in ſinu Medeæ, hoc eſt, in turbulentis & inquietis imperijs, inter medios hoſtes, & inter varia pericula. Iuniores legant epigramma Græcum, quod eſt admodum inſigne. Quædam auicula, ſiue hirundo, ſiue alia, peruolitauit multa maria & multas terras, & tandem delata ad ſimulacrum Medeæ, fecit ſibi in illo ſimulacro nidulum. Huius auiculæ ſtultitiam falsè exagitat poeta Græcus in epigrammate, O miſera & ſtulta, cur tu credis tuos pullos Medeæ, quæ non pepercit proprijs liberis? quaſi dicat: Si Medea non pepercit proprijs liberis, quantò minùs parcet tuis? Mundus eſt Medea, non parcit propriis liberis. videtis enim quomodo impij homines exerceant mutuam lanienam, minùs igitur eſt mirum, ſi non parcant Eccleſiæ tales homines.

Deinde neceſſaria eſt diſtinctio promiſsionis gratiæ, & promiſsionis bonorum corporalium. Differunt autem obiectis, effectibus, modo diſtribu-

Auguſtinus pſal. 25. inquit: Bona corporalia aut nos deſerunt,

tionis, & modo retentionis. Nã bona, quæ promiſsio gratiæ offert, ſunt æterna & propria Eccleſiæ. Bona verò corporalia ſunt momentanea & communia Eccleſię, nõ ſolùm cum impiis, ſed etiam cum beſtiis.

aut à nobis deſeruntur. Eſt optimum exemplum diſiunctiuæ propoſitionis, Irus & eſt ſubitò, qui modo Crœſus erat: & vt maximè aliquis retineat ſuas opes, vſque ad mortem, tamen tandem cogitur eas deſerere.

Secundò promiſsio gratiæ eſt fundamentum Eccleſiæ, eámq; diſcernit ab aliis ſectis, vt 1. Cor. 3. dicitur, Fundamentum aliud poni nõ poteſt, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Bona corporis nõ faciunt diſcrimen inter veram Eccleſiam & ſectas à Deo damnatas, quia Eccleſia plerunque cruci ſubiecta eſt, & varijs afflictionibus exercetur.

Chriſtus pendet in cruce in paſsione: Maria, id eſt, Eccleſia ſtat ſub cruce. Ita Ierem. cap. 12. dicitur, Dedi dilectam animam meam, id eſt, Eccleſiam in manus inimicorum eius, videlicet Babyloniorum. Sic Deus hoc tempore multos dat in manus Turcarum, Moſcobitarum & aliorum barbarorum.

Tertiò, Deus ſeruat in diſtributione bonorum æternorum æqualitatem Arithmeticam, iuxta dictum Roma. 11. Concluſit Deus omnes ſub peccatum, vt omnium miſereatur. In diſtributione verò bonorum corporalium neque eadem dat, neq; eodem modo, vt Abrahæ dat diuitias, non dat Lazaro.

De æqualitate Arithmetica in diſtributione bonorum æternorum, Paulus dulciſsimè inquit Epheſ. 4. Vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, vnus Chriſtus, vna ſpes &c. Et Gal. 3. exæquat omnes Chriſtianos, quod ad gratiam attinet, & bona æterna. Non eſt diſcrimen inter ſeruum & dominum, inter gentes & Iudæos, ſed omnes, quotquot ſumus in Chriſtũ baptiſati, Chriſtum induimus, & ſumus omnes vnum in Chriſto. Hanc exæquationem vt meliùs intelligatis, ordine itote per partes miniſterij. Prima pars miniſterij, per quam inſerimur Eccleſiæ & Chriſto, eſt baptiſmus. Iam quæro ex te, an Princeps habeat meliorem baptiſmum, quàm pauper aliquis? non. Deinde quæro, an aliud verbum proponatur diui-

diuitibus, aliud pauperibus? non. In cõgregatione Ecclesiæ tantum sibi de verbo decerpit pauper, quantum diues: tantum seruus, quantum dominus: tantum subditi, quantum gubernatores. Tertiò, quando accedis ad Cœnam Domini, an non eodem modo omnibus fidelibus distribuitur Cœna Domini? Principi non datur plus quàm pauperi. Hæc æqualitas verbi, baptismi & Cœnæ, est expressum testimonium de Arithmetica æqualitate in Deo, de qua dicit Christus. Venite ad me omnes &c. Sed de bonis corporalibus aliter se res habet, quia Deus in distributione bonorum corporalium seruat analogiam Geometricam, & singulis tribuit conuenientia pro vocatione. Non necesse est, me habere diuitias Crœsi, quia non sum rex, satis est me habere victum & amictum: sed si rex esset pauper, esset miser rex. Deus dat Abrahæ diuitias, non Lazaro, quia alia est vocatio Abrahæ, alia Lazari: Lazarus est priuata persona, non sustinet partẽ gubernationis in Ecclesia aut Repub. Abraham non tantùm est œconomus, sed etiam Episcopus & politicus gubernator. De hac distributione bonorum corporalium, legãt studiosi sextam orationem Theodoreti de prouidentia. Ibi disputat, quare non omnes homines sint diuites: Quia, inquit, si omnes essemus diuites, nemo alteri seruiret, nemo alteri præstaret operam sui officij, sed in summa æqualitate diuitiarũ vnus negligeret alterum. Deinde si omnes essemus diuites, necesse esset, vnum hominem omnes artes scire, quod esset impossibile: quis enim posset simul esse sutor, pistor &c? Ergo bene consuluit generi humano prouidentia diuina, quòd alios voluit esse pauperes, alios diuites, vt esset communicatio operarum, alter alterius indigeret, quia quod vni deest, præstò plerunque est alteri.

Quartò, semper retinenda est promissio gratiæ, etiam cùm bona corporalia amissa sunt, sicut tandem in morte amittuntur.

Quòd bona corporalia non sint perpetua, sed amittantur in morte, testatur Psalm. 49. cùm inquit: Cùm interierit, id est, cùm mortuus fuerit, non sumet omnia secum, neque descendet cum eo gloria eius. Videtis in sepultura non obrui cadauer gẽmis, auro, margaritis & alijs rebus pretiosis, sed obrui terra, puluere: sed vt hęc Psalmi oratio magis intelligatur, recitabo iunioribus insignẽ & memorabilem historiam de quodam Suldano, id est, Domino & Principe Aegypti. Nam Principes Aegypti post tempora Mahometi

dicti sunt Suldani. Tempore Friderici Barbarossæ, qui hauddubiè omnib⁹ est notus ex historijs, fuit in Aegypto Princeps clarissimus, quem Deus ornauit multis excellentibus victorijs, Saladinus, qui non tantùm tenuit Agyptum, sed etiam Palæstinam, Syriam & bonam partem Asiæ. Hic Princeps moriturus mãdauit suis ministris, vt indusium hastæ affixum præferrent ante pompam funebrem, & adderent hoc præconium: Hæc sunt illa opima spolia, quæ Saladinus potentissimus Rex Aegypti & Asiæ, ex omnibus suis triumphis & victorijs secum aufert. Quanquam autem Saladinus fuit Mahometicus, non Christianus, tamen non semper spectandum est, quis dicat, sed quid dicatur, secundum Senecæ præceptum. Hæc vox si fuisset pronuntiata ab homine Christiano, nihil potuisset dici sapientiùs, nihil meliùs, nihil præclariùs.

Ideo Iob inquit cap. 13. Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eo. Et Psal. 73. exclamat, Quem in cœlo in terra præter te desiderarem? cùm contabescunt caro mea & cor meum, tu petra cordis mei, & pars meæ Deus in æternum. Adde huc insigne dictũ Esaiæ cap. 54. Montes mouebũtur & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, nec fœdus pacis meæ mouebitur, dicit miserator tuus Dominus.

Quid potest dici efficaciùs ad consolandum?

id est, magna imperia & Respublicæ.

hoc est, Etiamsi imperia ruãt, mutentur, & sua mole videantur oppressura esse Ecclesiam, tamen in his confusionibus generis humani retinendum est fœdus pacis, id est, vox Euangelij, quæ vox & promissio manet rata in omnem æternitatem, omnibus rebus humanis cadentibus & nascentibus.

Hanc ob causam promissio gratiæ nominatur æternum testamentum, non solùm quia res æternas offert, sed etiam quia retinenda est, siue bona corporis nos deserant, siue à nobis deserãtur.

III. Porrò his necessarijs admonitionibus traditis, iam ordine recitentur causæ, quare Deus tradiderit promissiones bonorum corporalium.

1. Prima est, vt hæ promissiones sint testimonia de prouidentia Dei contra Epicureas imaginationes, quæ fingunt casu

casu spargi commoda corporalia.

Non fortuna, vt fingunt poetæ, manu cæca sua munera spargit inter homines, sed Deus est distributor & dispensator panis quotidiani.

II. Vt sint testimonia de conseruanda Ecclesia in hac vita.

Dicat aliquis, quæ est hæc consequentia? Est optima consequẽtia à connexis. Posita re finita, necesse est ei attribui locum, tanquam hospitium. Si igitur debet manere Ecclesia in hac vita, non potest carere hospitio, victu & mediocri defensione. Quare cùm vnum connexum promittitur, etiam alterum promittitur: hæc enim quasi conuertuntur inter se: Posito hospitio, ponitur Ecclesia, & posita Ecclesia, ponitur hospitium, quia Deus non promittit asinis aut bobus hospitium, sed Ecclesiæ colligendæ ex genere humano.

III. Vt fides exerceatur petitione corporalium bonorum.

Angeli non habent corpora, non habent carnem & ossa, sed sunt Spiritus, ideo non indigent cibo, potu, somno, hospitio, remediis. Poterat autem Deus ita nos condere, vt vel sine corpore, vel in corpore viueremus more Angelorum, sicut certè viuemus post hanc vitam: sed voluit nos Deus esse vestitos corpore, & indigere multis adminiculis corporalibus propter hanc causam, quia vult exerceri fidem & inuocationem non tantùm in maximis, sed etiam in minimis rebus, non tantùm in petitione remissionis peccatorum, Spiritus sancti & vitæ æternæ, sed etiam in petitione panis quotidiani.

IV. Quia vult Deus promissiones corporales esse commonefactiones de spiritualibus.

V. Cùm velit Deus Ecclesiam in hac vita colligere, multas corporales liberationes vult esse illustria testimonia præsentiæ suę in Ecclesia, cùm videlicet mala inextricabilia humano consilio mota sunt.

Recitabo illustre exemplum huius quintæ causæ de præsentia Dei in Ecclesia. Ezechias rex defecit à regibus Assyrijs, quibꝰ pater Achas promiserat tributa. Hoc consilio humano excitata sunt mala inextricabilia. Nam rex potentissimus Sennacherib cinxit obsidione vrbem Ierosolymam,

nec potuit humana ope aduersus tantam potentiam defendi Ierosolyma: sed cùm iam Ecclesia illius loci & temporis esset in acie nouaculæ, id est, in extremo periculo ac discrimine, quod non poterat extricari humana sapientia, Deus ipse, vt testimonium suæ præsentiæ in Ecclesia ederet, propter preces Esaiæ Prophetæ & Ezechiæ, & totius populi, depulit tyrannum, interfectis ab Angelo vna nocte 185. millibus hominum. Tyrannus verò accepta clade fugiens, interfectus est domi in templo idololatrico à suis filiis. An non hæc liberatio est illustre testimonium præsentiæ Dei in Ecclesia, cùm quidem Ezechias humano consilio vsus, attraxisset ventos & mala inextricabilia?

Nota sit etiam explicatio argumenti de omnibus promissionibus corporalibus. Promissio diuina est immutabilis, Ecclesiæ sunt promissa bona corporalia. Igitur Ecclesiam oportet semper sine ærumnis esse. Breuiter respondendum est ad Minorem: Omnes promissiones corporales intelligendæ sunt cum exceptione crucis & castigationis, vt Marci 10. Christus inquit, Recipiet centuplũ in hac vita cum tribulatione, & in futuro seculo vitam æternam. Et Esaias cap. 30. coniungit bona corpori necessaria & crucem, Dabit vobis Dominus doctorem, & panem & aquam cum tribulatione.

Vulgò dicitur in prouerbio, Nulla est rosa sine spina: nullum est vber sine tuberculo, hoc est, vt accommodemus ad institutum prouerbiales sentẽtias: dat Deus bona corporalia, sed non sine cruce: & credo, maiores nostros pios & sanctos homines voluisse hanc regulam pingere illa ceremonia, quæ est vsitata in singulis familijs in profesto natalis Domini. Scitis enim in omnibus familijs, vbi sunt parui liberi, à patribus donari liberis munuscula, nouos calceolos, nouos libellos, & quicquid est eius rei, sed semper addita virga. Pueri quidem delectantur munusculis, sed virgam non valde amant. Idem nobis adultis vsu venit, expetimus quidem omnes panem quotidianum, sed virgam crucis auersamur.

Cùm autem manifestum sit, nec renatos in hac vita satisfacere Legi Dei, quæstio est, an promissiones legales sint prorsus inutiles. De hac quæstione respondet Paulus 2. Cor. 1. In Christo omnes promissiones sunt Amen: quasi dicat, In his, qui iustificati sunt

fide

fide,& offerunt hostias spirituales placentes propter Christum,vt Petrus ait, 1. Petr. 2. fiunt ratæ promissiones additæ operibus: Quia Lex stabilitur per fidem, & finis Legis est Christus, Rom.3. & 10. Hactenus de promissionibus diuinis breuiter dictum est, sequitur vt de comminationibus legalibus pauca dicamus.

VI. Lex diuina denuntiat inobedientibus non tantùm corporales pœnas in hac vita, sed etiã pœnas æternas, vt testatur maledictio recitata Deuter.27.& enarrata à Paulo Gal. 3. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis. Vt autem Euangelium interpretatur promissiones Legi additas:sic eadem doctrina est dulcis ὑποτύπωσις comminationum legalium. Annuntiat enim remissionem peccatorũ propter Filium Dei, & liberationem à culpa & à pœna æterna omnibus,qui conuertuntur ad Deũ fiducia Mediatoris. Sciendum est igitur, remitti pœnam æternam cõuersis ad Deum, nec dubium est, mitigari etiam præsentes pœnas. Manere tamen aliquę pœnę prę sentes possunt, quibus sancti & electi quoque castigantur, vt psal.89. dicitur, Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eis.

Semper nobis in conspectu sint, & sonẽt in nostris auribus, & nostro corde hæ duæ regulæ vtilissimæ,quarum prior est, Omnes promissiones de reb. corporalibus intelligẽdæ sunt cum exceptione crucis: altera est: Omnes comminationes legales intelligendæ sunt cum exceptione pœnitentiæ, id est, conuersionis ad Deum, quæ fit fiducia Mediatoris. Nam agentibus pœnitẽtiam & remittit Deus culpam & pœnam æternam, & simul mitigat præsentes calamitates, interdum etiam tollit. Sed si manent calamitates post remissionem, sunt partim νουθεσίαι, commonefactiones, partim παραδείγματα, exempla. Declarabo hanc sententiam historia Dauidis. Dauid audit vocem absolutionis, pronũtiatam à Propheta Nathan 3. Regum 12. Dominus abstulit peccatum tuum, non morieris, scilicet morte æterna. Hæc est ipsissima vox Euangelij, nec differt ab illa voce Christi Matth. 9. Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua. Sed cur Dauid tam duriter castigatur post acceptam remissionem peccatorum? quare Deus non tollit pœnam adulterij & homicidij? Respondeo, Propter duas causas. Prima est νουθεσία, commonefa-

ctio. Vult enim Deus exilium Dauidis esse perpetuam concionem & admonitionem de vitanda securitate, & de vitandis futuris lapsibus. Si enim Deus omnem pœnam tolleret, & omnem calamitatem auferret, confirmaretur in nobis per accidens securitas, qua extenuatur peccatum, & ducitur esse res parua & leuis. Ne igitur extenuetur peccatum, Deus circundat nobis signa reatus. Altera causa est Exemplum. Quia Deus vult totam Ecclesiam intueri in hoc exemplum, & cauere similes lapsus. Si enim Deus non pepercit tanto Prophetæ & regi, tam bene merito de Ecclesia, quantò minus parcet mihi, tibi & alijs, qui nihil sumus collati ad hunc regem. Propter has causas manent interdum pœnæ corporales.

VII. Ex hac interpretatione Euangelij sumatur conciliatio apparentis ἀντιλογίας inter comminationem additam primo præcepto, & dictum Ezechielis, cap. 19. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris. Etsi enim Ezechielis concio dissentire videtur à Moyse, tamen intelligatur esse vox Euangelij, sicut est verisimè, & annuntiare liberationem à Lege.

De Lege naturæ.

CAP. VIII.

CVM in Ethicis sæpe recitentur demonstrationes legum naturæ, congruentes cum prima & secunda tabula Decalogi, nunc omissis demonstrationibus, tantùm repetam perspicuam definitionem Legis naturæ. Lex naturæ est notitia principiorum practicorum, & conclusionum, quæ inde necessaria cõsequentia extruũtur, insita mentibus hominum à Deo, & congruens cum æterna norma mentis diuinæ, vt ostendat & esse Deum, & qualis sit, & quòd præcipiat seruari discrimen honestorũ & turpium, & quòd iudicaturus sit & puniturus eos, qui non seruant. Sciamus igitur quod verisimum est, leges naturæ esse ius diuinum, quia Paulus Rom. 1. expressè nominat Legem naturæ, veritatem & ius Dei. Est enim

enim lux à Deo in mentibus noſtris condita, & veriſsimè congruit cum Decalogo rectè intellecto, & aliis dictis in Lege Moyſi, in quibus repetitũ eſt ius naturæ. Sunt enim grauiſsimę cauſſę, vt ſuprà dixi, propter quas Deus expreſſa voce hanc ipſam Legem anteà increatione mentibus inſitam repetiuit, & teſtimonia illuſtria addidit, & ſcribi eam iuſsit. Nam poſt naturæ humanæ deprauationẽ in mentibus eſt caligo, & multum dubitationum, & paulatim mala exempla augẽt caliginem. Teneant etiam iuniores regulam à veteribus traditam, Violatio iuris naturæ eſt peccatum mortale, ſicut violatio iuris diuini.

Hæc in Ethicis ſæpe declarata ſunt. Nunc tribus tantùm aut quatuor verbis de ſumma ſtudioſos commonefaciam, magis repetendi cauſſa, quàmquòd res poſtulet vberiores declaratiões. Definitio Legis naturę eſt ſumta ex cauſsis. nã efficiẽs cauſa legis naturæ eſt Deus, qui cõdidit hãc lucẽ & ſapientiã in mentib⁹ humanis. Cùm enim Deus conderet hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam, ſparſit in mentes noſtras radios ſuæ lucis & ſapientiæ, qui vocantur à philoſophis principia ſpeculabília & practica, nunc autem loquimur de practicis, nõ de ſpeculabilibus. Quòd autem Deus ſit efficiens cauſſa legum naturæ, teſtatur Paulina concio Rom. 1. & 2. vbi naturæ lex vocatur ius Dei. Item opus Dei ſcriptum in cordibus noſtris. Materia in qua ſeu ſubiectum Legis naturæ eſt mens humana. Loquimur enim nunc de naturis viſibilibus, non excludimus angelos, quando ita loquimur. Formalis cauſſa eſt ipſa notitia principiorum, ſeu lumen ipſum lucens in mente humana. Sicut enim in oculis eſt lumen naturale, quo diſcernuntur colores: ita in mente humana eſt diſcrimen honeſtorum & turpium, non doctrina comparàtum, ſed à natura inſitum & quaſi inſculptum. Finales cauſſæ multæ ſunt, ſed iam præcipuas breuiter repetemus, & Dialecticè. Prima eſt, vt Lex naturæ ſit teſtimonium de Deo conditore: nam res effectæ liquidò oſtendunt ſuam cauſſam. Altera cauſſa finalis eſt, vt regat hæc notitia Legis naturæ noſtros mores & vitam noſtram. Tertia eſt, vt accuſet & condemnet ſcelera, & approbet rectè facta. De his dictum eſt in Ethicis vberiùs. Sed quærat hoc loco aliquis: Quare Deus repetiuerit Decalogũ in monte Sina, cuius notitia nobiſcum naſcitur. De hac quæſtione ſuprà reſpondimus. Prima cauſſa repetitionis & promulgationis hæc eſt:

Quia & notitia Legis poſt lapſum eſt obſcurior, & aſſenſio eſt languidior. Quare contra dubitationes & tenebras, quæ ſequutæ ſunt lapſum, neceſſe fuit confirmari Eccleſiam & mentes humanas. Secunda eſt: Quia in mundum importata ſunt mala exempla, vel potiùs furores Diabolici, de quibus ſæpe ſolemus dicere. Hæc exempla mala auxerunt caliginem naturalem, vt confuſio libidinum augeat hanc opinionem, quòd libidines ſint voluptates conceſſæ, nec dignæ pœna. Sic cõſuetudo helluandi confirmat hanc opinionem, quòd intemperantia non ſit peccatum offendens Deum, & promerens iram ac pœnas æternas. Vt igitur homo, & contra naturalem dubitationem, & contra malos mores, qui graſſantur in vita humana, confirmaretur, neceſſaria fuit repetitio & promulgatio Legis.

Poſtremò meminerint ſtudioſi regulæ traditæ à veteribus: Violatio iuris naturæ eſt peccatum morale. Quæ eſt autem ratio huius regulæ? Quia lex naturæ congruit cum Decalogo rectè intellecto, & cum Lege morali tradita à Moyſe. Adultiores, qui verſantur in ſcriptis veterum Theologorum, legant libros de præparatione Euangelica Euſebij, in quibus inuenient inter alia multa bona, collationem Platonis & Moyſi, quod ad legales materias attinet. Nihil enim Euangelij eſt in Platone & Ariſtotele, ſed quod ad legales materias attinet, verè dixit quidam ex Græcis, Platonem eſſe Moyſen Ἀτθιϰίζοντα, id eſt, Atticè loquentem, ſcilicet in materiis legalibus de externa diſciplina. Euſebius inſtituit longum catalogum, in quo confert Moyſen cum Platone, & dicta Platonica cum Moſaicis, non quòd faciat confuſionẽ Legis & Euangelij, Chriſtianorum & Ethnicorum dogmatum, quæ confuſio eſt execranda, ſed quia certum eſt, multas bonas ſententias extare in Ethnicis ſcriptis, non pugnantes cum Decalogo, ſed potiùs conſentientes.

De

De vsu Legis.

CAP. IX.

INsignis sententia apud Paulum extat 1. Tim. 1. quæ monet, de vsu Legis diuinę sępe multúmque cogitandum esse: Bona est Lex legitimè vtenti. Sunt autem vsus in non renatis duo, regere disciplinam, & accusare peccatum. Docendi sunt igitur non renati, disciplinam præstandam esse, primùm propter mandatum Dei, deinde vt vitentur pœnæ: tertiò, vt communi paci & tranquillitati consulatur: postremò, quia disciplina est pædagogia ad Christum. Nã homines perseuerantes in sceleribus contra conscientiam, nec doceri de Deo possunt, nec à Filio Dei viuificantur. De his caussis prolixè in Ethicis dici solet.

Volo quartam caussam declarare exemplo Herodis. Herodes interfector Baptistæ, & subsannator Christi in passione, rapuit fratris sui Philippi coniugem Herodiadem, cuius filia fuit Salome saltatrix illa meretricula. Hic rex impius & hypocrita audiuit quidem Ioannem Baptistam summum concionatorem post Filium Dei, sicut Christus inquit Matth. 11. Non est maior inter natos mulierũ Ioanne Baptista. Sed audiuit sine mente, sine intellectu, sine affectu, & cum contradictione: quia non mutauit propositum, sed perseuerauit in adulterio, retinuit adulteram Herodiadem, cum qua tandem pulsus est in exilium, relegatus ab imperatore Romano in Galliam Lugdunum vnà cum scorto suo, vbi vitam exul finiuit, nec sensit vllam viuificationem in corde, nullum initium vitæ æternæ. Idem sentiatur de reliquis sceleribus, siue sint latrocinia, siue vsuræ, siue helluationes, siue alia.

Alter vsus in non renatis est, accusare & condemnare peccatum, & perterrefacere conscientiam.

Proponite vobis aliquem latronem aut furem, qui ducitur ad supplicium. Nam in tali exẽplo secundus vsus Legis facilius intelligitur. Videtis, quanti sint pauores, quantæ trepidationes, quanti tremores miserorum ho-

minum, qui trahuntur ad ſupplicium legitimo modo propter furta, adulteria, homicidia, ſeditiones. Non tantùm metuunt tales homines mortem, ſed ſentiunt in conſcientia vulnera, quæ longè ſunt triſtiora ipſa morte. Quantò enim maiõr eſt vis animi, quàm corporis, tantò ſunt vulnera conſcientiæ ſæuiora & atrociora, quàm ea quæ ſentiuntur in corpore. Recitaui aliàs prolixè hiſtoriam, quam nunc tantùm attingam tribus verbis, de piſtore quodam interfectore ſui domini & totius familiæ: Is cùm relicta Vienna, vbi patrauerat hoc ſcelus, fugiſſet Paſſauium, ſupplicio eſt affectus, & quidẽ palo affixus. Pendens igitur in palo, non conqueſtus eſt de doloribus & cruciatibus corporis, ſed tantùm de vulneribus conſcientiæ. Quanquam enim, dicebat, cruciatus, quos ſentio in corpore, ſunt inenarrabiles, tamen dolor meæ conſcientiæ, quem adhuc ſentio propter meum delictum & ſcelus, me magis excruciat. Idem fatentur alij omnes, qui ducuntur ad ſupplicium, vt non dicam iam de alijs hominibus morientibus. Nemo ſe iudice nocens abſoluitur, inquit poeta.

De hoc vſu plurimæ conciones apud Paulũ leguntur, vt Rom. 3. Per Legem agnitio peccati. Rom. 4. Lex iram efficit. Rom. 7. Peccatum per Legem occidit me. 1. Cor. 15. Aculeus mortis peccatum eſt, potentia verò peccati Lex. 2. Cor. 3. Lex eſt miniſterium mortis. In hoc ſecundo vſu diſcernendi ſunt hi, qui conuertuntur, ab iis, qui non conuertuntur. Nam conuerſi, vt Dauid, Petrus & ſimiles, liberantur à condemnatione, & fide vincunt pauores & dolores, de quibus loquitur Eſai. cùm inquit, Sicut leo contriuit omnia oſſa mea. Et pſalm. 38. Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, non eſt pax oſsibus meis à conſpectu peccatorum meorum. Qui verò non cõuertuntur, vt Iudas & Nero, tandem his terroribus opprimuntur, & ruunt in æternum exitium.

Non inquit deletio. Lex non delet peccatum, ſed tantùm mõſtrat.

à culpa & pœna.

cap. 28.

Iuuentus ignara taliũ rerum, de quibus nũc loquimur, id eſt, pauorum cõſcientiæ, putat nos apponere paradoxa Stoica, ſed adultiores, qui ſenſerũt hos pauores &

& dolores, intelligunt quid psalmus vocet sagittas Dei infixas nostro cordi. In Psalmo septimo pingitur Deus tragicis verbis, tanquam iaculator, seu sagittarius. Ita enim inquit, Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum intendit, & direxit illum. Quid sibi volunt hæc tragica verba? Summa hæc est: Deus omnes homines vocat & inuitat ad conuersionem per verbum & Sacramenta. Si quis autem non obtemperat huic diuinæ vocationi & blandissimæ inuitationi, huic Deus aut foris circundat signa reatus, tanquam leproso, aut intus per Legem excitat pauores conscientiæ, qui nec possunt, nec debent comparari supplicijs externis & cruciatibus corporum, quamuis exquisitis. In talibus pauoribus & consternationibus, quas nemo potest verbis satis describere, sentiuntur sagittæ Dei, & sicut solus Deus illas sagittas infigit nostro cordi, ita solus potest eas reuellere & extrahere. Proponite vobis sanctum virum Iob, is non tantùm spoliatur & exuitur omnibus facultatibus, omnibus liberis, omni dignitate, sed etiam sentit in corpore scabiem teterrimam & inauditam, & præterea in corde circumfert has sagittas Dei, quarum sensu ita excruciatur, vt aliquando inter dolores exclamet, Maledicta dies natiuitatis meæ, maledictus homo, qui nuntiauit patri meo, familiam esse auctam noua sobole. Quòd si quis non sentit hos pauores in vita, plerunque eos sentit in morte. Ego sæpe adfui morientibus hominibus pijs, quos constabat verè esse pios, qui in lucta cum morte sæpe has voces vsurpabant, Trôstet/trôstet/ Ah vrgete consolationes, instate consolando.

Etsi autem in aliis hi terrores sunt maiores, in aliis minores, quia summos nemo ferre potest, tamen omnes conuertendi ad Deum aliqua initia talium terrorum sentiunt, vt Rom. 11. dicitur: Conclusit Deus omnes sub peccatis, vt omnium misereatur. Per Legem omnes accusat & condemnat.

Iuniores non satis intelligunt magnitudinem harum rerum, sed adultiores aut morientes intelligunt hunc vsum secundum Legis. Hæc est practica Theologia, non est monastica & speculatiua Theologia.

Tertius vsus in renatis est docere, qui cultus Deo placeat. Vult enim Deus fidem & opera nostra regi verbo suo, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis, verbum tuum. Et quoniam in renatis manet

reliquiæ peccati, etiam hi de Lege docendi ſunt, vt creſcat in eis pœnitentia, ſicut in Deuter. ſcriptum eſt, Repetas ſeu acuas eis præcepta mea. Hanc doctrinã de triplici vſu Legis ſæpe repetit Paulus, vt oſtendat, homines non fieri iuſtos Lege.

cap. 6.

Habebitis caput nonum de triplici vſu Legis, ac quò quiſque veſtrum ætate fiet maturior, eò magis intelliget ſecũdum vſum Legis. Nam vix ex multis millibus vnus reperitur, qui non ſaltem primis labris guſtârit aut ſenſerit aliquem paroxyſmum, nõ à febri excitatum, ſed à Lege diuina. Ideo quæramus nunc in tranquillitate & in pace, remedia opponenda talibus pauoribus & doloribus.

An Lex ſit docenda in Eccleſia.

CAPVT X. ET poſtremum.

MIRETVR fortaſſe aliquis, cur hanc quæſtionem, quæ videtur eſſe non neceſſaria, vel etiam abſurda, explicemus. Sed veriſimum eſt, quod vulgò dicitur: Ex malis moribus bonæ leges natæ ſunt, & ex morbis multa remedia naſcuntur. Nouis enim morbis graſſantibus, neceſſe eſt, medicos deliberare de nouis remediis. Vt quõdam morbus Gallicus fuit ignotus medicis, hodie cùm multas perſonas inuadat, ipſa neceſsitas cogit medicos, quærere remedia opponẽda huic triſti morbo. Idem vſu venit in Eccleſia. Etſi enim videtur abſurdum, quærere de re manifeſta, in qua veritas eſt perſpicua, An Lex ſit docenda in Eccleſia: tamen importunitas, ne quid aſperiùs dicam, quorundam μαλαιολόγων, hominum fanaticorum, præbet nobis occaſionem de hac quæſtione diſſerendi. Fuerũt enim noſtra memoria, & adhuc ſunt Antinomi, qui dicunt, ſummam artem Chriſtianorum eſſe, neſcire Legem: & præterea cõtendunt, Legem exterminandã eſſe ex Eccleſia, & transferendam ad aulas, iudicia, curias, & alia loca politica, in quibus regitur diſciplina. Quàm autẽ

ſit

sit hæc opinio pestifera, & quantum noceat pietati & bonis moribus, nemo satis explicare potest, sed summam totius negotij breuiter complectemur, vt debet fieri in ratione docendi.

Vult Deus in Ecclesia nondum glorificata, seu nõdum triumphante, agnosci iram suam aduersus peccatum. Sicut dicitur, Iudiciũ à domo Dei incipit. Ideo & semper vult audiri vocem arguentem peccata, vt aliquo modo discamus res esse maximas, legem Dei, peccatũ, iram Dei, ordinem certissimum iustitiæ Dei irrogantis pœnam.

id est, ab Ecclesia.

Quanquam est vna & eadem Ecclesia omnium temporum & locorum, tamen ita discernitur Ecclesia, vt alia pars dicatur Ecclesia triumphans, alia militans. Triumphans Ecclesia est, quæ fruitur dulcissima consuetudine & conspectu Dei & angelorum, & quæ non potest peccare, sicut sæpe diximus ex Augustino & Psal. 116. Ecclesia verò militans versatur in hac vita, & stat in acie armata, & dimicans contra Diabolos & eorum organa. De Ecclesia triumphante dicit Hieremias cap. 31. Non docebit vltrà vir proximum suum, sed cognoscent me à minimo vsque ad maximum, quòd sim propitius peccatis eorum, & iniquitatem eorum non velim recordari, dabõ etiam Legem meam in cordibus eorum. De Ecclesia verò militante aliter se res habet, quam oportet crescere quotidie in vera notitia Legis & Euangelij. Quia nondum sumus perfecti, vt inquit Paulus Philipp. 3. sed relictis iis, quæ à tergo sunt, extendimus nos ad anteriora, & semper fatemur, nos esse imperfectos in hac vita. Vt igitur non necesse est, doceri Ecclesiam triumphantem de Lege aut Euangelio, cum audiat ipsum λόγον, Filium Dei concionantem & patefacientem suam sapientiam: ita donec sumus in hac vita mortali, donec circumferimus reliquias veteris fermenti in nostra carne, id est, reliquias peccati originis, necessaria est repetitio & inculcatio Legis diuinæ.

Hanc sententiam multa dicta confirmant, Matth. 12. Omnis scriba doctus ad regnum cœlorum, similis est patri familiâs, qui profert ex thesauro suo noua & vetera.

Id est, Euangelium & Legem, Nouum & vetus Testamentum. Diserte dicit Christus, Scriba doctus: & Paulus inquit, Episcopus sit διδακτικὸς, idoneus ad docen

dum. Quibus verbis commendantur nobis ſtudia veræ & neceſſariæ doctrinæ, ſtudia linguarum, artium dicendi, philoſophiæ, hiſtoriarum, poematum &c. ſine quibus nemo poteſt cum aliqua laude & vtilitate ſeruire Eccleſiæ.

Et 2. ad Timoth. 2. Omnis doctrina diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum. Deuter 6. Repetas ſeu acuas eis præcepta mea. Neque verò Deus ad iudicium ſuum declarandum aduerſus peccatum voce Legis vtitur ſolùm, ſed etiam publicis & priuatis calamitatibus de ira ſua nos admonet, & omnes ad pœnitentiam inuitat.

Antinomi conantur tollere Legem ex Eccleſia, cur non eadé opera tollunt ex Eccleſia carcerem Legis, & pœnas publicas & priuatas? Si quis autem non poteſt remouere ex Eccleſia carcerem Legis ſeu executionem Legis, relinquat in Eccleſia etiam vocem Decalogi. Quia hæc ſunt connexa, & non poſſunt ſeparari. Si vis tollere è mundo Legem de pœna furti, tolle priùs patibula & furcas illas incurrentes in oculos: manentibus furcis & patibulis, profectò fruſtrà tolletur lex de pœna furti. Quid? quòd ſæpe ipſe Deus iræ ſuæ ſenſu corda opprimit, vt inquit Ezechias, Sicut leo contriuit omnia oſſa mea. Si poſſunt Antinomi ſenſum iræ diuinæ tollere ex Eccleſia, tum ſane conentur Legem ipſam abrogare & tollere. Sed fruſtrà impugnabunt vocem Legis, cùm non poſsint aut pœnam tollere, aut ſenſum iræ diuinæ.

Quamobrem exterminentur ex agro atque finibus Eccleſiæ, non Theologorum iudicia, ſed delirantium Antinomorum ſomnia, quæ fingunt, peccata in Eccleſia non accuſanda eſſe Lege Dei, & non proponendam eſſe in Eccleſia vocem Legis, oſtendentem iram Dei.

EX-

EXPLICATIO TEXTVS LOCORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANCHTHONIS

De Lege.

NVNC more vsitato, qui non est expers vtilitatis, vt credo, repetemus ipsas pagellas Locorum Domini Philippi. Quas quidē percurremus, quanta maxima fieri poterit celeritate. Cupio enim primo quoque tempore sequentem Locum ordiri, ne semper oberremus eadem chorda. Quia tamē Lex diuina est altera pars doctrinæ Christianæ, nam vniuersa Scriptura diuiditur in Legem & Euangelium, non existiment auditores, nos frustrà consumere tempus, aut futilem operam ponere in crebra repetitione huius doctrinæ. Ac sicut antea in repetitione textus multa fuerunt declarata, quę breuitatis caussa inter dictandum prætermissa fuerant: ita etiam in hac parte dabitur fortasse occasio dicendi ea, quæ prodesse & delectare poterunt. Audiamus igitur, quid dicat optimus methodi artifex in Ecclesia.

A Deo tradita]

Quod dicitur A Deo tradita, id intelligatur vtroque modo, & mentibus hominum in creatione insita, & postea voce diuina sæpe repetita. Ac diligenter considerandæ sunt Legis repetitiones, inde vsque à Cain factæ.

Primùm Deus transfudit in nostras mentes in creatione radios suæ Legis, qui radij vocantur leges naturæ. Secundò etiam vocem externam, quę in aures inrunditur, repetiuit, & promulgauit Legem de omnibus officiis, vt in paradiso Genes. 2. ante lapsum Lex de coniugio est proposita primis parentibus, Erunt duo in carnem vnam. Propterea relinquet homo patrem &c. Hæc est Lex de coniugio, congruens cum præcepto Decalogi: Non mœchaberis. Deinde Genes. 4. post lapsum ad Cain summa Legis repetita est his verbis, Nónne si bonus fueris &c. Hæc est concio Legis enarranda ex Euangelio, Si fueris bonus, scilicet fide iustificatus, & habueris inchoatam obedientiam iuxta

tabularum, quorsum opus fuisset Filium Dei ad nos mitti & crucifigi? Sed quia Lex Dei est æterna & immota, ideo necesse fuit satisfieri iustitiæ Dei vel ipsi Legi (quod idem est) per hanc obedientiam Filij. Mouet me hic Locus, vt breuem historiolam obiter recitem iunioribus. Multi putãt, qui sunt rerum ignari, primum dissidium, seu primam caussam dissensionum inter Flacium & me, fuisse locũ de libero arbitrio. Sed longè aliud fuit initium disceptationis inter me & ipsum. Cùm enim venissem Ienam anno 57. & ego aliquantò antè in schola repetiuissem hanc materiam de Lege, & more vsitato, summam Legis vel Decalogi complexus essem certis capitibus, seu propositionibus ad disputandum accommodatis, & posuissem inter alia hæc verba, quæ hîc legitis, Lex Dei est regula æterna & immota mentis diuinæ &c. Flacius nouus hospes cœpit oppugnare hanc doctrinam, & perfecit suis artibus in aula, vt interdiceretur mihi disputatione, tantùm propter hanc particulam. Ego interrogo hominem, an seriò ita sentiret, an verò tantùm more disputantium mecum luderet. Sed intellexi, tanta illum pertinacia & contendendi libidine flagrare, vt ego & socer meus D. Sneppius satiùs tum esse putaremus, cedere incommodis locorum & temporum, quàm scandalum excitare in schola, & cum homine philonico certamina subire nocitura trãquillitati publicæ. Postea verò, cùm paulatim progrederetur longiùs, nec solùm hanc doctrinæ partem de Lege, sed etiam de alijs multis corrumperet, & hoc ageret, vt scripta Philippi ex manibus discentium excuteret, coactus sum officij & muneris ratione, ne diutius licentiam illam ei permitterem. Tandem igitur, cùm non posset me opprimere alia specie magis plausibili & populari, excogitauit nouum certamen de libero arbitrio, de quo suo tempore plura dixi. Hæc recito iunioribus propterea tantùm, vt videant, quale sit studium cauillandi in hominibus inquietis & sophisticis, qui etiam in scirpo quærunt nodum, & doctrinam verissimam & simplicissimam audent conuellere & labefactare.

Christus] Matth. 5. Breuis est hic aphorismus, vt multa sunt dicta Christi breuia, sed maximas res complectitur, quas in hac vita satis explicare non possumus, sed tamen vt pueri nunc discimus elementa, & præparamus nos ad cœlestem Academiam, in qua audiemus ipsum Filium Dei λόγον concionantem de maximis rebus. Nunc vocabula declaremus.

Soluere

Soluere Legem]

Λύειν νόμον, significat non tantùm delictum admittere contra legem, sed ipsam legem abolere, vt cùm dicimus, Cicero consul aboleuit legem Agrariam. Sic Demosthenes inquit Olynth. 3. Leges, quæ vobis nocent, soluite, id est, abrogate, τὸς νόμους ὃλάττον τας ὑμᾶς, λύσατε.

At verò Christus non venit soluere Legem, id est, tollere & delere, sed venit implere Legē. Iam quæritur, quot modis impleatur Lex à Christo.

Implere]

Christus quatuor modis implet Legem, primùm docendo. Etsi enim non est Legislator, vt Moyses: tamen Legem repetit & rectè enarrat, reiectis ac repudiatis sordibus Pharisæorum, quibus Legem omnibus temporibus hypocritæ corrumpūt.

Primus modus, quo Christus implet Legem, est doctrina seu enarratio Legis, seu repetitio. Et si enim Christus non est Moyses, id est, Legislator, tamen cùm sit doctor in Ecclesia, repetit vtrunque genus doctrinæ, Legem & Euangelium, & sic enarrat Legem Matth. 5. & alibi; vt simul refutet somnia & deliria Pharisæorum, qui Legis sententiam corruperant, sicut adhuc hypocritæ eam corrumpunt.

Secundò, implet Legem moralem propria obedientia, quæ est integra. Tertiò, deriuando in sese pœnā, quam nos Legi debuimus. Quartò implet Legem effectione seu restitutione in nobis. Non enim pœnam tantùm pro nobis sustinet, sed etiā restituit in nobis obedientiam seu conformitatem cum Lege Dei, quæ in hac vita inchoatur, & in Ecclesia glorificata seu triumphante erit integra.

De secundo & tertio modo dicitur Gal. 4. Misit Deus Filium suum factum sub Lege, vt eos, qui sub Lege erāt, redimeret. Et Gal. 3. Christus factus pro nobis maledictum, redemit nos à maledictione Legis. In Loco de iustificatione, quando dicetur de impulsiua causa nostræ iustificationis coram Deo, differendū erit de obedientia Christi. Certum est enim ex 5. cap. Pauli ad Roman. Deum iustificare nos, id est, pronuntiare iustos, absoluere

Legem, eris Deo acceptus & placens, sin autem secus feceris, peccatum tuum quiescet, cubabit, dormiet, donec reueletur, scilicet in pœnis & in pauoribus cõscientiæ, & in futuro iudicio. Tertiò, Genes. 9. post diluuium proponitur ipsi Noë & posteris eius Lex de homicidio. Qui fuderit humanum sanguinẽ, fundetur sanguis illius per hominem. Ratio, Quia homo est factus ad imaginem Dei. Hæc concio accommodetur ad præceptum, Non occides. Tandem verò post eductionem populi ex Aegypto, Deus in monte Sina promulgauit Decalogum, audiente multitudine sexcentorum millium. Sic igitur intelligatur hæc clausula, Lex est à Deo tradita partim in creatione, partim in ministerio.

Hæc definitio ex ipsa Lege.] Fons definitionis. Non satis est habere in promtu definitiones, nisi etiam scias, ex quo fonte sint hauſtæ. Neque est omnis definitio bona à quocunque desumta, sed magnorum artificum tantùm.

Maledictus.] Deut. 27. Galat. 3. Hoc est fulmen, quo opprimuntur corda nostra in vera contritione. Item Matth. 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum. Congruit forma sermonis cum psalmo sexto, Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Hic primùm monere] Admonitio de discrimine Legis diuinæ & legum humanarũ.

Sed vt non poterat populus]

Allegoria Loci in Exod. cap. 34. quæ explicatur à Paulo 2. Cor. 3. Historia, quæ est fundamentum allegoriæ, hoc sensu recitatur Exod. 34. Moysi facies, quoties ex colloquio Domini redibat ad populum, erat plena lucis & splendoris. Cùm autem populus nõ posset sustinere fulgorem lucis diuinæ, quæ erat sparsa in faciem Moysi, Moyses velamine texit faciem, vt posset mandata Domini referre ad populum. Hanc historiam de facie Moysi fulgente & velata, sic interpretatur Paulus, Facies Moysi velata significat externam disciplinam, quam ratio intelligit & magnifacit, & vtcunque suis viribus præstare potest: Facies verò Moysi splendida & fulgens significat vsum Legis spiritualem in accusatione & condemnatione. Cùm enim Deus sit ignis consumens, vt Deut. 4. scri-

4. ſcribitur, non poteſt hæc infirma natura ſine conſolatione Euangelij ſuſtinere ſenſum iræ diuinæ. Aliud eſt igitur more hypocritarum aſpicere velatam Moyſi faciem, aliud intueri in faciem eius perfuſam luce diuina.

Phocylidis & Theognidis] Fuerunt ſcriptores & collectores bonarum ſententiarum.

Et roſtris] Suggeſtum, Græcè βῆμα, cathedra, vocantur à Romanis roſtra, vt cùm nominatur Oratio Ciceronis pro roſtris. Roſtra ſunt anteriores partes nauium. Sicut igitur milites faciunt ſuggeſtum congeſtis ceſpitibus, ita olim ex roſtris nauium fiebant cathedræ oratorum.

Decemuirales]

Liuius lib. 3. Decad. 1. Anno trecenteſimo, altero à Roma cõdita, mutata eſt forma Reipub. propter tribunitia certamina, de quibus poeta inquit, Et cùm cõſulibus turbãtes iura tribuni. Cùm enim anteà Reſpublica gubernata eſſet, partim à Regibus partim à conſulibus, certamina tribunitia præbuerunt occaſionem transferendi ſummam poteſtatem ad decemviros, qui miſſis legatis petiuerunt ab Athenienſibus communicationem legum Solonis, quas in decem tabulis deſcripſerunt, quibus poſtea additæ ſunt duæ, vnde eſt appellatio duodecim tabularum, quæ ſunt fontes iuris publici & priuati, vt ait Liuius, & Cicero in 1. de Oratore: Omnes bibliothecas philoſophorũ vnicus libellus duodecim tabularum ſuperat, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate. Sed hic ſtatus decemuirorum nõ fuit diuturnus, propter libidines Appij decemuiri, de quibus infrà dicetur in Loco de caſtitate.

Poſt Ciceronem nullius oratoris Latini lectio eſt vtilior, quàm Liuij.

Sed Lex Dei eſt regula] Proba quòd Lex ſit regula æterna & immota mentis diuinæ. Matthæi 5. Cœlum & terra tranſibit, de Lege verò nullus tranſibit apex & nullum iota. Et Filius Dei venit, non vt deleret Legem, ſed vt impleret. Si Lex Dei eſſet ſimilis legibus Solonis, vel duodecim

tabularum, quorsum opus fuisset Filium Dei ad nos mitti & crucifigi? Sed quia Lex Dei est æterna & immota, ideo necesse fuit satisfieri iustitiæ Dei vel ipsi Legi (quod idem est) per hanc obedientiam Filij. Mouet me hic Locus, vt breuem historiolam obiter recitem iunioribus. Multi putât, qui sunt rerum ignari, primum dissidium, seu primam caussam dissensionum inter Flacium & me, fuisse locũ de libero arbitrio. Sed longè aliud fuit initium disceptationis inter me & ipsum. Cùm enim veniſſet Ienam anno 57. & ego aliquantò antè in schola repetiuissem hanc materiam de Lege, & more vsitato, summam Legis vel Decalogi complexus essem certis capitibus, seu propositionibus ad disputandum accommodatis, & posuissem inter alia hæc verba, quæ hîc legitis, Lex Dei est regula æterna & immota mentis diuinæ &c. Flacius nouus hospes cœpit oppugnare hanc doctrinam, & perfecit suis artibus in aula, vt interdiceretur mihi disputatione, tantùm propter hanc particulam. Ego interrogo hominem, an seriò ita sentiret, an verò tantùm more disputantium mecum luderet. Sed intellexi, tanta illum pertinacia & contendendi libidine flagrare, vt ego & socer meus D. Sneppius satiùs tum esse putaremus, cedere incommodis locorum & temporum, quàm scandalum excitare in schola, & cum homine philonico certamina subire nocitura trãquillitati publicæ. Postea verò, cùm paulatim progrederetur longiùs, nec solùm hanc doctrinæ partem de Lege, sed etiam de alijs multis corrumperet, & hoc ageret, vt scripta Philippi ex manibus discentium excuteret, coactus sum officij & muneris ratione, ne diutius licentiam illam ei permitterem. Tandem igitur, cùm non posset me opprimere alia specie magis plausibili & populari, excogitauit nouum certamen de libero arbitrio, de quo suo tempore plura dixi. Hæc recito iunioribus propterea tantùm, vt videant, quale sit studium cauillandi in hominibus inquietis & sophisticis, qui etiam in scirpo quærunt nodum, & doctrinam verissimam & simplicissimam audent conuellere & labefactare.

Christus] Matth. 5. Breuis est hic aphorismus, vt multa sunt dicta Christi breuia, sed maximas res complectitur, quas in hac vita satis explicare non possumus, sed tamen vt pueri nunc discimus elementa, & præparamus nos ad cœlestem Academiam, in qua audiemus ipsum Filium Dei λόγον concionantem de maximis rebus. Nunc vocabula declaremus.

Soluere

Soluere Legem]

Λύειν νόμον, significat non tantùm delictum admittere contra legem, sed ipsam legem abolere, vt cùm dicimus, Cicero consul aboleuit legem Agrariam. Sic Demosthenes inquit Olynth. 3. Leges, quæ vobis nocent, soluite, id est, abrogate, τὺς νόμυς ϛλάπλον τας ὑμᾶς, λύσατε.

At verò Christus non venit soluere Legem, id est, tollere & delere, sed venit implere Legẽ. Iam quæritur, quot modis impleatur Lex à Christo.

Implere]

Christus quatuor modis implet Legem, primùm docendo. Etsi enim non est Legislator, vt Moyses: tamen Legem repetit & rectè enarrat, reiectis ac repudiatis sordibus Pharisæorum, quibus Legem omnibus temporibus hypocritæ corrumpũt.

Primus modus, quo Christus implet Legem, est doctrina seu enarratio Legis, seu repetitio. Et si enim Christus non est Moyses, id est, Legislator, tamen cùm sit doctor in Ecclesia, repetit vtrunque genus doctrinæ, Legem & Euangelium, & sic enarrat Legem Matth. 5. & alibi, vt simul refutet somnia & deliria Pharisæorum, qui Legis sententiam corruperant, sicut adhuc hypocritæ eam corrumpunt.

Secundò, implet Legem moralem propria obedientia, quæ est integra. Tertiò, deriuando in sese pœnã, quam nos Legi debuimus. Quartò implet Legem effectione seu restitutione in nobis. Non enim pœnam tantùm pro nobis sustinet, sed etiã restituit in nobis obedientiam seu conformitatem cum Lege Dei, quæ in hac vita inchoatur, & in Ecclesia glorificata seu triumphante erit integra.

De secundo & tertio modo dicitur Gal. 4. Misit Deus Filium suum factum sub Lege, vt eos, qui sub Lege erãt, redimeret. Et Gal. 3. Christus factus pro nobis maledictum, redemit nos à maledictione Legis. In Loco de iustificatione, quando dicetur de impulsiua causa nostræ iustificationis coram Deo, differendũ erit de obedientia Christi. Certum est enim ex 5. cap. Pauli ad Roman. Deum iustificare nos, id est, pronuntiare iustos, absoluere

à peccatis, remittere nobis peccata propter obedientiam Filij vnigeniti & dilecti, ſicut clarè inquit Paulus, Propter vnius obedientiam multi conſtituuntur iuſti. Sed nunc quæſtio agitatur noua à quibuſdam non indoctis, neque malis hominibus: Vtrum ſimus iuſti obedientia Chriſti paſsiua, an verò actiua. Actiuam obedientiam intelligunt de ſecundo modo, quo Chriſtus impleuit Legem. Paſsiuam intelligunt de tertio modo, quo Chriſtus ſoluit pro nobis λύτρα in cruce, & hanc obedientiam vocant cruentam: ſed nos intelligimus dictum Pauli, Per vnius obedientiam &c. non tantùm de paſsione Chriſti, ſed de tota ſeu vniuerſa ipſius obedientia. Hanc tò tam Chriſti obedientiam ſentimus eſſe cauſſam & meritum noſtræ iuſtificationis. Hæc dico, ne extenuetis ſecundum gradum impletionis Legis. Profectò neceſſe eſt, ituentutem diligenter diſcere totum corpus doctrinæ Chriſtianæ, propter quæſtiones & diſputationes, quæ ſubinde agitantur.

ἠθικὴ.] Moderatio, ἠθικὴ eſt ſuauitas humanitatis.

Hoc diſcrimen conſid.]

Leges ciuiles regunt locomotiuam, id eſt, externa membra. Philoſophia requirit προαίρεσιν, Lex Dei flagitat ſpirituales motus. Primus gradus qui conſtituitur à legibus politicis, eſt gubernatio locomotiuæ, id eſt, externorum membrorũ & geſtuũ, hæc vocatur à philoſophis δεσποτικὴ, & poteſt eſſe ſimulata. Non ſemper congruunt externi geſtus cum corde. Philoſophia conſtituit ſecundum gradum, qui dicitur προαίρεσις, & vocatur elicita actio, id eſt ſeria, ſerium propoſitum. Lex diuina requirit tertium & ſummum gradum, ſcilicet motus ſpirituales, qui non tantùm oriuntur à ratione & voluntate humana, ſed ab ipſo Spiritu ſancto.

Lex ſpiritualis.] Rom. 7.

Eſt ſpiritualis]

Id eſt, gubernatio ſpiritualis, & iudicium ſpirituale. Quia omnis lex aut gubernat, aut iudicat. Gubernat obedientiam, iudicat contumaciam.

Quia

Quia arbitrabantur Legi Dei satisfieri]

Aristoteles: Ineptum est, ineptos sermones exquisitè refutare. Mendacium in hac re est manifestum.

De Legis impletione.

Sit hoc infixum mentibus, naturam humanam in hac deprauatione, massam horribiliter immundam esse, & dissimilimam Legi Dei. Et quanquam Deus ornauit aliquos magnis virtutibus, tamen præter Filiũ Dei nemo satisfecit Legi, ceteri omnes colla ti ad Legem & iudicium Dei, sumus similes stercori collato ad Solem.

Cogitate Legem esse speculum tersum & politum.

Psal. 51. Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor &c. Qui lotus est, inquit Christus, non indiget vt lauetur &c. Si igitur essemus mundi, non opus esset nobis hac lotione, hac mundicie, de qua Ecclesia concionatur.

Huius sententiæ optima confirmatio habetur Philipp. 3. vbi Paulus de seipso sic inquit, vnus ex præcipuis luminibus Ecclesiæ: vt inueniar in Christo, habens non meam iustitiam, quæ est ex Lege & operibus, sed eam quæ est ex fide, seu per fidem in Christum. Et in eodem capite inquit, Ego meam iustitiam & opera iudico esse σκύβαλα, id est, canum sordes.

Diuisio Legum.

Congruit cum ea parte]

Decalogus est explicatio Legis naturæ, vel summa legum naturæ.

Semper in Ecclesia] Ἀξίωμα Theologicum. Semper in Ecclesia sonuit vox Legis & promissionis, quia ad fundamentum pertinet vtraque doctrina, Lex & Euangelium. Nam sine Lege peccata non intelliguntur, teste Paulo Rom. 7. Concupiscentiam nesciebam esse peccatũ, nisi Lex dixisset, Non concupisces? Et Rom. 3. Per Legẽ agnitio peccati. Est autẽ impossibile, sine agnitione peccati peruenire ad Chri-

ſtum, ideo Lex appellatur pæda gogus ad Chriſtum. Sicut enim primus gradus ad ſanitatem eſt noſſe morbos, & primus gradus ad virtutem eſt noſſe vitia: ita proximus gradus eſt ad iuſtitiam Deo placentem, noſſe peccatum, quod Lex monſtrat, non ſola ratio aut philoſophia. Deinde in Eccleſia omnium maximè neceſſaria eſt promiſsio gratiæ de Mediatore, propter quem remiſsio peccati datur, & imputatur iuſtitia credentibus Euangelio.

Ceremoniales & forenſes]

Leges ceremoniales ſunt exercitia primæ tabulæ. Quia ſunt ritus pingentes & repetentes doctrinam. Leges forenſes ſunt exercitia ſecundæ tabulę, id eſt, dilectionis erga proximum.

Multa iudicari poſſunt ex his paucis verbis. Quid fuit circumcifio inſtituta Geneſ. 17? fuit exercitium primi præcepti, ſcilicet declarati ex Euangelio, Ego ſum Dominus Deus tuus: & vt Paulus loquitur Rom. 4. ſigillum iuſtitiæ fidei. Vt enim Abraham audierat promiſsionem de ſemine, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes: ita ritus ille, ſeu ceremonia illa, quæ vocatur circumcifio, inſtituta eſt in parte corporis, quæ ſeruit generationi. Sic aliæ ceremoniæ veteris Teſtamenti, vt mactatio agni in Paſchate, & quotidiana ſacrificia, quid fuerunt, niſi cõmonefactiones de ventura victima, de agno Dei tollente peccata mundi? Idem eſt vſus noſtrorum Sacramentorum, Baptiſmi & Cœnæ Domini. Cùm enim in voce Euangelij ſemper fiat expreſſa mentio redemtoris & ſanguinis Filij Dei & corporis, ideo congruunt ceremoniæ, baptiſmus & Cœna Domini cum forma promiſsionis. Leges verò forenſes ſunt exercitia ſecundæ tabulæ, id eſt, dilectionis proximi, quia in diſputatione forenſi, & in quotidianis contractibus vult Deus exerceri noſtram dilectionem, iuſtitiam, beneficentiam, manſuetudinem & alias virtutes.

Nec obligant nos]

Lex tantùm obligat eos, quibus lata eſt. Item, Lex ad certum tempus lata, poſt illud tempus non obligat. Quare ad nos non pertinent leges forenſes Moyſi, quæ non ſunt naturales.

Proponam vnum exemplum legis forenſis. In Leuitico ca. 25. traditur lex de anno Iubilæo, id eſt 50, quo omnes ſerui manumittebantur

tebantur, & recuperabant priſtinam libertatem, & omnia bona vendita, aut quoquomodo translata redibant ad dominos. Quæro, an lex iſta ad nos pertineat? nequaquam, quia non eſt naturalis, eſt lex congruens illi paruæ politiæ ad Iordanem, ſed nequaquam conuenit huic diſperſioni inter tot & tam varias gentes. Lex tantùm obligat eos, quibus lata eſt, vt leges hujus Academiæ nõ obligant Scholaſticos V Vittebergenſes, ſed tantùm eos, qui ſunt in hac Academia, qui agnoſunt iurisdictionem Rectoris. Lex ad certum tempus lata &c. vt ſi lex aliqua ferretur ad decem annos, confectis decem annis nihil valeret.

Miro conſilio]

Sapientiſsimus eſt ordo præceptorum Decalogi, & habet optimas ac pulcerrimas demonſtrationes, quæ in Ethicis & aliâs ſæpe repetuntur.

Λογομαχ.] Paulus multoties prohibet λογομαχίας. Chriſtus dicit ad quendam diſcipulum, Sine vt mortui ſepeliant mortuos. Si quis vel let cauillari, poſſet dicere, Quomodo mortui poſſunt ſepelire mortuos? ſed nihil opus eſt his cauillationibus putidis.

Inceſtas] Κέστος ſignificat cingulum nuptiale. Præcipuum ornamentum ſponſæ eſt cingulum. Ideo nuptiæ figuratè ſignificantur appellatione cinguli, & inceſtæ appellantur, in quibus non licet vti publicis ceremoniis.

Ante promulgationem]

Valet conſequentia per regulam: Lex nondum promulgata non obligat. Cùm igitur Lex prohibens inceſtas libidines, obligauerit non tantùm Iudæos, ſed etiam Ethnicos ante promulgationem factam in monte Sina, certum eſt, Legem moralem æternam eſſe, ſicut ipſe Deus æternus eſt.

Cogitate, quanta ſit hominũ malitia in hac ſenecta mũdi. Antinomi conãtur tollere Legem, & dicunt, Moyſen relegandum eſſe ad curiam, dicunt ſummam ſapientiam Chriſtianorum eſſe, neſcire Legem. Quantus ſit hic furor, nemo poteſt ſatis cogitare,

quia ſemper in Eccleſia ſonuerunt & ſonabunt Lex & Euangelium. Deinde Flacius conatur tollere Legem ex mẽtibus hominum, quia negat notitias naturales, & comparat hominem pecudi, bruto, aſino, trunco, & dicit, hominem non plus intelligere de Lege, quàm aſinum aut lapidem. Sicut igitur Antinomi horribiliter peccant, tollentes Legem, quantum in ipſis eſt, ex Eccleſia: ſic Flacius delet Legem in mentibus humanis: quid reſtat? hoc vnum, vt maneat Lex in Deo, quæ Lex iudicabit Antinomos & Flacianos ſuo tempore. Si quis putat, me aliquid fingere, vel amore, vel odio, huic poſſum demonſtrare ad oculum, rem ita ſe habere.

Expoſitio Decalogi] Nemo putet, ſe poſſe paucorum dierũ meditatione exhaurire Decalogi ſapientiam, quia cùm ſit non humana, nec vllius creaturæ, ſed Dei ipſius ſapientia, ſine vlla dubitatione eſt infinita, & immenſa, & æterna, qualis eſt ipſe Deus. Leges humanas & præcepta philoſophica poſſumus mediocri diligentia ſic explicare & diſcere, vt non multum præterea requiratur, ſed longè alia res eſt, & alia ſapientia, quæ in Decalogo diuinitus proponitur. Huius enim vix parua elementa, tanquam pueri, in hac vita diſcimus, olim in vita æterna percepturi integram doctrinam. Hoc ideo dico, ne quis ſit faſtidioſus auditor neceſſariæ repetitionis. Mihi quidem hoc vſu venit, vt in ſingulis repetitionibus Decalogi videatur mihi eſſe nouũ quiddam, & anteà inauditum. Idem omnibus piis haud dubiè vſu venit, apud quos nulla nec debet, nec poteſt eſſe bonarum rerum ſatietas, ſed vino vendibili nihil opus eſt ſuſpenſa hedera. Sic argumentor contra primam propoſitionem in expoſitione Decalogi, vtiliſsima & ſaluberrima, &c.

Quicquid auget peccatum, non eſt vtile & ſalubre.

Decalogus auget peccatum, teſte Paulo Rom. 7. Per Legem peccatum fit excellenter peccatum, vel ſupra modum peccans peccatum.

Ergo Decalogi meditatio non eſt vtilis vel ſalubris.

Reſpondeo. Nego conſequentiam, quia eſt fallacia accidentis. Quidquid per ſe auget peccatum, non eſt vtile, vt licentia vulgi auget peccatum per ſe: contemtus legum & magiſtratuum auget peccatum per ſe. Deinde ad Minorem reſpondeo, Lex auget peccatum non per ſe, ſed per accidens, quia natura noſtra perterrefacta Lege, fugit & odit Deum, non Legis, ſed ſuo vitio. Summa hæc eſt, peccatum

catum per se augetur à natura immunda & rea, per accidens ab ipsa Lege. Lex est per se sancta, bona, sed per accidens est similis aquæ, cuius affusione calx viua accenditur. Idem sæpe est caussa contrariorum, vt dicitur in philosophia, sic Lex naturæ integræ est norma iustitiæ, peccatrici naturæ est speculum peccati & iræ Dei.

Nunquam exhauriri]

Quia est sapientia Dei. Quis potest fontem diuinæ sapientiæ exhaurire? Quid est omnis humana sapientia collata ad diuinam? nihil. Recitaui vobis aliâs historiam valde venustam Reuerendi patris Lutheri, piæ memoriæ, qui interrogauit quendam ex suis filiolis, quid proficeret, & quid sciret: ad hanc interrogationem respondit filius, Ego scio Catechismum Christianum: mox subiicit reuerendus Doctor, Profectò tu plura scis, quàm ego: Ego non ausim affirmare, me scire Catechismum. Quod autem dico de toto, id etiam dico de parte, videlicet de Decalogo.

Quò magis insania] πόρισμα, acquisitum, appendix, vel noua conclusio. In Dialectica traditur hæc regula consequentiæ: Quicquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur etiam ad antecedens. Hæc regula congruit ad πορίσματα, ad acquisita Geometrica: sic hîc additur πόρισμα, scilicet, hinc sequitur, vehementer errare illos, qui fingunt posse Legi Dei satisfieri &c.

Meliora] Id est, opera supererogationis, ἐπισάγματα, appendices. Monachi finxerunt, sua vota monastica esse opera supererogationis, id est, maiora, quàm quæ postulantur in Decalogo.

Sarcasmo]

Σαρκάζειν, significat rictum irritati canis, vnde σαρκασμὸς, cùm hostis exprobrat calamitatem hosti Vt cùm dicunt Iudæi in passione, Aue rex Iudæorum. Item, Si est Filius Dei, descendat de cruce.

Ironia est dissimulatio, cùm id quod re ipsa detrahimus, prolixè concedimus. Vt si dicam: Quàm sanctus vir est iste & iste, quàm bonus vir, quàm bene meritus de Ecclesia, & de scholis harum regionum. Hoc

tribuitur ei, quod reipſa detrahitur. Significatur enim contrarium eſſe verum.

Velum] Phariſaica opinio de Lege.

Pij hos errores]

Qui delent agnitionem peccati in nobis, & extinguunt lucem de Mediatore, & de iuſtitia fidei.

Primùm autem hæc quatuor]

Lex eſt teſtimonium de quatuor maximis rebus: primùm de iuſtitia originali, quia idem ſignificant hæ formæ loquendi, congruere cum Deo, & congruere cum Lege Dei. Quare cùm homo conditus ſit ad imaginem Dei, verè dici poteſt, quod conditus ſit ad imaginem Legis.

Conformitas cum Deo, & cõformitas cum Lege, idem ſunt. Ergo cùm textus dicat, hominẽ cõditum eſſe ad imaginem Dei, eſt idem ac ſi diceret, eſſe conditum ad conformitatem & normam Legis.

Secundò, Eadem Lex eſt teſtimonium de peccato originali, quia eadem eſt doctrina contrariorum. Vt enim ſenſu oculorum percipimus album & nigrum, lucem & tenebras: Ita eadem Lex eſt ſpeculum iuſtitiæ & peccati. Tertiò, dicit Lex teſtimonium de vita æterna, iuxta dictum Chriſti, Matth. 5. Amen dico vobis, donec prętereat cœlum & terra, iota vnum, aut apex vnus nõ præteribit ex Lege, donec omnia facta fuerint. Hinc rectè ratiocinamur, Neceſſe eſt, Legem aliquando impleri: ſed in hac vita nemo ſatisfacit Legi, Neceſſe eſt igitur aliam vitam reſtare, in qua erimus conformes Legi ſine peccato. Vltimò, Lex eſt teſtimonium de Chriſto, iuxta hæc dicta, Gal. 3. Lex eſt pædagogus ad Chriſtũ, Rom. 10. Finis Legis eſt Chriſtus. Cùm enim res ipſa oſtendat, nos non implere Legem, ipſa neceſsitas cogit nos quærere Mediatorem, qui pro nobis implet Legem faciendo & patiendo.

Talis enim erat futura] Habemus hîc ideam, quam amiſimus, ſed recuperabimus eam poſt hanc vitam.

Nec tamen intelligimus] Rom. 8, Senſus carnis eſt inimicitia

micitia aduersus Deum. Nam Legi Dei non subiicitur, nec subiici potest, scilicet, quod ad integram impletionem attinet.

In carcere Legis] In calamitatibus & pauoribus conscientiæ discimus, quid sit Lex, quid postulet, quas pœnas nobis denuntiet, & quis sit vsus Legis.

Si iniquitates] Psal. 139. Est ἀξίωμα Theologicum, est breuis psalmus, constans octo verficulis, sed complectitur totam doctrinam de peccato, de Lege & gratia. Videtis, Spiritum sanctum esse diuinum & admirabilem oratorem, qui potest paucis verficulis magnas res complecti, quæ nullis commentariis, nullisq; enarrationibus comprehendi possunt. De peccato inquit, Si iniquitates obseruaueris &c. Idem dicit psal. 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens, id est, Nemo est iustus coram te, nemo tibi placet propria mundicie, propria dignitate, sed opus est alia iustitia, de qua Euangelium concionatur. De misericordia inquit & de gratia, Apud te propitiatio est, id est, vt Paulus dicit Ephes. 2. Donum Dei est iustificatio, non ex operibus, ne quis glorietur. Et in fine inquit: Speret Israel in Domino. vbi ad vsum transferre docet doctrinam priùs traditam.

Filij seditionum]

Thucydides lib. 3. describens seditionem Corcyræorum, inquit, In seditione grassatur omnis species mali.

Infinita mala]

Minùs fuit, Dauidem regno spoliari, quàm exui ingenti gloria virtutis, quam antea habuerat. Hæc est vera, non Rhetorica collatio. Plus enim boni est in virtute quàm in regno. Ergo amissio virtutis & gloriæ est maius malum, quàm amissio regni.

Aeternas pœnas]

Cicero in Catone, Nihil est diuturnum, in quo est aliquid extremum. Ergo omne finitum breue & momentaneum est, si conferatur ad æternitatem. Psal. 90. Mille anni sunt coram te, sicut dies hesternus qui præteriit,

Perire neceſſe eſt]

Quod ſi ex iure manu conſertum poſcere mens eſt,
Nos cauſſa cadere, & longè antè perire neceſſe eſt.

Ex iure manu conſertum vocare, id erat: Gleba adferebatur ad iudicem, quam vterque litigator prehendens, declarabat, ſe de re litigaturum, fuítque & hæc vindicandæ rei actio, tametſi quæſtionem de vi non continebat. Gellius lib. 20. cap. 9.

Dicat aliquis, Hæc ſunt peregrina & parerga. Reſpondeo. Nõ ſunt: quia iuuentus debet diſcere Grammaticam. Si mens eſt poſcere ex iure manu conſertum, id eſt, Si litigare nobiſcum volueris, aut iudicio nobiſcum diſceptare.

Quia enim Deus repetit]

Demonſtratio legalis. Neceſſe eſt Legem fieri. Sed in hac vita non fit. Ergo neceſſe eſt, reſtare aliam vitam, in qua fiat.

Quid exuberat]

Rom. 5. Beneficia Filij Dei an teferenda ſunt omnibus omnium hominum peccatis, noſtris & aliorum. vt Iohan. inquit 1. Cathol. 2. Ipſe eſt propitiatio, non tantùm pro peccatis noſtris, ſed pro peccatis totius mundi.

DECALOGVS.

Tamen fiunt etiam cultus]

Opera politica & œconomica fiunt cultus Dei, quando præſtantur prælucente fide.

Olim monachi prorſus extenuabant & abiiciebant officia Magiſtratuum, iudicum, opificum, agricolarum & reliquorũ hominum, & dicebant eſſe opera mundana ſeu carnalia: ſua verò opera monaſtica, eſſe ſpirituales cultus. Nos diſcamus ex verbo Dei rectè iudicare de vita politica & œconomica, & ſciamus, vtriuſque ordinis officia Deo placere, ſi fiant ex fide.

Samuel]

1. Reg. 15. Saul ante pugnam cum vicinis gentibus Amalechitis, acceperat mandata à Deo per miniſterium & vocem Samuelis, ne parceret vlli homini aut pecudi, ſed omnia interficeret ad vnum

vnum. Sed Saul vt hypocrita antefert ſuas imaginationes verbo Dei, & ducit in triumphum Regem Amalechitarum Agag, & pingues boues & armenta ducit in Iudæam, vt inde ſumeret materiam ſacrificandi Deo. Hæc, etſi habebant magnam ſpeciem, tamen diſplicent Deo. Ideo Samuel obiurgans Saulem, primum regem in populo Dei, inquit, Melior eſt obedientia, quàm victima: id eſt, Summus Dei cultus eſt audire verbum Dei, & hoc verbo regere obedientiam moralem in prima & ſecunda tabula. Non eſt cultus Dei facere opera, quæ nos ipſi eligimus & inſtituimus ſine verbo Dei.

Oſeæ]

Oſeæ 6. Symbolum Chriſti. Matth. 12. & aliàs ſæpe: id eſt, Opera moralia longè præſtant ceremoniis.

Chriſtus] Matth. 22.

Simile]

Scilicet certitudine demonſtrationum, neceſsitate & cauſſa finali.

Hæc ſæpe ſunt declarata. Omnia præcepta ſunt certa, quia habent certam demonſtrationem, & habent auctorẽ Deum. Secunda tabula tam eſt tradita à Deo, quàm prima. Deinde omnia opera Decalogi ſunt neceſſaria ſuo ordine, ſuo loco. Tertiò, omnia opera primæ & ſecundæ tabulæ ſunt referenda ad gloriam Dei.

Eſt enim cultus Dei] Qualis eſt hæc definitio? Cauſalis. Quæ eſt efficiens cauſa cultus? mandatum Dei, iuxta dictum Ezechiel. 20. Ambulate in præceptis meis, & non in præceptis patrum veſtrorum. Et Matth. 15. Fruſtrà me colunt mandatis hominum. Et Paulus ad Coloſſ. expreſsè damnat ἐθελοθρησκείας, id eſt, fictos cultus. Cauſſa formalis eſt fides, hoc eſt, agnitio & fiducia Mediatoris, iuxta dictum Hebr. 11. Impoſsibile eſt, ſine fide Deo placere, ſcilicet perſonam & opus. & Rom. 14. Quidquid eſt ſine fide, eſt peccatum. Finalis cauſſa eſt celebratio Dei.

De primo præcepto.

SICVT in precatione Dominica ordimur ab hac petitione, Sanctificetur nomen tuum, id eſt, Tu verè agnoſcaris, inuoceris & celebreris: Ita Decalogi initium ſumitur à vera agnitione & cele-

bratione Dei. Veram autē Dei agnitionem comitantur hi affectus, timor, fides, dilectio, & virtutes his cognatæ, quarum catalogum ſæpe recitauimus in Ethicis, & aliâs.

De vera notitia] Omnes ſani homines (non enim nunc loquor de furioſis) etiam extra Eccleſiam, quæſiuerunt & adhuc quærunt de modo agnitionis Dei, quomodo Deus poſsit aut velit agnoſci. Simonides ſapiens poeta, interrogatus à Rege Siciliæ Hierone, quid eſſet Deus, petiuit ſibi dari ſpatium tridui ad deliberandum, ſed tandem confeſſus eſt, ſe non poſſe eſſentiam & voluntatem Dei penitus perſpicere, & quò diutiùs hæc arcana inquireret, eò ſe magis dubitare. Hiſtoria extat apud Ciceronem in 1. de natura Deorum. Nos verò in Eccleſia ex primo præcepto, & ex ſymbolo Apoſtolico diſcimus, quomodo Deus ſit agnoſcendus, videlicet per hæc duo media: quorum alterum eſt verbum diuinitus traditum, alterum eſt teſtimonium additum verbo. Sicut enim diplomatis Principum adduntur ſigilla, ita Deus verbo ſuo addidit miracula, quæ ſunt teſtimonia doctrinæ diuinitus traditæ, incurrentia in oculos. Diſcant igitur iuniores, Deum agnoſci in Eccleſia per verbum & teſtimonia addita verbo. Hoc explicabitur per diſtributionem in textu.

Teſtimonium] Volo iunioribus hanc ſententiam populariter declarare. Si ego eſſem in hoc auditorio in media nocte, & in denſa caligine, in qua nemo poſſet cernere faciem & corpus meum, quomodo ego poſſem ab auditoribus agnoſci? audita voce, quæ pleriſque eſt nota. Si quis audiret meam vocem, diceret, me eſſe in hoc loco præſentem. Ita cùm Deus ſit inuiſibilis, nec poſsit oculis cerni, nec manib⁹ prehendi, proponit vocem ſuam, qua audita vult agnoſci & diſcerni ab omnibus creaturis & idolis, ſed ne dubitaremus de veritate & certitudine verbi diuinitus traditi, addidit huic verbo, Legi & Euangelio teſtimonia miraculorum, tanquam ſigilla cōfirmantia nos & noſtram fidem contra dubitationem. Tantùm ſunt duo ſenſus doctrinæ & diſciplinæ, viſus & auditus. Omnia quæ diſcuntur, vel viſu, vel auditu percipiuntur. Pauca admodum diſcimus, vel tactu, vel olfactu, vel guſtatu: Ideo rectè nominantur viſus & auditus, ſenſus diſciplinæ vel doctrinæ, quia plurimæ res per actiones horum ſenſuum cognoſcuntur.

Quia

Quia Deus eſt inuiſibilis]

Iohan.1. Deum nemo vidit vnquam. 1. Timoth. 6. Quem nemo vidit, nec videre poteſt, ſcilicet in hac vita oculis corporeis. De hac ſententia prolixè diſputat Auguſtinus epiſtola ſexta. Deus non videtur oculis corporeis.

Beati mundo corde, inquit Chriſtus Matth. 5. quoniam ipſi Deum videbunt.

Hæc notitia nondum]

Duplex eſt notitia Dei, altera Phyſica, altera Euangelica. Phyſica etſi eſt vera, tamen eſt inſufficiens, imperfecta, non ſufficit ad ſalutem. Euangelica verò eſt ipſa vita æterna, Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant &c.

Excutitur]

Rom. 1. Qui cùm cognouiſſent Deum, non vt Deum glorificauerunt, neque ei gratias egerunt, ideo traditi ſunt in reprobum ſenſum. Nemo poteſt caput primum ad Roman. legere ſine ingenti conſternatione animi: quia oſtendit, quanta ſit potentia, quantus ſit furor Diaboli in genere humano, & quanta ſit noſtra imbecillitas.

Exaudiat]

Quidam Epicureus collocauit in Creta ſtatuam Iouis, ſine oculis & auribus, vt ſignificaret, Deum nec cernere res humanas, nec exaudire hominum vota.

Eductio ex Aegypto fuit plena ingentium miraculorũ. Nam populus eſt traductus per mare rubrum, & poſtea in deſerto eſt gubernatus mirabiliter: qua de re longum eſſet dicere, ſed hiſtoria eſt nota ex Exodo.

Deum tuum]

Pronomina in Scriptura ſunt emphatica, habẽt magnam emphaſin, magnum pondus.

Sic Adæ]

Exempla, quibus declaratur altera pars diſtributionis. Sunt duo membra, verbum & teſtimonium. De verbo hactenus, nunc de teſtimoniis, quæ declarat per exempla. Nam exempla maximè proſunt ad docendum.

Datum verbum] Geneſ.2. Quacunque die comederitis ex arbore ſcientiæ boni & mali &c. Paradiſus apud Xenophontem in Oeconom. eſt hortus amœniſsimus & fragrantiſsimus, qui procreat omnis generis fructus.

Teſtimonia de Deo.]

Baſilius in concione 11. Gen. 1. Hic totus mundus eſt quaſi quidam liber ſcriptus, celebrans Dei gloriam abſconditam, & inuiſibilem ipſius magnificentiam.

Etſi enim voce caret, tamen ipſo opere tibi habenti mentem monſtrat veritatem.

Mundus eſt magnus liber, magna ſchola cognitionis Dei, ſcilicet Phyſicæ, non Euangelicæ.

Ideo additum] Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Hęc prima eſt vox Euãgelij, Quòd Filius Dei apparebit in humana natura, vt deſtruat opera Diaboli, peccatum & mortem, & reſtituat bona his malis oppoſita, iuſtitiam & vitam æternã. Hæc enarratio tradita eſt 1. Ioha. 3.

Rapiebantur igne]

Hieron. in Geneſ. Vnde ſcire poterat Cain, quòd fratris eius munera ſuſcepiſſet Deus, & ſua repudiaſſet? niſi illa interpretatio vera eſſet, quam Theodotion poſuit: Et inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium eius, &c. Ignem autem ad ſacrificiũ deuorandum ſolitum venire de cœlo, & in dedicatione templi ſub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo conſtruxit altare. Hactenus Hieronymus. Sic Geneſ. 8. ſcribitur, Odoratus eſt Dominus odorẽ ſuauitatis, id eſt, halitu ſuo, ſeu flammis cœleſtibus abſumſit ſacrificia Noæ.

Idem verbum] Non habemus aliud Euangeliũ, quàm illi patres habuerunt, ſicut inquit Petrus Act. 10. Credimus & nos ſaluari, ſicut & patres noſtri per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti. Item fide purificante corda. Et Ioan. cap. 1. Omnes ex plenitudine eius accepimus, gratiam pro gratia, Et Paulus 2. Corinth. 4. Habentes eundem Spiritum fidei.

Qui videt me] Ioan. 14.

In ſapientia] id eſt, ſapiẽtem: per ſapientiã, id eſt,

id est, per notitiam physicam: per stultam prædicationem, id est, per Euangelium, quod non est stulta prædicatio per sese, sed videtur talis esse: abhorret enim à iudicio rationis.

In sancta sanctorum] Hebr. 9. Tres fuerunt partes templi Hierosolymitani. Prima erat atrium, in quo stabat populus audiens sacras conciones, & spectator sacrificiorum. Secunda pars erat sanctum, id est, illa pars, in quam ingrediebantur sacerdotes & Leuitæ docentes & sacrificantes. Tertia pars sacratissima vocabatur sanctum sanctorum. Quia nemini licebat in hanc partem templi ingredi, nisi summo sacerdoti, idq; tantùm semel in anno. Ita Christus ingreditur in sanctum sanctorum, id est, in arcanum consilium diuinitatis, videt pectus Patris, solus perfectè nouit Patrem, & perfert nostras preces & cultus ad eundem.

Hebræos] cap. 4. Epiphonema.

Gratiæ] Non ad thronum iudicij. Eadem dicta sunt suprà in loco de Deo, de patefactione. Summa hæc est de modo agnitionis Dei: Deus sic est agnoscendus, sicut se patefecit, patefecit autem se dupliciter, partim verbo, partim testimoniis additis verbo, id est, miraculis & Sacramentis.

Cultus autem] Alterum membrum institutæ partitionis. Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido. Ergo prima virtus & fundamentum aliarum virtutum est vera notitia Dei.

Ego sum] Exemplum ratiocinationis ex ponderibus verborum primi præcepti. Epiphanius, Scriptura indiget speculatione, id est, collatione, ratiocinatione.

Zelotes] Zelus significat indignationẽ ortam ex amore. Si tu diligis tuã vxorem, aut tuam sponsam, concipis iustam iram & indignationẽm aduersus omnes, qui rem amatam vel lædunt, vel alienare conantur. Exemplum est in Samsone, qui dimicauit cum Philistæis pro sponsa. Zelotes, id est, ardens amore suæ sponsæ, & irascens iis, qui hanc sponsam lædunt, contaminant, aut quoquomodo abalienare conantur.

Timebis] Deuter. 6. citatur à Christo Matth. 4.

Diligas] Deuter. 6. Matth. 22. Magna pars Scripturæ sacræ est enarratio primi præcepti, bona pars Psalmorum, bona pars concionum propheticarum.

Paulus inquit] Rom. 8. φρόνημα complectitur actiones mentis & voluntatis, id est, opiniones & affectus carnales.

Iam dico] Sequitur necessaria occupatio: Deus neminem approbat, nisi sit conformis Legi.

Inchoari potest]

Chrysostomus Ephes. 6. Nulla est vtilitas dilectionis sine fide, imò ne quidem existere potest aliter. Id est, sine fide. Obseruetur hoc contra Papistas. Papistæ pluris faciunt vnum locum ex patribus, quàm mille locos ex Scriptura: οὐδὲ γὰρ ὄφελος ἀγάπης πίστεως χωρὶς, μᾶλλον δὲ οὐδ' ἂν γένοιτο ἀγάπη ἑτέρως. Ex his verbis Chrysostomi sumuntur duo ἀξιώματα Theologica: Dilectio non placet sine fide. Quando autem nominamus dilectionem, intelligimus omnia bona opera, totam obedientiã. Vnde sumitur hoc ἀξίωμα? Non tantùm ex verbis Chrysostomi, sed ex Scriptura, Rom. 14. Quicquid est sine fide, peccatum est, id est, res Deo displicẽs. Item Heb. 11. Impossibile est sine fide placere Deo, scilicet personam vel opus. Secundum ἀξίωμα. Dilectio non potest inchoari vel existere sine fide. Quia nisi priùs acceperis remissionem peccatorum, non potes Deum diligere. Vnde sumitur hæc sententia? Ex capite 7. Lucæ, vbi sic dicitur, ille multùm diligit, cui multa sunt remissa debita. Ideo Maria, siue quæcunq; fuerit mulier, dilexit Christum, quia accepit remissionem peccatorum: alioqui non potuisset diligere Christum. Dic mihi, si tu deberes alicui ciui locupleti in hac vrbe mille florenos, & non posses soluere centum, nónne fugeres illius ciuis conspectum & congressum? sed si persolueres ei debitum, aut potiùs si tibi remisisset & donasset, tunc valde inciperes eum amare, nisi esses ingratissimus nebulo. Veterum dicta non sunt contemnenda, quando congruunt cum Scriptura.

Fugiunt

Fugiunt]

Rom. 7. Peccata, quæ per Legem exiſtunt, erant in membris noſtris efficacia, id eſt, dubitationes de Deo, fuga Dei, fremitus aduerſus Deum, odium Dei.

Peccata exiſtunt per Legem vitio noſtræ naturæ, non vitio ipſius doctrinæ. Noſtra natura perterrefacta Lege, incipit Deum fugere, odiſſe, & mallet, nihil eſſe Deum.

Agnito Chriſto]

Iacto fundamento. Tu non potes ædificare, niſi iacto fundamento: ita non potes inchoare obedientiam primi præcepti ſine Chriſto, ſine agnitione & fiducia Mediatoris.

Conſummatio]

Rom. 10. τέλος, finis Legis.

Credendo]

Rom. 3. Lex per fidem ſtabilitur, ſcilicet imputatione, inchoatione, & tandem etiam conſummatione.

His duobus verbis]

Duæ ſunt virtutes primi præcepti maximè inſignes, timor & fides, quibus reliquæ adiunctæ vel potiùs cognatæ ſunt. Nam timori cognatæ ſunt humilitas & patiētia: fidei adiunctæ ſunt ſpes & dilectio, quæ omnes comitantur veram Dei agnitionem. Ita duo ſunt præcipua peccata primi præcepti, Epicureus contemtus Dei, & idololatria. His duobus extremis verę pietatis, reliqui gradus peccatorum concinnè adiungi poſſunt. Hæc dicuntur memoriæ cauſſa, quia faciliùs memoriæ mandantur duo vocabula, quàm longa congeries virtutum & vitiorum.

Quando aliquis te interrogat de virtutibus primi præcepti, reſpondeas, duas eſſe præcipuas, videlicet, timorē Dei, & fidem, id eſt, fiduciam miſericordiæ. Si autem requirit cauſſam, cur ſis contentus hac enumeratione breui: Reſponde. Quanquam plures ſunt virtutes primi præcepti cognatæ vel adiunctæ timori & fidei, tamen in experientia ſpirituali maximè ſentimus pauores & conſolationes. Pauores pertinent ad timorem, conſolationes ad fidem. Sic interrogatus aliquis de peccatis pugnantibus cum primo præcepto, non inſtituat longum catalogum, ſed vtatur hac breuitate, dicat

pietatem verſari inter duo extrema, quorum alterum eſt Epicureus contemtus, alterum idololatria, quæ eſt multiplex, imò infinita. His duobus gradibus facilè poſſunt & nullo negotio adiungi, & quaſi annecti reliqui gradus.

Timorem enim oportet experiri]

Bis repetitur idem vocabulum, vt ſignificetur, præcipuum lumen eſſe pietatis ſpiritualem experientiam, quæ nihil aliud eſt, quàm viciſsitudo pauorum & conſolationũ. Sicut enim in mundo ſunt vices dierum & noctium, æſtatis & hyemis: ita perpetua viciſsitudo eſt pauorum & conſolationum in animis piorum, vt oſtendunt exempla pſalmorum & concionum Propheticarum.

Nõ fruſtrà dixit Epiphanius, quod ſæpe ſolemus inculcare, Scripturam nõ indiget allegoriis, ſed indiget duob⁹ adminiculis, quorum alterum eſt θεωρία, id eſt, ſpeculatio, alterum eſt αἴσθησις, id eſt, ſenſus, ſeu experientia ſpiritualis. Tantum enim quiſque ſcit, quantum experitur: & verè dicit Siracides, Qui non eſt tentatus, qualia ſcit? Sed iuuentus adhuc ignara communium miſeriarum, & calamitatum earum, de quibus loquimur, conſideret exempla ex Pſalmis & Prophetis, & diſcat ex alienis exemplis, quid ſit experientia ſpiritualis. Quoties Dauid in Pſalmis vſurpat has querelas, Ego dixi in conſternatione & pauore meo, Proiectus ſum à facie oculorum tuorum, Pſal. 31. & Pſal. 22. nõ ſolùm Chriſtus exclamat, ſed etiã omnes, qui ſunt membra Chriſti, Deus meus, quare me dereliquiſti? Hæ & ſimiles voces declarant, ſæpe pios incidere & mergi in hanc tentationem, vt exiſtiment, ſe eſſe deſertos vel abiectos à Deo. Rurſus verò, quàm multa leguntur fidei ἐπινίκια, id eſt, carmina lætiſsima, quibus prædicantur victoriæ aduerſus trepidationes & pauores, vt Pſal. 118. Dominus mecum, nõ timebo, quid faceret mihi homo? Sed ſummam harum viciſsitudinum & alterationum nullus pſalmus, vt mihi quidem videtur, meliùs pingit ante oculos, quàm Pſal. 30. Ego dixi in proſperitate mea, id eſt, in victoria fidei, in magna lætitia ſpirituali, in triumpho fidei, Nõ mouebor in æternum, ſeu, Ego non vnius aſsis æſtimo Diabolum & totum eius regnum ſeu mundum. Sed quid accidit? an eſt lætitia perpetua? non. Quid paulò pòſt ſequitur? Domine, in beneuolentia tua conſtabiliuiſti montem meum, ſed

cùm

cùm abſconderes faciem tuam, ſum conturbatus &c. Audis querelas triſtiſsimas, quæ pertinent ad timorem & pauorem, ſed ſequitur rurſus lætitia & ἐστινίκιον: Conuertiſti planctum meum in gaudium &c. Hunc pſalmum ideo breuiter repeto, vt iuuentus in alienis exemplis, tanquam in ſpeculo cernat, quid ſit experientia ſpiritualis, quid pauor, quid fides.

Recenſui] ἐπιλογισμός.

Afflictionum] Siue ſint πυρίαι, ſiue δοκιμασίαι, ſiue μαρτύρια.

De priori genere] Id eſt, de martyriis & de exercitiis, vt carcer Ioſeph, ſuppliciũ Baptiſtæ.

Qui vult] Matth. 16.

Oportet nos] Rom. 8.

Pretioſa] Pſal. 116. Recitabo paucos verſus ex Prudentio, qui quadam hypotypoſi poetica pingit pretium mortis ſanctorum.

Prudentius de Romano.

Excepit aſtans angelus coram Deo,
Et quæ locutus martyr, & quæ protulit,
Nec verba ſolùm differentis condidit,
Sed ipſa pingens vulnera expreßit ſtylo.
Guttam cruoris ille nullam perdidit.

Sic Pſal. 56. Nunquid tu in vtrem colligis lacrymas meas &c? Et Chriſtus inquit, Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt. Ad talia dicta alludit poeta Lactantius, qui deſcripſit coronas matyrum, Eſtne pretioſa mors pecudis? Non. Quia in morte pecudis omnia extinguuntur, anima & corpus, nihil pecudis reliquum eſt poſt mortem, niſi illa maſſa cadaueris, quæ paulò pòſt putreſcit. Deinde, Eſtne mors impiorum & tyrannorum pretioſa? Non. Mors peccatorum peſsima, inquit Pſalmus. Sed ſanctorum mors eſt pretioſa, quia & ornat Deum gloria, vera agnitione, inuocatione & celebratione, & habet glorioſum exitum in vita æterna, vbi ſancti fulgebunt ſicut Sol, & ſicut ſtellæ, teſte Daniele, in omni æternitate. Non intelligas hunc verſum tantùm de martyribus, ſed de omnibus piis

morientibus, de quibus ſcribitur in Apocalypſi, Beati qui in Domino moriuntur.

Vult magis ſe metui]

Daniel 3. Notum ſit tibi Rex, quòd Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.

A domo Dei] Ab Eccleſia. 1. Petr. 4. Sumta eſt cõcio Petri ex Prouerbiis Salomonis, vbi Salomon ſic argumentatur à fortiori: Si iuſtus in terra peremtitur, perſoluit, quantò magis impius & peccator, id eſt, vt Chriſtus inquit in hiſtoria paſsionis, Si hoc fit in ligno viridi, quid fiet in arido? hoc eſt, Si Eccleſia, quæ eſt cœtus Deo placens, & ſanctificatus ad vitam æternã, duriter caſtigatur à Deo, vbi manebunt peccatores & impij? quid fiet de reliqua multitudine, vel potiùs fæce generis humani, quæ furenter offendit Deum, & omnia facit ingrata Deo?

Subiecta eſt morti]

Quidam venuſtè dixit, Cùm Filius Dei pendeat in cruce, cur nos non ſtaremus ſub cruce?

Deus ſit nobis propitius]

Tres ſunt præcipuæ conſolationes in omnibus ærumnis. Prima, remiſsio peccatorum, quæ eſt, vt Auguſtinus ait, aſylum Eccleſiæ. Secunda, agnitio præſentiæ Dei in ærumnis. Tertia, ſpes ſalutaris exitus, vt 1. Cor. 10. dicitur: Fidelis Deus, qui non ſinit nos tentari ſupra vires, ſed dat cum tentatione exitum, vt poſsimus vincere.

Propè eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, Pſal. 34.

Pſalm. 77. Hæc eſt ægritudo mea, ſed dextra excelſi poteſt hæc mutare.

Sperat etiam in morte ſua iuſtus, Salomon.

Nolite murmurare] 1. Corint. 10. Saul murmurat contra Deum, tanquam tyrannum. Sic Cato, Pompeius, ſic Brutus.

Potenti manu]

1. Pet. 5. Manus Dei eſt potens ad vtrumque, ad humiliandum, &

& ad exaltandum. Pellit Deus Dauidem in exilium, sed eundem restituit in regnum. Sic Nabuchodonosorem Regẽ Babyloniæ Deus deiecit de summo fastigio, & præcipitauit in acerbissimas calamitates, sed hunc conuersum ad se Deus restituit in regnum.

Sacrificium] Psal. 51.

Sacrificate] Psal. 4.

Deum magis timeri, quàm tyrannos]

Liuius lib. 9. Decad. 4. Veremur quidem vos, Romani, & si ita vultis, etiam timemus, sed plus & veremur & timemus Deos immortales, inquit Lycertas dux Achæorum. Achæi habuerunt tres duces, celebres in omni historia Græca & Latina. Primus fuit Aratus Sicyonius, cuius meminit Cicero in 3. Offic. Secundus fuit Philopœmen, cuius vitam descripsit Plutarchus, sicut & Arati. Tertius Lycertas, de quo nunc loquimur. Huius hæc est oratio apud Liuium, valde animosa & generosa. Quomodo differunt vereri & timere? Duplex est timor, filialis & seruilis. Vereri, est filialiter timere. Timere, est seruiliter timere, vt seruus timet Dominum. Sic nos debemus Deum vereri, tanquam patrem, & timere tanquam Dominum.

Corripimur] 1. Cor. 10. Quare medicus interdum secat aut vrit membrũ in corpore? vt sanet. Scitis, quàm grauis sit morbus cancer, hunc morbum necesse est secando & vrendo tollere ex corpore. Hæc sectio & vstulatio, quæ fit à medico perito, non fit animo hostili, & cupiditate nocendi, sed vt seruetur in vita & sanetur, qui hoc morbo premitur. Ita Deus castigat nos fame, peste, bello, & aliis mille modis, publicè & priuatim, non vt damnet, aut perdat, sed vt seruet nos ne pereamus cum hoc mundo.

Virtus] Rara & difficilis.

Pax Dei] Pax est tranquillitas cordis, orta à fide & spe, à fide accipiente remissionem peccatorum propter Mediatorem gratis, à spe expectante lætos exitus.

Antitheſis, id eſt, catalogus peccatorum pugnantium cum primo præcepto.

Traditum à Deo]

Contra venenatam dubitationem, ſeu contra ignitum telum Diaboli, an doctrina Prophetica ſit diuina, teneantur hi ſeptem gradus teſtimoniorum, quorum primus continet miracula Eccleſiæ propria: ſecundus eſt doctrinæ propheticæ antiquitas. Tertius, collatio doctrinarum. Quartus experientia ſpiritualis. Quintus fortitudo martyrum in ſuppliciis. Sextus, ſtabilitas Eccleſiæ. Septimus, pœnæ hoſtium Euangelij. De his gradibus teſtimoniorum ſcribunt Iuſtinus & Tertullianus in ſuis Apologiis, & Euſebius Cæſarienſis in libris de præparatione Euangelica, vt ſuprà diximus in prolegomenis Locorum.

Eccleſia Dei habet multos hoſtes, Ethnicos, recentes Iudæos, Mahometiſtas, hæreticos &c. & alij hoſtes aliter refutandi ſunt.

Iudæi recentes, qui non reiiciunt ſcripta Prophetica, poſſunt & debent refutari, citatis teſtimoniis Propheticis, ſicut faciunt Apoſtoli in Actis, Petrus & Paulus. Ethnicos verò, qui non amplectuntur Scripta Prophetica, alia ratione refutare oportet, videlicet collectione horum teſtimoniorum, quę breuiter & ſummatim repetiuimus. Primùm enim miracula ante oculos proponenda ſunt, quæ ſunt opera ſolius naturæ omnipotentis, & quæ à nulla creatura fieri poſſunt. Deinde monſtranda eſt Ethnicis ex collatione hiſtoriarum antiquitas doctrinæ. Tertiò genera doctrinarum conferenda & diſcernenda ſunt, vt ex hac collatione appareat, doctrinam Eccleſiæ perfectiorem eſſe. Quartò, ipſa experientia ſpiritualis in pauoribus & conſolationibus conuincit omnes ſanos, non eſſe Euangelium inane commentum, & inanem fabulam, ſed verè verbum Dei & doctrinam diuinitus traditam. Poſtea adiungẽdi ſunt reliqui gradus, videlicet ſtabilitas Eccleſiæ, & continua ſeries doctorum in Eccleſia inde vſque ab Adam, item fortitudo martyrum in ſuppliciis: denique hæreticorum & tyrannorum pœnæ.

Alligari]

Axioma Theologicum. Deus ſine ſuo verbo nõ vult ad vllam rem

rem alligari, hæc regula euertit infinita idola Ethnica & Papistica.

Idolorum]

Idolum, etsi reuera nihil est, teste Paulo 1. Corinth. 8. tamen hominum opinione, aut est substantia, aut locus, aut actio. Substantia, vt statua, cui tribuitur potentia diuina. Locus, vt templum Iacobi in Hispania. Actio, aut tribuit honorem Deo debitum creaturis, aut fingit opiniones & cultus sine verbo Dei. Sunt igitur quatuor species idololatriæ: prima, in substantia: secũda, in prædicamento Vbi: tertia & quarta, in prædicamento actionis. Hæ species diligenter obseruandæ sunt & discernendæ propter conciones Propheticas, quæ magna ex parte consumuntur in accusatione idololatriæ.

Magia olim significabat sapientiam, vt ostendunt scripta Platonis & Xenophontis. Ac Magi fuerunt sapientes Persarum, sicut testatur secundũ caput Matthæi, Venerunt Magi ab Oriente, id est, ex Persia, qui haud dubiè fuerunt reliquiæ auditorum Danielis. Sic etiam Sophistæ nomen apud Græcos quõdam fuit honorificum, σόφημον: sed vt aliæ res temporibus mutantur, ita etiam significationes vocabulorum aliâs sunt aliæ. Et verè dictum est, Vocabula valent vsu sicut nummi. Nunc enim Magi & Sophistæ malè audiunt. Significant cõtrarios veræ sapientiæ & veræ doctrinæ. Mutatis rebus, mutantur etiam significationes.

Sine ordinatione]

Definitio superstitionis, quæ est falsa opinio, tribuens alicui rei vim, sine causis physicis, & sine ordinatione Dei.

Interficiam] Non tantùm præsentibus, sed etiam æternis suppliciis eam mactabo.

Alij] πνευμαλομάχοι, Macedoniani.

Quare Iulianus vocatur Apostata à Græcis? Quia defecit ab Euangelio. Initiò fuit studiosus Euangelij, postea deflexit suam sententiam de doctrina ad opinionem Ethnicorum, vt plerunque aulæ attemperant suam gubernationem ad publicam pacem, accommodant religionem ad vtilitatem, nolunt politias turbari disputationibus.

Parabola de semine) Lucæ 8. In illa parabola tantùm quarta pars seminis fructificat, reliquæ partes sunt fructus expertes.

Voluptates)

Plautus: Malo me ista mulier amet, quàm Dij. Magna est confusio in amore. Fluctuat incertis erroribus ardor amantum. Sic auarus ad suam pecuniam dicit, Malo retinere pecuniam, quàm religionem.

Rebus gestis) Intra annos sex, post mortem patris Philippi: nullius viatoris passibus tam citò potest orbis terrarum peragrari, quàm non dico cursibus, sed victoriis, trophæis & triumphis Alexandri illustratus est. Volitauit per orbem terrarum, sicut dicit Daniel, habere eum alas, & non contingere terram.

Postea) Post captam Babylonem cœpit furere Alexander.

Agnoscit hanc arrogantiam)

Daniel. 4. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli, quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare. Sicut Maria inquit in Cantico, Deposuit superbos de sede, & exaltauit humiles.

Interficitur) A filiis in templo, 4. Reg. 19. & apud Herodotum lib. 2. vbi legitur hæc inscriptio in statua Sennacherib, In me intuens, disce pietatem, ὀσιότητα, ἐυσεβὴς ἔστω.

Heroici viri) Wunderleut. Sic Lutherus interpretatur. In viris heroicis est sapientia, virtus & felicitas supra communem captum & infirmitatem hominum, sunt gemmę in genere humano, reliqui homines sunt lapides, si conferantur cum heroicis. Sicut gemmæ sunt raræ, ita heroici viri sunt rari.

Tristissimis casibus) Ouidius. Obruit ingentes ista procella viros: hoc est, vt dicitur

in

in libro Sapienriæ. Potentes potenter tormenta patientur. Deus seruat analogiam, id est, proportionem inter pœnam & personam. Magnarum personarum pœnæ sunt tragicæ.

Pompeius]

Pompeius dixit, se supplosione vnius pedis posse totam Italiã replere armatis exercitibus. Sic Timotheus filius Cononis dixit, Hæc ego feci, non fortuna: vt scribit Plutarchus in vita Syllæ.

Est arrogans vox.

Cicero scribit de Pompeio victo & fugato, in lib. 9. epistolarũ. Nec reges, nec socij, nec fœdera, nec reliqua auxilia, quæ crebrò solebat oftẽtare Pompeius, possunt iam fugienti opem ferre. Si quis habet fiduciam humanorum præsidiorum, & hac fiducia mouet & suscipit res non necessarias, dignus est tali exitu.

Interfecit) Clytum & Parmenionem.
Aiace) Sophocles de Aiace.
Aiax) Vt homo amens.
Abominatio) Lucæ 16.
Sublime) Id est, sine timore Dei.
Clarius) Iuuenalis:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

Quale subiectum, talia accidentia: qualis persona, talia sunt vitia. Venustissimum est, quod dicit Plutarchus: Sicut paruus næuus, parua macula in facie magis deformat hominem, quàm cicatrix in reliquo corpore: ita Principis peccata sunt conspectiora, magis incurrunt in oculos hominum. Principis persona seruit non tantùm auribus, sed etiam oculis hominum, vt inquit Cicero.

Contagij]

Omnes homines sunt superbi & inuidi, vt in versibus dicitur, Dum sibi quisque placet, credula turba sumus. Item, Nemo est, quem non possis aliqua in re cernere Suffenum.

Id est, sibi placentem.

Dauid] Psal. 25.

Vnicus & pauper] Desertus ab omnibus creaturis. Certè in morte deserimur à

creaturis. Item psal. 27. Pater & mater, id est, causſæ ſecundæ (nominat ſpeciem pro genere) deſeruerunt me, Dominus autem ſuſcepit me.

Scriptura] Vt Psal. 4. Epheſ. 4.

Collegi] Epilogus. Vitia ſunt conſpectiora virtutibus.

Diſtribuamus]

Diſtributio virtutum rectiſsimè ex Decalogo ſumitur.

Faciliùs] Quia affectus ſentiuntur in corde.

Quotuplices ſunt virtutes? Aliæ ſunt generales, aliæ ſpeciales. Quæ vocantur generales? Quæ complectuntur multas virtutes, vt humanitas eſt copulatio iuſtitiæ, & aliarum virtutum mitiorum: ſic pietas eſt copulatio & chorus omnium virtutum primi præcepti. Speciales, quæ tantùm vnam virtutem complectuntur, vt parſimonia.

Secundum præceptum.

Abſoluimus primum præceptum, quod eſt omnium aliorum præceptorum principium & finis, α & ω. Nam præcepta reliqua referenda ſunt ad primum, quia finis omnium actionum noſtrarũ debet eſſe Deus. Sequitur præceptum ſecundum.

Poſtquam]

Admonitio de ordine præceptorum Decalogi, qui eſt ſapientiſsimus. Nam primum præceptum regit cor, ſecundum gubernat linguam. In corpore humano eſt imago pulcerrimæ politiæ. Sicut enim in aulis oratores, ſeu Cancellarij, proximè adiuncti ſunt regibus & Principibus: Ita Deus in fabricatione corporis humani adiunxit linguam & reliqua organa vocis & ſermonis cordi. Nam opiniones & affectus non poſſunt aliter patefieri, & cum reliquis hominibus communicari, niſi ſermone, qui eſt vox articulata & diſtincta. Quare, vt primum præceptum regit cor, id eſt, opiniones, & affectus erga Deum: ita ſecundum præceptum gubernat linguam, moderatur vſum ſermonis de Deo.

Diliges] Deut. 6.

Item]

Item] Ioan. 4. Est ἀξίωμα Theologicum. Sic Paulus inquit Rom. 14. Regnum Dei nō est cibus aut potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Regnum Christi est spirituale, non est corporale.

Non vsurpabis] Verba secundi præcepti. Dixi sæpe de discrimine inter propositiones affirmatiuas & negatiuas. Affirmatiuæ prosunt ad docendum, & relinquunt in animis auditorum certā Ideam, siue vt Græci dicunt, sunt εἰδοποιητικαὶ, vt Maluaticum est vinum, Maluaticum calefacit. Hæ affirmatiuæ sunt εἰδοποιητικαὶ, id est, relinquunt speciē, seu imaginem in tuo animo: sed negatiuæ sunt fortiores in refutatione. Nam optima forma refutandi est simplex negatio, siue simplex inficiatio. Ergo quando audis negatiuas, quæ sunt accusationes peccati in Decalogo, priùs cogita de affirmatiua, quæ relinquit speciem seu imaginem in animo.

Ite, docete] Vt Matth. 28. Præceptum de prædicatione Euangelij in toto orbe terrarum.

Inuoca] Psal. 50. Est breuis versiculus, quem debemus recitare in precibus nostris. Nam hic versiculus, quanquam breuis, tamen tria membra cōtinet. Primum est præceptum de inuocatione veri Dei, alterum est promissio de exauditione. Non frustrà inuocas, nō inuocas Deum surdum & mutum, sed inuocas Deum exauditorem precum, vt dulcissimè dicitur Psal. 65. Exaudis vota hominum, ideo omnis caro ad te veniet. Non potest Deo tribui dulcior titulus, quàm hic, quòd sit exauditor precum. Tertium membrum huius versiculi est præceptum de gratiarum actione, exauditus agat Deo gratias, iuxta gradationem, quam sæpe auditis:

Christianus tentatur,
Tentatus inuocat,
Inuocans vel orans exauditur & liberatur,
Exauditus & liberatus agit gratias.
Sic argumentor.
Ore fit confessio ad salutem,
Ergo bona opera sunt necessaria ad salutem, tanquam causa seu meritum salutis.

Declara dictum Pauli. Respondeo ad dictum Pauli. Aliud est necessarium, vt caussa iustificationis, aliud est necessarium, vt effectus sequens iustificationem. Necessaria est igitur confessio in renatis, vt effectus necessariò sequens, vt in viuente dicimus, necessariò spirationem esse, quæ tamen non est vitæ caussa. Iohannes in epistola Canonica ca. 3. sic inquit, Nos scimus, quod simus translati ex morte ad vitam, quia proximum diligimus. Disertè dicit Iohannes, Nos scimus, quòd simus translati, non dicit, nos sumus propterea translati ad vitam: vt testetur, dilectionem, confessionem & alia opera nõ quidem esse caussas iustificationis & saluationis (est enim vnica tantùm caussa, obedientia & meritum Filij Dei) sed tamen esse signa, monstrantia nos verè translatos esse ex morte in vitam, & discernentia verè renatos ab hypocritis. Potest aliquis gloriari de sua fide de sua conuersione ad Deum, de sua pietate &c. Sed τεκμήριον, id est, certissimum argumentum atque indicium veræ pietatis, fidei & conuersionis, est dilectio proximi, item confessio veræ sententiæ. Hæc suo tempore dicentur prolixiùs.

Testis] Prima pars iuramenti.

Et petit] Secunda pars. Duæ sunt partes in omni iuramento. Prior est inuocatio Dei, in qua petimus, vt Deus sit testis nostræ promissionis seu asseuerationis de re honesta & possibili. Disertè dico, de re honesta & possibili, quia ad impossibile nemo obligatur. Deinde nulla vota, nullum iuramentum debet esse vinculum iniquitatis, iniusta non sunt promittenda, nec facienda, etiamsi sint promissa. Altera pars iuramenti est imprecatio, qua tibi ipsi imprecaris iram Dei & pœnas in casu periurij, iuxta comminationem additam secundo præcepto, Non habebit Deus insontem, quisquis vanè vsurpabit nomen Dei. Iam cogita, quanta res sit, quàm arctum vinculum iuramentum. Horrendum est, incidere in manus Dei, inquit Epistola ad Hebræos, scilicet irati, quia Deus est ignis consumens.

Quantum vinculum]

Cicero in 3. Officiorum: Nullum vinculum ad astringendam vitam iureiurando maiores arctius esse voluerunt. Et Lycurgus contra Leocratem: Illud autem cogitate, neruum totius publici status esse iusiurandum. Cùm enim tria sint membra ciuitatis, magistratus, iudices, priuati: Hi omnes inter se coniuncti sunt iureiuran-

reiurando, hanc ob causam, quia multi pœnas effugere possunt, quas homines de sontibus sumunt: At iudicium & pœnas diuinas nemo effugere potest, & si non ipse, tamen posteri & totum genus in calamitates magnas incident.

Hesiodus vno versu totum locum de iuramento conficit, inquiēs: ἀνδρὸς δ' ἐυόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων: Viri seruantis iuramentum, id est, rectè iurantis posteritas erit melior, felicior, tranquillior. Theocritus, Piorum liberis est melius, impiorum deterius, hoc est, vt inquit Psalmus, Generationi rectorum benedicetur: Econtrà semen impiorum peribit. Siquis igitur non parcit propriæ saluti, propriæ famæ & existimationi, tamen parcat suæ posteritati & toti familiæ, in quam redundant pœnæ periurij.

Agnito Christo]

Ioan. 14. Nemo venit ad Patrem, nisi per me, & Rom. 10. longa extat gradatio de hac sententia, Quomodo inuocabunt, nisi credant, quomodo credent, nisi audiant?

Gratiarum actio est virtus cognata inuocationi. De similibus autem & cognatis idem est iudicium. Quid est Euangelium, nisi sermo de Filio Dei? Subiecta materia & ὑποκείμενον Euangelij est Filius Dei.

Timor & Fides]

Psalm. 33. Oculi Domini super timentes eum, & super eos, qui sperant in misericordia eius, & Psal. 147. Non in fortitudine equi &c.

Id est, Hos approbat, hos complectitur sua misericordia.

Sacrificabo]

Psal. 116. Ἀντίδωρα, quæ nos Deo reddere possumus, & quæ Deus postulat & approbat, sunt inuocatio, gratiarum actio, & tolerantia in cruce.

Dauid interrogat se ipsum, Quid reddam Domino, pro omnibus quæ mihi dedit? Est optima interrogatio, & digna homine Christiano: respondet sibi ipsi per subiectionem rhetoricam: Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo, calicem salutarem accipiam, id est, tolerabo crucem, non exitiosam, sed salutarem piis.

Nomen]

Æschines contra Cteſiphontem, Cauete ab illis oratoribus, qui ſemper in ore habent nomen Reip. Et Saluſtius de coniuratione Catilinæ, Bonum publicum ſimulantes, pro ſua quiſque potentia certabant.

Lex non annuntiat] Rom. 3.

Lex agnitio peccati. Rom. 4. Lex iram operatur, 1. Cor. 15. Aculeus mortis peccatum, peccati potentia Lex, 2. Cor. 3. Lex miniſterium mortis & litera occidens.

E contrà Euangelium eſt miniſterium ſpiritus & vitæ, vt eodem loco dicitur, ſunt ἀξιώματα Theologica & Paulina.

Diſcedite] Matth. 25.

Adduntur maledictiones]

Maledictiones propter duas cauſſas additæ ſunt Legi. Primùm, vt ſciamus opus eſſe iuſtitiæ Dei, quòd peccata puniuntur tantis calamitatibus. Deinde vt ſciamus, has ipſas calamitates eſſe vocem Legis commonefacientem de pœnitentia.

Pſal. 39. Propter iniquitatem corripis filios hominum.

Sic argumentor: Ezechiel Propheta cap. 18. inquit, Filius non portabit iniquitatem patris, & anima, quæ peccauit, ipſa morietur: Ergo Ezechiel pugnat cum Moyſe, qui dicit, Ego viſitabo iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Concilia Ezechielem cum Moyſe. Qualis concio eſt, Ezechielis oratio? Eſt vox Euangelij, quæ promittit ſalutem agentibus pœnitentiam, Viuo ego, nolo mortem &c. Comminatio verò primi præcepti eſt vox Legis, & præcipuè denuntiat pœnas corporales. Nullus enim filius aut nepos, ſi ſit ad Deum conuerſus, propter maiorum delicta æternis pœnis afficitur. Sed pœnæ præſentes vagantur per poſteritatem propter delicta maiorum, quæ tamen & ipſæ mitigantur conuerſis. Heſiodus, Sæpe mali malefacta viri populus luit omnis.

Tertium præceptum.

De ordine præceptorum Decalogi ſæpe iam dictum eſt. Omiſſa igitur

igitur longiore repetitone consilij sapientissimi, quo Decalogus ordinatus est, dicamus de re præsenti, videlicet de summa tertij præcepti. Tertium præceptum, Sabbathum sanctifices, concionatur toti generi humano de conseruatione ministerij, per quod Filio Dei colligitur æterna Ecclesia, quæ est ipsius præclara hæreditas, teste psalmo 16. Ad conseruationem autẽ ministerij duabus rebus opus est: videlicet publica & honesta congregatione, & signis seu ceremoniis, seu Sacramentis, quæ sunt nerui publicæ congregationis. Homines enim naturaliter amant ordinem, cuius adminicula sunt honestæ ceremoniæ seu ritus, non quidem humana, sed diuina auctoritate instituti. Dicemus igitur nunc in præcepto tertio de ministerio Euangelij, & de Sacramentis, quantum quidem huic propositæ materiæ congruit.

De ceremoniis] Loquitur non de traditionibus humanis, sed de Sacramentis, quę sunt ceremonię, vel ritus, vel spectacula diuinitus ordinata.

Sancta opera fieri]

Augustinus 2. de ciuit. Dei, cap. 28. In templis Christianis, aut præcepta veri Dei traduntur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur. Actiones Christianorum in templis sunt docere & audire pro modo vocationis doctrinã à Deo traditam, & vti Sacramentis, & in vsu exercere inuocationem & gratiarum actionem. Nec obscura sunt quæ dico, cùm exempla quotidie Dei beneficio sint in conspectu.

Mutatam] Colos. 2. Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in aliqua parte diei festi. Iuniores discant solutionem puerilis argumenti.

Obiectio.

Ceremoniæ sunt abrogatæ,
Obseruatio Sabbathi est ceremonia.
Ergo obseruatio Sabbathi est abrogata.

Respondeo ad Minorem. Præceptum de Sabbatho est partim ceremoniale, partim morale. Quòd igitur attinet ad obseruationem certi diei, abrogatum est Sabbathum Leuiticum, sicut &

aliæ leges ceremoniales & forenſes Moyſi, quæ non ſunt naturales. Sed quatenus hoc præceptum eſt morale, ac præcipit de conſeruatione miniſterij, & de publica congregatione, perpetuum eſt in hac vita, & omnes homines obligat, ſicut 1. Cor. 11. dicitur, Annuntiate mortem Domini, donec veniat.

Seu donec ad nos redeat, iudicaturus viuos & mortuos. Non ſumus alligati ſuperſtitiosè ad vnum diem: quòd autem conuenimus die Dominica, id fit ſine ſuperſtitione, poſſet eligi alia dies, ſi nõ haberetur ordinis ratio.

Vt maneat & propagetur]

Præcipua cauſſa, propter quam doctrinam & miniſterium oportet audiri & conſeruari, hæc eſt, Quia ſic Deus colligit Eccleſiam, & non aliter, ſcilicet, voce & cogitatione ſcripti Euangelij, cùm auditur aut legitur.

Vos, qui verſamini quotidiè in ſtudiis doctrinæ, cogitate, propter quas cauſſas ſit diſcendum, etiam in hac vltima & triſtiſsima mundi ſenecta, in qua videtis eſſe maiores confuſiones, quàm antea. Prima & præcipua cauſſa diſcendi eſt gloria Dei: de hac cauſſa inquit Paulus, Omnia facite ad gloriam Dei. Et Chriſtus inquit Ioan. 15. In hoc glorificatur Pater meus, ſi fiatis mei diſcipuli. Clarè affirmat, Patrem æternum affici vera gloria, laboribus diſcendi & docendi, & ſtudio propagandi neceſſariam doctrinam. Altera cauſſa eſt collectio & conſeruatio Eccleſiæ ſeu miniſterij (ſunt enim connexa inſeparabilia: Vbi nulla eſt Eccleſia, ibi nullum eſt miniſterium, & econtrà) De hac cauſſa dicitur Epheſ. 4. Filius Dei ſedet ad dextram Patris, dans dona hominibus, dans ingenia, literas, artes, linguas, vt ædificetur corpus Eccleſiæ. Nam omnia ſunt condita & conſeruantur propter ſolam Eccleſiam, reliqui homines extra Eccleſiam, fruuntur bonis huius mundi, tanquam corui, qui ſæpe paſcuntur vnà cum gallinis, aut ſedent ad aliena pabula, ſicut fuci apud Virgilium. Tertia cauſſa diſcendi eſt, vt habeamus quiſque ſuo loco pro ſeſe neceſſariam & ſalutarem conſolationem, opponẽdam peccato & morti in vita, & in poſtremo actu vitæ. Semper manebit aliqua Eccleſia ſiue magna, ſiue parua, vbicunque tandem ſit futura, ſiue in his regionibus, ſiue in aliis, quia portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, &

Filius

Filius Dei ſemper adeſt ſuæ Eccleſiæ vſque ad conſummationẽ ſeculi. Ita primùm cogitemus de corpore totius Eccleſiæ, & præparemus nos ad miniſterium neceſſarium Eccleſiæ, deinde etiam de nobis ipſis priuatim cogitemus, & quæramus neceſſariam doctrinam & conſolationem, ne tempore hyberno, & in concurſu tentationum nobis deſit frumentum, cibus & potus animæ.

Corpus Chriſti] Eccleſia.

Fluctuemus] Eſt metaphora digna conſideratione.

Chriſtus] Lucæ 10. Non reſpiciamus ad perſonas miniſtrorum, quæ poſſunt eſſe infirmæ, ſed ad perſonam Chriſti inſtituentis & conſeruantis hoc miniſterium.

Allegoriam]

Quam tradit epiſtola ad Hebræos cap. 4. & quæ alibi eſt recitata de ſpeciebus Sabbathi. Non volo illa prolixè nunc repetere. Primum Sabbathum eſt creationis, Geneſ. 2. Secundũ eſt pædagogicum, de quo nunc agitur. Tertium eſt Sabbathum Filij Dei in morte, & in ſepulchro, λόγῳ quieuit, vt caro poſſet crucifigi. Quartum Sabbathum eſt allegoricum, Hebr. 4. id eſt, quies & tranquillitas animæ, quæ non turbatur fluctibus errantium cupiditatum, ſed acquieſcit in Chriſto, tanquam portu. De hoc Sabbatho Chriſtus inquit, Eſtote mites & humiles, ſicut ego ſum, & inuenietis requiem animabus veſtris. Quinta ſpecies eſt Sabbathum æternum, Eſaiæ vltimo.

Sententiam] Scilicet de Sabbatho pædagogico, de vna ſpecie, nõ de omnibus.

Donatiſtæ]

Auguſtinus epiſtola 162. recitat integram hiſtoriam de origine Donatiſtarum, quorum recitatio inſtituetur in Loco de Eccleſia. Breuiſsimè nunc attingam hiſtoriam de Donatiſtis. Auguſtinus cum quatuor malis beſtiis ſuæ ætate acerrimè depugnauit, cum Arianis, cum Manichæis, cum

Pelagianis, & cum Donatiſtis. Sed nulla harum beſtiarum tam fuit crudelis, tam ſæua, tam immanis, quàm Donatiſtarum ſecta, quæ graſſata eſt, non tantùm ſophiſtica & impia fraude, ſed etiam manifeſta tyrannide, quam Imperatores Romani, admoniti à Diuo Auguſtino, armis repreſſerunt. Summa autem opinionis Donatiſtarũ hæc fuit: Quòd nuſquam Eccleſia eſſet, niſi in ſola Aphrica, & quòd illi tantum eſſent membra veræ Eccleſiæ, qui ſe aggregaſſent ad numerum & cœtum Donatiſtarum, reliquos homines in toto orbe, & in ipſa etiam Aphrica damnabant & excommunicabant. Interdicebant etiam ſuis vſu Sacramentorum, quę adminiſtrabantur ab aliis Sacerdotibus, qui non erant Donatiſtæ. Deinde vbi erat occaſio, etiam gladios ſtringebant aduerſus innocentes homines, & in primis vitæ Auguſtini acerrimas inſidias ſtruebant. neminẽ enim magis metuebant, nullius acrimoniam magis reformidabant, quàm Auguſtini. Ac niſi Deus ſeruaſſet ſuo quodam conſilio Auguſtinum inter tot & tantas inſidias hoſtium, haud dubiè fuiſſet millies oppreſſus à factione ſeditioſa & rabioſa Donatiſtarum. Conferte hæc cum noſtris temporibus, profectò non ouum ouo, nec lac lacti ſimilius eſſe poteſt, quàm Flaciani ſimiles ſunt Donatiſtis. Non enim tantùm verbo & Scriptis pugnant, ſed vbi habent occaſionem, ibi etiam à ſe diſſentientes, non iudicio ordinario, neque diſceptatione ſcholaſtica, ſed vi atque armis magiſtratus, cuius autoritate & præſidiis abutuntur, opprimere conantur, cuius aſſeuerationis ego poſſum eſſe locuples teſtis. Sicut olim Donatiſtæ neminem iudicabant eſſe membrum Eccleſiæ, niſi addictum ſuæ factioni: ita ſimilis eſt Flacianorum audacia & impudentia, qua audent ſcribere & affirmare, ſe ſolos eſſe membra Eccleſiæ, & omnes à ſe diſſentientes, eſſe hæreticos, & neſcio quales. Res eſt manifeſta, ego cum magno dolore expertus ſum hanc ſimilitudinem Flacianorum & Donatiſtarum. Adultiores legant ipſi epiſtolam Auguſtini.

Cham) Geneſ. 9. Cham fuit ſubſannator patris.

Non tegere eorum)

Conſtantinus Imperator dixit: Sacerdotum peccata non efferenda ſunt in publicum, quia talibus ſcandalis hominum animi à doctrina alienãtur. Theodoretus lib. 1. hiſtor. Eccleſ. cap. 11. Eſt grauiſsima ratio ſumta à ſcandalo.

Cùm

Cùm Constantinus Magnus pius Princeps indixisset Synodum Nicenam, venerunt Niceam 318. senes, sapientia, vsu rerum, & aliis donis Spiritus sancti excellentes. Habuerunt autem in suo comitatu diaconos, & quosdam alios, vt fieri solet in talibus congressibus & coetentibus. Ex his igitur comitibus & assectis summorum virorum, aliqui obtulerunt Constantino Magno libellos, continentes varias accusationes & querelas de aliorum moribus, & petiuerunt ab Imperatore cognitionem caussæ, & legitimam diiudicationem. Sed Imperator grauissimè respondit, priùs esse tractanda ἔργα, id est maximè necessaria, explicandam esse doctrinam veram, & refutandam cõtrariam, postea se deliberaturum de παρέργοις, qualia certè erant querelę istę. Post finem Synodi iussit ad se afferri libellos, quos antea colligatos obsignauerat, ne quis posset pagellas aliquas inspicere aut legere, & in conspectu totius Synodi comburi iussit hos libellos, & addidit dictum memorabile, quod iam annotastis, Peccata sacerdotum &c. Quia horum malis exemplis, multi deterrentur à doctrina. Si multi hoc tempore imitarentur Constantinum, minùs esset malorum in Ecclesia.

Primum præceptum] ἀξίωμα.

Ceu vita aliorum]

Plato dixit, animam Reipub. esse doctrinam sapientiæ, sine qua nec respub. nec priuatæ domus rectè administrari possunt: ita anima aliorum præceptorum est primum mandatum.

Accedere] quasi animam ad corpus.

Ministerium] 2. Corint. 3. Quomodo differunt archetypus, & typus? Archetypus est viuum exemplar, ad quod alia imago exprimitur, vt Carolus Imperator adhuc viuens erat archetypus, quem multi pictores expressérunt suis lineis & coloribus. Imago verò repræsentans archetypum, vocatur τύπος, vel ἀντίτυπον, pictura Caroli in tabula vocatur typus.

Non est iam tempus differendi de caussis, cur sint instituta Sacramenta, & de vsu harum ceremoniarum, sed erit aliquando tempus & locus, vbi dicendum erit, qualia sint signa, an sint allegorica, vt multi somniant, an sint exhibitiua.

Sæpe recitaui venustissimum dictum Lutheri de precibus sacri-

ficulorum & Monachorum: Sacrificuli & Monachi Papiſtici orant, legunt Pſalmos ſine intellectu, deinde orant ſine affectu, tertiò, orãt cum contradictione, quia damnant veram doctrinam: contra hos monachos & ſacrificulos teneamus hæc dicta, Paulus Coloſſ. 3. ait, Sermo Dei habitet inter vos abundè cum omni ſapientia. Opponitur autem ſapientia ſophiſticæ & ignauiæ. Ita Pſalmus 47. inquit, Pſallite Domino ſapienter. Eadem eſt autem ſententia Pauli cum Pſalmo, igitur non opus eſt alia interpretatione vel gloſſa.

De ſecunda tabula.

Muniuntur]

Cicero in Piſonem, Leges ſunt propugnacula, muriq́ue tranquillitatis atque otij.

Mementote hoc dictum inſigne de dignitate legum politicarum. Leges ſunt propugnacula, & muri tranquillitatis atque otij, id eſt, vt nos dicimus, diſciplinæ & pacis.

Vitæ politicæ]

Roman. 13. Omnis poteſtas à Deo ordinata eſt. Et Daniel 2. Deus transfert atque conſtituit regna, quaſi dicat: Non armis tantùm conſtituuntur & retinentur imperia, ſed conſtitutio & conſeruatio imperiorum ſunt opera ſapientiæ, iuſtitiæ & potentiæ diuinæ.

Sed duo adiungit]

Differunt Politica Ariſtotelis, & ſecunda tabula Decalogi dupliciter: primùm mentione cauſſæ efficientis, deinde cauſſa formali. Nam Ariſtoteles in 1. politi. non monſtrat Deum auctorem politiarum, ſed extruit politicam doctrinam ex hoc principio: Natura ad ſocietatem condita eſt, in qua opus eſt perſonis gubernantibus. Deinde tantùm philoſophatur Ariſtoteles de officiis ciuilibus, & de operibus, quæ ex contractibus debentur. Decalogus verò & digitum intendit ad fontem politiarum, id eſt, ad Deum, & includit officiis politicis hanc cauſſam finalem, vt omnia fiant propter Deum.

Odiorum & inuidentiæ]

Cicero pro Balbo: Eſt huius ſeculi labes quædam & macula, virtuti

virtuti inuidere. Idem lib. 3. ad Attic. epistola 49. Nos non inimici, sed inuidi perdiderunt. Fons inuidentiæ est superbia. Id ostendit exemplum inuidiæ in Diabolo. Diabolus primùm est superbus, contemnit Filium Dei & genus humanum: deinde inuidet Filio Dei gloriam, quam habet, & generi humano condito ad imaginem Dei, inuidet dona, quibus est ornatum diuinitus. Cùm igitur vreretur gloria primorum parentum, & liuidis oculis aspiceret imaginem Dei nostræ naturæ impressam, impulit miseros & cæcos homines impia fraude, siue vt Plautus loquitur, doctis dolis, & facetis fabricis, vt facerent contraria mandato diuino, & sibi accerserent tenebras & reliqua mala, quibus nunc sumus immersi. Nunc igitur in hac corruptione naturæ omnes sumus superbi & inuidi, alius magis, alius minùs, sed nemo est, quem non aliqua in re cernere possis Suffenum, & qui nõ interdũ sentiat stimulos inuidiæ. Tunc autem crescit hoc malum, quando aliquis non habet conscientiam propriæ industriæ. Verissimè enim Cicero dixit in quadam Philippica: Nemo habens conscientiam propriæ industriæ, inuidet alienæ virtuti. Inuidia est signum atque indicium magnæ imbecillitatis, & magnæ superbiæ.

Furores amantium]

Cicero hunc versum recitat de amantibus: Fluctuat incertis erroribus ardor amantum. Nihil potest dici significãtiùs de amore: comparat amorẽ fluctibus marinis, & dicit, hunc ardorem habere incertos errores. magnam ἀταξίαν & confusionem appetitionum.

Auaritia]

Salustius de coniuratione Catilinæ: Auaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupiuit: ea, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effœminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copia, neque inopia minuitur. Habetis apud Paulum. 1. Tim. 6. memorabile dictum de auaritia. Auaritia, inquit, est radix omnium malorum, & qui volũt diuites fieri, implicant se multis curis vanis, & incidunt in laqueos Diaboli: & alibi vocat auaritiam cultum idolorum. Ideo Christus inquit Matth. 6. Non potestis Deo seruire & mammonæ, id est, auaritiæ.

Nuncigitur] Iam ſequitur dulciſsimus locus de cauſsis, Cur homines ſint conditi ad ſocietatem.

Societate viuamus] Id eſt, vt non fiamus monachi, eremitæ. Oportet iunioribus huc locum eſſe notum, quia eſt dulciſsimus, prodeſt ad dicendum & iudicandum, & ad regendos mores.

De cauſſis humanæ ſocietatis.

Quoties de ſocietate humana dicitur, ſemper cogitandæ ſunt cauſſæ diuini conſilij. Ideo ad ſocietatem condita eſt rationalis creatura, vt alij alios de Deo, & de aliis rebus bonis doceant, & habeant occaſiones exercendæ fidei & inuocationis, imò vt ſit appetitio æternæ ſocietatis cum Deo & tota Eccleſia. De prima cauſſa noti ſunt verſiculi dulciſsimi:

Vtq; alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas iuſsit habere domos.

Eſt enim ad docendum opus congregatione. De altera cauſſa teneatur dulciſsima imago Margaritæ. Vt enim hæc fit purior & lucidior iactata fluctibus marinis: ſic fides & inuocatio creſcunt in ærumnis huius vitæ, teſte Paulo Rom. 5.

Gloriamur in afflictione, quia afflictio tanquam occaſio efficit patientiam, eſt materia circa quam, vel obiectum, circa quod exercetur patientia.

De poſtrema cauſſa dicitur Iohan. 17. Oro Pater, vt ſint in nobis vnum, id eſt, nobiſcum conſociati æterno vinculo, & poſtea inter ſe ſint vnum, id eſt, concordes, & tradentes inter ſe mutuas operas.

Non vult] Declarat cauſſas humanæ ſocietatis pulcerrimis exemplis Danielis & Dauidis.

Lex facit exæquationem]

Notus eſt Græcus verſiculus: Ἴσις ἐστὶ δῶλος οἰκείας ὁ δεσπότης Quia Dominus in familia plus ſuſtinet curarum, quàm quiſquam ſeruorum.

Omnes

Omnes homines ſunt, aut certè debent eſſe vnius corporis membra. Nulla eſt arctior copulatio, quàm membrorum in corpore humano, de quibus dicit Hippocrates, Diuinus eſt cõſenſus inter membra eiuſdem corporis, diuina συμπάθια. Quando vnum membrum dolet, omnia membra ſimul dolent, oculus aſpicit locum affectum, manus tangit locum, qui dolet. Talis debebat eſſe affectio inter nos, ſi eſſemus membra Chriſti. Princeps in ſua ditione eſt maximus ſeruus, & verè ciuis aliquis priuatus viuit commodiùs, & tranquilliùs, quàm reges & Principes. Priuatorum hominum vita eſt iucundiſsima, ſed hoc nemo credit.

Patrem & matrem]

Cicero poſt reditum ad Quirites: Parentes chariſsimos habere debemus, quòd ab iis nobis vita, patrimoniũ, libertas, ciuitas tradita eſt.

Id eſt, populum Romanum. Romulus dictus eſt Quirinus, inde Quirites, ciues Romani.

Nos addimus in Eccleſia: Parentes ſunt diligendi, quia non tantùm vitam ab eis accepimus, ſed etiam doctrinam & diſciplinã Domini, iuxta præceptum Pauli, Eph. 6. Educate liberos in doctrina & diſciplina Domini. Non poſſumus vlla oratione ſatis amplificare merita & beneficia parentum erga liberos. Politica officia neceſſaria anteferantur ceremoniis.

Frange eſurienti panem]

Eleemoſyna eſt melior, quàm ieiunium.

De quarto præcepto.

Abſoluimus in textu Locorum primam tabulam Decalogi, quæ continet tria præcepta, Non habebis Deos alienos, Non aſſumes nomen Dei tui vanè: &, Sabbathum ſanctifices. Nunc ergo accedimus ad ſecundam tabulam Decalogi, cuius initium ſumitur à quarto præcepto: Honora patrem & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram. Eſt autem breuiſsima huius præcepti enarratio tradita à Siracide, Honora parentes ſermone, opere & patientia.

Oritur autem]

Coniugium eſt fons politiæ & Eccleſiæ. Si enim in familia nulli eſſent parentes, nemo procrearet ſobolem: ſi nulla fieret propagatio generis humani, vnde poſſet colligi Eccleſia? aut quis eſſet

ordo personarum in Repub? Verissimè igitur dicitur, quòd coniugium sit fons, & fundamentum, & initium Ecclesiæ & Reipub.

Sapientia Dei, bonitas]

Sapientiam ostendit ordo, qui est discrimen virtutum & vitiorum, & consociatio hominum per legitima imperia & contractus miranda sapientia ordinatos: Iustitia Dei conspicitur in pœnis politicis. Conspicitur & bonitas Dei erga genus humanum, quia hoc modo societatem hominum conseruat. Ideo autem conseruat, vt inde Ecclesia colligi possit, & vult, politias esse hospitia Ecclesiæ.

Considerate hæc tria paulò attentiùs. Ordo est distinctio, distributio non facta casu & temerè, sed magno consilio sapientis artificis. Vt igitur ordo corporum cælestium & inferiorum est testimonium illustre & euidens de sapientia Dei, sicut Euripides inquit: κόσμος ἐστὶ κἀκὸν ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ: Ita ordo rerum & personarum, ordo legum, iudiciorũ, contractuum, & ipsa distinctio personarum superiorum & inferiorum, sine vlla dubitatione testis est de sapientia Dei. Non est enim intellectus ordinis in bestiis, sed naturæ intelligentis proprium decus est ordinis intellectus. Deinde iustitia Dei conspicitur in pœnis sceleratorum, vt indicat Claudianus in versibus contra Ruffinum, lib. 1.

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absolvitq; Deos.

Tertiò, bonitas lucet in conseruatione politiarum. Bonum enim est communicatiuum, congregatiuum & conseruatiuum, econtrà malum est dissipatiuum & destructiuum. Quare cùm Deus conseruet coniugia & politias, ac præbeat hospitia Ecclesiæ, confitendum est, Deum esse bonum, beneficum, & generi hominum amicũ. Qui aliquando ad gubernacula Reip. seu in luce rerum versaturi sunt, faciant sibi familiarissimè notum hoc quartum præceptum.

Secundò complectitur] De hoc Paulus inquit Rom. 13. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Quid differunt tributum & vectigal? Tributum soluitur de rebus immobilibus, de fundis, Græcè φόρος: vectigal soluitur pro mercibus, quæ exportantur aut importantur, Græcè τέλος, inde τελώνης, τελώνιον.

Dili-

Diligentia ſanemus]

Liuius lib. 3. Decad. 3. Parentum ſæuitia ferendo patiendóque lenienda eſt.

Congruit cum ſententia Platonica, Parentum deliria ferenda ſunt. Vterque loquitur de morositate, non de ſæuitia crudeli.

Diſcerni autem res]

Admonitio de diſcrimine inter ordinẽ politicum & perſonas.

Nónne in ſcholis differunt ipſæ artes & artifices? Artes ſunt præclara Dei dona, neceſſaria humano generi, & adminicula, nõ ſolùm politicæ ſocietatis, ſed etiam explicationis doctrinæ Chriſtianæ. Sed artifices ſunt in magno diſcrimine, alius alio eſt excellentior & dexterior, alius minus dexteritatis, conſilij, ingenij & acrimoniæ habet in tradendo. Quare rectè dixit Ptolemæus: Errata artificum non ſunt aſſcribenda ipſis artibus. Ita hoc loco coniugium & politia ſunt ordinationes diuinæ, præclaræ & ſalutares, ſed perſonæ viuentes in coniugio & politia ſunt diſsimiles. Nequaquam igitur propter ἀταξίαν perſonarum, aliquid detrahendum eſt coniugio aut politiæ. Primùm reuerenter ſentias de ordine diuino, deinde tribuas perſonis, quantum merentur.

Execrabatur]

Seruanda eſt proportio inter verba & res. Cùm deſcribis tragica, oratio ſit grandior, habeat verba ſonantia: ſi comica, quotidiana, oratio debet eſſe ſuauior, mollior, minùs grandis.

Caligulam & Neronem]

Suetonius deſcripſit 12. Imperatorum vitas, ab Auguſto vſque ad Domitianum.

Domitianum]

Caligula & Nero veriùs fuerunt immanes beluæ, quàm Imperatores. Recitat etiam hic ſcriptor duo dicta Caligulæ, ex quibus coniectura fieri poteſt de huius monſtri immanitate. Caligula dicebat, ſe nihil magis in ſua natura probare, quàm ἀδιαλῃφίαν, id eſt, inuerecundiam, vox carnifice, quàm Imperatore dignior. Antoniæ auiæ pro ſua auctoritate monenti, vt quædam ſecus ageret, Memento, ait, mihi omnia in omnes licere.

Hæc non eſt vox hominis, ſed Diaboli.

Pauci omnibus]

Quàm pauci ſint boni Principes, dictum Claudij cuiuſdam indicat, qui ait, Omnium bonorum Principum imagines in vno annulo ſculpi poſſe.

Numerate bonos reges in populo Iſrael, quot habetis? quatuor, aut quinque, Dauid, Ioſaphat, Ezechias, Ioſias, ceteri vix fuerunt mediocres, aut tyranni. In regno Perſico habetis duos, Cyrum & Artaxerxem Longimanum, qui putatur eſſe Filius Eſther. Reliqui fuerunt tyranni, vt Cambyſes, aut quæſtores. In regno Aegyptio, vnicus fuit Ptolemæus Philadelphus. Laudatiſsimi Imperatores Romani fuerunt Auguſtus, Traianus, Cõſtantinus, Theodoſius, Martianus, Carolus Magnus, Otto primus, & pauci quidam alij.

Traianus]

Dion hæc recitat, & repetuntur à Suida.

Aurelius Victor: In Traiano fuerunt, quæ ab egregiis Principibus expectãtur, ſanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique prudentia.

Traianus, etſi fuit Ethnicus, tamen valde amauit doctos. Et quanquam exercuit ſæuitiam in Chriſtianos, tamen admonitus à Plinio Iuniore, mitigauit ſæuitiã edicti contra Chriſtianos.

Contra me vtaris]

Scilicet in defenſione proprij corporis, aut eorum, quorum tibi demandata eſt defenſio.

Si Imperator vellet has regiones iniuſto bello delere, profectò Elector noſter cogeretur defendere ſuos mandato diuino.

Dauid, Salomon]

Non modò inter reges, ſed ne inter priuatos homines tale par vnquam fuit, quales hi, pater & filius, Dauid & Salomon. Pater manſuetudine & probitate Deo chariſsimus, inſignis vaticinio, filius ſapientia cunctos mortales antecellens.

Saulem]

Primum regem in populo Dei.

Vt oculus videat]

Id eſt, vt gubernator videat. Iob. Ego fui oculus cæcorum, id eſt,

est, gubernator imbecillium. Et Adrastus rex apud Pindarum, oda 6. Olympiorum, his verbis deplorat interitum Amphiarai fratris: Desidero te, tanquam oculum nostri exercitus, qui eras vtrumque, vates bonus, & bellator fortis. Hanc metaphoram mementote propter dictum Christi, Si oculus tuus te offenderit, id est, si gubernator vel politicus, vel Ecclesiasticus, vel Oeconomicus volet te abducere à vera doctrina, desere illum. Amandi sunt homines, sed ita, vt non amentur illorum errores.

Idonei] De gubernatione Ecclesiæ, de explicatione doctrinæ, de diiudicatione dogmatum.

Fideles sint]

Fidelis est verax & beneficus. Sic Deus dicitur fidelis, quia optima fide seruat promissa, & est beneficus erga genus humanũ. Sic medicus dicitur fidelis, qui est verax & beneficus, id est, qui artem, quam profitetur, rectè didicit, & in medicatione præstat assiduitatem & diligentiã.

Ita doctor in Ecclesia vel schola est fidelis, quando tenet summam doctrinæ, quam profitetur, & est diligens, assiduus, non affectata negligentia ferias quærens.

Ne contra mandatum] Dictum de metis ciuilis obedientiæ. Act. 4. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Matth. 22. Date Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Prouerb. 24. Time dominum & regem.

Continet] Alia præcepta sunt absoluta, alia relatiua. Relatiua sunt tertium & quartum, quia tertium collocat hominem in societatem Ecclesiæ, quartum deducit hominem ad congregationem politicam. Qui autem versatur inter alios, hunc necesse est habere commercia & communicationem officiorum cum aliis. Hinc existit relatio, id est, permutatio officiorum & quædam communicatio.

Xenophon] lib. 8. παιδείας, Ἀρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ. Est dulcissima & humanissima oratio: Bonus Princeps non differt à bono patre. Sicut enim Pater afficitur cura liberorum, defendit liberos, gubernat, & quasi in sinu fouet: Ita eadem sunt gubernatoris erga subditos officia & beneficia.

Pater] Ephes. 6. Educate liberos vestros in doctrina & disciplina Domini.

Zelus] Iusta indignatio aduersus manifestam turpitudinem, est affectus mixtus partim ex amore, partim ex ira. Qui amat iustitiam, odit iniustitiam, qui amat veritatem, odit sophisticam. Est igitur zelus mixtura quædam ex amore & ira.

Totus Decalogus] ἀξίωμα.

Meministis definitionem Aristotelicam magistratus. Aristoteles in 5. Ethic. sic definit magistratum, ἄρχων ἐστὶ φύλαξ τῦ νόμυ. Hanc definitionem non tantùm intelligas de secunda tabula, sed etiam de prima, quod attinet ad externam disciplinam. Differunt armentarius & Magistratus: Armentarius tantùm curat suis bobus pabulum, & defendit corpora boum. Magistratus verò non tantùm exerceat iustitiam iuxta leges secundæ tabulæ, sed etiam sit membrum veræ Ecclesiæ, & omni officio adiuuet, & ornet ac tueatur conseruationem ministerij, collectionem Ecclesiæ, & propagationem necessariæ doctrinæ de Deo, & de alijs rebus bonis.

Propter Deum) Propter conscientiam, vt ait Paulus.

Cura vocationis] Sedulitas. Semper vitia sunt conspectiora virtutibus, quia virtutes sunt rarissimæ, & vix exigua simulacra virtutum conspiciuntur in genere humano, cùm è regione vitia latè grassentur.

Seditio est motus subditorum aduersus magistratum, cuius finis principalis est rapere aut mutare imperium, vt Absalon est seditiosus, quia mouet bellum aduersus patrem Dauidem, non defensionis caussa, neque enim erat læsus à patre, verbo aut facto, sed principaliter mutandi & rapiendi imperij caussa. Scitis autem, quid Salomon dicat de seditiosis, Prouerb. 4. Time Dominum, fili mi, & regem, & cum seditiosis ne miscearis, quoniam repentè cõsurget perditio eorum &c. Exempla huius regulæ à Salomone traditæ suppeditant historiæ nostræ ætatis, vt anno XXV. rustici excitarunt in Germania horribilem tumultum, sed à legitima potestate repressi, iustas pœnas seditionis persoluerunt. Sic anno XXXIV. mota est sedi-

seditio in vrbe VVestphaliæ Monasterio ab Anabaptistis fanaticis, sed quas pœnas dederit dux seditionis & reliqui asseclæ, notius est, quàm vt debeat hoc loco prolixè commemorari.

ἐπίσκοπος) Significat inspectorem, curatorem, inde composita vox, ἀλλοτριοεπίσκοπος, curans aliena negotia, inspiciens aliena negotia, aliud agens: vt inquit Seneca, Magna pars vitæ consumitur aliud agendo.

Præterea) Voluntas, vt dicitur in Dialectica, facit discrimen aut personarum, vt dominus, seruus: magistratus, subditus: sacerdos, populus: Aut rerum, vt proprium, alienum, commune. Sicut igitur suprà in quarto præcepto monstrauimus discrimen inter personas & res, inter Neronem & imperium Romanum: ita nunc dicendum erit de ipsarum rerum, id est, imperiorum discrimine & gradibus. Quatuor monarchiæ, Babylonica, Persica, Græca & Romana, dimicarũt vel de gloria, vel de imperio, non gesserunt bella, vt delerent Ecclesiam aut Euangelium, sed in omnibus & singulis monarchijs fuit aliqua Dei Ecclesia, vt Ecclesia populi Iudaici exulauit annos 70. in Babylone. Deinde in Persica monarchia fuerunt pij reges & benefici erga Ecclesiam, Cyrus & Artaxerxes Longimanus, qui putatur esse filius Esther, Iudaicæ mulieris. In regno Græco etiam Ecclesia fuit dispersa in toto orbe terrarum, vt regnante Ptolemæo Philadelpho, in Aegyptum accersiti sunt ex Iudæa 70. interpretes, qui cõuerterunt Scripta Prophetica in linguã Græcam, quæ versio adhuc extat, & appellatur versio 70. interpretum. Hac occasione latè propagata est doctrina Prophetica, & Deus dispersit Iudæos per totum orbem, vt docerent doctrinam Propheticam inter gentes. De Alexandro, vt de ceteris non dicã, scribit Iosephus verax scriptor, fuisse eum beneficum erga summum Sacerdotem populi Iudaici, & erga totam Ecclesiam. In Imperio Romano quanquam multi fuerunt tyranni, tamen fuerunt etiam multi nutritij Ecclesiæ, vt Constantinus, Theodosius, Martianus & alij. Sed ab his quatuor monarchijs discernendũ est Turcicum imperium, vel potius latrocinium. Quia Turcæ non tantùm dimicant de gloria vel Imperio, sed principaliter propter hunc finem, vt deleatur Ecclesia, & memoria seu notitia nominis Christi. Hoc discrimen diligenter considerandum est, non tantùm propter Danielem cap. 7. sed etiam propter hunc

postremum Diaboli furorem, qui grassatur in genere humano per molem imperij Turcici. Licebat olim Christianis militare, sequentibus ductum & auspicia Romanorum Imperatorum, item regum Persicorum & Græcorum, sed non licet iam militare homini Christiano cum Turcis, qui inferunt bellum Deo, Ecclesiæ & Christo.

Lex] Alcoranus.

Crescentibus] ἀξίωμα, Crescentibus peccatis, crescunt pœnę. Nemo somniet, nemo speret mitigationem pœnarum, nisi peccata decrescant, & minuantur. Donec accipiunt incrementa omnis generis scelera & delicta, frustrà speratur mitigatio pœnarum. Apud Esaiam dicitur cap. 1. Desinite malè facere, & discite bene facere, hoc si feceritis, mitigabuntur pœnæ. Desinite igitur malè facere, hoc est, remouete caussam pœnarum. Posita caussa in actu, & non remota, seu non impedita, semper sequitur effectus. Est autem peccatum caussa omnium malorum & calamitatum in genere humano.

Non licet] Nemo debet minister esse alienæ crudelitatis. Nemo debet adiuuare sæuitiam contra Ecclesiam.

Sub Marco Antonino]

Hanc historiam recitant Tertullianus in Apologetico, Eusebius lib. 5. Ecclesiasticę historię, cap. 5. Nicephorus lib. 4. cap. 12. Marcus Antoninus philosophus, humanissimus Imperator gesit bellum difficile cum Marcomannis, id est, cum Morauis, & cum Quadis, id est, populis Silesiæ. Ad ceteras autem difficultates & impedimenta accessit tãta siccitas, tanta aquę penuria, vt homines & iumenta siti extinguerentur. Erat autem in castris Imperatoris legio, collecta ex insula Melite, in quam Paulus naufragus eiectus est cum suo comitatu, Act. 27. Hæc legio cùm esset Christiana, & didicisset doctrinam de vera inuocatione Dei, non tantùm armis pugnabat cum hoste, sed etiam Deopreces adhibebat, & sua precatione impetrabat, non modò largam aquarum copiam, qua totus exercitus recreatus est, sed etiam fulmina aduersus hostes. Quare cùm Marcus Antoninus re ipsa comperisset pietatem legionis Christianæ, & vidisset exemplum efficaciæ piarum precum, appellauit hanc legionem

legionem fulminatricem, & retractauit edicta, quæ erant proposita aduersus Ecclesiam. Huius etiam rei meminit Iustinus in sua Apologia. Iuniores legant pagellas in Chronico Domini præceptoris.

De quinto præcepto.

Christus]

Christus docet Matthæi 5. præceptum, Non occides, quatuor modis violari: primùm corde, deinde gestu externo, tertiò lingua, quartò manu.

Si quis temerè sine iustis caussis irascitur fratri in corde, is reus est iudicij: hic est primus gradus. Secundus gradus, Si quis dixerit fratri suo Racha. Racha significat talem gestum, qui præ se fert contemtum & extenuationem alterius. Nam rakak significat euacuare, inde est Rick, Psalm. 2. inane, vacuum. Tertius gradus est, qui his verbis describitur à Christo, Si quis dixerit fratri suo, Fatue, reus est gehennæ. Quartus est cædes.

Et Augustinus libr. 1. de ciuitate Dei, cap. 21. luculentè enarrat quintum præceptum.

Inuidentiam]

Cicero Philipp. 12. Erunt mihi non hi solùm, qui me oderunt, sed illi etiam, qui inuident, extimescendi. Et Ludouicus Viues in comment. de ciuit. Dei: Inuidia tãquam venenum inuidos exedit, in quo vno iustissima est, ceteris in rebus iniquissima.

Virgil. Liuor tabificum malis venenum. Legite Ouidium in Metamorph. Est diabolicũ malum inuidere alteri, quod Deus ei dedit, siue in corpore, siue in facultatibus, siue in honore. Omnis superbus est inuidus, & omnis inuidus est superbus. Hæc duo simpliciter conuertuntur.

Remitte] Lucæ 7.
Mihi vindicta] Rom. 12.

Quantus motus]

In corde duo sunt turbulentissimi & sæuissimi affectus, ira & ambitio. Hi & facilè accenduntur in magnis viris, & accensi latè

turbant imperia & vitam communem, vt bella ciuilia Syllæ, Marij, Pompeij, Iulij, orta sunt ab ambitione & priuatis odiis. Denique nulla ætas caret exemplis.

Manu] Immediatè, sic Deus puniuit Sodomam.

Permisione] Vt in Aegypto, quando interfecit primogenitos per diabolos.

Magistratum] Vt Augustus puniuit libidines Antonij.

Licinij]

Affinis, & collegæ, & confœderati. Longa est historia, quæ recitatur ab Eusebio lib. 9 Ecclesiast. hist. & quæ repetitur à præcepto re in Chronico lib. 3. titulo de Constantino. Cùm Deus armis Constantini repressisset quatuor truculentissimos Tyrannos & acerrimos Ecclesiæ hostes, Diocletianum, Maxentium, Maximinum, & Maximinianum, duo collegæ, Constantinus & Licinius, qui habuit in matrimonium sororem Constantini, ita inter se diuiserunt imperium, vt Constantinus præesset Occidenti, Licinius Orienti. Etsi autem Licinius aliquandiu occultabat odium, quod in corde circumferebat aduersus Christianos, tamen vt nullum simulatum solet esse diuturnũ & perpetuum: ita etiam Licinius proposuit crudelia edicta de necandis Christianis. Quare Christiani iniusta tyrannide oppressi, confugerunt ad Constantinum supplices, tanquam ad aram, & petiuerunt ab eo defensionem. Constantinus memor affinitatis & fœderis, non statim intulit bellum Licinio, sed per literas eum aliquoties admonuit & obtestatus est, vt parceret Christianis, quod cùm nollet facere, sed augeret & acueret sæuitiam, tandem moto bello, Constantinus defendit Christianos contra Licinium, & coegit eum post victoriam, priuatum viuere in vrbe Thessalonica, vbi tandem interfectus est iusto iudicio diuino. Legite hęc vel in Chronico Philippi, vel in Eusebio. Homo ignarus historiæ, est puer & belua. Pueri nesciunt, quid ante se sit actum, beluæ nihil norunt, nisi præsentia. Homines verò, præsertim studiosi colligant animo præcipuas historias. omnes enim nemo potest.

Leuissimis occasionibus] Eheu quàm leuibus pereunt ingentia

ingentia cauſsis. Odioſa ſunt exempla, ſed poſſemus recentia commemorare, ſi opus eſſet.

Scelera] Quare, dicat aliquis, tam diu durant bella? Quia Deus vult vtriuſque partis peccata puniri.

Luco] Lucus ſignificat ſyluam, quæ non eſt cædua, ſed ſacra dijs, Ἔιν ϧαίν/ ſicut vertit Lutherus.

Luco] Scilicet à Megarenſibus.

Pericles] Dux Atticus eloquẽtiſsimus, qui dictus eſt tonare & fulminare in Oratione.

Aſpaſia]

Aſpaſia mulier Ionica, adeo & forma & ingenio exelluit, vt nominata ſit ſapiens & formoſa. Hanc amauit Pericles, Cyrus Iunior, & frater Artaxerxes Mnemon. Plutarchus de Pericle & Artaxerxe.

Hæc mulier Aſpaſia præbuit occaſionem bello, vel potiùs incendio, quo conflagrauit tota Græcia, quod durauit integros 27. annos. Hoc deſcribunt Thucydides & Xenophon in Hellenicis. Mortuo Pericle, venit Aſpaſia in aulam Cyri Iunioris. Interfecto Cyro Iuniore, venit in poteſtatem Artaxerxis fratris, qui adeo amauit hanc fœminam, vt cùm ſemel ęgrotaret, vota faceret Iunoni. Si, inquit, Iuno, ſeruaueris mihi hanc fœminam, ego à mea arce regia, vſque ad tuum templum, totam viam complebo aureis, & hos omnes tibi & tuo templo donabo. Tandem verò, quod eſt turpiſsimum & indigniſsimum factu & auditu, filius Artaxerxis die coronationis ſuæ, nihil aliud à patre petiuit, niſi hanc fœminam. Hæc ſunt tetra & triſtia.

Abigail] Vxor Nabal 1. Reg. 25.

Prælia Domini]

Bellum iuſtum, vel eſt iuſta defenſio, vel iuſta pœna, vel legitima recuperatio. Præter has ſpecies, omnia bella ſunt latrocinia & horribiles pœnæ generis humani.

De sexto Præcepto.

Duæ sunt virtutes, quæ præcipuè discernunt veram Ecclesiam ab omnibus aliis sectis damnatis: Vna est, vera religio, seu cultus pietatis, altera est castitas, quæ fugit & vitat omnes prohibitas libidines. Si quis igitur non amat castitatem, is non tantùm sese polluit priuatim, sed etiam tanquam vpupa immunda auis, nidum Ecclesiæ, vel vt verius dicam, castra Filij Dei suis sordibus contaminat. Quare omnes, qui volunt esse & manere viua membra Filij Dei & Ecclesiæ, ament castitatem, & fugiant, non modò ipsas libidines, sed etiam omnes earum occasiones & illecebras. Quàm sit autem hæc necessaria admonitio, & quàm sæpe sit inculcanda & repetenda, ostendunt exempla tristia & execranda, quibus multa hospitia Ecclesiarum & scholarum profanantur, qua de re non addam plura, sed hortor eos, qui lapsi sunt vel imbecillitate humana, vel à Diabolo impulsi, vt resipiscant, & desinant sese polluere talibus sceleribus & scandalis.

Inclinationes] Praua incendia animorum.

Motus] De quibus motibus inquit Paulus 1. Cor. 7. Melius est nubere, quàm vri. Illud πυροῦσθαι significat flammas inordinatas, quæ difficulter possunt extingui extra coniugium.

Vita] Hæc nihil habent obscuritatis, possunt intelligi sine interprete.

Scortatores] Est regula historica, cuius exempla sunt proposita in tota mundi historia, quæ plena est exemplorum, in quibus conspicitur ira Dei aduersus vagas libidines. Primum exemplum est deletio vniuersalis mundi per diluuium. Alterum exemplum est deletio Sodomæ & reliquarum ciuitatum. postea sequuntur innumerabilia, quorũ multa audietis infrà in titulo de castitate, ideo nunc sum breuior.

Regno Christi & Dei] Quare distinctè loquitur Paulus de regno Christi & Dei? súntne diuersa regna? Respondeo: Differunt nõ re, sed modo rei. Regnũ Christi in hac vita est Ecclesia, quæ verbo nutritur, augetur & roboratur,

boratur, imò vt ordiar ab eo quod primum est, Ecclesia in hac vita generatur, deinde nutritur, tertiò augetur, postea roboratur verbo Dei. Quatenus igitur Ecclesia colligitur per ministerium verbi & Sacramenta, dicitur regnum Christi. Sed Ecclesia triumphans & glorificata, id est, adducta à Christo ad æternum Patrem, vt Deus sit omnia in omnibus beatis, appellatur regnum Dei. Vult igitur hoc dicere Paulus, Homines polluti & contaminati vagis libidinibus, nec sunt vera & viua membra Ecclesiæ in hac vita, sed mortua membra, nec erunt hæredes dulcissimæ & beatissimæ consuetudinis cum Deo.

Quædam verò) De similibus idem est iudicium. Deus voluit aliqua scribi, vt possemus de ceteris congruentibus ad eandem regulam iudicare.

Resipiscentes)

Augustinus tractatu vltimo in Iohannem. Productior est pœna, quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Proponite vobis exemplum Dauidis, quod est maximè illustre. Deus remisit Dauidi agenti pœnitentiam, & credenti in venturum liberatorem, omnia peccata sine exceptione, & in his quoque adulterium & homicidium, sicut dicit Propheta Nathan, cap. 12. lib. 2. Reg. Dominus abstulit peccatum tuum, non morieris. Hæc est vox absolutionis, qua audita, credidit Dauid sibi esse remissa peccata. Sed post hanc remissionem peccatorum, quantæ pœnæ Dauidem exercuerint, non ignoratis. Quærat iam aliquis, Cur non Deus simul remittit pœnam temporalem cum remissione culpæ? Respondeo: Duæ sunt causæ præcipuæ, vna est priuata, altera publica. Priuata hæc est, Quia Deus vult Dauidem retinere in officio, & intra metas pœnitentiæ, timoris & fidei. Scitis enim, quanta sit securitas humani cordis, quàm citò nos capiat obliuio beneficiorũ Dei. Quare ne obrepat Dauidi obliuio & ingratitudo, Deus eum exercet & premit, ne deinceps eum delectet peccatum. Hæc est priuata causa. Publica causa est, Quia Deus vult, pœnam Dauidis ipso exemplo aliis prodesse, ne quis licentiam Dauidis in peccando imitetur, sed potiùs pœnitentiam & fidem Dauidis. Si enim Deus non pepercit tanto regi, quantò minùs nobis parcet, qui nihil sumus collati ad Dauidem. Hæc sunt

vtilia ad vitam, & meliora quàm cauillationes aliorum & nugæ ſonoræ.

Vrbes quinque] Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim & Segor, Geneſ. 19. Deus non curat tuam nobilitatem. Nobilitas pertinet ad hanc vitam, nõ ad futuram.

Aegiſthus]

Sophocles in Electra deſcribit pœnas adulteri Ægiſthi & Clytęmneſtræ, quos interfecit Oreſtes, qui poſtea furere cœpit, & tandem eſt abſolutus iudicio Deorum in Areopago. Eſt vobis notus verſiculus de AEgiſtho:

Quæritur, Aegiſthus quare ſit factus adulter,
In promtu cauſſa eſt, deſidioſus erat.

Et Cato dicit: Homines nihil agendo, malè agere diſcunt. Quare? Quia anima eſt ἐντελέχεια, eſt agitatio perennis & continua. Si ergo anima tua eſt intenta in bonas actiones, faciliùs potes vitare mala.

Tribus Beniamin] Iudic. 20. Vno die in tribu Beniamin interfecti ſunt 25. millia hominum. Tanta clades accepta eſt à tribu Beniamin, propter paucorum petulantiam, qui ſtuprauerant per vim Leuitæ vxorem.

Comminationes diuinas]

Leuitici 18. Omnis anima quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. Sunt verba Tragica, & verè fulmen eſt. Deus iraſcitur quidem omnibus peccatis, ſine vlla exceptione, ſicut dicitur in Pſal. 5. Non volens iniquitatem Deus tu es, ſed poſt idololatriam nullũ genus peccatorum magis eſt Deo inuiſum, quàm confuſio libidinum. Etſi enim effuſio ſanguinis humani etiam eſt atrox & tragica, tamen Deus faciliùs diſpenſat de peccato contra quintum præceptum, quàm de peccato contra ſextum. Quod ita confirmatur, quia Deus diſcernit gradus cædis, & iubet, autorem cædis fortuitæ ſeu inuoluntariæ ſolo exilio puniri, non morte mulctari, & concedit ei in patriam reditum poſt mortem ſummi Sacerdotis, ſed de libidinibus nulla auditur, nulla legitur diſpenſatio in ſacra Scriptura, ſed omnis

omnis anima, quæ fecerit abominationes has, eradicabitur, nisi egerit pœnitentiam.

Pudicitia]

Cicero de prouinciis consularibus. Duæ sunt res sanctissimæ, religio & pudicitia.

Quæ est ratio huius dicti? Nõ tantùm intueamur causas philosophicas, videlicet, quia neutra res patitur mixturá aliquã, sed cogitemus de Deo authore illarum virtutum. Religio est sanctissima, quia pertinet ad sanctificationem nominis Dei immediatè, celebrat nomen Dei, illustrat gloriam Dei. Pudicitia verò ideo est sanctissima, quia ipse Deus est castus & purus, & odit omnes libidines prohibitas. Casta Deus mens est, casta vult mente vocari. Estote sancti, inquit Deus, ficut & ego sum sanctus, id est, castus, purus, mundus. Cùm igitur sint res sanctissimæ, certè decet nos has duas res sanctè colere.

Verecundia]

Cicero in partitionibus Oratoriis. Custos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudémque maximè consequens, verecundia est.

Nuper audiuistis Diabolicam vocem Caligulæ, qui dixit, sibi nullá rem magis placere, quàm inuerecũdiam. Ideo fuit talis belua, tale monstrum. Cui enim periit pudor, eidem perierunt omnes reliquæ virtutes. Econtrà pudor est dulcis nutricula aliarum virtutum omnium.

Quare vocatur Venus ebria à poetis? Quia est naturalis copulatio ebrietatis & libidinum. Quia ebrietas inflammat corpus, nunquam finit corpus quiescere.

Sine temperantia]

Versus citatus ab Athenæo, τῶν εὐσεβείας γείτονα σωφροσύνην: id est, temperantia est vicina pietati.

Ideo Christus dicit, Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi precatione & ieiunio, id est, sobria precatione. Et Petrus dicit, Estote sobrij ad precationẽ.

De septimo Præcepto.

Piè & sanctè]

Leuitic. 19. Sint iusta pondera, mensuræ, &c.

Esaiæ]

Cap.33. Lex talionis. Per quæ quis peccat, per ea punitur.

Malè parta]

Cicero Philipp.2. Vt est apud poetam, nescio quem, Malè parta, malè dilabuntur. De malè quæsitis, non gaudet tertius hæres.

Auaritia)

Cicero in Pisonem: Auaritia criminibus infinitis implicata est. Ideo Psal. 119. precatur: Inclina cor meum ad testimonia tua, & nō ad Auaritiā, quæ est radix omnium malorum, vt inquit Paulus. Cicero 2. offic. Nullum vitium tetrius est, quàm auaritia, præsertim in principibus, & Rempublicam gubernantibus. Habere enim quæstui Rempublicam, non modò turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium. Magistratus est λειτουργία, id est, publici muneris administratio. Non igitur debet esse πορισμὸς, mercatura, aut quæstura, aut aucupium pecuniæ. Daniel cùm describit quendam Syriacum regem ignobilem, vocat eum exactorem.

Ignaui & prodigi)

Regula, quæ habet testem experientiam.

Prodigi)

Catilinam ad coniurationem contra patriam, inter cetera, inopia rei familiaris stimulatum ferunt, cui profusissimo & sumtuosissimo nihil satis erat. Nam sub Sylla multa rapuerat, multa à Sylla dono acceperat.

De octauo præcepto.

Pactum est consensus duorum vel plurium, de re honesta & possibili.

Pulcerrimam virtutem)

Plato in 5. de legibus. Veritas est caussa omnis boni, Deo & hominibus: Deo quidem, quia Deus hac veritate discernitur à Diabolis,

bolis, & rectè agnoscitur, & inuocatur iuxta normam veritatis, de qua dicit Filius Dei, Iohan. 17.

Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.

Veritas est Deo caussa omnis boni, non quòd Deus indigeat aliquo nostro bono. Est enim αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν. sed respectu nostri hæc dicuntur:

Hominibus verò, propter ingentes vtilitates, quæ sunt manifestæ. Nam sublata veritate, tollitur tota vita humana.

De nono & decimo præcepto.

Nonum & decimum præceptum adduntur superioribus, vt sint enarrationes totius Decalogi, & discernant hanc sapientiam Decalogi à legibus politicis & disputationibus philosophorum. Nam leges politicæ tantùm regunt locomotiuam: Philosophi verò tantùm concionantur de moderatione affectuum. At Lex diuina damnat concupiscentiam, quæ est radix omnium peccatorum.

Augustinus sic dicit de concupiscentia, Cõcupiscentia est peccatum, & pœna peccati, & caussa peccati. Primùm est peccatum, quia pugnat cum Lege Dei, Non concupisces. Secundò est pœna peccati, quia in integra natura nulla fuit concupiscentia, id est, errans appetitio. Tertiò, est caussa peccati, id est, fons omnium peccatorum. Sic dicit Iacobus in epistola, Concupiscentia est mater peccati.

Alibi] Roma. 7. Nesciebam concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex diceret, Non concupisces.

Ceterùm] De promissionibus & comminationibus Legis.

Fecerit hæc] Leuit. 18. & Paulus sæpe citat in suis scriptis.

Summa] Deut. 27. Galat. 3. Omnes promissiones legales sunt conditionales, requirunt conditionem impletæ Legis sine peccato.

Item] Psal. 32.

Exitus bellorum]

Isocrates in Archidamo, Omnium bellorum exitus cõgruunt cum iustitia. Scipio in oratione ad Annibalem, Decad. 3. lib. 10. Neque patres nostri priores de Sicilia, neq; de Hispania fecimus bellum, & tunc Mamertinorum sociorum periculum, & nunc Sagunti excidium, nobis iusta ac pia arma induerunt. Vos lacessisse, & tu ipse fateris, & Dij testes sunt, qui & illius belli exitum, secundum ius fásque dederunt, & huius dant, & dabunt.

Scilicet Carthaginenses.

Primi Punici.

Scilicet secundi belli Punici.

De Lege naturæ.

Post enarrationem Decalogi, sequitur in textu dulcissimus Loeus de Lege naturæ, de qua etiam aliquid dictum est in doctrina Ethicorum, & in Dialectica. Est autem initiò detestandus furor & amentia omnium, siue sint Flaciani, siue alij furentes homines, qui quantum in ipsis est, conantur delere ex mentibus hominum notitias naturales practicas, quæ vocantur alio nomine leges naturæ. Dicunt enim Flaciani, & similes, asini veriùs, quàm homines, non distare hominem à bestijs, quod attinet ad Dei notitiam, & transformant hominem in brutum, in animal rationis expers. Vt igitur Antinomi conati sunt ex Ecclesia Legẽ exterminare, & quasi proscribere: ita Flaciani & eorum asseclæ conantur delere & tollere ex mentibus humanis hoc lumẽ, quod est notitia principiorũ practicorum, seu Lex naturæ. Quid igitur restat, nisi vt ex ipso Deo seu ex mente diuina auferant sapientiam & iustitiam? Hæc non dico odio personarum, sed amore veritatis, quam obscurare & corrumpere tales homines non desinunt suis clamoribus & venenatis scriptis. Ac si quis putat, me dicere hyperbolica, aut abhorrẽtia à reipsa, huic ego possum quocunque momento ad oculum demonstrare, rem ita se habere, vt iam à me fuit commemoratum.

κοιναὶ ἐννοίαι]

Cicero in prima Thusculana: ἔννοιαι insitæ & quasi consignatæ in animis notiones. πρόληψις antecepta animo rei quædam informatio,

matio, prænotio insita, vel potiùs innata cognitio. Cicero in 1. de natura Deorum: Sunt autem tria κριτήρια apud Stoicos. Primum est αἴσθησις, id est, testimonium sensuum, quod vocamus experientiam. Alterum est προλήψις, id est, notitia principiorum. Tertium γνῶσις, id est, iudicium de consequentia. Sed omissis ceteris, dicamus de principiis, quæ sunt notitiæ nobiscum nascentes, quas Deus velut radios suæ lucis & sapientiæ in nostras mentes sparsit, vt sint testimonia de Deo, & discernant nos à bestiis, & regant vitam, & gignant honestas artes, quarum vsus in vita necessarius est.

Considerate membra definitionis. Definitio principiorum, quam recitaui, est caussalis. Efficiens caussa principalis est Deus, fons omnis sapientiæ. Materia in qua, est mens humana, vt iam de angelis nihil dicamus. Loquimur enim iam de genere humano, non excludimus angelos. Caussa formalis est lumen, quod magis mirari possumus, quàm describere verbis: est enim radius quidam lucis & sapientiæ diuinæ. Caussæ finales principales sunt quatuor: Prima, vt sint testimonium de Deo. Est enim impossibile, hoc lumen, quod est durabile & perpetuum, casu extitisse, aut casu ita manere in mente humana. Altera caussa finalis est, vt discernant homines à bestiis. Non est enim in bestijs intellectus ordinis, aut notitia numerorũ, aut iudicium bonæ consequentiæ, aut discrimen honestorum & turpium &c. Tertia caussa, vt regant vitam humanam in disciplina externa. Nemo enim potest regere mores sine certa lege, sine certa regula. Hæc autem regula est Lex naturæ, seu notitia principiorum practicorum. Quarta & postrema caussa, vt hæ notitiæ sint fons omnium artium, seu vt gignant honestas artes, quarum vsus in vita valde necessarius est.

Sine numeris]

Epicharmus: Vita humana duabus rebus maximè indiget, numeratione & ratiocinatione. His enim vita continetur.

Non loquamur subtiliter de hac sententia, sed simus contenti popularibus exemplis, quæ ab omnibus intelliguntur. Quid potest agere pater familiâs sine numeris? Profectò nemo debet plures facere sumtus, quàm pro redituum proportione. Ne autem sumtus superent magnitudinem reditum, necesse est, te numerare

dies totius anni. Deinde numeranda sunt prandia & cœnæ: neque tantùm cibi & potus est ratio habenda in re familiari, sed multa alia sunt numeranda, de quibus longum esset dicere. Sic in re metallica, in mercatura, in omnibus contractibus, in iudiciis, quid posset fieri remota numeratione? Sed non volo in re manifesta esse prolixus.

Discrimen] Naturale.

Ac debent] Occupatio. Quæritur, quare languidior sit assensio de notitiis practicis, quàm de speculabilibus. Respondeo ad hanc quæstionem: Quia & in mente est maior caligo de altero genere principiorum, quæ vocantur practica, & in corde est horribilis contumacia contra leges naturæ. Notæ sunt querelæ, neque hoc loco prolixè repetendæ, de disidio rationis & affectuum, de ζυγομαχία mentis & appetitionum. Propter hoc disidium seu ζυγομαχίαν minimè mirandum est languidiorem esse assensionem de principijs practicis, quàm de speculabilibus. Græci assensionem vocant συγκατάθεσιν.

Labem] Propter peccatum originis.

Impetus] ὁρμὰς, affectus.

Κατέχειν] Significat captiuum tenere. Veritas primò significat veram notitiam, vt hoc loco. Secundò, significat προαίρεσιν, id est, constãs propositum dicendi vera, & agendi congruentia rebus ipsis, vt cùm dicitur, Veritas est fundamentum omnium virtutum. Tertiò, vsurpatur μεταληπτικῶς pro effectione veritatis, veræ sapientiæ & iustitiæ, vt Iohan. 14. Ego sum veritas, id est, efficiens veraces, & Spiritus sanctus nominatur Spiritus veritatis, qui non efficit hypocritas, sed veraces, habentes veram sapientiam, iustitiam & vitam.

Neq; audit currus habenas] Virgil. in Georg. Auriga est ratio, equus est affectus temerè errans.

Natura vel opinione]

Omnibus notissimum sit dictum Ciceronis in 1. de legibus: Nos ad iustitiam nati sumus, neque opinione, sed natura ius constitutum est. Et Euripides grauissimè dixit, citante Plutarcho, Turpe est turpe, siue videatur, siue non videatur.

Refuta-

Refutauimus in Ethicis Cynicam & barbaricam opinionem, quæ fingit, tantùm opinione differre honesta & turpia. Est execranda & diabolica oratio. Lumen in mentibus non est extinguendum, sicut faciunt Flaciani.

Ostendit]

Scilicet partim lumine naturali, quod vocatur notitia simplex, partim ratiocinatione, quærente vestigia Dei impressa naturæ.

Ius diuinum] Rom. 1. Qui cùm ius Dei norint &c.

Tribus verbis volumus repetere summam, & tantùm in memoriam reuocare notissima & sæpe dicta. Imago Dei in homine ante lapsum complectitur tria, quorum primum est sapientia mentis, id est, illustris notitia Dei, Legis, & totius naturæ rerum. Adam fuit summus philosophus, fuit optimus Theologus, & fuit optimus Iurisconsultus. Sunt enim tria obiecta sapientiæ præcipua, Deus, Lex, & natura rerum. Secundò, in voluntate erat libertas non impedita, & iustitia ac sanctitas vera, id est, obedientia & conformitas congruens ad totam Legem, amor Dei ardens, & purus amor proximi sine peccato. Tertiò, in corde erat εὐταξία, id est, ordo & harmonia, seu concentus suauissimus omnium affectuum & appetitionum. Nunc è regione in mente est caligo, in voluntate auersio à Deo, & in corde contumacia contra Legem Dei.

Ambigit ratio de prouidentia]

Solutio præcipui argumenti contra prouidentiam.

Cicero in 3. de natura Deorum. Telamon pater Aiacis vno versu totum locum conficit, Cur nulla sit prouidentia. Nam si esset, bonis bene esset, & malis malè, quod nunc abest.

A definitione.

Prouidentia est, distribuere præmia & pœnas iuxta certam normam.

Sed in hac vita non semper puniuntur iniusti, & iusti non consequuntur præmia.

Ergo nulla est prouidentia diuina.

Est reale argumentum, & in philosophia prorsus insolubile, nulla philosophia potest hoc argumentum restè explicare.

Respondeo dupliciter, primùm ex Lege, deinde ex Euangelio. Legalis solutio hæc est. Respondeo ad Minorem. Regulariter atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis etiam in hac vita, nec euertitur hæc regula propter quædam contraria exempla. Hæc responsio tradita est ab Isocrate in oratione de pace. Euangelica solutio cõcionatur de futuro iudicio, in quo fiet integra distributio præmiorum & pœnarum. Quia pro sceleribus reddentur pœnæ æternæ, & pro virtute præmia æterna. Hanc posteriorem solutionem tota philosophia ignorat, & contenta est legali responsione.

Maior non potest negari, quia est definitio vera.

Ideo]

Catalogus legum naturæ.

Sunt dulcissimæ hæ pagellæ.

Lex naturæ]

Lex naturæ, congruens cum primo præcepto.

Xenophontis]

In quatuor libris de dictis Socratis, Ciceronis in libris de natura Deorum, de legibus, in Thusc. quæstion. & similium, vt Isocratis in oratione de pace.

Ciceronis]

Cicero in 3. Catilinar. Quis potest esse tam auersus à vero, tam præceps, tam mente captus, qui neget hæc omnia, quæ videmus, Deorum immortalium nutu atque potestate administrari?

Est honesta oratio.

Ad secundum præceptum]

Secunda Lex naturæ.

De pœnis periurij]

Cicero in 2. de Legibus. Periurij pœna diuina est exitium, humana, dedecus.

Omnis periurus est infamis iudicio humano. Nuper audiuistis in Isocrate oraculum datum Glauco. Herodot. lib. 6.

ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Tertium

Tertium præceptum] Tertia Lex naturæ.

Pugnabo pro ſacris] Idem nos faciamus. Ego pugnabo pro religione, pro veritate, & ſolus, & cum aliis. Quiſquis eſt propugnator veritatis, ille habet tres ſocios certiſsimos & fideliſsimos, à quibus nunquam deſeritur. Primus eſt Pater æternus, qui clamat de cœlo, Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite. Secundus eſt λόγος, Filius Dei, habitans in cordibus piorum per fidem. Tertius ſocius fideliſsimus eſt Spiritus ſanctus paracletus, de quo dicit Chriſtus Matth. 10. Non vos eſtis illi loquentes, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Qui habet hos tres ſocios, pugnabit etiam ſolus pro veritate, & ſinet alios confidere fœderibus ſtultis, & coniunctioni humanæ, quæ eſt incertiſsima. Tamen in morte neceſſe eſt, vnumquemque ſolum pugnare pro religione, ſi vult eſſe ſaluus.

Ad tales] Reſtrictio. Intelligatur hoc dictum de vero cultu Dei, non de impiis ceremoniis & traditionibus.

Primùm igitur agnoſcit] Quarta Lex naturæ.

Primus fons gubernationis]

Principia doctrinæ politicæ, quæ apud Ariſtotelem extant in 1. politic.

I. Homo eſt ad ſocietatem natura conditus.

II. Prima ſocietas eſt legitima coniunctio maris & fœminæ.

III. Ex prima ſocietate domus oritur, in qua ſunt parentes, liberi, & ſerui.

IV. In ſocietate multorum neceſſe eſt alios præeſſe, alios parêre.

V. Ad familiæ imaginem ciuitas conſtituitur. Sicut homo vocatur à Græcis μικρόκοσμος: Ita domus eſt quædam parua ciuitas.

Eſt bona & magna pars philoſophiæ moralis conſideratio Legis naturæ: ſed multò eſt eruditior collatio earundem legum ad Decalogum. Quare qui tempus & operam tribuet huic doctrinæ, is ſciat, ſe præclarè ſtudium ſuum poſuiſſe.

In prima pagina Inſtitutionum Iuſtiniani habentur tria præ-

cepta iuris: Primum eſt honeſtè viuere, alterum, neminem lædere, tertium, ſuum cuique tribuere. Honeſtè viuere, eſt præſtare obedientiam omnibus honeſtis legibus, quæ obedientia vocatur ab Ariſtotele iuſtitia vniuerſalis. Suum cuique tribuere, eſt officium iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ verſatur in ordinandis perſonis. Poſtremò, neminem lædere, eſt iuſtitiæ particularis opus & munus, videlicet non lædere aliorum corpora, coniuges, facultates & famam.

Ouid. in Metamorph.

--ſed immedicabile membrum
Enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur.

Multa dicuntur in eandem ſententiam à ſapientibus extra Eccleſiam.

Multæ rationes]

Rationes quinti præcepti quinque ſunt.

I. Eſt vtilitas ſeu neceſsitas. Si enim promiſcuæ cædes graſſarentur in genere humano, breui tempore interiret humana ſocietas.

II. Eſt στοργή, id eſt, beneuolentia erga cognatum ſanguinem. Habent enim omnes homines quoddam commune fœdus inter ſe, propter propagationem eiuſdem naturæ à primis parentibus.

Alij diſtant propiùs à ſtirpe, alij longiùs. Sed tamen veriſimum eſt, quod dicit Paulus Act. 17. Deus totum genus humanũ ex vno ſanguine, ſcilicet primorum parentum, propagari voluit.

III. Cruciatus cõſcientiæ, qui ſequitur cædem iniuſtam.

Videtis parricidas ſentire horrendos cõſcientiæ cruciatus poſt perpetratam cædem. Sic Cain Geneſ. 4. eſt vagus & inſtabilis, quia huc illuc rapitur à mala conſcientia.

IV. Quia homo eſt imago Dei. Non vult autem Deus, hãc ſuam imaginem deſtrui.

De hac ratione dicitur Gene. 9. Qui fuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis eius per hominem, id eſt, per Magiſtratum. Quia homo ad imaginem Dei factus eſt. Eſt grauiſsima ratio.

V. Poſtrema cauſſa eſt diſcrimen mortis humanæ & pecudum. Nam mortua pecude, nihil manet reliquum, quia anima pecudis vnà

vnà cum corpore extinguitur. At in morte humana ſuperſtes eſt anima, quæ ſociam maſſam deſiderat, & vindictam à Deo petit, vt Geneſ. 4. Deus inquit: Sanguis Abelis fratris tui clamat ad me de terra.

Hic clamor implet cælum & terram, nec ſinit homicidam conquieſcere, & niſi rurſus vulnus cordis ſanetur, infuſo ſaluberrimo balſamo Euangelij, neceſſe eſt hominem extingui. Sanguine igitur humano abſtineat, ſiue iudex, ſiue priuatus. Loquor de innocenti ſanguine.

Cain] Geneſ. 4.

Lex] Geneſ. 9. poſt diluuiũ. Aſſuefacite vos ad textum Scripturæ, vnus locus Scripturæ eſt melior ad docendum & conſolandum hominem, quàm mille dicta humana.

Hominem] Magiſtratum, κατ' ἐξοχὴν.

Sequitur ſextum præceptum, Non mœchaberis.

Coniugia teſtantur]

Ariſtoteles lib. 1. de re familiari. Diuino numine præſente, ſacra nuptiarum facta ſunt, & ducta eſt vxor, & ei ſe vir tradidit.

Ariſtoteles in eo loco recitat inſigne dictũ Pythagoræ, quod ſæpe auditis: Maritus debet præſtare vxori non modò beneficentiã, ſed etiam clementiam. quæ eſt ratio? Rati eſt grauiſsima. Quia, inquit Pythagoras, ſponſa ad aram in templo commendatur ſponſo, velut ſupplex. Hinc intelligi poteſt, apud Ethnicos magno in honore fuiſſe ritum nuptiarum. Ac nuptiæ, quæ non approbabantur talibus publicis ceremoniis, quales adhuc hodie ſunt vſitatæ, & meritò, dicebantur inceſtæ. Significat autem κέστος nuptiale cingulum, quod eſt præcipuum ſponſæ ornamentum.

Vlyſſes Odyſſ. 6. in oratione ad Nauſicaam precatur Deos, vt ipſi tribuant maritum ac domum, & concordiam. Xenophon in Oeconomico, Mihi dij ipſi videntur hoc par copulaſſe, quod vocatur mas & fœmina, vt mutua eſſet quàm maxima vtilitas ipſius, ſcilicet paris.

Hæc dicta philoſophica ideo recito, vt diſcant iuniores etiam

apud Ethnicos honorabile fuiſſe coniugium & thorum immaculatum, vt ait Paulus.

Septimum præceptum.

Videt ratio diſtinctionem]

Apud Euripidem inquit Helena: Commune eſt cœlum omnibus hominibus, & terra, in qua oportet vnumquemque ſuam domum habere, nec appetere aliena, nec vi auferre.

Ius gentium]

Ius gentium, ſecundum philoſophos, non differt à iure naturæ.

Relinquamus Iuriſconſultis, tanquam artificibus ſuas diſputationes de iure gẽtium. Nos in præſentia loquamur more philoſophorum, non diſcernamus ſubtiliter ius naturæ & gentium.

Philoſophorum)

Vt Ariſtotelis in 5. Ethic. Vtinam hæc eſſent tam factu facilia, quàm ſunt ad intelligendum expedita.

Octauum præceptum.

Sublata fide]

Liuius lib. 6. Decad. 1. Fide abrogata, omnis humana ſocietas tollitur.

Nihil poteſt dici de veritate tam magnificè, tam amplè, tam copioſè, quin magnitudo & bonitas rei longè ſuperet. Veritas, vt inquit Plato in 5. de Legibus, eſt cauſſa omnis boni Deo & hominibus. Deo quidem eſt cauſſa veræ agnitionis & inuocationis, & verorum cultuum: homini eſt cauſſa omnis boni in artibus, in iudicijs, in contractibus, in fœderibus, denique in omnibus partibus vitæ.

Propter Deum]

Omnes virtutes amãdæ ſunt, primùm propter Deum, deinde propter ingentes vtilitates, quę pertinent ad conſeruationem humanæ ſocietatis.

Virtus conſeruat ſpeciem, & plerunque etiam indiuiduum, etiamſi

etiamsi interdum indiuiduum destruatur propter virtutem, non culpa virtutis, sed hominum malitia, qui virtutem oderunt.

Recensui] Epilogus. Fuerunt dulcissimæ pagellæ, plenæ veræ philosophiæ & eruditionis, imò etiam eloquentiæ.

De cœlo]

Caussa promulgationis Legis est, vt sit testimonium Dei contra dubitationes de discrimine honestorum & turpium, de futuro iudicio, & de multis aliis rebus, de prouidentia &c.

Lex naturę congruit quidem cum Decalogo, quod verisimũ est, sed differt à Decalogo gradibus lucis. Nam Decalogus est clarior & illustrior: Lex naturæ nunc est obscurior post lapsum. Deinde assensio de legibus naturæ impeditur tumultibus dubitationum de prouidentia diuina, de futuro iudicio, & de multis aliis diuinis rebus. Quare, vt mens confirmetur contra hos fluctus & procellas dubitationum, magna gratia est Deo habenda, quòd sua voce in monte Sina, inter tonitrua & fulgura, audiente maxima multitudine Israelitarum, Legem promulgauerit.

Iudicij tui]

Quia omnis Lex aut gubernat, aut iudicat.

Vt enim gubernat obedientiam, ita iudicat & accusat contumaciam.

Lucerna pedibus] Psal. 119. Verbum est regula fidei & bonorum operum. Deus vult regi, non modò fidem nostram, sed etiam opera, luce sui verbi.

Legumlatoribus]

Vt in Lycurgo Legislatore Lacedæmoniorum, qui permisit adulteria, expositiones infantum, & ingeniosa furta.

Hæc reperiuntur apud Plutarchum, in vita Lycurgi.

De vsu Legis.

Paulus in epistola ad Rom. cap. 5. & in epistola ad Galatas, cap. 3. hanc ipsam quæstionem tractat, quis sit vsus Legis. Sic enim potest aliquis argumentari.

Quicquid non iuſtificat, eſt inutile in Eccleſia.

Sed Lex non iuſtificat, ac ne poteſt quidem iuſtificare, aut viuificare.

Ergo Legis doctrina eſt inutilis in Eccleſia, nullum habet vſum.

Reſpondeo ad hoc argumentum.

Nego conſequentiam. Quia eſt fallacia cauſſarum, fallacia ſecundum non cauſſam vt cauſſam. Non enim ſequitur: Lex non iuſtificat, Ergo Lex eſt inutilis. Poſſunt enim eſſe alij fines, ſeu vſus Legis. Eſt autem in ſumma triplex vſus Legis: primus eſt pędagogicus: ſecundus, ſpiritualis: tertius, διδασκαλικός. Pædagogicus vſus pertinet ad diſciplinam, qua omnes homines ſunt retinendi intra metas honeſtatis, & cohercendi, ne qui turpiter faciant contra bonos mores. De hoc vſu primo inquit Paulus 1. ad Timoth. cap 1. Lex eſt iniuſtis poſita, adulteris, homicidis &c. videlicet vt eos reprimat & coherceat. Secundus vſus eſt ſpiritualis, qui propriè pertinet ad conſcientiam, non ad externam gubernationem morum. De hoc vſu inquit Paulus Roman. 5. Lex ſubintrauit, vt abundaret peccatum, quaſi diceret, Vbi non eſt Lex, ibi non agnoſcitur aut certè extenuatur peccatum. Vt igitur exiſtat in conſcientia agnitio peccati, & hãc comitetur pauor inenarrabilis, in quo ſentitur iudicium Dei: Lex ſapientiſsimo & optimo conſilio Dei promulgata eſt in monte Sina, & ſcripta in duabus tabulis, imò etiam cordibus humanis inſculpta, vt ſuprà diximus de Lege naturæ. Tertius vſus eſt διδασκαλικὸς, videlicet, regere obedientiam renatorum. Non enim modò fides, ſed etiam opera regenda ſunt certo verbo Dei. Sicut enim non placent Deo opiniones, quæ excogitantur ſine verbo Dei: ita etiam Deus non approbat cultus, quos nominat Paulus ad Coloſſ. ἐθελοθρησκείας, de quibus dicitur: Fruſtrà colunt me mandatis hominum. Eſt igitur primus vſus Legis pædagogicus, pertinens ad externam diſciplinam, qui ſeruit huic mortali vitæ. Alter vſus, & quidem præcipuus eſt ſpiritualis, qui refertur ad conſcientiam. Tertius vſus eſt διδασκαλικὸς, docens, qualis obedientia Deo placeat.

Vſus autem]

Sedes materiæ de effectu Legis, eſt caput ſeptimum ad Romanos.

Bona eſt & vtilis conſuetudo, quærere in omnibus doctrinis ſedes materiæ, id eſt, loca, in quibus principaliter & propriè, & quaſi

quasi ex professo materia tractatur. Sic doctrinæ de vsu seu effectu Legis propria sedes est cap. 7. ad Rom. Nusquam enim Paulus vberiùs & splendidiùs de hac materia concionatur, quàm in eo capite, cuius iam aliquoties facta est mentio.

Præstare] Lex est spiritualis, inquit Paulus, Ego verò sum carnalis.

Iustos] Non iustificari. Paulus Gal. 3. Si data esset Lex, quæ posset viuificare, vtique per Legem esset iustitia, quasi dicat: Impossibile est, Legem vel iustificare, vel viuificare. Hæc beneficia sunt propria Mediatoris Filij Dei, non sunt Legis aut Moysis beneficia. Lex per Moysen data est, Gratia & veritas per Christum facta est. Cùm nominamus Legem, intelligimus opera nostra, dignitatem nostram. Hæc enim se habent correlatiuè, & nominato vno correlatiuo, debet intelligi alterum.

Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, Quia nō credunt in me. Ratio certè non iudicat esse peccatum, non credere in Filium Dei. De iustitia, Quia ad patrem vado, & posthac non videtis me. Ratio non agnoscit hoc genus iustitiæ, quod est transitus Christi ad Patrem per suam passionem, & mortem, & resurrectionem, sed iudicat iustitiam esse obedientiam, quæ præstatur legibus.

Exoritur quæstio]

Galat. 3. Quid igitur Lex? Propter transgressiones addita fuit, id est, Legis præcipuus vsus est accusare & cōdemnare peccatum, & excitare in conscientiis pauores inenarrabiles, qui sunt sensus iræ & iudicij diuini.

Hoc sciendum] Respondet ad quæstionem.

Sic argumentor.

Impossibilia sunt inutilia. Quia nemo ad impossibile obligatur, vt vulgò dici solet.

Lex est homini impossibilis. Ergo Lex est inutilis. Talia communia argumenta debēt iuniores habere in promtu, & eorum solutiones.

Respondeo ad maiorem. Impossibilia sunt inutilia, quæ scilicet tantùm hunc finem prospiciunt, vt fiant, siue vt conatus ad ea

dirigatur. Lex autem non eſt tantùm tradita vt fiat, ſed omnium primùm propter hanc cauſſam, vt abundet peccatum, hoc eſt, vt ſentiatur onus peccati, quod ſine Lege leue eſſe ducitur.

Ipſo opere, ipſa obedientia, in hac vita à nobis compleatur.

In cap. 19. Deuteron. diſcernuntur duo genera cædiũ, quorum alterum eſt voluntarium, alterum inuolũtarium, ſeu fortuitum. De inuoluntario ſeu fortuito genere dicit textus, Si quis fuerit auctor cædis inuoluntariæ, poterit cõfugere ad vnam ex tribus ciuitatibus, quæ ſunt ad hunc vſum deſtinatæ, vt præbeãt hoſpitium ſupplicibus & exulantibus in tali caſu, & talis poſt mortem ſummi Sacerdotis reſtituatur in integrum, & quaſi iure poſtliminij reuertatur in patriam, & habeat eum locum inter ciues, quem antea habuit. Videtis Deum in hoc caſu diſpenſare. Si quis autem ex inſidiis fratrem ſuum interfecerit, is etiamſi ad altare meum cõfugerit, tamen eum inde abſtrahas, vt ceteri timorem habeant, & non miſereberis eius.

Plato in Gorgia, Calamitates, & ipſis qui perferunt, & ſpectatoribus vtiles ſunt. Vtrique enim redduntur meliores, illi dolore, hi exemplo. Et Cicero in 15 epiſtola ad Brutũ: Dixi ſeueras ſententias, non tam vlciſcendi cauſſa, quàm vt in præſens ſceleratos ciues timore ab impugnanda patria deterrerem, & in poſterum documentum ſtatuerem, ne quis talem amentiam vellet imitari.

In Dialogo, vbi exagitat rhetores.

Magiſtratus non debet eſſe vindictæ cupidus, ſed debet ſine priuatis affectibus facere officiũ ſuum.

Calamitates humanæ, publicæ & priuatæ nihil aliud ſunt quàm carcer Legis.

Pſalm. 32.

Non tantùm nobis]

Cicero pro Marcello: Nemo ſibi ſoli viuit, aut ſibi etiam ſoli natus eſt.

Seneca: ne videretur aliquid mutuari à Cicerone, ita enuntiat hanc ſententiam. Nemo ſibi ſit. Vult Seneca aliter dicere quàm

quàm Cicero, ſed deteriùs dixit & obſcuriùs. Hæc ideo dico, ne quem pudeat, verecundè mutuari à bonis auctoribus verba, phraſes, clauſulas, & interdum integram ſententiam. Non laudo furta, quibus totæ pagellæ ſine mentione auctoris tranſſcribuntur. Sed ſicut licuit Virgilio aut integrum verſum, aut hemiſtichium, aut phraſes, aut epitheta mutuari ab Ennio poeta: ita liceat nobis à Cicerone vel verba, vel phraſes, vel clauſulas, vel integram ſententiam aliquam mutuari. Si autem integros locos volumus mutuari, addamus nomen auctoris, ne quis nos conuincat plagij.

Pædagogia] Galat. 3. Lex eſt pædagogus ad Chriſtum.

Iohan.] 1. Ioh. 3. Omnis qui peccat: ſcilicet contra conſcientiam: alioqui omnes ſumus peccatores. Quòd hæc ſit ſententia Iohannis, teſtatur exemplo Cain: quia in eodem textu dicitur, Cain ardebat odio fratris. Vtitur etiam Iohannes exemplo Diaboli.

Secundus vſus]

Auguſtinus Pſalm. 129. Non data eſt, quæ poſſet viuificare, ſed quæ oſtenderet peccata peccatori. Peccator enim oblitus erat ſe, nec videbat ſe. Data eſt illi Lex, vt videret ſe. Fecit reum Lex, liberauit lator Legis. Scilicet Chriſtus.

Lex eſt data per manum Mediatoris, ſcilicet Filij Dei. Sic interpretantur veteres, Chryſoſtomus & alij, & rectè.

Lex data eſt, quæ terreat & conſtringat in reatum, & non abſoluit Lex à peccatis, ſed oſtendit peccata. Debetis amare cõſenſum veteſtatis piæ, ne quis fingat, aut exiſtimet, nos comminiſci nouam doctrinam. Lex eſt doctrina à Deo tradita, ſcilicet duobus modis. Primùm Lex eſt inſita mentibus humanæ in prima creatione, deinde ſæpe eſt repetita voce Dei, ſed omnium maximè illuſtris repetitio facta eſt in monte Sina. Paulus Roman. 8. Corpus mortificatur propter peccatum. Et Pſalm. 39. Propter iniquitates corripis filios hominum. Et Pſal. 90. Quoniam in ira tua defecimus, & in furore tuo turbati ſumus. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, occulta noſtra in lucem vultus tui.

Lacedæmonij fuerunt ſimiles monachis, ideo habuerunt mo-

nasticas leges. In vita Lycurgi apud Plutarchum: voluit Lycurgus hac Lege iniicere frenum auaritiæ.

Sicut leo] Esa. 38. Cùm Ezechias rex ægrotasset, & iterum ex morbo conualuisset, cecinit Deo carmen ἐυχαριστικὸν pro liberatione, & inter cetera sic inquit, describens pauorem suæ conscientiæ, Sicut leo contriuit omnia ossa mea.

Nihil igitur dubium]

Refutat Antinomos, qui Legem eiiciunt ex Ecclesia.

Per Legem] Rom. 3.

Iram efficit] Rom. 4.

Fit excellenter] Rom. 7.

Aculeus] 1. Cor. 15. Sunt venustissimæ metaphoræ in hoc dicto Pauli. Comparat Paulus mortem latroni interficienti viatores, & armat hunc latronẽ hasta, quæ est peccatum. Aculeus mortis, id est, caussa mortis, hasta, seu gladius, qua interficit mors omnes homines, est peccatum: peccati verò potentia, id est, coticula, est Lex. Quando peccatum non agnoscitur, tunc accedit Lex, & acuit & limat peccatum. Paulus fuit viator, mors est latro, peccatum est hasta, Lex est coticula acuens hastam.

Paulus] Rom. 7. Viuebam sine Lege, & ignorabam, concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex diceret, Non concupisces. Postea verò, vbi peccatum in me reuixit, ego mortuus sum.

A Propheta] 2. Reg. 12.

Agnum Dei] Iohan. 1.

Conclusit] Rom. 11. est magna consolatio: Omnibus circundedit signũ reatus &c.

Suo loco] In titulo de libertate Christiana.

A Lege] id est, à maledictione. Gala. 3. Christus factus pro nobis maledictum, redemit nos à maledictione Legis.

Ezech.

Ezech. ca. 20. Non ambulate in in præceptis patrum veſtrorum, ſed ambulate in meis præceptis.

Scriptum] Eſai. 29. Matth. 25. Chriſtus citat hoc dictum.

Lucerna] pſal. 119.

In Ethnicis) Vt in Laconicis permiſit magna ſcelera Lycurgus. Leges Solonis longè ſunt honeſtiores. Ideo Romani mutuati ſunt ſuas leges à Solone & Athenienſibus, non à Lacedæmoniis.

A lege. Videlicet à damnatione, non ab obedientia. Chriſtus dicit, Non veni ſoluere Legem, ſed implere.

Suo loco) In articulo de iuſtificatione & de operibus. Agamus Deo gratias, quòd adiuuit nos, vt finem imponeremus huic etiam Loco.

FINIS LOCI DE LEGE DEI.

LOCVS DE PRAECEPTIS ET CONSILIIS.

POST ampliſsimam & vtiliſsimam doctrinam de Lege Dei, quam hactenus vtcunque enarrauimus, ſequitur in ordine Locorum titulus de præceptis & conſiliis, quem docendi cauſſa quatuor capitibus complectemur. Primum caput exponet diſcrimen inter præcepta & conſilia, & proponet catalogum ſeu tabellam conſiliorum, quæ monachi aliquot ſeculis ſic appellarunt. Sicut enim Stoici in ſua philoſophia diuidunt officia in perfectum & in commune, ac perfectũ quidem appellarunt κατόρθωμα: commune verò καθῆκον: Ita monachi & ſcholaſtici Theologi, qui enarrarunt ſententias Petri Lombardi, finxerunt diſcrimen, cuius nullum eſt fundamentum in ſacris literis, inter præcepta & conſilia. Ac dixerunt, præcepta pertinere ad omnes homines, ſummos, medios & infimos: conſilia verò tantùm ad eos referenda eſſe, qui aliis hominibus antecellere virtutis, iuſtitiæ & ſanctitatis gloria cupiunt. De hoc igitur genere pauca dicemus in capite primo. Secundum caput tituli, quem nunc ordimur, recitabit aliquot cauſſas publicæ vindictæ, quam exercet magiſtratus iuxta certas leges. In tertio capite colligemus aliquos locos conſolationis opponendos paupertati, oneri verè miſero & graui, vt ait poeta. Cùm autem paupertas nominatur, non tantùm intelligitur rei familiaris inopia, quæ certè magna eſt miſeria, ſed etiam alia onera longè duriora complectitur, cuiuſmodi ſunt odia, calumniæ, conuitia, contemtus, morbi, exilia, carceres, ſupplicia. Quartum & poſtremũ caput erit breuis admonitio de cauſsis, propter quas caſtitas inuiolatè retinenda eſt. Quanquam autem multa poſſent in hanc ſententiam commemorari præclarè & vtiliter, tamen nos contenti erimus tribus cauſsis, ſeu tribus argumentis, quibus vtitur Paulus in 1. ad Corinth. cap. 6. quæ omnia ſuo loco audietis. Non enim plura debent eſſe πάρεργα, quàm ἔργα. Sciant ergo ſtudioſi, hunc titulum de præceptis & cõſiliis, nihil aliud eſſe quàm appendicem ſeu ἐπίσαγμα Loci de Lege. Poſtea verò audietis doctrinam propriam Euangelij, in ſequentibus titulis de diſcrimine Legis & Euangelij, & de iuſtificatione.

Quare

Quare hoc iam ſit perſuaſum auditoribus, nos non diu verſaturos eſſe in hoc titulo, ſed daturos operam, vt primo quoque tempore ad finem perducamus, vt relicta tandem legali materia, veniamus ad ea, quæ ſunt propria Eccleſiæ Dei, eámque diſcernunt à ceteris ſectis: ac niſi ordo doctrinæ poſtularet repetitionem huius tituli, ego recto curſu contenderem, & quaſi inuaderem in arcem cauſſæ, videlicet in articulos optimos & dulciſsimos de diſcrimine Legis & Euangelij, & de iuſtificatione.

De diſcrimine præcepti & conſilij.

CAPVT I.

QVemadmodum in arte medica doctrina de venenis traditur, non vt vitæ hominum inſidiemur, ſed vt ea vitare diſcamus: ita in Eccleſia neceſſaria eſt antitheſis veræ & falſæ doctrinæ, vt fugiamus falſas opiniones toto pectore, & veritatem quæramus, & in ea acquieſcamus, ſimul Deo gratias agentes, quòd immenſa bonitate ſe patefecit, & Eccleſiæ immotam veritatis normam tradidit, de qua Filius Dei inquit: Pater, ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas. Hãc normam iudicij ſequentes, facilè diſcernere poſſumus vera à falſis, quæ aut manifeſtè abſurda ſunt, aut ſpeciem veri habent, & magno cum applauſu excipiuntur. Cùm igitur hactenus vera & natiua Legis ſententia expoſita ſit, non omittenda eſt refutatio opinionis Phariſaicæ, quæ Leges in conſilia transformat deteſtabili licentia, & miſerabili inſcitia diſſerendi. Vt autem ſumma huius commenti, quod vanitatis & ſtultitiæ pleniſsimum eſt, à

De venenatis beſtiis, de venenatis herbis, in poſtremis libellis Dioſcoridis.

Collatio contrariorum.

Ioan. 17.

iunioribus intelligi posit, dicam breuiter, quid interſit inter Legem & conſilium. Lex eſt ſententia aliqua de faciendis & non faciendis, propoſita vel à Deo, vel à magiſtratu, quæ propter auctoritatem Legislatoris obligat ad obedientiam, & contumacibus pœnam denuntiat. Conſilium verò, eſt ſententia oſtendens aliquid boni, ſine obligatione ad obedientiam, & ſine denuntiatione pœnæ, vt 1. Cor. 7. Paulus inquit: De virginibus præceptum nõ habeo, conſilium autem do. Ac Lex quidem ſua auctoritate nos frangit, etiamſi nullam rationem afferat. Conſilium verò regit auditorem ſuaſione ſeu oſtenſione alicuius boni. Deinde omnis violatio Legis, aut culpa eſt, aut dolus: ac conſilij prætermiſsio à culpa & ſcelere liberata eſt. Hæc de vniuerſali diſcrimine inter Legem & conſilium dicta, ad ſpeciem, de qua nunc agimus, reuocentur.

Optimus ordo, ſeu optima via & ratio docendi eſt, progredi à genere ad ſpeciem, & initiò dicere de theſi ſeu de generali quęſtione, poſtea verò transferre ſermonem ad hypotheſin, ad ſpeciem. Primùm igitur iuniores cogitent, quid in communi ſermone ſignificet præceptum, quid conſilium. Præceptum eſt ſententia aliqua à ſuperiore propoſita, ſiue à Deo, ſiue à Magiſtratu, obligans ſubditos ad obedientiam præſtandam, ad certa officia, ac ſimul denuntians pœnam nõ obtemperantibus. Conſilium verò dicitur ſententia, quæ nec ad obedientiam, nec ad pœnam violatæ obedientiæ obligat, ſed ita proponitur, vt tibi ſit integrũ obtemperare, aut non obtemperare conſilio. Sic Paulus inquit 1. Cor. 7. De virginibus, hoc eſt, de iis, qui viuunt cęlibes, præceptum non habeo. Nuſquam enim Scriptura præcipit vitam cælibem. Conſilium autem do eis, qui habent donum caſtitatis, vt propter præſentia pericula maneant cælibes, vt ſint expeditiores ad omnes caſus, & ad omnia pericula, quæ impendent propter Euangelij profeſsionem. Hæc ita in genere ſint breuiſsimè dicta, quæ nolo verbis dilatare aut extendere, cùm ſint per ſe manifeſta. Nunc veniamus ad hypotheſin, & propiùs accedamus ad noſtrum negotium.

Ita enim doctores Pontificij cenſuerunt, ſententias in Decalogo propoſitas habere vim legum: Enarrationes autem Decalogi à Chriſto traditas Matth. 5. & alibi, conſilia & habenda & nominanda

nanda esse, eáque non pertinere ad omnes homines, sed tantùm ad illos, qui singularem prærogatiuam bonorum operum expetunt, & aliis iustitia & sanctitate antecellere volunt.

Qui volunt esse perfecti, seu qui volunt esse in statu perfectionis.

Monstrabo iunioribus in magistro sententiarum, Petro Lombardo, semina huius erroris. Quanquam enim magister ipse parcè & verecundè loquitur de præceptis & consiliis: tamen sententiarij scriptores scholastici, Scotus, Thomas & alij, qui scripserunt commentarios in hunc librum, longiùs sunt progressi, nec manserunt intra metas sui magistri, sed scrobes, vt dicitur, transilierunt. Sedes igitur est huius Loci apud Lombardum, lib. 3. sententiarum, distinctione 3. Bonum est, iuniores interdum aliquid repetere ex sordibus superiorum ætatum & seculorum, propter hanc vtilitatem, vt appareat discrimẽ inter lucem & tenebras, inter diem & noctem, inter ea bona, quibus nunc Dei beneficio fruimur, & illas deliriones, ne quid durius dicam, superioris ætatis. Verba Lombardi sunt: *Quidam, quod hîc dicitur simpliciter* (scilicet de dilectione proximi & inimicorum) *tenere volentes, illud præceptum determinant, dicentes, illis perfectè dari in præceptum, diligere omnem hominem, etiam inimicum: Minoribus verò in consilium, in præceptum verò eos diligere, qui nihil mali fecerunt &c.* Hæc sunt parua semina, ex quibus postea nata est magna arbor. Ex his enim verbis extructa est longa Ilias malorum apud scholasticos Theologos, quæ lucem Ecclesiæ eripit, & quasi noctem quandam offundit plenam tenebris. Vno absurdo dato, alia mille sequuntur. Ita posita hac falsa hypothesi, de discrimine inter præceptum & consilium, sequitur obscuratio doctrinę Legis, doctrinæ de peccato, doctrinæ de iustitia fidei, denique obruitur, quasi quodam diluuio, totius Ecclesiæ confessio. Hæc videntur iunioribus noua, inaudita, mirabilia, sed ante annos 40. aut 50. nihil fuit his magis peruulgatum & tritum in omnibus scholis & templis.

Si quis autem catalogum consiliorum requirit, quæ ab indoctis in regno Pontificio excogitata sunt, nihil est, quod expedire tam facilè possimus. Sunt enim in summa duodecim, vt sequens tabella indicat.

I. Paupertas, seu desertio facultatum, Matth. 19. Si vis esse per-

fectus, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.

Sicut ex malis moribus, iuxta peruulgatum dictum, natæ sunt bonæ leges: ita hæ ineptiæ & nugæ scholasticorum Theologorum de consiliis, præbent nobis occasionem interpretandi grauissima dicta & sententias à Christo traditas apud Matthæum. Ac mirum est, Matthæum præ ceteris Euangelistis idoneum fuisse visum, & maximè accommodatum ad stabiliendum commentum de consiliis. Non enim ex vllo alio Euangelista proferuntur prętextus duodecim consiliorum, sed ex solo Matthæo assumuntur tegumenta & vela, quibus obtenditur hic error. Quid respondendum est ad hanc sententiam? Non sunt transformanda singularia præcepta in vniuersales regulas, sicut vulgò dicitur: Priuilegia non transformanda sunt in regulas. Est autem hæc vocatio singularis, qua præcipit cuidam auditori & discipulo Christus, vt omnibus bonis venditis, sequatur dominum. Hæc est breuissima & expeditissima responsio, sed non reiicio alteram, quæ talis est. Perfectio non consistit in venditione bonorum seu desertione facultatum, sed in eo, quod dicitur, Tu me sequere, scilicet fide. Nam sequi Christum, non est tantùm imitari exemplum Christi, sed est fide amplecti hunc Dominũ, & accipere eius beneficia, & postea afferre fructus fidei pro modo vocationis.

II. Abnegatio sui. Matth. 16. Si quis vult me sequi, abnèget se ipsum. Est autem abnegare se ipsum, deponere fiduciam & admirationem propriæ sapientiæ & iustitiæ, & gloriari in solo Christo.

Quidam Theologus per iocum venustè dixit, Abnegare se ipsum, est seipsum absoluere ab omnibus rebus secundis, Sich selbs absoluiren von allen gutẽ tagen/ & verè se ita res habet. Qui sequitur Christum, & abnegat semet ipsum, id est, deponit fiduciam & admirationem propriarum dotum, & gloriatur in solo Christo, qui nobis à Deo donatus est, vt sit nostra iustitia & sapientia. 1. Cor. 1. Is eadem opera tollit crucem, non semel atque iterum, sed quotidiè, & transit, vt ait psalmus, per vallem lacrymarum, & inter lacrymas fodit fontes, scilicet doctrinæ, & vt alius inquit Psalmus, Flens portat pretiosum semen.

III. Castitas, Matth. 19. Sunt eunuchi, qui castrauerunt se ipsos propter regnum cœlorum.

Christus

Christus in ca. 19. Matthæi interrogatus à Pharisæis de diuortio, an liceat homini repudiare vxorem, & dare ei tabulam diuortij, respondet, Quos Deus coniungit, homo non separet &c. Postea digreditur ad eos, qui viuunt extra cõiugium, qui sunt cælibes. De his inquit Dominus: Sunt triplices eunuchi: Alij, quos fecit ipsa natura, qui vocantur à Iurisconsultis spadones, qui non sunt ad generandũ informati à natura. Alij verò sunt eunuchi ab hominibus facti, vt Turcicus tyrannus ministros sui gynæcei facit eunuchos ope & arte chirurgica. Tertium genus eunuchorum, inquit Christus, complectitur eos, qui propter regnum cœlorũ se ipsos castrauerunt, nõ adhibito ferro, vt fecit Origenes, non rectè intelligens hunc locum, sed constituto firmo proposito perseuerandi in cælibe vita, vt Athanasius, Basilius, & quidam alij fuerunt tales eunuchi. Etsi enim poterant ducere vxores, & à natura erant informati ad fœcunditatẽ: tamen singulari dono prẽditi, & habentes propositum perseuerandi in vita cælibe, manserunt cælibes, & quidem puri, non contaminati vel in anima, vel in corpore, ac talis quidem status maximè congruit doctoribus Ecclesiæ, si est possibilis. Si cui autem hæc prima nauigatio non conceditur, is teneat secundam, vt dicitur in Græco prouerbio, δεύτερον πλοῦν.

Theologi scholastici, vt discernerent inter consilia & præcepta, secuti sunt exemplum sui magistri Petri Lombardi. Sed vt aliquo prætextu ornarent malam caussam, inter cetera etiam ad suũ commentum detorserunt titulum, quem Esaias cap. 9. Filio Dei tribuit, inquiens, Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius. Hunc titulum ita interpretati sunt, vel potiùs corruperunt, vt dicerent, Christum non tantùm tradidisse præcepta Ecclesiæ, sed etiam consilia de operibus supererogationis, vt ipsi vocant. Nobis verò persuasum sit, Christum appellari à Propheta Esaia cap. 9. consiliarium propter aliam caussam longè grauissimam, quia videlicet protulit ex sinu Patris optima & saluberrima consilia Euangelij, sicut Baptista inquit Iohan. 1. Deum nemo vidit vnquam, Filius, qui est in sinu Patris, ipse nobis reuelauit. Vocatur etiam ideo Dominus & saluator noster consiliarius, quia dat nobis Spiritum consilij & fortitudinis, hoc est, Spiritum sanctum, sine quo omnia nostra consilia, studia, conatus & actiones nihil valent coram Deo.

IV. Non reddere malum pro malo. Matth. 5. Benefacite iis, qui vos oderunt.

Apud Valerium Maximum, qui collegit exempla dictorum & factorum ex Cicerone & ex aliis ſcriptoribus, extat præclara & memorabilis ſententia, quam meminiſſe debetis, tanquam regulam vitæ. Congruit enim omnino cum hoc præcepto Chriſti, Benefacite iis, qui vos oderunt. Speciosiùs, inquit Valerius, iniuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odij pertinacia penſantur. Sic Ioſeph vicit iniurias ſuorum fratrum, nõ retaliatione, ſed remuneratione beneficiorum. Idem præceptum habetur apud Paulum Rom. 12.

V. Patientia. Matth. 5. Si quis te percuſſerit in maxillam dextram, obuerte ei ſiniſtram. Loquitur autem Chriſtus, teſte Auguſtino, epiſt. 5. non de leuitate geſtus, ſed animi præparatione, hoc eſt, Sis paratus ad plures iniurias tolerandas, ſi opus ſit.

VI. Supererogatio operum miſericordiæ, Luc. 6. Omni petenti da.

Erogare, quid ſignificet apud Latinos, non ignoratis. Significat enim largiri, expendere, vt erogare pecuniam. Inde ſupererogare, compoſita voce, apud ſcholaſticos Theologos ſignificat addere ad priorem cumulum bonorum operum nouam acceſsionẽ, nouum auctarium, ſeu appendicem. Opera ſupererogationis dicebantur olim eſſe indebita opera, quæ non fiebant ex debito, ſed hoc fine, hac intentione, vt is, qui talia faciebat, videretur dignus eſſe ſingulari corona in cœlo. Quod ad dictũ Chriſti attinet, Omni petenti da: intelligatur, omni, ſcilicet ſpeciei, nõ indiuiduo, hoc eſt, Da, non modò amicis, ſed etiam inimicis. Nemo enim poteſt ſingulis indiuiduis dare.

VII. Non præſtare iuramentum. Matth. 5. Nolite iurare omnino, ſcilicet, non cogente vocatione, aut mandato magiſtratus.

Quòd liceat iurare, cogente vocatione, teſtatur exemplum Chriſti & Pauli. Quoties iurat Dominus noſter in Euangelio, inquiens, Amen, amen dico vobis? Hæc particula habet vim iurandi, & Paulus aliquoties in ſuis epiſtolis allegat Deum teſtem. Quòd autem non liceat recuſare iuramentum à Magiſtratu impoſitum, teſtatur concio Pauli Rom. 13. Oportet magiſtratui obedire, ſcilicet in rebus licitis & honeſtis, non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Eſt autem iuramentum præcipuum vinculum ſocietatis humanæ, quo ſublato, tollitur humana ſocietas.

VIII.

VIII. Vitare occasionem peccandi. Matth. 18. Si te oculus tuus offenderit, erue eum. Oculus, phrasi Scripturę, imò metaphora vsitata in omnibus linguis, significat vel doctorem, vel consiliarium, vt Salomon inquit Prouerb. 20. Vt oculus videat, & auris audiat, Deus facit vtrumque. Item Iob in suo libro gloriatur, & verè gloriatur, se fuisse oculum cæcorum, id est, doctorem, gubernatorem, consiliarium hominum imperitorum & indoctorum. Et apud Pindarum oda 6. Olympiorum, sic deplorat mortem fratris sui Adrastus: Desidero te, ô Amphiarae, tanquam oculũ nostri exercitus, qui eras vtrumque, & vates bonus, & bellator fortis. Si igitur volet te tuus doctor, præceptor, consiliarius, aut quicunque alius gubernator seducere à via veritatis, abiice eum, defere eum.

IX. Fugere hypocrisin. Matth. 6. Cauete, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.

Sic argumentor.

Christus videtur dicere pugnantia. Nam cap. 5. Matth. dicit, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, glorificent Patrem, qui in cœlis est. Sequenti verò capite sic inquit, Videte, ne faciatis vestram iustitiam coram hominibus. Concilia hos locos, qui habent speciem contradictionis. veréne pugnant inter se hæc dicta? Non: quia non dicuntur respectu eiusdem. Fines discernunt actiones. Nos debemus facere bona opera coram hominibus propter gloriam Dei, & propter bonum exemplum, sicut inquit Paulus: Omnia facite ad gloriam Dei, & ne sitis scandalo Ecclesiæ. Hic finis est bonus & ordinatus. Sed facere bona opera coram hominibus inani ostentatione, qua aucupamur nostram gloriolam, hic finis iure reprehenditur à Christo. Apud Augustinum extat longa concio de conciliatione horum locorum, sed summa hæc est, quam recitaui. Christus cap. 5. tradens regulam vitæ, iubet fieri bona opera propter gloriam Dei, postea capite sequenti prohibet finem inordinatum, videlicet inanem ostentationem.

Concilia mihi alia duo dicta:

Hilarem datorem diligit Dominus. Sed Epicharmus dicit, citante Plutarcho, in vita Antonij, Morbum habes, lętaris dando. Respondeo breuiter: Hæc differunt fine. Hilarem datorem, scilicet lætantem officio, seu qui virtutis caussa aliis benefacit. Epicharmus dicit, Lætaris dando, id est, ipsa profusione.

X. Congruentia vitæ & doctrinæ. Matth. 23. Dicunt, & nō faciunt.

Cicero dicit de oratore: Malo indiſertam prudentiam, quàm ſtultam loquacitatem, & rectè. Magnum quidem decus eſt, copulatio ſapientiæ & eloquentiæ, & rarum Dei donum, ſed ſi altero nobis eſſet carendum, vel ſapientia, vel eloquentia, ſatius eſſet, nos eſſe indiſertè prudentes, quàm ſtultè loquaces: ita quanquam ſummum decus doctoris in Eccleſia eſt conſonantia doctrinæ & vitæ, tamen ſi alterutro nobis carendum eſſet, mallem audire doctorem rectè docentem, etiamſi in vita eſſet aliquid ſcandali, quàm hypocritam oſtendentem folia fici in moribus ſine fructibus, id eſt, ſine vera doctrina.

XI. Non angi de victu. Matth. 6. Ne ſitis ſoliciti de cibo.

Quotuplex eſt ſolicitudo? Triplex eſt ſolicitudo I. de labore. Hanc præcipit Deus, vt Paulus inquit, Qui non laborat, non manducet. Et Deus inquit ad Adam Geneſ. 3. poſt lapſum, In ſudore vultus tui &c. Et Pſal. 128. Laborem manuum tuarum manducabis, Beatus es, & bene tibi erit. De hac ſolicitudine Paulus loquitur Rom. 12. Solicitudine nō pigri, ſcilicet in vocatione. Item 1. Cor. 4. Hoc requiritur in miniſtro, vt ſit fidelis. Fidelitas autem complectitur aſſiduitatem & diligentiam. Secunda ſpecies ſolicitudinis eſt ſolicitudo de euentu, ſeu de exitu laboris noſtri & conſiliorum. Hāc ſolicitudinem prohibet Chriſtus Matth. 6. & hanc iubet Deo commendari. Pſalmus 55. Iacta curam, ſcilicet de euentu, de exitu &c. Poſtrema ſpecies eſt, ſolicitudo de aliena vocatione, quæ vocatur πολυπραγμοσύνη. Hanc etiam prohibet Chriſtus Iohannis vltimo, cùm inquit ad Petrum, Si volo hunc manere, quid ad te attinet, tu me ſequere, id eſt, obtempera tuæ vocationi, nec ſis ſolicitus de vocatione aliena, & Petrus in epiſtola vocat ἀλλοτριοεπισκόπους, qui ſe ingerunt alienæ vocationi.

XII. Candida admonitio proximi. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus &c.

Dic mihi, quot ſunt gradus æquitatis priuatæ? Tres. Primus, communes infirmitates, quę nō puniuntur legibus, eleganter ferre ac diſſimulare. De hoc gradu nota ſunt dicta, Qui vitia odit, homines odit. Item, Fer infirmitatem, infirmitatis tuæ memor. Item,

Dat

Dat veniam facilè, cui venia opus est. Secundus gradus est, arcana tegere, & ambigua in optimam partem interpretari, denique quædam leuia errata non exaggerare hyperbolicè. Nemo enim hominum est sine erratis. Tertius gradus, de quo loquitur Christus nominatim Matth. 18. est fratrem errantem aut peccantem admonere, & si fieri potest, in viam reuocare.

Sed omissis ceteris, nunc tantùm de vindicta, de paupertate & castitate dicamus.

De vindicta.

CAP. II.

Scripsit Iulianus Apostata libros contra Ecclesiæ doctrinã, in quibus præcipuè exagitat prohibitiones vindictæ. Ait, tolli magistratus, iudicia, pœnas, legitima bella, confirmari latrocinia in infinitum: denique pugnare eam doctrinam cum sensu communi, & tollere neruos humanæ societatis. Ad has calumnias responsio vera, firma & luculenta hæc est: Euangelio maximè confirmari & muniri politicum ordinem, nec prohiberi vindictam ordinatã, quæ ad officium magistratus pertinet, sed inordinatam, quã priuati exercent.

Historia Iuliani Imperatoris & Apostatæ, debet omnibus pijs esse notissima, propter exemplũ iusti iudicij Dei aduersus petulantem & audacem impietatem. Iulianus natus est patre Constantio, fratre Constantini Magni, cúmq; excelleret ingenio, traditus est in disciplinam episcopi Nicomedien sis in Bithynia, è regione Constantinopolis. In ea schola tantũ profecit Iulianus iuuenis, vt aliquandiu fungeretur officio lectoris seu professoris. Sed corruptus est, & ab Ecclesia abalienatus partim à Libanio Sophista, cuius adhuc extant quædam γεγυμνάσματα, partim à Philosophis Platonicis, Iamblicho, & quibusdam alijs. Quare, cùm concepisset odium veræ doctrinæ & Ecclesiæ, oppu-

gnauit Euangelium & Ecclesiam, non tantùm vt alij tyranni, gladio, sed etiam stylo suo, id est, libris editis contra Ecclesiæ doctrinã, & aliis malis artibus, vt quòd Christianis eripuit facultates, & addidit hanc ironiam venenatam, Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Item, quòd prohibuit publico edicto, ne liberi Christianorum admitterentur ad scholas dialecticas & rhetoricas: Quia, inquit, nos sentimus proprias pennas in nostris vulneribus. Omitto reliqua, quæ iuniores ipsi legere possunt in Chronicis D. Præceptoris, vel apud Theodoretum lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ. Nam totus ille liber consumitur in narratione de Iuliano Apostata. Quomodo autem perierit in bello Persico, omnibus notum est. Cùm enim accepisset vulnus incerto auctore, exclamabat, Vicisti Galilæe. Sic enim per contumeliam appellabat Filium Dei. Hic Iulianus Apostata inter alia exagitauit doctrinam Ecclesiæ hac calumnia, quòd in illa diceret prohiberi omnia iudicia, omnia bella legitima, omnes pœnas magistratuum. Quid verò respondendum est ad hanc calumniam? Respondeo. Christus Matth. 5. 6. & 7. enarrãs Legem diuinam, non hoc agit, vt deleat magistratum, aut tollat iudicia & reliquos neruos humanæ societatis, sed proponit doctrinã de pœnitentia, quæ arguit singulorum hominum corda, & docet, qualis esse debeat vnusquisque erga Deum. Interea concedit Christus versari in politia, & obtemperare honestis Legibus.

Sunt enim sex causæ, propter quas vult Deus fontes affici pœnis politicis, quarum prima oritur à sapientia Dei, altera à iustitia Dei. Vult enim Deus intelligi & notum esse discrimen virtutum & vitiorum, vt sciamus, qualis sit ipse: quod non intelligeretur, nisi sancitæ essent pœnę, cúmque sit iustus, vult deleri iniustos, sicut Deuter. 4. dicitur, Deus est ignis consumens.

reos capitalis pœnæ.

Ante annos 50. hoc est, ante initium repurgatæ doctrinæ Ecclesiæ, multi boni viri in repub. non libenter functi sunt officio iudicis in causis capitalibus, quia certè homini nõ monstroso, nõ tyrannico, videtur esse atrox quiddam & inhumanum, dicere sententiam de alterius capite, & tradere carnifici gladium ad homines tollendos è medio. Præterea & monachi & sacrificuli indocti & fascinati superstitione, auxerunt hunc vanum timorẽ suis nugis & ineptijs. Dixerunt enim, neminẽ nisi

nisi indutum veste monastica, Deo placere, aut si quis non posset fieri monachus, ei tamen persuaserunt, vt sepeliri se curaret, indutum veste monastica, sicut multi reges & Principes sunt sepulti in tali vestitu. Nunc verò Dei beneficio tota doctrina de officijs politici ordinis præclarè illustrata est, & hæ consolationes propositæ sunt summis & infimis gubernatoribus, ne fingant sibi culpam, vbi nulla est culpa. Hæc ideo dico, vt norimus nostra bona, sicut de agricolis inquit Virgilius. Non semper fuit hæc doctrina tam vulgaris, sicut nunc est, Dei beneficio.

Tertia causa est, cõmonefactio de pœnitentia. Nam politicæ pœnæ & ipsis, qui perferunt, & spectatoribus vtiles sunt. Vtrique enim, si modò sunt sanabiles, redduntur meliores, illi dolore, hi exemplo.

Sunt verba Platonis in Gorgia.

Quarta causa est, cõmonefactio de pœnis æternis. Cùm enim præsentes pœnæ non satisfaciant iustitiæ Dei, tantùm sunt initia æternarum pœnarum in iis, qui non sunt ad Deum conuersi, nec quærunt remissionem peccatorum per Mediatorem.

Nazianzenus in oratione de Athanasio, inter cetera etiá hoc narrat: Cùm Iulianus Apostata, de quo antea aliquid diximus, ex bello Persico translatus esset in vrbem Antiochenam Syriæ, & iam esset terræ mandandus, terra contremuit, quasi reiiciens hoc κάθαρμα, vt breuiter dicam, hunc hominem perditum & damnatum. Multa etiam alia acciderunt valde tragica & tristia eo tempore, quo sepultus est tyrannus & Apostata Iulianus. Hæc, inquit Nazianzenus, fuerunt initia æternarum pœnarum, quas sine vlla dubitatione nunc sustinet hic Apostata, blasphemus hostis Filij Dei. Ita omnes homines, qui non cõuertuntur ad Deum in hac vita, opprimentur æterna ira Dei, & æternis supplicijs mactabũtur. Quæ de re cogitantes, cohorrescamus & agamus pœnitentiam. Cæterùm causæ ipsę, quæ hactenus expositę sunt, propter quas magistratus cogitur mandato diuino exercere vindictam, & punire turbantes humanam societatem atrocibus delictis, non indigent longiore explicatione. Nam prima causa, vt diximus, sumitur à sapientia Dei, quæ discernit recta & non recta. Secunda sumitur à iustitia

Dei, quæ est vindex destruens contraria suæ voluntati, iuxta dictū, Deus est ignis consumens. Tertia causſa est commonefactio de pœnitētia, sicut vniuersaliter omnes calamitates generis humani sunt monitrices & concionatrices de conuersione ad Deum. Quarta causſa est commonefactio de futuro iudicio, quia pœnæ in hac vita non satisfaciunt iustitiæ Dei, nec respondent magnitudini peccatorum. Sequuntur adhuc duæ causſæ, quas breuiter addemus superioribus.

Quinta causſa est necessitas cōmunis. De hac causſa loquitur Cicero in 8. Philippica.

Cicero scripsit aliquot orationes aduersus Antonium Triumuirum, quas imitatione Demosthenica appellat Philippicas. Sicut enim Demosthenes scripsit orationes inuectiuas in Philippū, patrem Alexandri Magni, regis Macedonici: ita Cicero scripsit inuectiuas in Antonium, quas nominat titulo Demosthenico Philippicas: ac dicit Cicero in illis orationibus suum stylum canescere. Nam senilis oratio est suauior & dulcior, & minùs affectata, simplicior, non comparata ad pompam & ostentationem, sed naturæ proxima. Sicut enim summa laus picturæ est, imitari naturam, & eius simplicitatem exprimere, sine colorum varietate: ita summa laus eloquentiæ est, posse aliquid explicare propriè, perspicuè, disertè, sine peregrinis & procul accersitis ornamentis & amplificationibus.

In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vri ac secari patimur, vt membrorum aliquod potiùs, quàm totum corpus intereat.

Vt vitam redimas, ferrum patieris & ignem, dicit poëta. Si quis laborat cancro, eum necesse est vri & secari, vt non dicam de aliis generibus morborum.

Totum corpus est maius sua parte.

Sic in Reipub. corpore, vt totum saluum sit, quicquid est pestiferum, amputetur.

Eandem sententiam extulit Ouidius his versibus,

--sed immedicabile membrum
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Vniuersaliter salus totius est anteferenda saluti vnius partis, id quod docet nos ipsa numeratio. Meliùs est seruare totam ciuitatem, quàm vnam domum.

Sexta causſa exemplum. Hæc causſa explicatur à Cicerone in 15. epistо-

15. epistola ad Brutum, Dixi seueras sententias, nõ tam vlciscendi caussa, quàm vt in præsens sceleratos ciues ab impugnanda patria deterrerem, & in posterum documentum statuerem, ne quis talem amẽtiam vellet imitari.

Vita humana non tantùm regitur præceptis, sed etiam exemplis. Ac multum valent exempla in vtramque partem. Vt igitur bona exempla inuitant ad imitationem virtutis & rectè factorum: sic exempla pœnarum sanabiles reuocant in viam, & deterrent ab iniustis consiliis & factis. Hæc sunt manifesta.

Cùm autẽ caussæ, propter quas priuata seu inordinata vindicta reprimenda est, in doctrina de virtutibus expositæ sint, inde, qui volet, eas assumat.

Non volo eadem ad rauim vsque repetere & inculcare, sed vobis sum hortator, vt semper cogitetis præceptum Epicteti philosophi, qui dixit, Non potest doctrina radices agere, nisi quis eadem quotidie audiat, & dicat ipse, & postea ad vsum in vita transferat. Qui amat varietatem lectionum, tantùm seruit voluptati, & exiguo tempore demulcet suum pectus, sed qui eadem sæpe audit, dicit & repetit, & transfert ad vsum in dicendo, scribendo, iudicando, formandis moribus, is verè proficit, is recto cursu contendit ad solidam eruditionem. Audiuistis autem in Ethicis aliquot caussas, quas nõ volo prolixè repetere, propter quas frenanda est cupiditas priuatæ vindictæ. Prima & summa caussa est, mandatum Dei, quod sæpe repetitur, Remittite, & remittetur vobis. Altera caussa est, quia vindicta est honor soli Deo competens, sicut vulgò dicitur & rectè & grauiter, Richten/Rühmen vnd Rechen gebüret Gott allein. Iudicare, gloriari & vindicare, sunt opera Dei propria, iuxta dictũ, quod citat Paulus Rom. 12. ex Deut. ca. 32. Mihi vindictam, & ego retribuam. Hîc affirmat Deus, se velle esse vindicem & iudicem, & velle sibi hunc honorem tribui. Quare, qui exercet priuatam vindictam, id est, inordinatam, is eripit Deo suum honorem. Tertia caussa est agnitio propriæ infirmitatis & condonationis diuinæ, sicut quotidiè precamur in oratione Dominica, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus nostris debitoribus, quasi dicamus: Da veniam danti veniam, sis mihi propitius propter Christum, sicut ergo propter te, propter tuam voluntatem libenter remitto offensiones & iniurias, quibus sum læsus

ab aduersario, vel ab amico, vel à proximo meo. Quarta causa, quia nulla rei magis impedit inuocationem, quàm iniuriarum tenacitas & cupiditas vindictæ. Dum enim aliquis ardet hoc affectu, quomodo potest Deum alloqui, Miserere mei, Deus: Item, Remitte nobis debita nostra? Quinta causa est, quia cupiditas vindictæ priuatæ turbat Ecclesiam & Rempub. & impedit alia negotia magis necessaria. Postrema causa est exemplum Filij Dei, qui dicit Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

De Paupertate.

CAPVT III.

VTraque ars magna est: rectè ferre paupertatem, & rectè vti diuitiis. Verissimè enim à Comico dictum est, Paupertatem esse onus & miserum & graue. Quare vt hoc onus, quod multis Æthna grauius videtur, sine deformitate feramus, loci quidam consolationis colligendi sunt.

Cicero de Senectute: Senectus multis videtur grauior Aethna.

Hæc doctrina pertinet propriè ad ordinem scholasticum, qui vel cum paupertate conflictatur, vel certè spernitur & negligitur in mundo. Consolemur igitur nos his locis, non modò aduersus paupertatem & inopiam rei familiaris, sed etiam aduersus contemtum & iniqua iudicia aularum & vulgi. Nam multi homines sumpti & infimi ex alto despiciunt nostros labores, nostras occupationes, studia, conatus: putant nos frangi futilibus & inanibus contentionibus. Aduersus hæc iniqua iudicia confirmemus non talibus sententiis.

I. Est autem primus locus agnitio voluntatis Dei. Non enim casu sparguntur facultates, nec tantùm humana diligentia parantur, sed Deus auctor est huius dissimilitudinis, vt alij sint pauperes, alij diuites.

Abraham est diues, Lazarus est pauper, & tamen vterque est Deo charus, sed Deus non distribuit eodem modo bona corporalia.

Etsi

Etsi enim bona spiritualia & æterna, æqua lance distribuit omnibus, tamen corporalium bonorum vult esse dissimilitudinem, vt vita sit consociata multis vinculis, & alij aliorum ope indigeant, & firmiora membra opem ferant infirmioribus.

Deus tam est propitius Lazaro, quàm Abrahæ, tam est propitius Ieremiæ miserrimo homini, quàm Iosepho & Danieli, qui vixerunt in florenti fortuna.

Si omnes essemus diuites, primùm hoc sequeretur incommodi, quòd nemo alteri seruiret, nemo alteri operam sui officij præstaret. Indigentia verò est vinculum humanæ societatis. Ego non possum tua opera carere, tu vicissim non potes mea opera carere, vt speciem nominem progenere. Manus manum lauat. In hanc sententiam inquit Xenophõ, Natura alterum alterius indigere voluit, quia quod vni deest, præstò plerunque est alteri. Deinde, si omnes essemus diuites, non haberemus occasionem exercendæ dilectionis, misericordiæ, nemo alteri opem ferret: quia vbi nulla paupertas, ibi non est opus eleemosynis. Adeo sapienter Deus omnia ordinauit.

Ad hunc locum consolationis pertinent dicta Salomonis, Simul habitant diues & pauper, vtrumq; facit Dominus. Item, Subsannans pauperem, exprobrat factori eius.

Non fortuna cæca.

II. Secundus locus consolationis est caussa finalis. Nam Deus premit & exercet nos paupertate & aliis afflictionibus, non vt perdat nos, sed vt nos retrahat ad pœnitentiam, aut excitet, vt crescant in nobis timor, inuocatio, & cetera virtutes De hac caussa Tertullianus inquit in libro de patientia: O seruum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit.

Punire. Ira sæpe ponitur pro pœna.

III. Tertius locus est collatio euentuũ. Etsi diuitiæ & paupertas sunt res mediæ, quibus rectè, aut secus vti possumus, tamen plerunque paupertas virtutis occasio est, & diuitiæ multis propter

abusum, pestem perniciémque afferunt. Deinde pauperum corpora plerumque firmiora sunt, quia indigẽtia sanitatis mater est, & labores atque exercitia bonã valetudinem cõseruant, vt me dicorũ omniũ princeps scripsit. Hippocrates.

Mementote duos aphorismos Hippocratis, quorũ primus est, ἔνδεια μήτηρ ὑγείας. Indigentia mater sanitatis. Natura est paucis contenta. Si quis igitur non onerat ventriculum & epar nimio cibo & potu, sed paruo assuetus est, vt Virgilius de iuuentute inquit, patiens operum, paruóque assueta iuuentus, is facilè tuetur valetudinem. E contrà affluentia & satietas cibi & potionis, mater est omnium morborum. Plures enim pereunt crapula, quàm gladio, vt dicitur in prouerbio. Alter aphorismus est, πόνοι καὶ γυμνασίαι συνεργοὶ ὑγείας, Labores & exercitia sunt adminicula valetudinis. Sicut enim somnus, secundum Hippocratem, prodest viscеribus: ita labor prodest articulis. Absumit enim superfluitates & redundantes humores. Quantum autem boni sit in exercitatione corporis, docet Platonicum dictum, quod citat Plutarchus in præceptis de tuenda valetudine, Nõ exerceas corpus sine mente, nec mentem sine corpore. Qui semper assidet libris, & nunquam exercet aliquo motu corpus, colligit magnam vim & copiam prauorum humorum. E contrà, qui sine mente, sine ratione, sine delectu, sine consideratione circumstantiarum exercet corpus, vt si quis statim post cibum sumtum saltat, is non minùs nocet corpori.

Est & illa sapientis vox vera, Somnus pauperis dulcissimus. De hac collatione euentum præclarè philosophatur Theodoretus in oratione 6. de prouidentia. Siracidæ.

Quotidie cernuntur ante oculos exempla huius asseuerationis. Pauperum liberi, qui vescuntur pane atro ex iure hesterno, vt ille apud Comicum inquit, sunt firma valetudine, & habent quandam coloris suauitatem. E contrà diuitum liberi, singulis ferè momentis indigent ope medicorum.

Quartus locus est breuitas huius vitæ. Hanc consolationẽ proponit

ponit Paulus 1. Cor. 7. Tempus breue est, & gestus huius mundi præterit. Et 2. Corint. 4. Leue momentum tribulationis huius, id est, præsentis, affert pondus æternæ gloriæ. Quare breuia incommoda magno feramus animo, quia dum respicimus vertimúsque nos, ecce immortalitas aderit, in qua nullum erit discrimen diuitis & pauperis, sed omnes credentes communis vita fruemur patriæ.

Hæc vita est breuissima & fugacissima.

Possent multa dici in hanc sententiam de breuitate huius vitæ, sed quia locus est quotidianus, non volo in eo commorari, legite Psalmum 90. Quoniam mille anni ante oculos tuos sunt sicut dies hesterna, quæ præteriit, & sicut vigilia nocturna &c.

Quintus est exemplum Christi. Vt enim medicina tumoris humani est humilitas Christi: sic erubescat homo impatiens paupertatis, cùm Christus propter nos pauper factus sit. 2. Corinth. 8.

Superbiæ.

Augustinus sermone 4. de verbis Domini, recitat hæc verba, Medicina tumoris humani est humilitas Christi. Christus inquit, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Et Philipp. 2. Is affectus sit in vobis, qui fuit & in Christo, qui cùm esset in forma Dei, &c. Christus propter nos factus est pauper, vt nos ditaret, seu locupletaret.

Qua enim conditione natus sit, testatur pathetica narratio apud Lucam. Non erat ei locus in diuersorio. Et ipse Dominus inquit, Vulpes habent foueas, & volucres cæli nidos, Filius autẽ hominis non habet, vbi reclinet caput suum.

Matth. 8.

Id est, non habet certum hospitium, non habet manentem locum.

Cùm igitur seruus non sit maior domino, nec discipulus præstantior magistro, iniustum & inæquale esset, nos præcipuâ aliquam fortunam expetere. Et quoniam non tantùm serui & discipuli sumus huius Domini & magistri, sed etiam ab hoc ca-

Iohan. 15. & aliâs sæpe. Effectus nõ est præstãtior sua caussa.

pitè, tanquam membra fouemur & ſuſtentamur, ſemper in noſtris auribus ſonent verſiculi,

Exul erat Chriſtus, comites nos exulis huius
Eſſe decet, cuius nos quoque membra ſumus.

Rom. 8. ſcribitur, Quos Deus elegit, hos etiam vult fieri conformes imaginis Filij ſui, hoc eſt, vult membra fieri ſimilia capiti, & milites pati ſimilia afflictionum ducis. Ideo Paulus inquit Coloſſ. 1. Ego ſuppleo ea, quæ deſunt paſsioni Chriſti. Non hoc dicit Paulus, ſuas afflictiones eſſe merita remiſsionis peccatorum, quæ poſsint applicari alijs, ſicut Papiſtæ hunc locum deprauarunt & corruperunt: ſed loquitur de copulatione capitis & membrorum, & de ſimilitudine ducis & militum. Miles non debet quærere plures delicias, plus laxamenti expetere, quàm dux: ita nos non debemus appetere inæqualitatem in amicitia Chriſti, ſed ſimus contenti ea fortuna, in qua fuit Chriſtus.

Dixi de præcipuis conſolationibus, quarum meditatio onus paupertatis alleuare poteſt. Nunc de vſu facultatum pauca dicenda ſunt, ne quis exiſtimet, nos ipſas diuitias accuſare & condemnare. Vtendum eſt autem facultatibus, non modò ad nos ipſos & domeſticos alendos ſine luxu, ſed etiam ad conſeruationē miniſterij & Reipub. & adiuuandos pauperes verè egentes. De hoc vſu Lex Moyſi nos admonet, quæ iuſsit dari primitias & decimas ſacerdotibus, & conferri δίδραχμον ſeu dimidium ſicli, id eſt, quartam partē aurei Rhenani ad tabernaculum. Iuſsit etiam dari quintas regibus, & relinqui ſpicilegia pro pauperibus. Et Xenophon in Oeconom. præclarè dixit: Iucunda res mihi videtur, & magnificè colere Deum, & amicos egentes iuuare, & Rempubl. meis opibus ornare.

Scilicet partes.

Id eſt, Hic eſt optimus vſus diuitiarum, qui confertur ad cultum Dei, & adiuuandos amicos, denique ad ornandam, tutandā & conſeruandam Rempub. Lex verò de didrachmo ſeu de dimidio ſicli, vel quod idem eſt, de quarta parte aurei Rhenani, extat Exod. 30. Sententia Legis hæc eſt: Omnes maſculi, qui attigerunt annum ætatis 20. ſoluant tabernaculo dimidium ſicli, quod Græci vocant δίδραχμον, duas videlicet

licet drachmas, quartam partem aurei Rhenani. Iam cogitate, quanta pecunia fuerit collecta vno anno. Hauddubiè in regno Dauidis superauit numerus Israëlitarum duodecies centena millia, quia dimidium huius numeri extat lib. 4. Moysi, qui nomen habet à numero. Crescente autem politia, creuit etiam multitudo hominum. Ergo vno anno accepit fiscus templi tres tonnas auri, posita hac hypothesi, quòd fuerint in regno Dauidis duodecies centena millia. Si iam singuli homines deberent vnum nummulum Misnicum cõferre ad iuuandam Ecclesiam præter morem solitum, mouerent seditionem. Tanta est ingratitudo hominum erga ministerium. Verè nunc hoc potest dici, quòd ministri sustententur spoliis Aegypti, id est, illa pecunia, & illis reditibus, quos contulerunt nostri maiores ad missas funebres & venales, & nisi adhuc conseruarentur reliquiæ illorum spoliorum, esurirent & sitirent, & nudi essent omnes ministri Ecclesiæ. Quotusquisque Principum iam aliquid cõfert ad scholas, vel ad templa de suo? plerique sunt liberales de spoliis Aegyptiorum. Sed olim tanta fuit liberalitas & beneficentia etiam vulgi, vt singuli masculi quotannis contulerint ad tabernaculum quartam partem Ioachimici, vel aurei Rhenani.

De Castitate.

CAP. IV.

EO nunc ero breuior in explicanda doctrina de Castitate, quia aures vestræ quotidianis vocibus personant de hac virtute. Multa enim audistis, quæ ad hanc rem pertinent, in doctrina de virtutibus, deinde plura audietis in ipso textu, in quo colligentur præcepta Dei de hac virtute, & seueriſsimæ comminationes pœnarum, quas Deus denuntiat violantibus castitatem. Audietis etiam exempla horribilia & tragica pœnarũ, quibus oppressi sunt omnes scortatores, adulteri, & alij homines polluti. Quare cùm nolim actum agere, & eandẽ cantilenam ad rauim vsque repetere, nunc contentus ero tribus argumentis, quibus vtitur diuus Paulus in priore epistola ad Corinth. cap. 6. vbi cùm posuisset hanc propositionem:

Nullus adulter, nullus scortator possidebit regnum Dei, addit grauissima argumenta, quę mox audietis, cur toto pectore fugienda sit omnis contaminatio, & seminis effusio extra ordinem à Deo institutum. Summa verò hæc est: Nostra corpora sunt membra Filij Dei, deinde sunt redemta magno pretio ab eodem Domino. Quare non licet nobis transferre nostra corpora ad vsum capiti nostro displicentem, & à Deo prohibitum. Hæc bonam mentem magis mouere & debent & possunt, quàm omnes declamationes, quantumuis splendidæ & copiosæ, imò magis etiam nos flectere debent ad amorem castitatis, quàm omnia supplicia & omnes corporis cruciatus. sed audite ipsum Paulum.

Cùm in Ethicis, & aliâs sæpe dictum sit de causis, propter quas retinendum est castitatis decus: nunc tribus argumentis contentus ero, quibus Paulus vtitur in priore epistola ad Corinth. cap. 6. Primùm enim constat inter omnes, qui non modò aliquid sapientiæ, sed etiam sanitatis habent, proprium corpus alterius non esse ei eripiendum. Si enim facultates inuito domino alienare nefas est, quantò minus licet corpus transferre contra voluntatem Domini? Sunt autem corpora nostra membra Christi, & templa Spiritus sancti. Neque enim Christus tantùm frater noster est, sed etiam ita nobis coniunctus est, vt caput membris, vt vitis palmitibus, suámque massam humanam & nostram eodem Spiritu viuificat, & similibus donis ornat. Non igitur transferenda sunt corpora nostra ad vsum prohibitum cõtra voluntatem Domini.

Augustinus sermone 62. de verbis Domini: Membra Christi, cogitate quale caput habeatis: (Hęc vox debet sonare in tuo corde) Filij Dei, cogitate qualem Patrem inueneritis: Christiani cogitate, quæ vobis hæreditas promittatur.

Primum argumentum breui syllogismo includi potest. Propriũ corpus alterius non est ei eripiendum: Sed corpora nostra sunt propria Christi, quia sunt membra eius: Ergo nostra corpora non sunt Christo eripienda. Maior declaratur argumento à fortiori. Non licet facultates inuito domino alienare, iuxta dictum, Non furtum facies. Multò igitur minùs aliena corpora transferenda sunt inuito domino ad prohibitũ vsum. Hæc Maior est principiũ & axioma naturà

turaliter notum. Veniamus ad Minorē. Non tantùm sumus fratres Christi, sed quod longè maius est, imò longè maximū, etiam membra Filij Dei. Diligenter propter Deum & vestram salutem colligite & considerate omnia dicta Scripturæ, in quibus Christus appellatur caput Ecclesiæ, & nos membra huius capitis. Nulla est enim efficacior consolatio in vita & in morte, quàm firma fide statuere, Christum esse caput nostrū, & nos esse huius capitis membra. Quomodo enim Christus potest nos relinquere in miseriis, aut in morte perpetua maximéque misera, si est nostrum caput, vt certè est? quomodo nos possumus perpetuò latere in monumentis, & in puluere terræ, & esse ludibria vermium, si Christus caput nostrum viuit, & regnat, & sedet ad dexteram Dei, vt det dona suis membris? Hanc Theologiam & Paulus ipse, summus Ecclesiæ doctor post Christum nos docet, & Pauli natiuus discipulus Augustinus, qui in omnibus suis scriptis nihil magis vrget, nihil magis inculcat, nihil sæpius repetit, quàm hanc ipsam συμπάθειαν & coagmentionem arctissimam capitis & membrorum. Quanquam enim multa sunt in tota Theologia plena doctrinæ & consolationis, tamen haud scio, an vllum membrum, aut vlla pars doctrinæ Christianæ plenior sit doctrina & consolatione, quàm hæc ipsa, de qua nunc loquimur: sed sponte currentes, & dicto audientes, non necesse est pluribus verbis adhortari & incitare. Magnum est priuilegium, magnum beneficiū fraternitatis Christi, iuxta dictum Psalmi 22. Narrabo nomē tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Et post resurrectionē Ioan. 20. Christus inquit ad Mariam, Ito ad fratres meos, & dicito eis, ascendo ad Patrem meum & ad Patrem vestrū, ad Deum meum & Deum vestrum. In his & similibus dictis expresè vocamur fratres Christi, quæ certè est dulcissima appellatio, sed longè arctior est copulatio, & coniunctio, & coagmentatio capitis & membrorum inter se. Sicut enim Hippocrates dicit, diuinum esse consensum inter membra eiusdem corporis, quem consensum præclarè illustrat noster Paulus 1. Cor. 12. Ita est diuinus & inseparabilis consensus inter caput Filium Dei, & nos misera & infirma membra. Sicut caput toti corpori impertit sensum & motum per neruos: ita Filius Dei est efficax in suis membris per verbum & Sacramenta, & per Spiritum sanctum, qua de re, si tempus pateretur, liberet plura dicere, sed erit aliquando, si volet Dominus, tempus & locus de his rebus vberiùs dicēdi, & aliquo modo declarandi & explicandi, quomodo

nos Filius Dei faciat sua membra, inferat nos suo corpori, & quomodo habitet in nobis Christus, cùm Scriptura toties dicat, Christum habitare in nobis. Hæc erunt alterius loci & temporis. Nunc simus contenti hac breuitate.

Deinde grauius peccatum est, sibi ipsi facere iniuriam, quàm alteri, vt Cato magis peccat, sibi necem cõsciscens, quàm si alium interfecisset. Libidinosus verò propriũ corpus polluit. Quare non est leue peccatum proprij corporis contaminatio.

Est vpupa, contaminans proprium nidum.

Hoc argumentum ita recitat Paulus: Omne peccatum fit extra corpus, vt furta, latrocinia, vsura, & quicquid est talium delictorum, hoc omne extra corpus perpetratur. Libidinum verò confusio teterrima fit in proprio corpore, est contaminatio proprij corporis. Vt igitur omnes detestamur vpupam, propter proprij nidi cõtaminationem: ita verè digni sunt odio, & ab omnibus creaturis execrandi, qui petulanter deformant probris insignibus sua vasa, & sua corpora, de quibus dicit Paulus. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt vnusquisque possideat vas suum, id est, corpus suum, quod est domicilium animæ & Spiritus sancti, aut certè debebat esse, in sanctitate, & non in contaminatione.

Postremò, nemo est dominus suorum membrorum, præsertim si pretio redemtus sit. Nos sumus à Filio Dei redemti. Etenim propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, vt seruum redimeret, nec Pater Filio, nec Filius ipse sibi pepercit. Verè nimiam: quia & mensuram excedit, & modũ superat, planè supereminens vniuersis, vt verbis Bernhardi vtar. Ergo non habemus ius disponendi de nostro corpore pro arbitrio.

Est regula Iurisconsultorum & optima regula.

In sermone de passione Domini.

Verba, quibus Paulus hoc argumentum explicat, hæc sunt: Et talles quidem aliquando fuistis, id est, scortatores, adulteri, impudici, libidinosi, sed nunc estis abluti & redemti, & sanctificati per nomen Christi, & per Spiritum sanctum. Et multis aliis locis exaggerat Paulus & tota Scriptura magnitudinem pretij, quod soluit Filius Dei pro nobis redimendis & vindicandis in veterem libertatem & digni-

dignitatem, vt 1. Petri 1. dicitur: Non eſtis redemti auro, vel argento, vel gemmis pretioſis, ſed ſanguine immaculati agni. Vt autem iuuentus huius argumenti pondus diligenter expendat, & in feriis, quæ ſequuntur altera ſeptimana, fit modeſtior, & minùs ſit petulans & ferox, addam aliud dictum Bernardi, quo vix aliud extat dulcius.

Bernhardus in ſermone 2. de Pentecoſte: Pater, vt ſeruum redimat, Filio nõ parcit. (Rom. 8. Qui vnigenito Filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum &c.) Filius ſeipſum libentiſsimè tradit. (Philip. 2. Factus eſt Patri obediens vſque ad mortem, mortẽ autem crucis. Gal. 1. Qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me) Spiritum ſanctum vterque mittit (Pater & Filius: cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui procedit à Patre, Iohan. 17. Et Actor. 2. inquit Petrus: Dextra Dei exaltatus Chriſtus effudit hoc donum quod videtis.) Et ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus ineffabilibus (Rom. 8.) O duri, & indurati, & obdurati Filij Adæ, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tantus ardor amoris, tam vehemens amator (ſic Deus dilexit mundum, id eſt, adeo vehementer dilexit) qui pro vilibus ſarcinulis tam pretioſas merces expendit! Relinquo hæc cogitanda piis, non volo addere plura verba.

His tribus argumentis ſi qui non mouentur, vt caſti pudoris ſanctiſsimum decus conſeruent, duriores ſunt ſcopulis in mari ſtantibus, & nullo æuo motis, quanquam aſsiduis fluctibus tunduntur.

Non ſunt mea, ſed Pauli, vel potiùs Spiritus ſancti argumenta.

Sicut fabri ſuis malleis tundunt ſuam incudem, ſic fluctus tundunt ſcopulos.

EXPLICATIO TEXTVS LOCORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANCHTHONIS.

De præceptis & consiliis.

SICVT aliorum Locorum pagellas in textu percurrimus, ita deinceps nobis idem faciendum esse statuamus. Etsi enim quibusdam delicatis & fastidiosis auditoribus potest videri hæc repetitio molesta & odiosa, quibusdam etiam inanis & nō necessaria, tamen nobis sit persuasum, rectissimam viam esse ad solidam eruditionem in omnibus generibus doctrinarum & artium, non noua quotidie legere, audire & discere, sed eadem de eisdem sæpe commemorare. Vix enim hac ipsa diligentia obtineri potest, vt ad propositam metam perueniamus. Sed omissa hac προθεραπείᾳ pergam vsitato more in textu. Exordium sumitur ex Loco communi: Vno absurdo dato, multa sequuntur. Item: Paruus error in principio, in fine fit maximus: vt cùm viator semel deflexit à recta via, quò longiùs progreditur, eò magis errat. Ita in artibus & doctrinis vsuenire solet, vt aberrantes semel à scopo veritatis, postea pluribus erroribus implicentur. Principiis igitur, vt ille ait, obstandum est, nam serò medicina paratur, Cùm mala per longas conualuêre moras, vt inquit poëta. Scitis Origenem obscurasse discrimen literę & Spiritus, ac dixisse, literam apud Paulum significare Grāmaticam interpretationem Scripturæ: Spiritum verò esse sensum allegoricum. Hac falsa hypothesi constituta, quæ pugnat cum mente & sententia Pauli, & longissimè à reipsa & veritate distat, Origenes sum fit sibi infinitam licentiam fingendi quidlibet, & transformandi omnia dicta Scripturæ in allegorias, vt si quis Homericum poema allegoricè interpretetur. Idem Monachis accidit in Papatu, qui cùm essent ignari iustitiæ fidei, & suam iustitiam vellent stabilire, vt ait Paulus Rom. 10. finxerunt mille portenta opinionum. Nam vt alia exempla errorum Papisticorum omittam, quàm est hoc crassum erratum, quòd ex præceptis fecerunt cōsilia, cùm nusquam ferè extet in Nouo Testamento consilij nomen, niſi semel apud Paulum 1. Cor. 7. De virginibus

ginibus præceptum non habeo, consilium autem do eis &c. Hæc omnia dico, ad declarandam sententiam communem, quæ sæpe in scholis ex Aristotele citatur: Vno inconuenienti dato, multa sequuntur, in 1. Phys. Non disputemus subtiliter de numero consiliorum, alij plura, alij pauciora numerant, sed tria fuerunt præcipua apud Monachos, qui quidem & nominatim professi sunt paupertatem & castitatem. Verè autem de talibus hypocritis dicit Bernardus & venustè, Hypocritæ sunt pauperes sine defectu, & humiles sine despectu, & diuites sine labore. Franciscani simularunt se non habere studium pecuniæ, & vt hoc persuaderēt hominibus, aut nō contrectarunt suis manibus pecuniam, aut si necesse fuit attingere pecuniam, priùs inseruerunt digitos chirothecis, sed tales hypocritæ sua mendicitate & simulata paupertate ædificarunt amplissimas domos, emerunt multos reditus, & nisi Deus mutasset præsentem statum religionis, qui tunc erat, hauddubiè facti fuissent vnà cum aliis Monachis domini totius terræ. Talis etiam fuit ipsorum castitas.

Quia consilia] Scilicet κατ' ἐξοχὴν. Semper vni errori multi sunt implicati. Nulla virtus est sola, nullum vitium est solum: ita nullus error solus est, sed semper multos secum attrahit. Dicam vobis, quæ fuerint opiniones monachorum de perfectione: Monachus indutus suam vestem monasticam, cucullum, finxit se denuò baptizari, & hanc mutationem vestitus comparauit cum baptismo: deinde vitam monasticam ita amplificauit & exaggerauit, vt diceret, se viuere in statu perfectionis, cui nihil deesset de summa sanctitate & iustitia. Omnes igitur alios homines infra se collocauit, imò & quasi ex alto despexit, tanquam imperfectos & immundos, & sordibus huius vitæ immersos, quibus vix locum aliquem in cœlo cōcesit: se verò affirmauit mereri operibus vitæ monasticæ, & illis exercitiis disciplinæ, singularem & eximiam coronam in cœlo. Præterea addidit monachus, suam vitam monasticam ita refertam esse meritis bonorum operum, vt possint ex hoc fonte deduci riuuli ad irrigandam totam Ecclesiam. Hinc extiterunt tot fraternitates, vt vocarunt, & alia mille mendacia ex hoc fonte nata sunt. Qui vixerunt in locis Papisticis ab ineunte ætate, sciunt hæc ita se habere, non sunt fabulæ, sunt nimis vera.

Sic argumentor. Omnis doctrina congruens cum doctrina

Christi est vera. Stoica paradoxa congruunt cum doctrina Christi. Ergo Stoica paradoxa sunt vera. Sicut enim Stoici laudarunt ἀπάθειαν, id est, indolentiam, & omnium affectuum carẽtiam seu vacuitatem: ita Christus videtur cap. 5. Matthæi fingere sapientem sine ira, sine gratia, sine vllo motu cordis. Respondeo ordine ad propositiones: Omnis doctrina congruens cum voce Filij Dei, est vera, congruens scilicet secundum omnes causas. Deinde ad Minorẽ respondeo. Stoica paradoxa cõgruunt cum voce Filij Dei, apud Matt. cap. 5. Nego Minorem: Qui causæ faciunt discrimina actionum. Etsi, quod ad formam attinet, videtur esse quædam similitudo & congruentia vocis Christi & hyperbolarum Stoicarum: tamen causæ finales monstrant infinitum discrimen. Nam Stoici proponunt suas ideas & suam ἀπάθειαν fictam & commentitiam, pugnantem cum natura hominis, & cum ipsa creatione, vt doceant sapientem & posse & debere illas ideas facto ipso exprimere. Hæc sunt inania somnia, quia præcipiunt impossibilia & contraria naturæ. Christus verò proponit suas conciones, vt vocet & inuitet omnes homines ad pœnitentiam, id est, ad agnitionem peccatorum & iræ Dei. De hoc discrimine iam audietis in textu. Hæc ideo dico, ne similitudo vos decipiat. Fuerunt quidam non indocti homines in Ecclesia, qui decepti hac similitudine scripserunt, congruere Stoicam philosophiam cum Euangelio, & nullam sectam magis probandam esse, quàm Stoicam, sed tales, quamuis docti & magni, vehementer errant.

In Mario] Non possunt integræ historiæ recitari. Legite historiam Syllæ & Marij, Pompeij & Cæsaris, apud Plutarchum. Item legite particulam in lectione Chronici libelli.

Lucanus lib. 2. de Mario:

Vir ferus, & fato cupienti per dere Romam
Sufficiens.

Vas iræ, vt Scriptura loquitur, organum pestiferum sibi & aliis.

Huius viri vitia si cum virtutibus comparentur, haud facilè sit dictu, vtrum bello melior, an pace pernicioſior fuerit. Quàm enim Rempubl. armatus aduersus

Sunt verba Flori, quiredegit in Epitomen Liuium.

uersus Cimbrorum & Teutonum irruptionem defendit, eam paulò pòst crudelissimo luctuosissimóque bello implicauit. Hoc est altera manu ædificare, & altera rursus destruere. Quantum profuit patriæ in bello, tãtum nocuit in pace. Fuit igitur caussa contrariorum, sicut sæpe idem est caussa contrariorum. Qui fuerunt Cimbri? quid vocatur Cimbrica Chersonesus? Dania. Cimbri habitarunt ad Septentrionem in illa angusta ora ad littus Balticum, ad mare Septentrionale. Hi Cimbri, septentrionales populi vnà cum vicinis Teutonibus, id est, Germanis, fecerunt irruptionem in Italiam tempore Marij, ante Christum natum, & maximam cladem initiò attulerunt Romanis, nec mediocrem eis pauorem incusserunt, sed tandem à Mario callido duce, magis consiliis, quàm armis repressi sunt, & tantam acceperunt cladem, vt nemo possit illam descriptionem tragicam, quæ apud Plutarchum extat de clade Cimbrorum, sine lacrymis legere. Quantũ igitur profuit in defensione aduersus Cimbros suæ patriæ Marius, tantum postea nocuit & destruxit, excitato bello ciuili aduersus Syllam, cuius vrebatur gloria, sicut plerunque senes sunt inuidi, & vruntur gloria iuniorum. Marius erat senex, Sylla autẽ iunior erat, & gerebat bellum aduersus Mithridatem, & quidem feliciter, & cum magna laude. Propter hanc futilem caussam, si modò est caussa appellanda, accendit Marius tantum bellum in patria, quo tota ferè patria conflagrauit.

In Sylla] Lucanus lib. 2. de Sylla:

Sylla quoque immensis accessit cladibus vltor.
Ille, quod exiguum restabat sanguinis vrbi,
Hausit, dumq; nimis iam putrida membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiúmque secuta est,
Qua morbi duxêre, manus.

Et paulò pòst:

Tunc data libertas odiis, resolutáque legum
Frenis ira ruit, non vni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisque nefas, semel omnia victor
Iusserat.

Legite ipsi Lucanum, optimum poetam post Virgilium. Sylla

habuit quidem meliorem cauſſam, quàm Marius, quia initiò vſus eſt neceſſaria defenſione aduerſus ſenem inuidum, & liuidum, & πολυπράγμονα, ſed poſtea, vt fieri ſolet, bonam cauſſam malè agendo corrupit per geſtus incompoſitos, vt inquit Ariſtophanes, quia dum adhibet medicinam ciuili bello, quod excitauerat Marius ſua ambitione & æmulatione, excedit modum, & factus eſt crudeliſſimus tyrannus. Qua de re admonent nos hæ hiſtoriæ? De multis rebus magnis, de quibus ipſi domi cogitate, ſed præcipuè de moderatione affectuum, iræ, ſeu cupiditatis vindictæ, & ſtulta ambitione & æmulatione, quæ ſemper in ore atque in animo habet ſymbolum Pompeij, id eſt, verſum Homeri in 6. Iliad. αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, Semper ſtudeas eſſe primus, nunquam velis eſſe ſecundus.

In Caio Cæſare] Lucanus lib. 1.

Nec quenquam iam ferre poteſt Cæſárve priorem,
Pompeiúſve parem.

Tanta fuit φιλοτιμία, id eſt, honoris cupiditas & ambitio in animo Cæſaris, vt dixerit, ſe malle eſſe primum in obſcuro oppidulo, quàm Romæ ſecundum aut tertium. Pompeij verò quæ fuerit ambitio, declarat ſymbolum, quod iam recitaui. Duo montes non miſcentur in vnum, vt in Græco prouerbio dicitur. Sed interea patitur miſera Eccleſia & Reſpubl. dum iſta fiunt. Dum ſuperbit impius, perſecutionem patitur pauper, inquit Pſal. Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

De Ario]

Scribunt dolore repulſæ motum eſſe Arium, cùm non eſſet factus epiſcopus, vt aduerſaretur Epiſcopo Alexandro. Legite hiſtoriam integram in lib. 1. Theodoreti de hiſtoria Eccleſiaſtica. Arius presbyter Alexandrinæ Eccleſiæ, vir facundus & ingenioſus, cùm mortuo priore epiſcopo, videret ſibi præferri in petitione honoris Alexandrum, cui poſtea ſucceſſit Athanaſius, dolore repulſæ permotus, ſparſit blaſphemum dogma aduerſus Filiũ Dei, & hoc pomum contentionis venenoſum & peſtiferum obiecit miſeræ Eccleſiæ, ac durauit blaſphemia Arij annos 300: vſque ad initium regni Mahometis, ac ſi verè volumus iudicare, reperiemus, regnum Mahometis non aliunde, quàm ex ſemine Arij natum eſſe.

Non

Non priuata]

Recitatur insigne dictum Biantis, qui fuit in patria summus gubernator. Ego, inquit, calculum legi tribuo, & societatem συμπαθὶς, commiserationē. ægritudinis humanitati.

Apud Laertium, Quoties Bias Prienæus sapientissimus vir tulit sententiam capitalem de aliquo fure aut latrone, non potuit tenere lacrymas, & interrogatus, cur ita faceret, respondit, Etsi legi tribuo quod suum est: tamen ipsi humanæ naturæ tribuo misericordiam, συμπαθὶς, cōmiserationem, societatem ęgritudinis, vt Cicero vertit. Magistratus non debet lætari calamitatibus miserorum hominum, non debet ex eis voluptatem capere, nec debet indulgere priuato dolori & furori, sed quando fecit suum officium, debet deplorare humanam infirmitatem. Nam si Deus nos desereret, singuli incideremus in furta, latrocinia, adulteria, & alias pestes.

De priuata vindicta.

Versamur adhuc in titulo de vindicta. Est autem duplex vindicta, alia publica, alia priuata, siue ordinata & inordinata. De publica & ordinata hactenus dictum est. Sequitur nunc in textu vtilissima doctrina de reprimenda cupiditate priuatæ vindictæ. Accongruit tota hæc concio cum fine capitis 12. ad Roman. vbi Paulus inquit: Nolite malum reddere pro malo, sed vincite malum bonitate: & citatur à Paulo sententia Salomonis, quæ figuratè hoc ipsum significat, videlicet reprimendam esse cupiditatem priuatæ vindictæ: Si inimicus tuus esurierit, aut siti laborauerit, pasce & pota eum, quod si feceris, effundes super caput eius carbones, hoc est, Si aduersarius re ipsa comperiet, te non certare odio & cupiditate vindictæ, ipse etiam aliquid remittet de suo odio, & tecum redibit in gratiam. Sæpe etiam audiuistis laudari dictum Valerij Maximi, quod certè perpetua memoria dignum est, Speciosiùs iniuriæ vincuntur beneficiis, quàm mutui odij pertinacia pensantur. Hæc sententia grauissima sit nobis regula vitæ, & admoueat nos de moderatione iræ, quæ nisi frenetur & rectè regatur, causa est maximorum malorum publicè & priuatim. Sed audiamus ipsum textum.

Vindicta priuata]

Vindicta priuata est, quæ exercetur priuato affectu, & extra ordinem à Deo institutum, seu approbatum.

Satyra] Iuuenal. 13.

At vindicta bonum]

Cicero actione prima Verrina. Ferendo iniurias maiorem laudem, quàm vlciscendo homines merentur.

Item: Qui iniurias suas persequi volunt, dolori suo, non Reipub. commodis seruiunt.

Quid potest dici grauiùs ab homine Ethnico de moderatione iræ, & de reprimenda cupiditate vindictæ?

Non Reipub. commodis seruiunt]

Quia priuata odia, simultates & contentiones sæpe perturbant totam Rempub. aut Ecclesiam.

Dauid]

2. Reg. 16. Tota historia Dauidis debet omnibus piis esse notissima propter lectionem Psalterij. Nemo potest intelligere Psalmos, nisi memoria teneat historiam recitatam à Samuele in duobis libris, vbi describuntur certamina, pericula & liberationes diuinæ Dauidis, sed particula, quæ hîc attingitur, ad hunc modum se habet: Cùm Dauid pulsus esset à filio Absolone in exilium, quidam Semeia, vt homo ἐπιχαιρεκακὸς, id est, gaudens alieno malo, sine suo emolumento, exprobrauit Dauidi exilium & calamitates, inquiens: Exi vir sanguinum, nunc in tuum caput irruit pœna, quam meritus es deletione posteritatis Saulis. Nam Dauid mandato Dei maximam partem eius familiæ cruci affixerat. Sed quid respondet conuiciatori Dauid? Sinite vt mihi maledicat, quia dicit Dominus: Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro his maledictis. Quanta est hæc patientia, quanta animi moderatio? Satellites Dauidis, audita hac exprobratione, & hoc venenato sarcasmo, adeò exarserunt, vt fuissent facturi impetum in conuiciatorem, nisi Dauid hac oratione eos repressisset. Vtinam verò singuli atroci iniuria læsi, possemus non modò in ore, sed etiam in animo habere talem vocem, Dominus reddet mihi aliquid boni pro talibus malidictis.

Dauid] 1. Reg. 24. & 26.

Simile

Simile Dauidi]

Propter duas cauſſas hac moderatione vſus eſt.

I. Vt ipſo facto refutaret calumniam Saulis, qui vociferabatur, Dauidem ſeditioſum eſſe, & velle excutere Dominum ex regno. Aduerſus hanc calumniam non verba, ſed res parauit, parcens Sauli inſidiatori, cum quidem ſæpe haberet occaſionem eius interficiendi ſine tumultu.

II. Deinde habuit rationem ſcandali, quia noluit auctor eſſe mali exempli, interficiendorum regum in populo Dei.

Humanis præſidiis]

Pſal. 118. Meliùs eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine: meliùs eſt ſperare in Domino, quàm in principibus. Et Pſal. 60. Vana ſalus hominis, in Deo faciemus virtutem. Et Pſal. 20. Illi in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus. Et Ieremias capite 17. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachium ſuum. Benedictus vir, qui confidit in Domino &c.

Id eſt, in præſidiis humanis.

Dicat aliquis, Quare non eſt confidendum humanis præſidiis? Non iam loquor de prohibitione diuina, quæ eſt manifeſta, ſed quæ ſunt probabiles rationes, propter quas homines ſani etiam extra Eccleſiam non debent confidere humanis præſidiis, voluntatibus, ſtudiis, coniunctionibus, &c? Tres ſunt rationes: prima ſumitur à vita hominis, quæ mille caſibus propoſita eſt, iuxta uerſum Manilij, qui dixit acutè & ingeniosè: Naſcentes morimur, finisq; ab origine pendet. Interim dum loquimur, morimur. Non tãtùm morimur, quando animã exhalamus, ſed incipimus ſtatim mori editi in hanc lucem. Ideo etiam infantes, quantumuis ignari vitæ humanæ, tamen deplorant ſuam miſeriam acerbis lacrymis. Et Seneca dicit de inconſtantia vitæ humanæ, Nemo tam diuos habuit fauentes, craſtinum vt poſsit ſibi polliceri. Secunda ratio à mutatione voluntatis humanæ: Omnia vertuntur, certè vertuntur amores. Et Salomon in Prouerbiis venuſtè inquit, Sicut facies hominis in aquis: ita cor hominis ad hominem. Et Plato ſic definit amicum valde ventiſtè, Amicus eſt animal natura mutabile. Tertia ratio ſumitur ab inconſtantia fortunæ: Omnia ſunt hominum te-

nui pendentia filo, Et subito casu, quæ valuêre, ruunt. Et Seneca inquit, Res Deus nostras celeri citatas turbine versat. Item, Breuis hora mutat ima summis. Et Simonides poeta sapiens & diuinus, vt eum appellat Plato 1. πολιτικῶν, sic dixit, Facilior est hominis mutatio, quàm muscæ, quantumuis celeriter volantis. Non necesse est dicere de Alexandro & Iulio, qui subitis casibus & subitis ruinis oppressi sunt, sed considerate & aspicite quotidiana exempla. Ex his omnibus sequitur hæc conclusio, Non est confidendum præsidiis humanis, primùm, quia vita humana est incertissima: deinde, quia voluntas est mutabilis, & Euripo mobilior: tertiò, quia fortuna est inconstans, & leui momẽto de gradu deiicitur. Confidat igitur, qui volet, Principum, aularum & magnorum virorum beneuolentia, sed caueat, ne aliquando ipsa experientia conuictus, agnoscat & fateatur, hæc esse verissima, quæ iam dixi.

Vim vi repellere]

Vim iniustam licet repellere vi ordinata, scilicet officio Magistratus, cùm eius auxilio vti possumus, aut propria manu, si desit magistratus. Est & hæc interpretatio Iurisconsultorum vera, Vim vi repellere licet, scilicet in continenti, & cum modo inculpatæ tutelæ.

In eo loco, vbi orta est primùm iniuria & rixa.

Continens hoc loco significat illud ipsum vestigium, in quo orta est offensio animorum. Nam primo motui, primo incendio animi datur aliqua venia: deinde defensio debet esse moderata, id est, defensio nõ debet excedere modũ. Non sæuiat defensor, tanquam crocodilus, in iacentes, aut sauciatos, aut alioqui abiectos & infirmos.

Recta ratio]

Cicero pro Milone, Silent leges inter arma, nec sinunt se expectari, imò porrigunt tunc gladium in tali casu defensionis. Omnis natura appetit, amat conseruationem sui, & fugit, odit destructionem sui.

Non pugnat cum Euangelio]

Filius Dei apparuit, vt destruat opera, non Dei, sed Diaboli. 1. Ioan 3. Est autem opus Dei ius naturæ, teste Paulo, Rom. 1. & 2. Ergo Euangelio non aboletur ius naturæ.

Pater

Pater] Illustrat rem exemplis.

Rex Aza] 3. Reg. 15.

Pœna] Remouens eam à gubernatione.

Sic Constantinus] Historiam de Licinio repressò à Constantino, quærant iuniores in 3. lib. Chron. Philippi. Quia habentur libelli in manibus, volo tantùm summam recitare, vestrum erit domi attentiùs & accuratiùs omnia legere.

Constantinus Magnus, laudatissimus Princeps, nutritius & patronus veræ Ecclesiæ, cum quinque tyrannis dimicauit, & omnes, adiutore Deo, feliciter repressit. Primùm enim repressit Diocletianum crudelissimum tyrannum: deinde Maximianum, qui se appellabat Herculem. Tertiò, Filium eius Maxentium, de quo paulò pòst plura dicentur. Quartò, Maximinũ. Ad extremum ipsum Licinium affinem, & collegam, & confœderatum. Sed omittamus nunc commemorationem de Diocletiano, Maximiano, Maxentio & Maximino, & dicamus de solo Licinio, vt propositum nostrum postulat. Post reliquos tyrannos armis superatos & feliciter repressos, inter se diuiserunt orbem Christianum Constantinus & Licinius, qui habuit in matrimonio sororem Constantini Constantiã. Ac Licinius quidem tenuit Orientales prouincias, Constantinus verò Occidentem. Sed Licinius non diu potuit dissimulare odium conceptum aduersus Christianos. Itaque sæuitiam exercuit in multos pios, quorum alios trucidauit, alios coegit exulare. Quare exules confugientes ad Constantinum, velut ad portum & aram, precibus suis impetrarunt ab eo, vt intercederet pro misera Ecclesia apud Licinium collegam, affinem & confœderatum. Constantinus morem gerit supplicibus, & graui epistola scripta, hortatur Licinium, vt desinat sæuire in miseros homines & innocentes. Sed cùm non obtemperaret Licinius Constantini admonitioni & intercessioni, Constantinus suscepit bellum aduersus tyrannum, & iuxta vrbem Thraciæ, Adrianopolin, quæ non procul ab vrbe Constantinopoli sita est, fortiter & feliciter eum vicit, ac coegit fugere hostem in Bithyniam, quæ est prouincia Asiæ minoris, è regione Constantinopolis. Soror Constantini Constantia, precibus impetrauit à fratre irato victore, vt concederet vitam marito. Constantinus ea lege permisit viuere Licinium, si se abdicaret imperio, &

contentus esset priuata vita in vrbe Thessalonica. Ad extremum in quietus & turbulentus homo Licinius, studens nouis rebus, est oppressus quodam tumultu subito in vrbe Thessalonica. Hic fuit exitus Tyranni.

Maxentij]

Eusebius lib. 9. Ecclesiasticæ histor. cap. 9. & lib. 3. Chron. Philippi, pagina 65. Prudentius describens interitum tyranni Maxentij sic inquit:

Testis Christicolæ ducis aduentantis ad vrbem,
Miluius, exceptum Tyberina in stagna tyrannum
Præcipitans.

Constantini, qui coluit Christum, & defendit Christianos.
Scilicet ex Gallia.
Pons.

Maxentius fuit filius Maximiani Herculei, & Romæ in ipsa vrbe exercuit immanẽ crudelitatem. Non enim tantùm interfecit Christianos propter piam confessionem, sed etiam rapuit virgines & matronas, & alia multa scelerate fecit. Quare Senatus Romanus vocauit ex Gallia Constantinum: cui dubitanti, an duceret exercitum ad ipsam vrbem, ad reprimendũ Maxentium, monstrata est è cælo crux ignea, cum hac inscriptione, ἐν τούτῳ νίκα, In hoc signo vinces. Hoc prodigio confirmatus Constantinus, dixit exercitum cõtra Maxentium, nec tantùm vicit tyrannum, sed etiam magnam multitudinem vnà cum tyranno præcipitauit de ponte Miluio in subiectum flumen Tyberim.

De paupertate.

Secundus titulus in Loco de præceptis & consiliis, est de paupertate, de qua memineritis dictum Filij Dei apud Matthæum cap. 5. Beati, inquit, pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Nõ dicit simpliciter, Beati pauperes, quia nec paupertas per se quenquam facit hæredem vitæ æternæ, nec opulẽtia per se, & suo genere damnat hominem: sed disertè addit distinctiuam particulam, Spiritu: vt doceat, eam paupertatem Deo placere, & habere ingentia præmia post hanc vitam, quæ est spiritualis. Sunt autem alij Spiritu pauperes, qui præsens onus paupertatis, & omnes alias ærumnas propter Deum patienter tolerant, sine deformitate & sine fremi-

fremitu aduersus Deum & homines, nec propter inopiam rei familiaris ad malas artes confugiunt. Talis pauper fuit Lazarus laudatus à Christo, Luc. 16. qui non tantùm fuit pauper, sed etiam spiritu pauper, hoc est, fide, inuocatione & patientia vicit omnes ęrumnas, molestias & difficultates, quæ paupertatem comitari solent. Alij verò sunt pauperes spiritu, qui etsi viuunt in re lauta, & habent vel magnas, vel mediocres opes, Dei concessu & munere datas, tamen parati sunt ad perferenda exilia, odia potentum, denique ad supplicia toleranda, ti postulet necessitas in casu confessionis. Hoc modo omnes pij & fuerunt, & sunt, & erunt pauperes, nec vnquam anteponunt cõmoda huius breuissimæ & fugacissimæ vitæ, gloriæ Dei, saluti Ecclesiæ, & propriæ saluti animarum, memores dicti Christi, quod extat apud Matth. cap. 16. Quid prodest homini, si totum mundum possideat, & animæ salutem in discrimen adducat? Hæc paucis sum præfatus, vt sciant studiosi, de qua paupertate simus dicturi. Multi sunt pauperes corpore & facultatibus, sed paucissimi sunt pauperes spiritu, siue in aduersis, siue in secundis rebus. Sciãt igitur studiosi, nos dicturos esse de paupertate spirituali, quæ vel in præsentia tolerat graue & miserum onus paupertatis, cuius appellatione etiã alias miserias complector: vel quæ animo parata est ad omnes casus subitorum periculorum, quæ profectò dies & noctes nos circumstant, propter veræ doctrinæ professionem. Non viuimus in horto Alcinoi, nec colligimus mala Hesperidum, de quibus poetę scribũt, sed versamur inter tela Diaboli, quæ nemo potest vincere & effugere, nisi diuinitus custodiatur & protegatur.

Beatus, qui non fuerit in me scandalizatus] Matth. 11. Quibus rebus offenditur ratio humana, intuẽs Christum & Ecclesiam? Tribus. Primùm offenditur humili & abiecta specie Christi. Quid enim magis spretum est, & sine honore, quàm vermiculus cruentus, pendens in cruce inter duos latrones? sic enim Filius Dei se appellat Psal. 22. Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominibus, & abiectio plebis. Est igitur prima caussa scandali, non quidem dati, sed accepti & Pharisaici, humilis & abiecta species Christi. De hac caussa inquit Paulus 1. Cor. 1. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudęis quidem scandalum, stultitiam verò gentibus. Secunda caussa offendens rationem, est absurditas doctrinæ. Nam sapientia Euangelij longè posita est supra & extra conspectum humanæ rationis, & ad-

uersa fronte repugnat iudicio rationis, teste Christo, Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio. Quo dicto significat, aliud esse iudicium rationis de maximis rebus, videlicet de peccato & de iustitia, & aliud Spiritus sancti & Euangelij. Tertia verò caussa omnium maximè alienat animos ab Euangelio & Ecclesia, videlicet magnitudo & moles ærumnarum, quæ est comes professionis Euangelij. Est enim regula vniuersalis, quæ non habet exceptionem, tradita à Paulo, Omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur. Hæc est completè vniuersalis, nec habet vllam exceptionem. Nullus vnquam fuit sanctus in terra, qui non senserit aliquos Diaboli & mundi morsus, qui non laceratus sit crudeli dente impiorum aut hypocritarum. Hæc igitur tria offendunt animos hominum, & multos abducunt ab Euangelio.

Vulgare] Vulgare quidem, sed miserum & graue, vt ait Terentius. Mementote versum cuiusdam Italici poetæ,

--iustissimus esse
Qui cupit, exiguas semper habebit opes.

Econtrà, vt ait Seneca, facilis est ad diuitias via, quo die cœperit aliquem bonæ mentis pœnitere. Inopia multos hortatur ad malas artes, vt Catilinam & similes. Ideo dicit Salomon Prouerb. 30. Diuitias & paupertatem ne dederis mihi: diuitias quidem, ne capiat me obliuio Dei mei in affluentia omnium rerum, vt dicitur,

Luxuriant animi rebus plerunque secundis,
Nec facilè est æqua commoda mente pati.

Paupertatem verò ne dederis mihi, ne fiam fur, & prophanem nomen Dei mei. De facto hæc sunt vera, sed non de iure, de quo inquit Seneca: Læta res honesta paupertas. Item, Nemo tam pauper viuit, quàm nascitur & moritur: sunt verè philosophica dicta. Dic mihi, quid afferimus nascentes? nihil, nisi nudum & imbecillum corpusculum. Quid efferimus ex hoc mundo? aut nihil, aut parum. De hac sententia admonet nos Paulus 1. ad Timoth. 6. Habentes victum & amictum, simus contenti. Ratio est, quia nihil in mundum importauimus, & nihil inde exportabimus. Bona corporis aut deserunt nos in hac vita, aut à nobis deseruntur in morte. Quid est igitur, cur tantoperè simus de his rebus soliciti, cur propter has vmbras

bras, fumos & somnia accersamus animæ nostræ extremum periculum?

Qui] Marci 10.

Cum tribulatione]

Ex hoc dicto sumitur regula notissima de promissionibus rerum corporalium. Omnes promissiones bonorum corporalium sunt intelligendæ cum exceptione crucis & castigationis. Quando in festo natalis Christi pueris afferuntur munuscula, additur plerunque virga. Haud dubiè pia vetustas voluit illa ceremonia ludicra significare, quod grauiter dicitur in hac regula.

In monasteriis] Monachus ingrediens in Monasterium, deserit paupertatem, & quærit diuitias, quia habet sufficientē victum, imò etiam voluptatem & delicias in monasterio toto tempore vitæ suæ, quas nunquam fortasse habiturus fuisset in mundo, vt ipsi loquuntur.

Colligite fragmenta, Iohan. 6. ne quid pereat] Reuerenter est vtendum donis Dei. Deus non vult, vt conculces tuas facultates, aut abiicias in mare, sicut scribitur de Cratete Thebano, & aliis, quòd abiecerint suas opes in mare, aut flumina, vt possent liberiùs philosophari.

Certissimum est, Principes] Christus inquit, Facilius est, vt transeat camelus per foramē acus, quàm vt diues ingrediatur in regnum cœlorum.

Sed consolatio tradita est Psal. 47. Principes populorum congregantur cum populo Dei Abraham, & à scutis terræ Dominus valde exaltatur. Et Psalm. 102. Cùm conuenerunt reges & populi, vt seruiant Domino. Hæc dicta & similia testantur, omnibus ætatibus aliquos Principes vocari ad æternæ Ecclesiæ societatem, & ad veram agnitionem Dei, & hos esse nutritios & defensores Ecclesiæ, qualis fuit Pharao in Ægypto, tempore Ioseph, qui hospitium præbuit familiæ Iacob, & Abimelech rex Palæstinorum, qui fuit beneficus erga familiam Isaac, Genes. 20. Cum vera Ecclesia.

Omitto reliqua exempla, quæ sunt nota, de Constantino, Theodosio, Martiano & alijs.

Opibus] Sicut inquit Demosthenes, Pecunia est neruus rerum gerendarum. Sine pecunia nihil potest geri, nec in pace, nec in bello.

Rectè teneas] Vtraque ars magna est, rectè vti diuitiis, & rectè ferre paupertatem.

Benedictio] Prouerb. 10. Benedictio Domini diuites facit, scilicet pios. Nam impij non expectant benedictionem Domini, rapiunt ipsi, vndecunque possunt, facultates. Ideo dixit D. Hieronymus: Diues, aut est iniquus, aut iniqui hæres, scilicet vt plurimum. non est propositio vniuersalis, sed indefinita, quæ tamen multa exempla complectitur.

Vt rectè teneas]

Quatuor magnæ virtutes ad legitimam possessionem & administrationem facultatũ pertinent. Prima est iustitia bonæ conscientiæ. Secunda, iustitia commutatiua, seruans æqualitatem in contractibus. Tertia, gratiarum actio erga Deum. Denique beneficentia erga pauperes.

Res sunt possidendæ bono titulo & bona fide, vt Iurisconsulti loquuntur in titulo de præscriptione, de beneficio longi temporis.

Si es diues, & vis Deo placere in vsu diuitiarum, & in possessione facultatum, primùm habeas iustitiam bonæ conscientiæ, nihil possideas iniusto titulo, aut mala fide, sicut inquit Zachæus Lucæ 19. Si quem defraudaui, reddo quadruplum. Deinde fis æqualis & iustus in contractibus, ne defraudato alios, sed fis contentus iusto pretio. Tertio, agas Deo gratias. Non enim cæca manus fortunæ distribuit inter homines bona corporalia, vt fingunt poetæ Epicurei, sed Deus alios facit diuites, alios pauperes. Postremò, frange esurienti panem tuum, & carnem tuam ne despexeris, vt ait Esaias cap. 58. Si has virtutes habueris, potes bona conscientia esse diues.

Vidua] 3. Reg. 17. Historia est nota, sed tamen est valde dulcis & ἠθικὴ, propter pueros eam recitabo, vt præbeam eis occasionẽ, carmine, vel oratione soluta illam melius scribendi. Elias docuit annos 20. & re-

& reliquit discipulum Elisæum, qui docuit annos 70. Vterque docuit Legem & Euangelium in populo seu regno Israel, seu decem tribubus, quæ erant auulsæ post mortem Salomonis à reliquis duabus, Iuda & Beniamin. Nam propter idololatriam Salomonis non modò regnum est dilaceratum & distractum in duas partes, sed etiam secuta sunt bella perpetua & ciuilia inter reges Iudæ, & reges Israel, & noua idola approbata & stabilita sunt. Cùm igitur Elias reprehenderet idola impij regis Achab, coactus est exulare, & exulans venit ad miseram fœminam viduam Sareptanam, non procul à Sidone & Tyro in Phœnicia. Erat autem tunc maxima fames in regno Iuda & Israel, & in vicinis regionibus. Etsi igitur nihil haberet misera fœmina, nisi parum admodum farinæ & olei, quod vix sufficeret vnico & quidem tenui prandiolo vel cœnulæ, tamen has afflictas & miseras reliquias liberali pectore communicauit cum Propheta, cuius vitam antepositi saluti & incolumitati suæ, & filij vnici, quem habuit. Hanc fidem & dilectionem ita Deus compensauit, vt toto tempore famis, quæ durauit triennium & ampliùs, nihil rerum necessariarum desideraretur in familia viduæ Sareptanæ. Cúmque filius, quem habebat vnicum, esset mortuus, Propheta reuocauit eum in vitam, & factus est hic resuscitatus, non modò Prophetæ discipulus, sed hand dubiè etiam fideliter postea seruiuit Ecclesiæ, ac multi Hebræi putant, Ionam Prophetam esse filium viduæ Sareptanæ, de qua re nunc non disputo. Deinde domus viduæ Sareptanæ fuit schola & templum Eliæ Prophetæ, in qua Deus collegit Ecclesiam voce Prophetæ, & edidit per Eliam multa testimonia suæ præsentiæ in Ecclesia, & sine vlla dubitatione hoc triennio, quo latuit Propheta apud Sareptanam, multi ex vicinis gentibus conuersi sunt ad Deum. Videtis igitur, quanta præmia sequantur mediocrem etiam obedientiam, in primisq; beneficentiam erga doctores & discipulos Euangelij. Ac congruit tota historia viduæ Sareptanæ cum dicto Christi Matth. 10. Qui dederit potum aquæ frigidæ in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem.

Non vt aliis sit ignauia] Deus non iubet te ita dare eleemosynam, vt tu cum familia esurias & sitias, & alius cui dederis, locupletetur de tua eleemosyna. Quisque det eleemosynam pro modo facultatum, si non potes dare nummum, da panem, si non potes dare panem, da verba placida.

Ceterùm modus]

Solon, teſte Plutarcho, dixit, opem ferendam eſſe inopiæ, nec ignauiam viatico inſtruendam eſſe.

ἀπορίᾳ γὰρ φάτο δεῖν βοηθεῖν, οὐκ ἀργίαν ἐφοδιάζειν.

Fontes tui deriuentur] Quid poteſt dici venuſtiùs? Vos ſcitis, iam multos ciues habere in ſuis ædibus aquam, quę per canales deducitur ex flumine in oppidum. Si quis igitur eſſet tam ſordidus & parcus, imò etiam inuidus, vt non ſineret ſuos riuulos emanare extra domum, quanta eſſet improbitas? quis non talem malitiam deteſtaretur? Sani homines & moderati ita vtuntur aqua domeſtica, vt non aliis hominibus inuideant aquam, quę effluit extra domum. Hanc imaginem intuetur Salomon.

Conſerues propter Remp.] Rectè dicunt Iuriſconſulti, Intereſt Reipub. vt patrimonia ſint ſalua & integra, quia ſi nemo haberet patrimonia, quid fieret? eſſemus omnes mendici, errones, & tandem conuerteremur ad latrocinia.

Vt magna] Dixit hactenus de diuitiis, nunc accedit ad paupertatem.

Non eſſe ſignum]

Prouerb. 3. Diſciplinam Domini non repudies, nec caſtigationem eius auerſeris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, & eo velut pater filio delectatur. Hoc dictum Salomonis citatur & illuſtratur à Paulo Hebr. 12. in hanc ſententiam: Afflictiones non ſunt ſigna iræ & reiectionis, ſed gratiæ Dei, & ſunt exercitia piis ſalutaria. Legite cap. 12. ad Hebræos. Ibi argumentatur Paulus per contrapoſitionē. Quē diligit Deus, hunc caſtigat. Ergo quem nō caſtigat, non diligit, ſed ducit eſſe ſpurium. Eſt optimum argumentum, & eſt in hoc argumento egregia conſolatio. Ratio iudicat, nos à Deo vel abiectos, vel deſertos eſſe, propter calamitates, præſertim diuturnas. E contra affirmat vox diuina, tunc nos maximè diligi à Deo, & quaſi in ſinu foueri, cùm duriter exercemur & premimur. Ita enim inquit Solomon, Quem diligit,

ligit (non dicit, quem odit) hunc castigat. Mox addit, qualis sit dilectio, & eo, scilicet castigato, quasi pater filio delectatur.

Spiritu] Est particula distinctiua, quasi dicat, nō omnes pauperes sunt beati. Irus apud Homerum est pauper, de quo & in versu dicitur, Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat. Irus, inquam, Homericus est pauper, sed non est beatus propter paupertatem. Ideo Christus diserte dicit, Beati pauperes spiritu.

Omnis pauper spretus] Hæc facilè dicuntur & scribuntur, & possunt verbis amplificari & dilatari, sed in vsu hęc exercere & discere, alia res est. Cogitemus in pace de bello, hoc est, in tranquillitate de futuris certaminibus & periculis, & ad ea nos præparemus.

Attalus]

Eusebius lib. 5. Eccles. histo. & infrà in Loco de scandalo] Eusebius lib. 5. histor. Eccles. luculenta narratione describit Gallicam persecutionem, in qua etiam Attalus & Blandina nobilissimi coniuges sunt custodiæ mandati & affecti supplicio, & inter alia citat memorabilem sententiam Pauli, quæ extat Rom. 8. Non iudico afflictiones huius temporis dignas esse, vt comparentur ad magnitudinem futuræ gloriæ, qua ornabuntur filij Dei. Huic, inquit, dicto, tanquam regulæ obtemperantes martyres Gallici, ingenti animo pertulerunt supplicia, & hac certissima spe futuræ gloriæ, vt de Stephano scribitur, sua damna leuarunt.

Cultus] Cultus Dei & summi, & præcipui, & difficilimi, & periculosissimi: sicut nihil est glorioſius, ita nihil periculosius, nihil difficilius, nihil magis arduum, quàm propter manifestæ veritatis confessionem sustinere certamina cum hypocritis superbis, inuidis, maleuolis, nocendi cupidis, calumniatoribus. Deinde non minùs difficile est perferre carcerem, odia potentum, & singulis momentis expectare ictum carnificis. Non sunt hæ otiosorum hominum speculationes, sed exercitia & tyrocinia nimis aspera & dura.

Qui reliquerit] Matth. 19. Hæc etiam multò dictu, quàm factu sunt faciliora.

Aut cùm vocatúr]

Hebr. 11. Per fidem Moyses, grandis effectus, renuit vocari filius filiæ Pharaonis, magis eligens simul malis affici cum populo Dei, quàm temporariis peccati commodis frui, maiores arbitratus diuitias probrũ Christi, quàm Ægyptiorum thesauros.

Nullum est illustrius exemplum spontaneæ seu voluntariæ paupertatis, quàm Moyses, qui à parentibus expositus, tanquam naufragus ex aquis extractus est à filia Pharaonis, cúmque non solùm forma, sed etiam ingenio & virtute excelleret, dictus est filius filiæ Pharaonis, id est, nepos regis, ac tanta fuit regis & filiæ regiæ beneuolentia erga Moysen, vt omnes Aegyptij non aliter cogitarent, quàm Moysen futurum successorem & hæredem regni. Sed Moyses, vt vir pius, & amans Deum & Ecclesiam, maluit esse socius & comes ærumnarum & periculorum sui populi afflicti, & miseris modis oppressi ab Aegyptiis, quàm frui voluptatibus, opibus & honoribus aulicis, exiguo tempore, sicut totum huius vitæ curriculum est valde breue & exiguum. Vbi autem nunc reperias imitatores Moysis? Multi propter offulam tacent, multi propter paucos denarios fiunt proditores aut desertores.

Nam Euangelij confessio]

Cyprianus de oratione Dominica: Nihil debemus Christo præponere, quia & ille nihil nobis præposuit.

Est pulcerrimus aphorismus. Talia dicta debetis meminisse, tanquam regulas vitæ. In carmine de natali Domini canimus:

Beatus auctor seculi
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberans,
Non perderet quos condidit.

Fœno iacêre pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Paruoq; lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

id est,

Cùm Christus esset diues, potens, iustus &c. factus est propter nos pauper, imbecillis, peccatum seu maledictum, vt loquitur Paulus, denique

denique se infra omnes angelos & homines abiecit, & factus est eruentus vermiculus. Psal. 22. Ego sum vermis, & non homo &c. Quare? vt nos exaltaret, vt nos locupletaret, vt nos restitueret in integrum. Hæc pertinent ad illustrandam clausulam in dicto Cypriani, Nihil nobis præposuit, posthabuit cœlum & omnia, nostra caussa.

Sic Deut. 33.] Sicut Iacob Patriarcha vocatus ad vitæ exitum, singulis filiis, qui erant numero 12. pronuntiauit benedictionem, & singulis aliqua dona promisit, aliis regnum, alijs sacerdotium, alijs aliud, vt scribitur Genes. 49. Ita Moyses, cùm euocaretur ex hac fragili & misera vita in vitam æternam, ad se vocauit duodecim tribus Israel, & singulis prædixit futuros rerum euentus. Omissis autem alijs, dicam nunc de Leuitica tribu, ex qua & ipse origenem duxerat: Vos, inquit, Leuitæ, non eritis reges, aut Principes, aut potentes in mundo, sed eritis baiuli arcæ fœderis, id est, gestatores maximorum onerum in Ecclesia, vestris humeris imponetur onus grauissimum, videlicet cura explicationis dogmatum, & diiudicationis controuersiarum maximarum, & gubernatio Ecclesiæ. Vt autem hæc onera, & hanc molem rerum, & pericula eleganter sine deformitate ferre possitis, propono vobis non solùm admonitiones de omnibus partibus officij, sed etiam trado diuinas promissiones præmiorum, quibus Deus ornabit pios & fideles doctores. Sed audiamus verba ipsa in textu nostri libelli.

Ad Leui]

Quatuor sunt partes benedictionis, quam Moyses tribui Leuiticæ seu sacerdotali pronuntiat. Primùm enim alligat sacerdotes ad certum genus doctrinæ diuinis testimoniis traditũ per Prophetas, Christum & Apostolos. Deinde addit præceptum, quales esse velit doctores, videlicet tali robore fidei, vt anteferant confessionem vitæ. Postea addit promissionem, quòd sit exauditurus hoc sacerdotium diuinitus ordinatum. Postremò minatur hostibus huius Euangelij.

Distributa coquũtur meliùs.

Omnes doctores.

Respicite ad hanc distributionem, tunc faciliùs intelligetis dictum Moysis.

Hæc eſt tua Lex]

InHebraico textu hæc verba leguntur: Perfectio tua & lux tua. Lucem vocat doctrinam Eccleſiæ propriam, vt in Pſal. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Deinde facit mentionem perfectionis ſeu integritatis, vt moneat, doctrinam integrè & incorruptè proponendam eſſe auditoribus.

Vetus interpres vſus eſt hoc loco breuitate Laconica, & præſtitit lectori intempeſtiuam beneuolentiam, verba ſunt longè ſignificantiora in Hebraica lectione.

Maſſa]

Exod. 17. recitatur hiſtoria de tumultu populi rixantis cum Moyſe propter aquæ penuriam. Ideo ab euentu locus ille dictus eſt Maſſa, id eſt, tentatio, & Meriba, id eſt, litigatio.

Lutherus vertit das haders waſſer.

Neſcio]

Scilicet in caſu confeſsionis, non præcipit ἀσοφίαν, ſed præcipit gubernationem affectuum & φιλοσοφίας, talem, in qua antefertur verbum Dei humanis affectibus.

Thymiama]

Significat fragrantem odorẽ, qualis eſt balſami aut vnguentorum, Reuchwerck.

Holocauſtum)

Brandopffer, quod totum crematur. Quædam ſacrificiata comburebantur, quædam diuidebantur inter Deum & ſacerdotes.

Iudicia tua ô Iacob)

Duæ ſunt partes miniſterij: Præcipua eſt doctrina Legis & Euangelij, altera pars eſt adminiſtratio ceremoniarum.

Liberis)

Item præceptoribus, amicis, & collegis.

Iiſdem conuiciis)

Magna eſt ſuperbia & flagitioſa impatientia, nolle ea ferre, quæ alij meliores tulerunt.

Non eſt diſcipulus melior magiſtro, nec ſeruus præſtantior domino. Si vocarunt dominum & magi-

magistrum Beelzebub, quantò magis ornabunt eodem titulo discipulos & seruos?

Efficax & salutare)

Psal. 84. Qui transit per vallem lacrymarum, & fodit fontem, certè benedictionibus coronabitur doctor. Pergũt de victoria in victoriam, vt appareat in Sion Deus: id est, Pij testes & propagatores veræ & necessariæ doctrinæ spargunt doctrinam, voce & scriptis, non sine periculo, & habent multos hostes, non solùm externos, sed etiam domesticos. Sed tamen pij doctores defendentur diuinitus, & eripientur ex faucibus fati, donec absoluant suum curriculum, & erunt victores omnium calumniarum, quibus rectè dicta & facta horribiliter deformantur.

Id est, Ecclesia.

Fons significat doctrinam, vsitata metaphora Scripturæ.

Quærant regnum Dei) Quæ est vox mundi? Recitatur vox mundi à poeta,

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm est,
Virtus post nummos.

Huic concioni Diaboli & mundi opponite regulam Christi: Primùm quærite regnum Dei, postea etiam panis quotidianus non deerit.

De Castitate.

Quatuor sunt loci paræneticí, id est, hortatorij ad castitatem, vt alia argumenta nunc breuitatis caussa omittam. Primus Locus est voluntas Dei. Nam Deus, vt in versu dicitur, casta mens est, & vult casta mẽte inuocari, & discerni ab omnibus naturis immundis, expressa mentione castitatis. Hæc est præcipua caussa, & omnium maxima, propter quam castitas amanda & colenda, & omnis libidinum confusio fugienda & vitanda est. Secundus Locus paræneticus de castitate continet præcepta passim sparsa in sacris literis de hac virtute, vt 1. Thess. 4. Hęc est voluntas Dei, vt abstineatis à fornicatione, & sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore. Tertius Locus recitat comminationes diuinas, quarum seueritate omnes sanos decet moueri. Tristissima verò commina-

tio extat Leuit. 18: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. Hoc fulmine vocis diuinæ qui non mouentur, sunt duriores Caucasi rupibus, & frigidiores glacie. Quartus & postremus, (vt nunc ceteros omittam, possent enim plures recenseri) complectitur exempla iræ Dei aduersus omnia genera prohibitarum libidinum, vt verbi caussa aduersus adulteria, scortationes, incestas libidines, suntq; omnes historiæ talibus exemplis refertæ, quæ congruunt ad regulam vniuersalem, Hebr. vltimo, Scortatores & adulteros Deus iudicabit. Alios verò iudicat, id est, punit Deus immediatè, vt cùm Filius Dei à Patre æterno pluit ignem & sulphur super Sodomam & Gomorrham. Alios verò violantes præceptum de castitate, iudicat seu punit mediatè, vel per angelos, vel per magistratus, vel per alios homines. Sic punit Cyrus primus rex Persarum libidines gentis Ionicę, maximarum vrbium deletione. Sic Augustus punit Antonium & Cleopatram. sed exempla plura & perpetua memoria digna recitantur in ipso textu. Quare omissis prolegomenis, accedo ad textum.

Mirabili consilio] In natura angelica nulla est generatio, omnes angeli simul sunt conditi, nec est vlla procreatio in natura angelica. Homines verò Deus alia ratione condidit, ita videlicet, vt hominem formaret ex terra, & ex corpore Adæ Euam, & ab his duobus propagaret totum genus humanum, vt scribitur Act. 17.

Sanxit coniugium]

Condidit Deus marem & fœminam, quia genus humanum vult esse Ecclesiam, & certa lege coniunxit marem & fœminam, & metas circumdedit, ac prohibuit vagas libidines, vt sit in genere humano intellectus castitatis. Vult enim Deus intelligi, se mentem castam esse, & hac cogitatione discerni in inuocatione à naturis immundis. A Diabolis, & eorum organis. Quanquam Diabolus est spiritus, non habens carnem aut ossa, ideóq; se non potest corporaliter contaminare effusione seminis: tamen sicut est superbus, & crudelis, & mendax, & impellit sua organa ad superbiam, crudelitatẽ & mendacia: ita etiam est immundus spiritus, sic enim appellat illum Dominus in Euangelio. Quare & delectatur libidinum confusione, & quoscunque potest, inflammat ad hanc ἀταξίαν. Econtrà Deus est

est spiritus mundus, castus, purus, qui post idololatriam nihil magis abominatur, detestatur, execratur, quàm cõtaminationes, quæ hoc aut illo modo fiunt contra mandatum Dei. De hoc discrimine inter Deum & Diabolum hostem Dei semper cogitemus in precatione, & tribuamus Deo laudem castitatis propter hanc ipsam caussam, vt mentione castitatis discernamus eum à diabolis & eorum organis.

Paulus] Sedes materiæ de coniugio est in nouo Testamento septimũ caput prioris ad Corinth. in veteri Testamento, caput secundum Genes. Qui igitur volet aliquid dicere aut scribere in Ecclesia de coniugio, ad hos duos præcipuè locos referat animum & oculos. Postea sunt alia dicta sparsa in Salomone, & Matthæo, & alibi. Sedes materiæ dicitur, vbi principaliter materia explicatur & tractatur.

Fornicatores] Non sunt speculabilia ista, sed practica.

Idololatriæ] Quare coniungit Paulus idololatriam cum libidinibus? Propter duas causssas. Primùm, quia semper idololatriam comitantur fœdæ libidines, vt in regno Turcico horrenda est & teterrima libidinum confusio, ἀταξία: ducit aliquis vxores, quotcunque vult & potest alere: rursus abiicit cùm vult, sine legitima cognitione, repudiatas iterum ducit, cùm lubet: & sunt alia portẽta libidinum apud Turcas, de quibus non est dicendum apud homines verecundos & castos. Sic in Papatu omnia collegia sacrificulorum & monachorum, quid sunt, nisi lupanaria & cloacæ diaboli? in quibus non tantùm miseri homines sunt polluti idolis, Missis funebribus &c. sed etiam horrendis libidinibus, quas animus meminisse horret, lustúque refugit, vt inquit Aeneas apud Virgilium. Sic vniuersaliter apud Ethnicos idololatriæ fuerunt cõiunctæ cum libidinibus, vt in Aegypto, in Cypro insula, in Syria, & passim in toto orbe terrarum. Secunda caussa est, quia post idololatriam, quæ immediatè lædit gloriam Dei, Deus nullum peccatum acriùs odit, & vehementiùs abominatur, quàm libidines prohibitas. Est quidem horrendum peccatum homicidium, & non solùm ipso facto, sed etiam animo & cogitatione fugiendum, sed tamen Deus in certis casibus dispensat de pœna homicidij, sed de pœna libidinis non dispensat, nec legitur vl

lum exemplum dispensationis in hoc casu. Sed Deus omnes, summos & infimos, reges, Principes & rusticos, quicunq; sint, sine exceptione punit, vel in hac vita, vel in futura, vel in vtraque, & vt maximè conuertantur homines ad Deum, sicut conuersus est Dauid post adulterium, tamen in hac vita Deus circundat eis signa reatus, ne putent sibi concessas esse voluptates libidinum.

Nemo vos decipiat] Dicunt aliqui, Est concessa voluptas: etiamsi solutus cum soluta misceatur, non est magna res. At Paulus inquit, hos esse vanos sermones, quid decipiunt miseras conscientias.

Ira venit] Imò etiam manet, nisi fiat cõuersio in hac vita.

Sanctificatio] Castitas.

Vas] Corpus, quod est vas & receptaculum animæ. Platonici appellant corpus carcerem. Corpus non est conditum, vt sit carcer animæ, sed vt sit receptaculum animæ, & socia massa.

Voluntas Dei] Hoc vno verbo omnia dicta sunt.

Vnquam] Neque in hac vita, neq; in futura. In hac vita cernimus Deum per verbum: in vita æterna cernemus Deum à facie ad faciem. Vtraque visio non continget pollutis & contaminatis, non agentibus pœnitentiam, quia cæcitas est propria pœna libidinum.

Cæcitas) Id est, Furor, amentia. In tali furore non potest mens Deum cernere, Deum inuocare, aut intelligere verbum Dei, multò minùs impij videbunt Deum in futura vita. Quia tantùm videbunt Filium hominis iudicem, non videbunt ipsam diuinitatem, cuius conspectus continget solis piis.

Vrbium] Quinque, Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim & Segor. Mementote hæc nomina, quia in Prophetis sæpe repetuntur & inculcantur.

Sem] Filius Noë, qui alio nomine vocatur

vocatur Melchiſedech, qui Geneſ. 14. nominatur rex in Salem. Sem vixit ante & poſt diluuium.

Loth] Quia Loth erat ciuis in Sodoma.

Ante] Scilicet ſeptendecim annis, ὡς ἐγγίσα, id eſt, ſine præciſione.

Delentur quinque vrbes]

Sodoma deleta flammis cœleſtibus poſt diluuium annis 390. poſt mortem Noë 40. Anno ætatis Abraham 99, quo inſtituta eſt Circumciſio.

Noë vixit poſt diluuium annos 350. Ergo poſt mortem Noë ſunt 40. vſque ad deletionem Sodomæ.

Cogitate, quantus fuerit furor quinque vrbium, & quanta ingratitudo erga Deum, & erga optimè meritos doctores Sem, Abraham & Loth. Abraham, vt ſcribitur Geneſ. 14. habens exercitum ter centum & octodecim hominum, auſus eſt perſequi maximum exercitum, & maximas copias quinque regum, quorum nomina recitantur Geneſ. 14. & non ſolùm fortiter cum hoſtibus dimicauit, ſed etiam feliciter, quia reduxit & ciues, inter quos etiam erat Loth, abductos ex Sodoma & vicinis vrbibus, & reſtituit regi Sodomæ omnia ſpolia hoſtium. Pro hoc beneficio non humano, ſed diuino, hanc gratiam referunt Sodomitæ, vt & pœnæ & liberationis obliti atque immemores, contaminarent ſe omni ſcelere & flagitio, cuius tanta eſt immanitas & turpitudo, vt etiam dictu turpis videatur.

12. Principes] Inter hos 12. fuit vnus Naaſſon, qui recitatur à Matthæo in genealogia Chriſti.

Inceſtas] Κέσ⊙, cingulum nuptiale, quo ornatur ſponſa die nuptiali. Inceſtæ nuptiæ dicuntur, in quibus non habetur reuerentia cognati ſanguinis. Leuitici octauo dicitur: Cauete, ne vos terra euomat, ſicut euomuit Cananæos. Quid poteſt magis tragicè dici? Deus iudicat libidinoſos tales & tantas eſſe peſtes generis humani, vt etiam terra non poſsit eos diu ſuſtinere, quin euomat. Quare putatis Turcam habere tantos ſucceſſus, vt intra annos centum, non tantùm

Constantinopolin occupauerit, sed etiam regnum Vngaricum & vicina regna? propter idololatriam Papisticam, & libidines.

Totæ tribus] 25000. hominum propter stupratam Leuitæ vxorem.

Salomon] 3. Reg. 11. Ego non possum legere historiam de lapsu Salomonis, quin toto pectore deplorem tanti viri tantum lapsum & tam fœdum. Nihil fuit Salomone sapientius in toto genere humano, teste ipso Deo, Nullus fuit ante te, nec post te vnquam similis tui. Et tamen hic summus vir de tanto gradu deiectus est, vt in extrema senecta cœperit idola colere. Sed quæ fuit causa προκαταρκτικὴ? Primùm ipse duxit vxores Ethnicas, filiam Pharaonis & similes, quæ erant fœminæ idololatricæ. Harum exemplis & illecebris postea est inuitatus ad similem idololatriã, sicut adhuc hodie videmus quosdam reges & Principes gratificari suis coniugibus in audiendis Missis. Exempla sunt odiosa. Deinde idem Salomon non duxit tantùm vnam, sed plures. Hæc omnia fecit contra mandatũ Dei. Sicut enim Deut. 7. Seuerissimè Deus prohibet, ne Israelitæ contrahant matrimonium cum Ethnicis: ita cap. 17. eiusdem libri nominatim & diserte præcipit, ne rex in populo Dei ducat plures, sed sit contentus vna. Et vtrobique ratio additur probabilis, ne vel Ethnicarum mulierc ularum exemplis, vel multitudine gynæcei rex abducatur à religione diuinitus tradita. Salomon habuit 700. coniuges, & 300. concubinas.

Scortatores] Regula historica, ad quam pertinent innumera exempla.

In his exemplis] Quia de similibus idem est iudicium.

Porrò] Exempla pœnarum Ethnicarum.

Libidines] Quarum causæ προκαταρκτικαὶ fuerunt libidines, hinc est secuta Ilias malorum, vt in prouerbio dicitur: Bellum Troianum est Ilias malorum, Homeri poema est Ilias bonorum, est cornucopiæ. omnibus partibus eloquentiæ & ortum & exempla dedit Homerus, inquit Fabius.

Oedipi]

Oedipi] Pater Oedipi fuit Laius. Is rapuit cuiusdam ciuis filiam Chrysippam ad turpitudinem nefariam. Ideo punitus est sterilitate, non potuit procreare sobolem, sed tandem contra fatum, vt loquar cum poetis, obtinuit importunis precibus filium Oedipum, à quo est interfectus. Nam Laius iussit exponere Oedipum, qui postea eductus est à pastore, & cùm haberet iam maturitatẽ ætatis, rediit Thebas, & in itinere Laium interfecit, nolentem cedere de via, ignorans esse patrem. Postea cùm solueret Oedipus ænigmata Sphingis, nupsit ei Iocasta mater, ex qua suscepit filios, qui dimicarunt de regno, Eteoclen & Polynicen, & Filias Ismenem, Antigonem &c. Omitto cetera. Vixit autem Oedipus ante bellum Troianum. Nam historia Thebana est antiquior Troiana.

Lucretiam] Liuius lib. 1. Decad. 1. Nullus est melior scriptor Latinæ historiæ, nullus eloquentior post Ciceronem. Historia est nota, pingitur in omnibus parietibus.

Decemuiri] Liuius lib. 3. Decad. 1. Remp. Romanam initiò gubernarunt septem reges, à Romulo vsque ad Tarquinium superbum, cuius filius Sextus Tarquinius stupravit Lucretiam, & durauit regnũ annos 244. teste Liuio (fuit dimidia periodus, integra est 500. annorũ) Post reges exactos, præfuerunt Reip. consules bini singulis annis. His successerunt Decemuiri, Appius & reliqui collegæ: quæ autem fuerit occasio huius mutationis, breuiter commemorabo. Nam Appius Claudius decemuir, incensus amore cuiusdam virginis Romanæ, quæ erat alteri desponsata, cùm non posset ea potiri, dedit negotium clienti, vt eam prætextu seruitutis raperet. Pater puellæ Lucius Virginius, cùm non posset aliter filiam vindicare in libertatem (quia magna erat potentia decemuirorum) cultro lanij transfodit puellam. Propter hanc rem mutata est forma Reip. & coniectus est in carcerem Appius, & quidam alij. Reliqui sunt pulsi in exilium, postea res iterum rediit ad consules.

Quæ mutat]

Tres sunt præcipuæ causſæ mutationis imperiorum. Prima est idololatria, vt propter cultum idolorum, quem addidit Salomõ voluptatibus, dilaceratum est regnum in duas partes, & secuta

perpetua bella ciuilia. Secunda cauſſa eſt confuſio libidinum, vt propter raptum Helenæ deleta eſt Troia. Tertia cauſſa eſt tyrannis, cuius plurima exempla in omnibus hiſtoriis leguntur, vt Dion Princeps Syracuſanus eiecit ex regno Dionyſium Iuniorẽ.

Filij Piſiſtrati]

Piſiſtratus collega Solonis habuit duos filios, Hipparchum & Hippiam. Hipparchus interfectus eſt ab Harmodio & Ariſtogitone, vt ſcribit Thucyd. in lib. 6. Hippias verò pulſus eſt Athenis propter Tyrannidem. Plinius lib. 34. cap. 4. Athenienſes primi omnium Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publicè poſuerunt ſtatuas. Hoc actum eſt eodem anno, quo & reges Romæ pulſi.

Id eſt, regnante Dario Hiſtaſpis in Perſia, ad quem confugit Hippias, & poſtea intulit bellum patriæ, ſed victus eſt à Miltiade in pugna Marathonia. Fuit Athenis venuſtiſsimus orator Antiphon, cuius fit mentio apud Thucydidem lib. 8. Is venit ad Dionyſium maiorem in Siciliam, & interrogatus, vbi eſſent optimi ſtatuarij, reſpondit Athenis. Tyrannus nõ intelligens acumen reſponſionis, interrogauit, cur Athenas præferret aliis vrbibus Græciæ, quod ad hanc rem attinebat, reſpondit, Quia Athenis ſtatuæ collocatæ ſunt Harmodio & Ariſtogitoni, videlicet interfectoribus tyrãnorum. Erat autem doctus Dionyſius, non ignarus rerum humanarum, itaque iuſsit interfici hunc venuſtiſsimum oratorem, cui debuiſſet parcere meritò propter venuſtatem, ſed tyranni nemini parcunt.

Dux Laconicus Pauſanias]

De Pauſania, qui vicit Mardonium ducem Perſicum, relictũ in Græcia poſt Xerxis fugam, ſcribunt Thucyd. lib. 1. Lycurgus contra Leocratẽ, & Plutarchus in vita Cymonis.

Cùm Xerxes victus à Themiſtocle in pugna Salaminia, fugiſſet ex Græcia, reliquit poſt ſe Mardonium, cuius conſilio potiſsimùm ſuſceperat maximam expeditionem aduerſus Græcos. Hunc Mardonium vicit in pugna ad Plateas, quod eſt oppidum Bœotiæ, non procul diſtans à Thebis, Pauſanias dux Laconicus, ac tanta moderatione vſus eſt in victoria, quæ ſua natura eſt ſuperba & inſolens,

vt

vt abstineret à quadam muliere captiua, cuius erat forma excellens. Deinde cùm quidam hortarentur eum, vt iuberet capita hostium interfectorum hastis affixa circumferre in castris, respondit, Satis est, si meis Spartanis placeam sancta dicendo, & sancta faciendo. Postea verò adeo mutatus est (vt nulla virtus sine Deo est perpetua) vt cùm esset præfectus in vrbe Constantinopoli, quæ olim vocabatur Byzantium, rapuerit cuiusdam nobilis filiam, eámq; in tenebris interfecerit, metuēs insidias. Præterea agitauit consilia de proditione patriæ. Horum scelerum fama cùm allata esset ad Ephoros, id est, ad summum magistratum in Repub. Spartana post regem, reuocatus est Pausanias ex Thracia domum, & re iudicata, fugit ad templum, tanquam supplex, sperans ibi posse tutò latere. Sed tanta fuit seueritas Lacedæmoniorum, vt iusserint templum saxis obstrui, & Pausaniam fame necari. Hæc est summa historiæ de Pausania, in qua cernitis exemplum inconstantiæ rerum humanarum, non modò fortunæ, sed etiam virtutis. Nam hic tantus vir, qui post pugnam clarissimam ad Plateas fuerat moderatus, iustus & castus, postea fit iniustus, proditor patriæ, & polluitur vagis libidinibus: ideo etiam pœnæ sequuntur, quas talia facta merentur.

Byzantium] Quæ est etymologia Byzantij? Hebraica. Beth, domus, Zonah, caupona. Quia Constantinopolis est sita loco valde opportuno, & semper abundauit delitiis & voluptatibus, earúmque instrumentis, postea instaurata est hæc vrbs à Constantino Magno, & vocata Constantinopolis.

Interfecit) Terrore quodam subito.

Persicum) Ad Plateas in agro Bœotiæ.

Ab Ephoris)

Rex Laconicus habuit quinque consiliarios, qui dicti sunt Ephori, id est, inspectores regis, sicut nunc in imperio Germanico sunt septem Principes Electores, qui gubernant consilia Imperatoris.

Possit mediocri diligentia)

Augustinus sermone 43. de verbis Domini, Dedit tibi Deus potestatem per Spiritum sanctum, vt membra tua teneas. Retineas in officio. Hæc di-

cuntur contra imaginationem falsam de impossibilitate in præstanda disciplina.

Plura] Quia nullum peccatum est solùm. Diabolus texit longam telam. Nemo suspendit hederam propter vnum hospitem. Ita Diabolus, quando impellit hominem, non est contentus primo lapsu, sed texit longam Iliada malorum.

Optimi viri] Vriæ, sancti & fortis viri.

Cæcitatem] Furorem, amentiam, infelicitatem.

Nec leges] Refutatio legis Pontificiæ de cælibatu. Innumerabiles animæ præcipitatæ sunt hac lege in æternum exitium.

Promissiones] Vota monastica.

Genes. 2.] Sedes materiæ de coniugio. Coniugium est schola seu palæstra multarum virtutum.

Donec compleatur Ecclesia]

Nam in postrema mundi die erit finis generationis humanæ, vt expresè dicitur Matth. 22. Tunc non ducent aut nubent, id est, non contrahent matrimonia, sed erunt similes angelorum. In illa die, in qua iudicabit Filius Dei occulta omnium hominum, cernetur horribilis turpitudo monachorum & sacrificulorum, qui non fuerunt idonei ad cælibem vitam, & infeliciter cum sua natura luctati sunt.

Taxandæ] Quia Paulus clarè dicit. 1. ad Timoth. ca. 4. Doctrinæ dæmoniorum sunt, quæ prohibent nubere, id est, contrahere matrimonia, & abstinere à cibis.

Nulla debet esse auctoritas]

Lex humana pugnans cum decreto diuino, & ipso Dei opere in creatione instituto & condito Dixit Deus, Non est bonum hominem esse solum, Genes. 2.

condito, deinde & cum præceptis diuinis, & quæ fons est magnorum scelerum, propter quæ & multi pereunt, & ira Dei magis accenditur, imò quam legẽ Spiritus sanctus à Diabolo oriri affirmat, nequaquam Ecclesiæ imponenda est, sed omnium piorum consensu abolenda est. Hanc asseuerationem confirmant duo dicta, quorum alterum est Ignatij, alterum Dionysij Corinthij.

Vitandæ fornicationis causſa quiſq; habeat vxorẽ ſuã 1. Cor. 7.

Epicurei contemtus Dei & desperationis.

Ignatius fuit auditor Iohannis Apostoli, qui Iohannes docuit in vrbe Ephesо. Fuerunt etiam auditores eiusdem scholæ Iohannis, Polycarpus Episcopus Smyrnæus, & Papias episcopus Hierapoleos. Ignatius missus est Romam, & in circo laceratus est à bestiis, cùm quidem ei initiò pepercissent bestiæ, quasi fugientes laceratione sancti corporis. Dionysius verò Corinthius fuit præcipuus Ecclesiæ doctor, tempore Nouati hæretici, qui negauit pœnitentiam & absolutionem lapsis post baptismum.

Ignatius sic inquit, Virginitatis iugum nemini imponito: periculosa est enim possessio, & difficulter retinetur, præsertim quãdo coactis imperatur. Iunioribus concede coniugium, priusquam corrumpantur consuetudine meretricum. Dionysius verò Corinthius in epistola ad Gnosios monet episcopum Tinytum, ne cælibatus onus, tanquam necessariũ, fratribus imponat, sed infirmitatis multorum rationem habeat. Nicephorus lib. 4. cap. &

Nihil habemus de scriptis Ignatij, nisi epistolas paucas, in quibus & hoc dictum extat.

Gnosus est vrbs Cretæ.

Obseruate hæc duo dicta contra cælibatum Papistarum. Sed firmissimum scutum opponendum illi legi, est dictum Pauli 1. ad Timoth. 4. Nolite attendere impostoribus, qui docent doctrinam dæmoniorum, & prohibent nubere & abstinere à cibis. Tales enim habent conscientias cauterio notatas.

χαυτήριον] nota, quæ ferro candenti imprimitur corpori.

Hæc diligenter] παραινεσις de castitate.

Mala conscientia]

Psal. 66. Iniquitatem si aspexissem corde meo, non exaudisset Dominus, id est, retinens malum propositum, non speret exauditionem diuinam.

Contra fidem, vel contra bonam conscientiam.

Quandiu aliquis perseuerat in manifestis delictis contra conscientiam, non somniet, non speret exauditionem Dei, sed metuat iram Dei, & singulis momentis expectet pœnam.

Quod verò]

Solutio obiectionis. 1. Cor. 7. Paulus inquit, Bonum est homini mulierem non tangere.

Vt, Bonum est vinũ. Quis enim vituperat vinum? ita, Bonũ est mulierem non tangere, sed beati, qui possunt facere sine conscientiæ labe, sed vbi sunt tales? sunt phœnices in mundo, Rara auis in terris, nigróque simillima cygno.

Et Genes. 2. dicitur, Non est bonum homini vt sit solus. Simplicissima responsio est. Regula communis in Genesi tradita intelligitur de maxima parte generis humani, quod ita conditum est, vt sit fœcundum. Itaque necesse est obedire regulæ in Genesi traditæ omnes, qui sunt fœcundi, & nisi viuant in coniugio, contaminantur. Ideo ipse Paulus addit, Melius est nubere, quàm vri. Sed Paulus de exceptione loquitur. Si qui nõ sunt idonei ad coniugium, aut non contaminantur in cælibatu, hi sciant, se esse exceptos à communi regula, nec peccant, si manẽt cælibes, modò vt sint tales, qui non contaminentur.

Est quiddam heroicum. Heroica sunt supra & extra regulã, non sunt imitanda.

Christus Matth. 19. Sunt aliqui, qui se ipsos castrauerũt propter regnum cœlorum, sed non omnes capiunt hoc verbum, nisi quibus datum est. Non omnes habent hoc donum, quod habuit Baptista, Christus, Basilius, Athanasius, & similes sancti viri. Mediocres homines, qui non sunt præditi heroicis donis, maneant intra metas

metas communis regulæ. Sic argumentor, Bonum est mulierem non tangere. Ergo malum est, mulierem tangere. Valet consequentia à contrario sensu. Respondeo: Oppositа sunt discernenda non secundum commune genus, sed secundum proprias differentias. Non sequitur, vinum est bonum, Ergo aqua est mala, vel cereuisia est mala: quia vinum, aqua & cereuisia habent vnum commune genus, scilicet potum, qui est res suo genere bona. Eodem modo respondeo de proposito argumento. Coniugium & cælibatus, seu virginitas, habent commune genus, scilicet opus Dei, vtrumque est opus Dei, coniugium & casta virginitas, quæ est singulare donum & opus Dei: sed aliis rebus inter se differunt coniugium & virginitas, quia coniugium habet tribulationem carnis, vt loquitur Paulus 1. Cor. 7. id est, est status vitæ plenus miseriarum, plenus magnorum dolorum & curarum. Cælebs vita habet minus miseriarum, & est expeditior ad omnes fortunæ casus. Quædam misera muliercula in monasterio, monialis, interrogata ante annos quadraginta, in visitatione harum regionum, quare abhorreret à coniugio, cùm tamen videretur esse ad hoc genus vitæ idonea & accommodata: respondit, Quia scriptum est, Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Item scriptum est, Maledictus, qui ponit carnem brachium suum. Hinc misera muliercula decepta à monachis impostoribus, ratiocinata est, coniugium esse quiddam carnale, quod Deo displiceat. Quod ad locum Pauli attinet, scitis quid significet phrasis Paulina, Esse in carne, id est, habere delicta contra fidem & contra bonam conscientiam. Cùm Ieremias inquit, Maledictus, qui ponit carnem brachium suum, reprehendit his verbis fiduciam humanorum præsidiorum, non reprehendit coniugium à Deo institutum.

Laudat] Aristoteles: Actus agentium sunt in patienti prædisposito. Anima est ἐντελέχεια corporis naturalis organici, vitam habentis potentia. Anima non habitat in lapide, aut in alia re inanimata, imò ne quidem in Sole habitat & cœlo, sed tantùm est in ipsis corporibus, quæ vitam habent in potentia, id est, quæ sunt subiecta, disposita ad hanc formam.

Ministerio] Dicam vobis vnum exemplũ de Athanasio. Athanasius Episcopus, acerrimus hostis Arianorum, cuius Symbolum hodie celebratur, & reliqua scripta in honore meritò habentur, gubernauit

Ecclesiam Alexandrinam annis 46, sed intra hoc spatium ter est pulsus in exilium à tyrannis, ac quidem exulauit primùm in Gallia apud Treuiros, postea exulauit in Italia, & necesse fuit, eum quærere multas & varias latebras metu Tyrannorum, & tamen ad extremum est reductus in suam Ecclesiam, & ibi mortuus. Si fuisset Athanasius maritus, habuisset coniugem & liberos, profectò magna difficultate & molestia toleraſſet exilia. Nam auelli à coniuge & liberis, res est non valde suauis, ne quid aliud dicam. Videtis igitur in hoc exemplo Athanasij, quàm verè dicat Paulus, cælibem esse ad omnes subitorum periculorum casus expeditiorem. Econtra maritus habet magna impedimenta œconomica, quæ sæpe remorantur nauim in optimo cursu.

Occupatos illicitis flammis]

Basilius epistola 1. Qui nondum est astrictus vinculis coniugij, is habet furentes cupiditates & impetus, qui difficulter retineri possunt, & perturbatur flammis amoris illicitis ac prohibitis.

FINIS LOCI DE PRÆCEPTIS ET CONSILIIS.

STVDIOSIS IN ACADEMIA LIPSICA S. D.

HACTENVS dictum est fideliter de Deo, de tribus personis diuinitatis, de creatione hominis, & aliarum rerum, de lapsu primorum parentum, de peccato, & de Lege. Nunc accedimus ad alteram partem doctrinæ Christianæ, quæ complectitur promissionem de Mediatore, & de Redemtione generis humani, de remissione peccatorum, de restitutione iustitiæ, & vitæ æternæ.

Huius doctrinæ agnitio discrimen facit inter veram Dei Ecclesiam, & reliquos homines. Etsi enim homines extra Ecclesiam retinent particulam Legis de externis moribus, quia Lex natura nota est: tamen doctrina Euangelij de Filio Dei, in sola Ecclesia mansit, & deinceps vsque ad finem mundi mansura est. Qui igitur volunt esse & manere membra Ecclesiæ viua, & sanctificata Spiritu sancto: sciant, aliud doctrinæ genus esse Legem, aliud Euangelium, id est, promissionem de Filio. De hoc discrimine, quo amisso horrendæ tenebræ sequuntur, hodie hora nona, Deo adiutore, dicere incipiemus, & omnibus studiosis hortatores sumus, vt propter gloriam Dei, & salutem animarum, hanc doctrinæ partem diligenter discant. Bene valete, & Deum orate, vt lucem veritatis semper in Ecclesia conseruet. Die 30. Martij. Anno cIↃ. IↃ. L x v.

V. S.

LOCVS DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII.

Præfatio obiter excepta in Locum de discrimine Legis & Euangelij.

HACTENVS cum Israelitis vagati sumus in deserto, & audiuimus vocem Dei edentis Decalogum in monte Sina, inter fulmina & tonitrua, & horrendos fragores, quibus auditis, etiã populi durissimi, & saxa contremuerunt, vt testatur historia Exod. 19. Nunc verò, Christo ducente, ingrediemur in terram Chanaan, & in hortos balsami generosissimi & fragrantissimi, hoc est, vt propriè & sine figuris dicam, quod sentio: Huc vsque tractauimus legales materias, quia Lex est altera pars doctrinæ Christianæ, & est summa sapientia Ecclesiæ, excepta promissione Euangelij. Nunc verò accedimus ad doctrinam Euangelij propriam, quæ est similis generosissimo & fragrantissimo balsamo. Vt enim balsamum sine dolore sanat vulnera, & ipso odore suauiter recreat corda: ita perterrefactas & consternatas conscientias voce Legis, & accusatione peccati, & denuntiatione iræ Dei, pœnarumq; æternarum, suauiter reficit & recreat medicus longè optimus & præstantissimus Filius Dei, annuntians vocem Euangelij, in qua reuelatur iustitia Dei, de qua dicunt testimonium Lex & Prophetæ, vt ait Paulus Roman. 3. Etsi autem possent multa splendidè dici, & copiosè de necessario discrimine doctrinarum philosophiæ, Legis & Euangelij: tamen, cùm onus sit, vt ait Euripides. nimium laudari, & modus sit in omnibus rebus pulcerrima virtus: ero nunc cõtentus recitatione, vel potiùs indicatione duarum caussarum, propter quas studiosi pietatis amare & magnificere hũc locum de discrimine Legis & Euangelij debent. Vna est, quia vel amisso

hoc

hoc discrimine vel ignorato, ignoratur Christus, hoc est, officium & beneficia Christi, nec intelligitur modus, quo hæc beneficia consequimur. Est autē agnitio vera Christi, ipsa vita æterna, vt testatur dictum notissimum Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt agnoscant, te solum esse verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Altera caussa est, quia hoc discrimine ignorato vel obscurato, non intelligitur, quæ, & qualis, & vbi sit Ecclesia, & quomodo discernatur ab aliis sectis iudicio Dei damnatis. De his caussis tantùm Dialecticè, hoc est, breuiter & nudè dicemus, remotis omnibus ambagibus, vt possimus etiam aliquid docere hac hora. Non enim cōuenimus ad declamationem, sed ad lectionem. De priori caussa hanc cogitationem omnes pij suscipiant: Quemadmodum in speculis imago nostrorum corporum cernitur, & his remotis, qualia sint nostra corpora, albáne, an nigra, ignoratur: ita remoto Euangelij speculo non agnoscitur gloria Christi, cuius appellatione complector nō modò officium, sed etiam beneficia huius Domini, & ipsum modū, quo applicantur nobis beneficia Christi. Nam ex Lege timemus quidem Deum timore seruili, sed nō confugimus ad Deum, vt ostendit exemplū Israelitarum, qui cùm audiuissent Legem, cum quodam stupore consternati fuerunt, & à Mose petiuerunt, vt ipse fungeretur officio legati & Mediatoris inter Deum & populum. Si enim, inquiunt, deinceps audiamus Deum tonantem & fulminantem, actum erit de nobis, & nos perire necesse erit. Hæc historia velut in tabella pingit effectum Legis rectè declaratæ & intellectæ. Quare opus est alia doctrina, quæ dissimlis est Legi, monstrante nobis medicum Samaritanum Filium Dei, qui saucij viatoris vulnera, vt Luc. 10. scribitur, vino lauat, & postea infundit saluberrimum liquorem balsami, neque his contentus officiis, addit etiam hoc ἐπίσαγμα, hoc est, appendicem & auctarium, quòd videlicet gestat suis manibus & humeris ægrū, & imponit iumento. Quòd si non intelligatur discrimen Legis & Euangelii, de quo nunc dicere instituimus, nequaquam agnoscitur officium Christi: sicut multi fingunt, Christum tantùm fuisse legislatorem, qualis fuit Moses, aut Solon, aut Augustus. Deinde ignorantur huius medici beneficia, quæ sunt sanare nostra vulnera, non exulcerare infusione aceti,

vel nitri, cuius est magna mordacitas. Lex, inquit Baptista, per Mosen data est, gratia autem & veritas per Christum facta est. Denique, ne sim longior in re piis nota & aperta, non intelligitur modus, quo consequimur beneficia Christi, remissionem peccatorum, & alia, nisi prudenter & ardenter discernamus à Lege vocem Euangelij. Vt enim opera habent se correlatiuè ad Legem, vt more scholarum loquar: sic fides habet se correlatiuè ad promissionem Euangelij, teste Paulo Rom. 4. vbi inquit: Si ex Lege sumus hæredes, otiosa est promissio, & fides inanis. Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio. Hæc breuiter dicta sint de prima caussa, hoc est, de agnitione Christi, & de beneficiis, & de modo applicationis. Veniamus ad alteram caussam, quæ propriè pertinet ad Ecclesiam. Hæc non potest agnosci, neque discerni ab aliis damnatis sectis, nisi monstrato hoc discrimine. Non enim philosophia propria Ecclesiæ possessio est, nec Lex fundamentum est Ecclesiæ, sed sola vox Euangelij est singulare κειμήλιον & margaritum pretiosum, quo discernitur Ecclesia ab Ethnicis, Iudæis recentibus & blasphemis, à Turcis & ab omnibus hæreticis. Nam omnes sani homines naturaliter particulam Legis intelligunt & retinent, & ex ea multa extruunt: & ratiocinantur de honestis moribus, & de externa disciplina, vt ostendunt carmina Phocylidis, Theognidis, Hesiodi, & aliorum innumerabilium. Sed vt omnes, quamuis sapientes & eloquentes, prorsus ignari fuerunt Euangelij, seu promissionis de Mediatore: Ita non sunt Ecclesia Ethnici, Iudæi recentes, Turcæ & Papistæ, qui oderunt & condemnant vocem Euangelij: de pertinacibus loquor. Sed ille cœtus tantùm est Ecclesia, qui vnà cum Lege rectè intellecta, coniungit vocem Euangelij, & vtriusque generis doctrinæ vsum intelligit, & exercet in inuocatione, & in reliquis pietatis exercitiis. Sed hæc, Deo iuuante, audietis aliquando pluribus verbis exponi in ipsa explicatione. Quare omissa longiori commendatione huius Loci, nunc more vsitato & scholastico, enumeremus capita præcipua, quibus nobis propositum est, huius Loci summam comprehendere. Distribuemus autem docendi caussa hunc Locum de discrimine Legis & Euangelij in capita sex. Primum recitabit definitiones philosophiæ, Legis & Euangelij, quæ certè debent

omnibus

omnibus pueris & puellis, non tantùm doctis in scholis, notissimæ esse. Secundum caput discernet Euangelium à philosophia. Nolumus enim confundere hæc genera doctrinarum, philosophiam & Euangelium, vt coqui multa iura confundunt: & quãquam sæpe commendamus iuuentuti studia philosophiæ, tamen non volumus hanc pedissequam & ancillam anteferre suæ dominæ, id est Euangelio, sed suum cuique generi locum, seruata Geometrica proportione, assignamus. Tertium caput discernet Legem ab Euangelio. Quartum refutabit insulsum commentum Papistarum de triplici Lege, naturali, Mosaica & Euangelica. Quintum caput erit dulcissima commemoratio de hac sententia, quòd idem & vnum Euangelium semper fuerit in Ecclesia, inde vsque ab initio mundi. Ex quo sequitur, semper vnam fuisse Ecclesiam, vnam fidem patrum & nostram, vnum Spiritum in omnibus membris Christi, vnum modum saluationis & iustificationis, & eadem beneficia pertinentia ad omnes & singulos credentes, neque alia, aut plura, aut maiora nobis dari, quàm Abrahæ, aut Dauidi. Sextum & postremum refutabit confusionem veræ Ecclesiæ, & aliarum sectarum. Multi enim ignorantes discrimen Legis & Euangelij, dicunt etiam inter Ethnicos fuisse membra Ecclesiæ. Adeo enim mirantur Ciceronem, Xenophontem, Platonem, vt non dubitent affirmare, hos viros fuisse membra Ecclesiæ, & non minùs saluatos esse, quàm Abraham aut Dauidem. His ferè capitibus definietur nostra explicatio. Ne autem tota hora nobis effluat inter προλεγόμενα, quæ tamen non sunt prorsus πάρεργα, accipite, si vultis, primum caput.

Definitio philoſophiæ, Legis & Euangelij.

CAPVT I.

Philoſophia eſt particula Legis. Ideo non eſt omittenda eius mentio in hoc loco.

QVVM neceſſe ſit diſcrimen doctrinarum philoſophiæ, Legis & Euangelij in Eccleſia extare, [*propter agnitionem Chriſti, & ipſam Eccleſiam*] & familiariſsimè notum eſſe omnibus, ordiar à definitionibus, quæ hoc ipſum diſcrimen oſtendunt. Sint igitur initiò notæ definitiones. Philoſophia eſt cognitio artium dicendi, mathematum, phyſices, & præceptorum de moribus, extructa ex principiis ſpeculabilibus & practicis, cuius finis vltimus aut eſt ſcientia, aut actio noſtra laude digna.

Agnoſcitis exemplum cauſſalis definitionis. Cauſſa efficiens philoſophiæ eſt Deus, qui tranſfudit in creatione, in mentes humanas duplices notitias, θεωρητικὰς καὶ πρακτικὰς, id eſt, ſpeculabiles & actiuas, vt ita dicam. Ex his principiis extruitur vera philoſophia, vt Geometria extruitur ex his principiis: Totum eſt maius ſua parte: Si ab æqualibus æqualia ſubtraxeris, reliqua erunt æqualia &c. Ethica verò, ſeu moralis philoſophia extruitur ex his naturalibus notitiis: Deo obediendum eſt iuxta diſcrimen honeſtorum & turpium: Honeſtè viuendum eſt: Nemo lædendus eſt ſine iuſta cauſſa: Suum cuique tribuendum eſt &c. Deinde fit mentio obiecti, ſeu ſubiecti in definitione. Verſatur enim Philoſophia aut circa ſermonem, aut circa rerum naturam, aut circa vitam & mores. Ad formandum ſermonem pertinent tres artes, Grammatica, Dialectica & Rhetorica, vt omnes nouiſtis. Ad phyſicam pertinent mathemata & phyſica propriè dicta. Tertia pars ipſo nomine eſt nota, videlicet Ethica. Poſtea fit mentio cauſſæ finalis. Sicut ſunt duo genera principiorum: ita ſunt duo fines veræ philoſophiæ, quorum alter

alter consistit in cognitione liberali, alter in actione morali laudè digna. Discimus Physicam & mathemata propter liberalem scientiã: quia scientia est quædam perfectio mentis, & omnes naturaliter scire desiderant, vt inquit Aristoteles in 1. Metaphys. & Cicero in 1. Offic. Ethices verò finis non est cognitio, sed actio, teste Aristotele in 1. Ethic. & Cicerone in 1. offic. & hi quidẽ sunt fines veræ philosophiæ. Videtis igitur, quòd Philosophia tantùm huic mortali vitæ seruiat, & fit similis folio. Vt enim foliũ non semper floret, sed in autumno decidit ex arbore, & flaccescit, tandem etiam putrescit: sic philosophia, vt ait Plato, tantùm est meditatio mortis, non est caussa vitæ æternæ. Euangelij verò vltimus finis, nec est doctrina, nec præceptum de agendis, sed consolatio victrix peccati & mortis, & inchoatrix iustitiæ & vitæ æternæ, sicut suo loco audietis. Hæc de philosophia.

Lex Dei est æterna & immota sapientia, & regula iustitiæ in Deo, cuius radius in creatione in Angelos & homines transfusus est, præcipiens de ardenti dilectione Dei, & puro amore proximi, prohibénsque contraria, ac promittens quidẽ præstantibus hanc obedientiam sine peccato, ingentia præmia [*Qui fecerit hæc, viuet in eis*] contrà verò denuntians violantibus hunc ordinem, æternam iram Dei, & pœnas æternas, proponenda cùm vniuerso generi humano, tum vel maximè securis & hypocritis, vt in eis excitet agnitionem peccati, & pauores horrendos, qui sine consolatione Euangelij sunt initia mortis æternæ.

Hæc definitio nõ indiget hoc quidem tempore longa declaratione, cùm aliquot menses commorati simus in Loco de Lege, & in legalibus materiis. Quare tantùm propter ordinem & methodum nunc repeto breuiter ea, quæ suprà pluribus verbis sunt dicta & enarrata. Accedamus ad tertiam definitionem.

Euangeliũ est prædicatio pœnitentiæ, & promissionis, quæ non est naturali luce nota, sed ex arcano consilio diuinitatis per Filiũ prolata est, qua Deus exhibet remissionem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiritus sancti, iustitiæ & vitæ æternæ, propter Mediatorem, & per eum, gratis, fide accipiẽtibus promissionem, proponenda consternatis mentibus, vt eas liberet à sensu

iræ Dei aduersus peccatum, & in eis accendat agnitionem misericordiæ propter Christum promissæ, & initia vitæ æternæ.

In his definitionibus agnoscit pius lector sparsa esse semina totius explicationis, quæ deinceps proponetur de discrimine philosophiæ, Legis & Euangelij. Etsi enim difficile & periculosum est constituere tantarum rerũ integras definitiones, tamen has ita recitaui, vt iudicium eruditis & piis permittam, & petam, vt si quid desiderant, meliores tradant mihi & aliis.

Primum caput continet tres definitiones: vnam philosophię, alteram legis moralis, tertiam Euangelij, quas definitiones aut similes mandent memoriæ iuniores, quia turpe est in Ecclesia versari, & harum rerum prorsus esse rudem & ignarum, cùm quidem quotidano sermone hæc vocabula repetantur & inculcentur. Est autem verissimum dictum Iurisconsultorum: Omnis definitio est periculosa. Quia cùm sit fons explicationis, est obnoxia multis cauillationibus. Nemo enim est tam stolidus & stupidus, qui non possit canino dente arrodere definitiones, quantumuis optimas, & à summis artificibus constitutas, sed propter cauillationes & calumnias, nihil est remittendum de industria & diligentia. Nihil ego animaduerto posse reprehẽdi in definitione Euangelij, nisi hoc vnum, quòd dicitur, Euangelium esse prædicationem pœnitentiæ. Vtitur autem Christus ipse hac forma verborum, cùm post resurrectionem dicit Luc. vlt. Oportuit prædicari in meo nomine, quid? Pœnitentiam & remissionem peccatorum. Hæc sententia his verbis enuntiatur apud Marcum: Ite in orbem terrarum, & prædicate Euangelium &c. Significat autem pœnitentia non tantùm vnam partem conuersionis, scilicet contritionem & pauorem, sed in Scriptura vsurpatur pro tota conuersione ad Deum, à qua certè non potest, nec debet remoueri mentio Euangelij. Est igitur verissima propositio, Euangelium est prædicatio pœnitentiæ, si intelligas vocabulum de tota conuersione, & serues distinctionem partium conuersionis, & cuiusque partis proprietatem. Etsi enim Lex arguit totam molem peccati, tamen hanc speciem, quæ est incredulitas, seu diffidentia, seu non credere in Filium Dei, nominatim disertè ac propriè arguit vox Euangelij, Ioh. 16. Deinde quod attinet ad fidem, quæ est præcipua pars pœnitentiæ, certum est, non ex Lege, sed ex Euangelio oriri fidem, vt testatur Paulus Gal. 3. Lex non est ex fide,

&

& per conuersionem, fides non est ex Lege. Sicut enim opera se habent correlatiuè ad Legem: ita fides habet se correlatiuè ad Euangelium, seu ad promissionẽ de Mediatore, teste Paulo Rom. 4. Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio. Neque est opus longa confirmatione in re manifesta & omnibus nota. Quod ad tertiam partem attinet, quæ vocatur noua obedientia, certum est, Legem quidem docere, quæ & qualis obedientia Deo placeat, sed cur, & quomodo placeat, non docet Lex, sed hæc est propria Euangelij sapientia. Fide enim stabilitur Lex, & in Christo sumus consummati, id est, fide propter Christum placet non solùm persona, sed etiã obedientia. Quid quæso, hæc declaratio habet incommodi, aut quam confusionem doctrinarum parit? Verè de hypocritis dicit psalm. 53. Illic trepidarunt timore, vbi nõ erat timor, hoc est, metuunt culpam, vbi nulla est culpa: & Christus inquit venustissimè in Euangelio, Hypocritæ deuorant camelum, & percôlant culices. Item, cernunt festucam in alterius oculo, interim negligentes trabem in suo. Nulla sequitur confusio Legis & Euangelij, ex eo, quòd mentio pœnitentiæ fit in descriptione Euangelij. Ac, vt cetera omnia omittam breuitatis caussa, quis est tam mente captus, tam præceps, tam auersus à veritate, qui non intelligat, non esse diuellendam remissionem peccatorum à præsenti conuersione ad Deum, quia iuramentum diuinũ Ezechie. 33. copulat hæc duo adamantino vinculo, pœnitẽtiam seu conuersionem ad Deum, & remissionem peccatorum, & vitam æternam. Hæc enim sunt verba iuramẽti diuini: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Disertè dicit, Vt conuertatur, & viuat, vt significet, non esse separandam remissionem peccatorum à conuersione. Sed quid opus est verbis in re tam manifesta? Doleamus potiùs tantam esse hominum malitiam, & leuitatem, & furorem, vt ausint contradicere manifestæ veritati, & offundere tenebras Soli, postquam venit ad meridiem, imò fugiamus hos clamores Sophistarum, qui negant, Euangelium esse prædicationem pœnitentiæ, tanquam virulentos sarcasmos Diaboli, qui superbè & lasciuè insultat Ecclesiæ, quasi ignoret, quid sit Euangelium, & nondum tot seculis didicerit, quid profiteatur, & quas res complectatur nomen Euangelij.

De discrimine Philosophiæ & Euangelij.

CAP. II.

PAVLVS ad Colossenses 2. inquit, Nemo vos decipiat per philosophiam. Hunc locum Pauli arripiunt aliqui mordicùs, & eo abutuntur ad reprehensionem & vituperationem philosophiæ, quasi philosophia officiat luminibus pietatis, & non sit concessa Christianis hominibus. Verùm Paulus hoc vult, retineri debere discrimen vtriusque doctrinæ, & vitandam esse omnem confusionem Sophisticam horum generum, philosophiæ dico & Euangelij. De hoc discrimine pauca monebimus in hoc capite. Neque enim volo iam studiosis præstare intempestiuam beneuolentiam, & instituere longum encomium philosophiæ, aut Apologiam opponere iniustis vituperationibus. Hæc enim Dei beneficio sonant quotidie in vestris auribus, & ferè iam sunt nota pueris & puellis, sed tantùm monstrabo conspicuos limites, fines & terminos, qui distinguunt vtrumque genus doctrinæ. Non dico miscendam esse philosophiam Euangelio, multò minùs hoc dico, philosophiam anteponendam esse Euangelio, aut opponendam. Nequaquam debet anteferri parua scintilla, qualis est sapientia philosophiæ, ipsi Soli iustitiæ, id est, Christo & Euangelio. Sic enim Propheta Malachias appellat Christũ cap. 3. Quæ esset hæc fatuitas, quæ dementia, anteferre lychnum ardentem vel scintillam potiùs tanto fulgori & splendori, qui mundum illustrat vniuersum? Christus est vera lux, illuminans omnem hominem, non hæc asscribimus philosophiæ, sed tamen ei suum locum relinquimus. Multò minùs opponimus philosophiam rationis & argumenta articulis fidei. Taceat mulier in Ecclesia, id est, non opponat se philosophia, non vlla ratio humana Euangelio: sed hoc præstetur, de quo dicit Paulus 2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed sunt potentia Dei ad destruendas omnes molitiones contra Euangelium. Et redigimus, inquit, omnem intellectum in captiuitatem, in obsequium Christi. Sed his omnibus positis & concessis,

quæ

quæ ſunt veriſsima, æterna & immota, tamen ſuus locus tribuatur philoſophiæ.

Sunt iam aliqui, qui palàm editis libellis ſcribunt, magis iam in ſcholis ſonare vocẽ Ariſtotelis vel Platonis, quàm Pauli, aut Eſaiæ. Quis eſt tam ineptus, qui hoc faciat? ſed tamen non poſſumus carere omni adminiculo philoſophiæ.

Vera philoſophia, qualem ſuprà deſcripſi, & promiſsio Euangelij differunt initio, obiectis, & fine. Nam Arithmeticam aut aliam philoſophiæ partem non ordimur à lectione, ſed afferimus ad artium deſcriptiones initia nobiſcum nata, vt numerationẽ, diſcrimen honeſtorum & turpium, & alia. Euangelij verò ſapientia longè aliter diſcenda eſt. Cùm enim nequaquam natura nota ſit, neceſſe eſt, eam cognoſci tãtùm ex patefactione diuina, quam Deus immenſa bonitate poſt primos parentes literis mandari voluit per Prophetas, ac deinde per Apoſtolos. Ideo Paulus nos ad lectionem deducit, inquiens, 1. Timoth. 4. Aſsiduus eſto in lectione: & Eccleſiam alligat ad fontes Iſrael, id eſt, ad libros Propheticos & Apoſtolicos. Primùm igitur philoſophia & Euangelium differũt initio. Inchoatione.

Sit Pauli dictum omnibus familiariſsimè notum, & teneatur tanquam præcipua regula ſtudiorum. Sic inquit Paulus in 1. ad Timoth. cap. 4. Sis aſsiduus & diligens, primùm in lectione, deinde in doctrina, poſtremò in cõſolatione. Breuis eſt aphoriſmus, ſed monſtrat optimam diſcendi rationem: Si vis, inquit, diſcere Euangelium, ordire tua ſtudia, non à notitiis naturalibus, vt fit in philoſophia, in ſcholis philoſophorum, ſed à lectione, quorum ſcriptorum? Propheticorum & Apoſtolicorum, de quibus Dominus inquit Iohan. 5. Scrutamini Scripturas &c. & Pſal. 68. dulciſsimè inquit, Benedicite Domino Deo de fontibus Iſrael. Fontes metaphoricè appellat ſcripta Prophetica & Apoſtolica, ex quibus haurienda eſt doctrina & conſolatio propria Eccleſiæ, & diſcernens Eccleſiam ab aliis ſectis. Iam quærat aliquis, Quis eſt finis lectionis ſacrarum literarum? Reſpondeo. Poemata leguntur principaliter propter eloquentiam & voluptatis cauſſa. Sed alius eſt finis lectionis Scripturę ſacræ. Medius quidem finis eſt doctrina, vltimus verò & principalis eſt conſolatio, ſed hæc ex ſequentibus diſcriminibus rectiùs poterunt percipi.

Deinde magna est obiectorum dissimilitudo.

Scitis quid sit obiectum. Oculi obiectum est lux & color, aurium obiectum est sonus & vox, vt de ceteris sensibus externis non dicam, & eorum obiectis. Sicut igitur oculus versatur circa suum obiectum, lucem & colorem: ita philosophia habet sua obiecta, suas materias, quas tradit, & in quibus explicandis versatur, sua item obiecta habet Euangelium.

Nam philosophia est elegans doctrina de iis rebus, quę rationi subiectæ sunt, & huic mortali vitæ seruiunt, vt verbi caussa, de ratione disserendi, de numeris, de figuris, de motibus corporum cælestium, de anni descriptione, de metis terræ, de qualitatibus elementorum & mixtorum, de natura plantarum, animantiũ, gemmarum & metallorum, de fabricatione humani corporis, de actionibus animæ, de mutationibus imperiorum, denique de iustitia & iure, & omnium virtutum officiis. Hanc doctrinã aspernari nihil aliud est, quàm perturbare omnia, & permiscere, & totam vitam immanem & barbaricam reddere. Sublata enim anni ratione, quantæ tenebræ essent in historiis Ecclesiæ & imperiorum, in iudiciis, & in contractibus, denique in tota vita.

Mementote duos insignes locos Græcorum Theologorum, Basilij & Nazianzeni, quos breuiter in memoriam reuocabo propter præsentem tractationem. Basilius scripsit libellum seu concionem de vtilitatibus lectionis Græcorum poematum. In eo libello proponit venustissimã similitudinem in hanc sententiã. Quemadmodum in arbore differunt folia & fructus, ita differunt philosophia & Euangelium. Sicut enim folia non quidem nutriunt corpus humanum, sed tamen sunt ornamento & præsidio ipsis fructibus: ita vera philosophia, quæ non confunditur cum Euangelio, est magnum huius vitæ ornamentum, nec leue præsidium Theologiæ. Non enim certè possumus disputare contra hæreticos, destituti adminiculis philosophiæ, de qua re nõ est iam differendum pluribus. Sed vt fructus iurè ac meritò anteferimus foliis, quia nutriunt nostra corpora: Ita in infinitum anteferenda est sapientia Euangelij omnibus philosophorum disputationibus, quamuis eruditis & elegantibus. Quid potest dici venustiùs de hoc discrimine? Fructus significãt Euangelium, folia significant philosophicas disputationes.

Nazian-

Nazianzenus verò in funebri oratione, quam scripsit de Basilio, amico & fratre charissimo, sic refutat vituperatores & contemtores philosophiæ, intendens digitum ad causſam, & ad fontem, ex quo manat contemtus philosophiæ: Sicut impudica mulier nihil magis habet in votis, quàm vt omnes honestæ virgines & matronæ sint tales, qualis est ipsa: sic, inquit Nazianzenus, indocti ideo vituperant philosophiam, vt inter sui similes, in turba sui similium possint latere, & effugere insciticæ reprehensionem. Scientia non habet inimicum nisi ignorantem.

At Euangelij sapientia concionatur de articulis ignotis rationi, de tribus personis diuinitatis, de duabus naturis in redemtore nato ex Maria virgine, de Ecclesia, de gratuita remissione peccatorum, de donatione Spiritus sancti, de resurrectione mortuorum, & de vita æterna.

In prima parte Symboli dicis, Credo in Deum Patrẽ: cùm nominas Patrem, necesse est, te agnoscere discrimen personarum. Quia nunquam Pater est sine filio. Deinde in altera parte recitatur articulus, qui pertinet ad redemtorem, ad Christum natum ex Maria virgine &c. In tertia parte symboli, nónne dicis de donatione Spiritus sancti, de remissione peccatorum, de resurrectione carnis, de vita æterna?

Has tantas res prorsus ignorat philosophia, vt hæc dicta testantur.

Omnibus piis debent nota esse testimonia vocis diuinæ, quæ declarant, quantum intersit inter humanæ rationis sapiẽtiam, & mysterium, vt Paulus loquitur Ephes. 3. & aliàs sæpe, abscõditum à seculis. Verè Euangelium est mysterium, seu arcana sapientia ignota humanæ rationi, sine diuina reuelatione. Hanc sententiam confirmat Paulus in priore Epistola ad Timotheum, cap. 3. inquiens, ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, id est, sine omni cõtrouersia, concessu omnium, omnium confessione, maximum mysterium est pietatis nostræ, quòd videlicet Deus manifestatus est in carne, &c. Hæc omnes pij debent bene secum meditari, & vt ita dicam, ruminare, sicut pecudes facere solẽt, quæ cibum acceptum bene coquunt & digerunt, vt vitemus ineptias, vel potiùs furorem & amentiam eorum, qui audent comparare Xenophontem Abrahæ, & Ciceronem Danieli. Remoueatur ab Ecclesia hæc audacia fin-

gendi quidlibet, & somniandi omnia pro arbitrio. De Abraham scribitur Iohan. 8. Abraham optauit videre diem meũ, & vidit & exultauit. Quomodo vidit Abraham Christum, & eius beneficia? Respõdeo. Primùm in promissione de Mediatore, quæ ad ipsum Abrahã repetita est his verbis: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Deinde excepit Abraham hospitio Messiam euntem inter duos angelos, vt scribitur Geneſis 18. Sed audiamus ipsa dicta.

Matth. 11. Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare [*scilicet intus & foris, foris quidem voce ministerij, intus autem per Spiritum sanctum*] Iohan. 1. Deum nemo vidit vnquam, *id est, essentiam & voluntatem Dei de nostra salute*] Filius, qui est in sinu Patris, enarrauit nobis. Iohan. 17. Hæc est vita æterna, vt agnoscant, te solum esse Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Hoc dictum Iohannis valde memorabile, discernit diuinitatem mittentem à persona missa. Tota diuinitas misit Messiam, vt fieret victima pro genere humano, & fungeretur officio æterni sacerdotis & regis in Ecclesia. Hanc mittentem diuinitatem appellat Christus verum Deum. Persona verò missa ad Ecclesiam, non est Pater, nec Spiritus sanctus, sed Messias seu mediator est λόγος, de quo dicit Iohannes, Verbum caro factum est, & habitauit [in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.

1. Cor. 1. Cùm mundus non cognouisset Deum sapientem per sapiẽtiam, placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes.

Non hoc dicit Paulus, quòd nulla prorsus fuerit notitia Dei naturalis in Ethnicis extra Ecclesiam. Nam si hoc diceret, secum ipse pugnaret in explicatione, quia Rom. 1. clarè inquit, Quantum de Deo cognosci potest, tantum fuit notum gentibus. Deus enim manifestauit eis, id est, indidit eis duplex lumen. Primùm, lumen simplex, quòd sit Deus. Deinde ratiocinationem quærentem vestigia diuinitatis impressa creaturis: & clarè inquit in eodem capite, Infinita & immensa diuinitas & potentia Dei conspicitur in operibus mundi. Quid igitur vult hoc loco significare Paulus, cùm inquit, Cùm mundus non cognouisset Deum? Respondeo breuiter sine ambagibus: Vult Paulus discernere

nere notitiam Dei physicam seu philosophicam à sapientia Euangelij, quasi dicat: Etsi est aliqua lux, aliqua notitia Dei in mentibus, nondum prorsus extincta post lapsum, quæ confirmatur & excitatur aspectione operum diuinorum, tamen hæc scintilla non sufficit ad salutem, nec discernit Ecclesiam ab aliis sectis. Alia est sapientia propria Ecclesiæ, quæ sola patefacit aditum ad æternam beatitudinem, qua sola, velut claue, fores regni cœlorum aperiuntur. Hoc vult dicere. Non hoc dicit, quod Flaciani & alij insulsi homines inde volunt extruere, non transformat hominem in pecudem. Stultam prædicationem vocat doctrinam Euangelij, quæ stulta videtur, non est.

Postremò differũt hæc doctrinarum genera vltimo fine. Nam finis doctrinæ philosophicæ aut est scientia, aut actio nostra. Euangelium verò Deus patefecit, & Ecclesiæ suæ tradidit, vt liberet nos à peccato & æterna morte.

Paulus 1. Timoth. 1. Certus sermo & dignus, quem omnes amplectantur, quem omnes suscipiant, quòd Christus venit in hunc mundum, vt saluos faciat peccatores. Quid est saluos facere peccatores? est liberare à peccato, & morte æterna, & reddere liberatis hoc modo iustitiam & vitam æternam.

Et finis est, vt abolito peccato & morte, fruentes communicatione sapientiæ, iustitiæ & lætitiæ Dei, in omni æternitate apud eum viuamus, & vicissim eum celebremus.

1. Petr. 1. finis, τέλος nostræ fidei est salus animarum, id est, æterna salus, æterna vita: ideo credimus in Christum, ideo baptisamur, ideo accipimus κοινωνίαν corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vt viuamus cum Deo in omni æternitate, & sine fine fruamur eius cõspectu & sapientia, & sine fastidio eum amemus, & sine fatigatione celebremus auctorem tantorum beneficiorum. Sic enim Augustinus in lib. vlt. de ciuit. Dei, describens vitam æternam, inquit: In vita æterna sine fine Deum videbimus, sine fastidio amabimus, denique sine fatigatione laudabimus. In hac vita omnia sunt finita & momentanea. Deinde nulla res tam est suauis, à qua non tandem abalienemur fastidio quodam & satietate, denique facilè in hac vita defatigamur in cuiuscunque rei tractatione, sed in

vita æterna nullus erit finis bonorum cœlestium, nulla satietas, & non poterimus explere cor & linguam laudatione Dei. Misericordiam Dei in æternum cantabo, inquit Psalmus 89. Hæc dico, vt intelligatur finis Euangelij, qui est salus animarum. Cùm autem nominatur salus animarum, non excluduntur corpora, de quibus alio loco dicitur. Pertinet huc & Pauli dictum 1. Cor. 1. Tunc Deus erit omnia in omnibus beatis.

Etsi enim philosophia anxiè quærit consolationes & remedia dolorum: tamẽ fatetur, imbecilliorem esse medicinã, quàm morbum. Cicero in epistola ad Atticũ. in 3. Tuscul. Philosophorum cõsolationes mederi non vulneribus, sed tantùm cicatricibus, id est, Philosophi vtcunq; demulcent animos in paruis doloribus, sed quando vẽtum est ad vulnera cordis, vera est vox Poetæ: Nulla sanantur vulnera cordis ope. Sed de consolatione verbi diuini dicit Psalmus 119. Hæc est consolatio mea in afflictione mea, quia eloquium tuum viuificauit me, id est, efficaciter me consolatur, ita vt nunc sentiam nouam vitam, nouã lætitiam, quæ est gustus quidam vitæ æternæ. Item in eodem psalmo: Nisi Lex tua, id est, doctrina tua esset delectatio mea, tũc periissem in afflictione. Et Psal. 94: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ: tuę, inquit, id est, diuinæ, non humanæ, viuificauerunt mę, & 2. Cor. 1. Paulus inquit, Vbi abundat afflictio, ibi abundat & consolatio &c. Hæc omnia dicuntur ad illustrandum discrimen scriptorum philosophicorum & sacrorum. Legit aliquis vestrum quinque Tusculanas disputationes Ciceronis, & non admonitus existimat se magnum thesaurum consolationis inuenisse, sed venit ei vsu verè, quod in prouerbio dicitur, carbones pro thesauro. Non hæc dico, quasi superbè reiiciens aut contemnens Ciceroniana, sed rectè extenuo omnia philosophica in comparatione ad Euangelium.

Ac mihi, de discrimine consolationis philosophicæ & Euangelicæ cogitanti, venit in mentem eius historiæ, quæ à Matthæo ca. 9. recitatur. Vt enim tibicines in domo Iairi canunt funebria carmina, nec possunt reddere puellæ mortuæ vitam: ita philosophia est meditatio mortis, id est, querela de miseriis humanis, quarum nec causas, nec remedia cernit. Euangelium verò est potẽtia Dei

ad

ad ſalutem omni credenti. Quia Filium Dei dominum noſtrum Ieſum Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum monſtrat, qui cauſsis miſeriarum humanarū abolitis, reſtituit nobis iuſtitiā & vitam æternam.

Oſeæ 13. De manu mortis redimam eos, & de manu inferni eripiam eos: ô mors, ero mors tua, ô inferne, ero peſtis tua, id eſt, vt Paulus inquit 1. Corin. 15. Aculeus mortis peccatum, peccati verò potentia Lex. Deo autem ſit gratia danti nobis victoriam aduerſus peccatum, mortem & Diabolum, per Dominum noſtrum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Vos verſamini in ſtudiis philoſophiæ propter duos fines, primùm propter liberalem cognitionem bonarum rerum, deinde propter actiones honeſtas, ſeu propter honeſtam diſciplinam. Quando enim diſcitis phyſicam aut mathemata, inſtruitis mentem, vt Philoſophi loquuntur, copia bonæ doctrinæ de rerum natura, de motibus cæleſtibus, de anni ratione, de diſtantiis locorum in terris &c. Harum rerum profectò eſt liberalis cognitio, & digna homine. Ethicam verò diſcitis non propter cognitionem tantùm, ſed multò magis propter actionem: quia finis Ethices non eſt διώρησις, ſed πρᾶξις, teſte Ariſtotele, & hi quidem ſunt fines philoſophiæ veræ. Euangelium verò diſcitis in templis & in ſcholis propter alium finem vltimum, videlicet propter conſolationem, quæ eſt, & erit victrix peccati & mortis, & inchoatrix iuſtitiæ & vitæ æternæ. Sed obiiciat aliquis contrà: An non etiam in philoſophia ſunt loci conſolationū? Reſpondeo: Omnes loci conſolationis philoſophicæ ſunt legales, ſunt particula Legis: ſed conſolatio, quæ in Eccleſia proponitur, nō eſt tantùm legalis, ſed multò magis Euangelica. Qui autem ſint loci vtriuſq; conſolationis, philoſophicæ & Chriſtianæ, ſuo loco & tempore dicetur, non neceſſe eſt, nos omnia miſcere & confundere. Omnis medicina ſuperans morbum eſt fortior quàm morbus, iuxta regulam, quæ traditur in phyſicis: Talis eſt proportio agentis ad patiens, vt agens ſit aliquantò fortius. Si debet animus acquieſcere in aliqua conſolatione, neceſſe eſt, medicinam eſſe potentiorem morbo, id non fit in philoſophia. Ipſe Plato in Axiocho appellat omnes conſolationes philoſophicas ἀδολεσχίας, id eſt, inanem quandam garrulitatem, inanem ſonum.

De discrimine Legis & Euangelij.

CAPVT III.

NVLLA est tanta eloquentia Angelorum vel hominum, quæ satis exponere possit, quantum referat, veras metas & vera discrimina Legis & Euangelij intelligere, & quantæ tenebræ sequatur, hac distinctione amissa. Nisi enim hoc discrimen extet & conspiciatur, tantæ tenebræ existunt, vt nec quid sit Ecclesia Dei, nec quomodo Euãgelium differat ab Ethnica sapientia, nec quomodo detur remissio peccatorum, nec quæ sint beneficia Filij Dei, intelligi possit. *est verum ἀδύνατον.*

Discite hunc locum propter duas causas, primùm propter agnitionem Filij Dei, deinde propter agnitionem Ecclesiæ. Nemo potest saluari sine agnitione Christi. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ego sum via, veritas & vita. Ioan. 14. Deinde nemo potest saluari extra Ecclesiam veram. Quare necesse est & Filium Dei agnosci, & Ecclesiam discerni ab alijs sectis damnatis. Ad vtrunque verò maximè prodest hic locus.

Quare cùm par oratio magnitudini harum rerum nulla possit esse, Deo gratias agamus qui hanc lucem Ecclesiæ suæ restituit, vt verum discrimen Legis & Euangelij intelligatur, & precemur eum, vt mentes nostras accendat, vt tanto munere in inuocatione Dei & exercitiis fidei grati vtamur. Sunt autem præcipua discrimina Legis & Euangelij quatuor, quorum primum sumitur à notitia, alterum à promissionibus, tertium ab effectibus, quartum ab obiectis.

Primum discrimen extat Iohan. 1. Deum nemo vidit vnquã, Filius, qui est in sinu Patris, enarrauit nobis. Secundum discrimen extat Rom. 4. Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio, ibi clarè discernitur promissio Euangelij

gelij à promissione Legis. Si, inquit, ex Lege saluamur, inanis est fides. De tertio discrimine inquit Baptista, Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Christum facta est, Iohan. 1. Postremum discrimen extat Matt. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Pertinet enim Euangelium propriè ad cõsternatas mentes & conscientias, non ad Epicuræos & hypocritas. Sed nũc de singulis discriminibus paulò plura sunt dicenda. Ac primum quidem discrimen sumitur à notitia: est enim dissimilis vtriusq; doctrinæ notitia. Nam Lex in creatione transfusa est inter alias notitias in mentes humanas: & quanquam secuta est magna & tristis caligo primum lapsum, tamen hæc lux vel potiùs scintilla non prorsus extincta & deleta est, sed adhuc circumferimus in nostra mente testimonium cõscientiæ iudicantis iuxta leges naturæ. Quare cùm Deus ederet Decalogum in monte Sina, non proposuit generi humano nouum & inauditum genus doctrinæ, sed tantùm repetiuit, illustrauit & confirmauit eam sapientiam, cuius pars aliqua nobiscum nascitur. Euangelium verò rectè appellatur à Paulo mysterium, id est, quiddam absconditum à ratione humana, quod ne ipsi quidem angeli norunt sine reuelatione diuina.

Principiò satis constat, notitiam Legis nobiscum nasci, & inditam esse mentibus hominum in creatione, sicut notitiam numerorum. Nam in ipsa creatione, cùm Deus vellet hominem esse imaginem conditoris, transfudit in eum radium sapientiæ & iustitiæ suæ, qui monstraret Deum, & esset norma congruens cum diuina mente, discernens iusta & iniusta. Etsi autem post lapsum tristis caligo menti humanæ offusa est, tamen mansit aliqua Legis notitia, vt per eam regatur externa disciplina, & vt sit vox sententiæ, qua Deus monstret iram & condemnationem.

At Euangelium seu promissio gratiæ & reconciliationis nequaquam nobiscum nascitur, nec vllius naturæ sagacitate deprehensa est, sed est singulare & mirandum decretum diuinitatis, factum deprecante pro nobis Filio, & postea prolatum ex illo arcano consilio de remissione peccatorum, & de restitutione iustitiæ & vitæ æternæ. Tantum verò abest, vt vlli creaturæ hæc sapientia nota fuerit, priusquã prolata est ex sinu arcano æterni Patris per Filium, vt nunc quoque omnium creaturarum captum & intel-

ligentiam ſuperet, nec ſine ſingulari luce Spiritus ſancti percipi poſsit. De hoc diſcrimine Baptiſta concionatur Iohan. 1. Deum nemo vidit vnquam, Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.

Dicat aliquis, Tu videris arcana myſteria diuinitatis velle perſcrutari, cùm de interceſsione Filij dicis in arcano conſilio Dei. Reſpondeo ad hanc obiectionẽ. Quod ſemel atque iterum fecit Filius Dei, verſans inter nos familiariter vſque ad annum ætatis 34, id ſemper inde vſque ab initio fecit, & deinceps faciet vſque ad finem mundi. Quæ eſt igitur vox Mediatoris & deprecatoris noſtri apud Iohan. cap. 17? Hæc videlicet, qua nihil dulcius, nihil efficacius ad conſolandos animos cogitari poteſt: Pater, ego ſanctifico me pro eis, vt & ipſi ſint ſanctificati in veritate, id eſt, ego me ipſum ad pœnam offero per toto genere humano & pro Eccleſia. Id enim ſignificat verbum ſanctificare, phraſi Scripturæ. Sicut enim victimæ quondam ſanctificabantur, id eſt, eligebantur ex reliquo grege, vt mactarentur in ſacrificiis: ita hæc perſona, quæ eſt Deus & homo, electa eſt ex reliqua hominum multitudine, vt offerret non alienum, ſed ſuum ſanguinem, non alienum corpus, ſed ſuum corpus, ad placandam iram Dei, & reconciliandum Deum generi humano. Deinde eadem ſententia rectè extruitur ex perpetuo officio Mediatoris, de quo inquit epiſtola ad Hebræos cap. 7. Semper viuens, vt intercedat pro nobis. Hæc dicuntur de perpetuis actionibus Filij Dei. Non ſemel tantùm, aut bis, aut ter pro nobis intercedit & interpellat, ſed repetit eandem vocem deprecationis ab initio vſque ad finem collectæ & conſummatæ Eccleſiæ. Præterea in Apocalypſi extat clarum teſtimonium de hac ſententia: Agnus, inquit, occiſus eſt ab origine mundi, quod ſimpliciſsimè ita declaratur ſine longis ambagibus, poſtquam decretum factum eſt à tota diuinitate, vt Filius fieret agnus immaculatus, tollens peccata mundi, ſemper inde vſque ab eo tempore applicatum eſt meritum Chriſti, & eius obedientia omnibus credentibus, ab Adam vſque ad poſtremum hominem, qui inſeretur Eccleſiæ & ipſi Chriſto Filio Dei. Sed de hoc dicto Apocalypſis rurſus dicetur, Deo iuuante, paulò poſt in hoc ipſo loco.

Erit autem illuſtrius hoc diſcrimen, ſi primos parentes poſt lapſum intueamur, qui & ſapientia excellebant, & meminerant, quæ

quæ bona amisissent. Hi cùm lapsi essent, quia nondum edita erat promissio de reconciliatione, nec viderant vllum exemplum remissionis peccatorum, quid aliud cogitare poterant, nisi se abiectos esse perpetuò, vt Diabolos. Norant Deum iustum esse, & verè ac seriò irasci peccato, imò rapi se in iudicium & accusari mox audiebant. Hic igitur intercessit Filius, ac deprecatus est pro genere humano, & vt iustitiæ Dei satisfieret, pœnam in se deriuauit. Id beneficium postea parentibus nostris exponitur, & traditur promissio de venturo liberatore, Semen mulieris conteret caput serpentis.

Quare dicit caput serpentis? cur non nominat caudam? quia capite serpentis saluo, totus serpens, quamuis dissectus aut dilaceratus, in integrum restitui potest. Verum capite contrito & comminuto frustrà serpens tentat remedium, imò iam mortuus est, nec potest quærere remedium suo vulneri. Ideo Christus in prima promissione dicitur contriturus caput serpentis, vt significetur destructio totius regni Diaboli, & omnium operum eius, id est, peccati & mortis. Experientia ipsa hoc testatur, quod de serpente dixi: Si tu in decem partes dissecares corpus serpentis, & non læderes eius caput, posset serpens iterum coalescere, & suas partes rursus in vnum corpus congregare, adhibita herba, quam vocant medici serpentariam, sed capite contrito, actum est de vita serpentis.

Hæc est prima Euangelij reuelatio, prorsus extra naturale iudicium posita, quæ quidem & tunc à Filio Dei facta est, & postea sæpe repetita in colloquiis cum patribus, & tãdem sonuit per eum, cùm induta carne promulgauit Euangelium. Ex hac historia primorum parentum discamus discrimen inter Legem & Euangelium, deinde gratias agamus Deo æterno, quòd hoc mirabili consilio, seruato ordine iustitiæ & misericordiæ, liberauit genus humanum ab æterna ira, & in pristinam dignitatem ac libertatem vindicauit.

Filius est orator Patris. In principio erat λόγος, & omnia per ipsum facta sunt. Ergo & hoc per ipsum factum est.

Iohan. 8. Si Filius Dei vos liberauerit, verè liberi eritis, sci-

licet à peccato, à morte æterna, à maledictione Legis, abira Dei, à tyrannide Diaboli, & restituemini in integrum, in possessionem antiquæ gratiæ, iustitiæ & vitæ.

Soleo iunioribus declarandi caussa, vt rectiùs intelligant hoc primum discrimen, recitare sermonem non insuauem, neque inerudi tum D. Bernardi, qui in concionibus de annuntiatione hanc imaginem vel προσωποποιίαν, vel διαλογισμὸν proponit. Cùm genus humanum esset lapsum in paradiso, tristissima fuit facies totius naturæ rerum, præcipuè verò & præ reliquis creaturis omnibus in luctu & squalore fuerunt angeli beati, qui doluerunt genus humanum, excusso gubernatore Deo, & amissa vita æterna, mox ruiturum esse in mortem perpetuam, maximèq; miserabilem. Neque verò quidquam vel consilij, vel officij conferre potuerunt, ad reuocandum à morte & æterna damnatione genus humanum, præter pia vota & preces, quibus ardentissimè optauerunt, vt Deus ipse inueniret remedium opponendum tam graui & periculoso morbo. Non poterant igitur primi parentes post lapsum, aut suis, aut angelorum, aut vllius creaturæ consiliis iuuari, sed quod ad opem creaturarum attinet, iam erat actum de ipsis, & omnia erant planè deplorata ac desperata. Quid igitur fiebat? Hîc inter se disceptabant grauissimis verbis & sententiis duæ virtutes, iustitia & misericordia. Nam iustitia proponebat Deo regulam Legis, quæ profectò est æterna & immota, vt testatur Christus apud Matth. cap. 5. Cœlum & terra transibunt, verba autem Legis non transibunt, nec transibit vllus apex, aut vllum iota, donec omnia compleantur. Congruebat autem iustitiæ & Legi diuinæ, vt Deus esset seuerissimus executor pœnæ, quam ante lapsum denuntiauerat primis parentibus. Quacunque die comederitis ex arbore prohibita, scientiæ nimirum boni & mali, in æternum peribitis, vel morte moriemini, quod idem est. Hinc igitur extruebatur conclusio, angelis & hominibus insolubilis & inextricabilis, de perpetua abiectione primorum parentum in æternos cruciatus. Summa enim totius orationis & accusationis, qua vtebatur iustitia, hoc ferè Syllogismo comprehendebatur: Iustitia Legis est æterna & immota, & necesse est Legi satisfieri, vel per integram obedientiam sine peccato, vel per sufficientem & æqualem pœnam. Sed homines non præstiterunt obedientiam huic regulæ mentis diuinæ, æternæ & immotæ. Quare sustineant pœnas graues iustasque, ideò, quas sua contumacia & inobedientia meruerunt.

Quid

Quid quæsò grauius, quid terribilius audiri poterat à primis parentibus alioqui consternatis, hac terribili & formidabili accusatione iustitiæ diuinæ? Ex alia verò parte stabat misericordia fidelis patrona miserrimi hominum generis, quæ etsi non poterat negare vllam propositionem in Syllogismo iustitiæ, ac multò minùs reiicere ipsam cõclusionem: Omnia enim verissima sunt, quæ dixit iustitia: tamen preces, gemitus & lachrymas Deo adhibebat, & quasi hanc vocem Prophetæ Deo subiiciebat: Domine, cùm irasceris, misericordiæ recorderis: quasi diceret: Fateor tuam iram esse iustissimam, & summo iure posse rapi ad æterna supplicia miserrimos homines; sed tamen non capiat te obliuio tuæ bonitatis & misericordiæ, quæ non minor in te virtus est, quàm iustitia. Ac tales quidem erant contrariæ orationes iustitiæ & misericordiæ. Tandem verò Filius Dei, consilium hoc subiecit: Moriatur iustus pro peccatore, & satisfiet iustitiæ & misericordiæ diuinæ. Sed cùm nullius creaturæ iustitia opponi posset magnitudini peccati generis humani, redierunt virtutes illæ ad Filium Dei, vbi, vt semel omnia dicam, misericordia anteuertens suo sermone iustitiam, exclamauit, Qui dedit consiliũ, ferat opem & auxilium. Hoc sermone blando & supplici permotus Filius Dei, non tantùm fuit consiliarius, sed etiam auxiliarius, & in se transtulit pœnam nostrorum peccatorum, sicut inquit Paulus 2. Cor. 5. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos essemus iustitia Dei per eum. Et Esaias cap. 53. propter scelus populi mei percussi eum, ipse vulneratus est, vt nobis pax & venia cõcedatur, & liuore eius nos sanati sumus. Huic nostro mediatori, cõsiliario & auxiliatori vnico in media morte agamus sempiternas gratias, & gratitudinem non tantùm verbis declaremus, sed quantum fieri potest, adiutore Spiritu sancto, officijs omnibus pietatis, iustitiæ, veritatis & aliarum virtutum. Scio, me non ita hæc recitare posse, vt rei vel amplitudo, vel suauitas postulat, sed tantùm volui præbere occasionem aliis, qui eruditione & eloquentia antecellunt, vt tales imagines aut versibus, aut soluta oratione pingant, & non tantùm ducant extrema lineamenta, vt à nobis est factum simplicissimè, breuissimè & nudè, sed addant viuos colores.

Et hactenus quidem de primo discrimine Legis & Euangelij, quod sumitur à notitia, satis dictum esse videtur. Nunc igitur accedemus ad secundum discrimen, quod faciunt ipsæ promissiones. Lex diuina, vt suprà centies audiuistis, postulat integram obedien-

tiam ſine peccato & ſine praua concupiſcentia, iuxta dictum, Non concupiſces, & pro hac obedientia, id eſt, pro ardenti amore Dei, & puro amore proximi promittit bona non ſolùm præſentia, quę ſunt caduca, fugacia & euaneſcentia, ſed etiam æterna, iuxta dictũ: Qui fecerit hæc, viuet in eis. Videtis igitur & ipſam Legem, & promiſſiones additas Legi poſtulare conditionem integræ obedientiæ ſine peccato. Hanc verò conditionem nemo hominum in hac deprauatione naturæ habet, ac ne quidem habere poteſt. Nemo enim hominum Legi ſatisfacit, nec quiſquam eſt ſine peccato. Si dicimus nos non habere peccatum, inquit Iohannes in Canonica epiſtola, non ſumus veraces. Si autem confitemur habere nos peccata, habemus aduocatum apud Deum &c. Alia verò eſt, & quidem longè alia promiſsio Euangelij, quæ non concionatur de noſtra dignitate & ſatisfactione, ſed de Mediatore, quem propoſuit Deus propiciatorem in ſanguine ſuo per fidem, vt Paulus loquitur Rom. 3. Nec aliud poſtulat Euangelij promiſsio, niſi ſolam & vnicam fidem, vt Rom. 4. Paulus inquit: Ideo ex fide gratis, vt ſit firma promiſsio. Et Galat. 3. Iuſtus fide ſua viuit. Item: Qui ſunt ex fide, ſunt filij Abrahæ, & benedicentur cum fideli Abraham. Quare ſi vultis Dialecticè ſecundum diſcrimen memoria comprehendere, ſic facite. Sicut Lex & promiſsio addita Legi, habent ſe correlatiuè ad noſtra opera & ad noſtram dignitatem, ſeu ad noſtra merita, & hac conditione ceſſante, ceſſat etiam ipſa promiſsio Legis, reſpectu noſtri, ita Euangelium proponit Mediatorem, ſiue, vt Baptiſta ait, agnum Dei tollentem peccata mundi, & habet ſe correlatiuè ad ſolam fidem, ſicut viciſsim & ἀνάπαλιν fides habet ſe correlatiuè ad promiſsionem Euangelij. In hoc exemplo cernitis vſum præceptorum, quæ traduntur de prædicamento relationis, præſertim eius regulæ, in qua dicitur, Cuilibet relatiuo reſpondet ſuum correlatiuum. Sicut igitur Pater habet ſe correlatiuè ad Filium, & viciſsim Filius ad Patrẽ & ita eſt mutuum iter inter promiſsionem Euangelij & fidem, ſeu fidei & promiſsionis Euangelij. Hæc declarabimus aliquantò pluribus verbis.

Secundò differunt Lex & Euangelium promiſsionibus.

Vtraque doctrina habet ſuas promiſsiones, ſed hæ ſunt diſsimiles, & in infinitum diſtant.

Duę ſunt autem illuſtres differentię promiſsionum legalium, &

& promissionis, quæ est Euangelij propria, scilicet expressa mentio redemtoris, & particula gratis. Mirando temperamento iustitiæ & misericordiæ tolluntur peccatum & æterna ira. Recipimur enim immensa misericordia propter Filium deprecantem pro nobis. Sed tamen voluit Deus Legem suam non irritam esse, voluit iustitiæ suæ satisfieri, & solui pœnam per aliquem in genere humano. Itaque in Filium deprecatorem effusa est ingens ira, cuius magnitudinē nulla creatura vel intelligit, vel sustinere potest.

Quòd nemo satis intelligat magnitudinem iræ Dei, testatur Psal. 99. Mosi viri Dei. Quis, inquit, Domine, nouit potentiam iræ tuæ, aut quis metuit iram tuam? Quòd autem nemo possit sustinere iram Dei, si exardescat, vt nostra peccata merentur, testis est psal. 130: Si iniquitates obseruaueris, Domine, quis sustinebit? Ideo Ierem. cap. 10. cogitans de magnitudine iræ Dei, & pœnarum, exclamat: Corripe me, Domine, non in furore tuo, sed in iudicio, id est, cum quadam mitigatione & moderatione, cum quadam ἐπιεικείᾳ, ne ad nihilum redigas me. Et Dauid Psal. 6. in eandem sententiam precatur: Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, sana me, Domine, quoniam infirmus sum &c. Hæc dicta satis declarant hoc ἀδύνατον, quòd nemo possit aut intelligere satis, aut sustinere magnitudinem iræ Dei, **Es ist nicht eines Menschen oder Fürsten zorn/ dem man kan entlauffen/** vel mutatione loci, vel migratione ex hac vita, vel aliis modis multis.

Quod igitur ad nostra merita attinet, gratis tolluntur peccatum & ira æterna, sed simul intueamur Filium Dei, qui pœnam pro nobis persoluit. Sic Prophe
ta inquit, Quia ponet animam suam hostiam pro peccato. Esaias cap. 53.

Ipse pœnam sustinet, vt nobis pax concedatur, & liuore eius, vulneribus eius, plagis eius nos sumus sanati. Quid potest dici dulciùs? In veteri translatione legitur: Disciplina pacis nostræ. Sed hoc obscurè dicitur. Clarius est in eadem sententia, Ipse sustinet pœnam, vt nobis pax concedatur.

Et ipse Dominus inquit Quando legitis hoc dictum

Matth.20. Venit Filius hominis, vt det animam suam λύτρον pro multis.

Matth. cap. 20. veniat vobis in mentem harum maximarum rerum, primùm iræ & iustitiæ Dei, deinde magnitudinis peccati, tertiò misericordiæ diuinæ, quartò φιλανθρωπίας & humilitatis in Filio Dei. Hæc enim omnia cernuntur in Christo crucifixo pro nobis, & tradito propter peccata nostra. Nam ex magnitudine remediorum facilè æstimari possunt morborum magnitudo & atrocitas, iuxta aphorismum Hippocratis sæpe recitatum: Extremis morbis extrema remedia opponenda sunt. Venenis, quæ sunt mortifera, non opponimus quotidianas doses & potiunculas, sed vel theriacam, vel Mithridaticũ, vel aliud ἀντιφάρμακον, cuius vis fortior est, quàm veneni: ita nos aspicientes Filium Dei pendentem inter duos latrones, Dominum gloriæ, vt ait Paulus, crucifixum, cogitemus, quanta res sit peccatum nostrum, & quàm iusta sit ira Dei aduersus hoc malum, & quòd non potuerit placari vlla alia victima, nisi sanguine huius agni immaculati, simul etiam cõsideremus misericordiam Dei, & beneficium Dei immensum & inenarrabile, quòd seruato ordine iustitiæ & misericordiæ decreuerit, vt hic Filius fieret homo & victima pro nobis: postea agamus ipsi Christo gratias, quòd ardens amore nostri & salutis nostræ, propter nos homines, & propter nostram salutem, vt canimus piè in Symbolo Niceno, descenderit de cœlo, & homo factus sit, & admiranda humilitate sustinerit nostra probra, nostros reatus & pœnas, quas nos eramus meriti. Verè enim Filius Dei de se dixit in Psal. 69. Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Quid significat zelus? significat affectum mixtum ex amore & ira, Ein eifer, vt in Magistratu debet esse zelus, id est, amor iustitiæ & veritatis, & acerrima ira & indignatio aduersus omnia iniusta facta, & aduersus omnia mendacia. Sic in Sponso est zelus, id est, ardens & verus amor sponsæ, & indignatio aduersus eos, qui spõsam alienare aut rapere conantur. Sic in Filio Dei est zelus domus Dei, id est, verus amor erga Ecclesiã, qui impulit Christum, vt è cœlo ad nos descenderet, non localiter, vt pueri imaginãtur, sed assumta natura humana, & fieret pro nobis in natura humana victima Deo grata, & placans iram Dei. In eodem versu dicitur: Et probra exprobrantium tibi ceciderunt super me, id est, peccata totius generis humani, quæ verè sunt probra deformantia hanc miseram massam,

massam, & simul lædentia gloriam Dei: quia in omni peccato voluntario est contemtus Dei. Hæc ideo dico, quia nunc omnes pij in cœlo & terra, & meditantur, & debent meditari historiam passionis Domini nostri Iesu Christi, de qua etiam intelligatur hoc dictum Matth. 20. Venit Filius hominis dare animam suam λύτρον pro multis.

Quanquam autem Legi additæ sunt promissiones: tamẽ quia postulant conditionem impletæ Legis, hæ promissiones nihil prosunt animæ, cùm nemo Legi satisfaciat, nisi priùs donata sit remissio peccatorum propter Mediatorem: at promissio Euangelij affirmat, omnibus hominibus donari remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iustitiæ, Spiritum sanctum, & hæreditatem vitæ æternæ, propter Mediatorem gratis, non propter Legem, aut nostram dignitatem. Sed hanc promissionem fide & fiducia Filij accipi oportet. De hoc discrimine Paulus concionatur Rom. 4. Ideo ex fide gratis, vt firma sit promissio, quasi dicat, Promissio pendens ex conditione Legis est incerta, promissionem reconciliationis oportet esse ratam, firmã & certam. Ergo promissio reconciliationis gratuita est, nec pendet ex cõditione Legis, sed accipitur sola fide, non propter Legem & operum dignitatem.

Scilicet respectu nostri. Nobis est irrita & inutilis, non loquimur de absoluta promissione, sed de relatiua.

Ego non frustrà vos detineo in cogitatione horum discriminum, seu harum differentiarum Legis & Euangelij, quia hęc sunt vera fundamẽta articuli iustificationis, qui mox sequetur post hũc titulum. Si quis enim non rectè percepit hæc initia, quæ nunc proponuntur, is postea nunquã dextrè potest discere, & ad vsum transferre articulum iustificationis. Quare si magnifacitis, vt haud dubiè facitis omnes, præcipuum caput nostræ doctrinæ de remissione peccatorum, siue de iustificatione, sit vobis hęc doctrina, quam nũc repetimus & inculcamus, commendata. Quanquam Dei beneficio non est noua, nec inaudita, sed sonat in templis & scholis omnium voce: tamen cùm ordo & series locorum postulet, vt à nobis etiam hac de re dicatur: veniam nobis dabunt adultiores, quòd vtimur puerili quadam ratione docendi, & eam attemperamus ad imbecil

litatem iuniorum. Considerate totum locum Pauli Rom. 4. quia est plenus eruditione, & consolatione. In cap. 4. vt scitis, ad Romanos, instituit Paulus confirmationem eius propositionis, quæ est recitata in fine capitis tertij. Cùm enim in cap. 3. dixisset, Decernimus hominem fide iustificari sine operibus Legis, mox in sequenti 4. capite addit confirmationem luculentam & perspicuam, & inter alia, quę nunc non recitabo breuitatis causſa, hoc argumentum maximè vrget, in quo etiam est præcipuum fundamentum articuli iustificationis. Si, inquit, ex Lege sumus hæredes, scilicet vitæ æternæ, (non loquitur de bonis corporalibus in illo cap. principaliter) quid sequitur? promissio est otiosa, promissio scilicet Euangelij, & nostra fides est irrita, seu inanis. Cur dicit promissionem Euangelij esse otiosam, si simus ex Lege hæredes? Ratio est perspicua, quia nauis nostra, id est, salus nostra, nec potest, nec debet niti duabus anchoris. Domus nostra non debet habere duo fundamenta, sed contenta est vnico fundamento, sicut Paulus alibi inquit, Fundamentum aliud non potest poni &c. Iam si sumus ex Lege hæredes, frustrà proposita est Euangelij promissio de Mediatore, & ipse Mediator est otiosus, nullas habet actiones, nullum officium in Ecclesia, sed est tantùm auditor & spectator Legis diuinæ. Quis autem dicet in Ecclesia otiosum esse ipsum Mediatorem, promissum primis parentibus, & postea patribus, & Prophetis, & tandem missum ad nos miseros homines in carne nostra, crucifixum & resuscitatum, & iam regnantem ad dextram Patris. Quod autem de ipso Mediatore verum est, id non minus valet de promissione, quæ monstrat Mediatorẽ quasi digito, vel potiùs eum exhibet, & nobis applicat. Deinde & hoc sequitur, fidem nostram esse inanem & irridendam, esse tantùm inane nomen, & inane somnium, quia cui nulla res subest, id certè est inane & irridendum. Fides verò nitens seu acquiescens in Lege diuina, sine Mediatore, non cõsequitur res, quas petit & expectat, sed fallitur, quia petit à Lege remissionẽ peccatorum. Id perinde est, ac si nauis in magna tempestate supplicet scopulo. Sicut autẽ nauis in hoc casu non potest iuuari à scopulo, nec iuuatur, imò quò propiùs accedit ad scopulum, eò magis periclitatur: sic inquit Paulus, Lex iram operatur, & ostendit iram Dei, & per accidens excitat in nobis fremitum aduersus Deum, seu aduersus iudicium Dei. Videtis igitur Maiorem Syllogismi probè esse confirmatam & munitam hac ratione, Lex iram efficit. Si ex Lege sumus hęredes, & otiosa est promissio

missio, & otiosus est Mediator, quod est blasphemum, & fides nostra inanis est. Sequitur iam Minor & conclusio vnico dicto comprehensa à Paulo, sicut est breuis Dialecticus: Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio. Hæc verba nos docendi caussa sic euoluimus, & redegimus in formam Syllogismi, quem annotastis. Oportet promissionem reconciliationis, seu remissionis peccatorum & vitæ æternæ nobis, nobis inquam, respectu nostri esse certam, firmam & ratam, alioqui nullam haberemus consolationem, si tantùm iactaremur ventis dubitationum. Sed hęc promissio, pendens ex conditione Legis & operum nostrorum, fit planè incerta, fit irrita, fit otiosa. Ergo necesse est aliunde eam pendere, & alio fundamento niti, non arena nostrorum operum, quæ cedit tempestatibus & fluctibus, & ventis contrariis, sed firmissimo fundamento, firmissima petra, quæ est Mediator, de quo inquit Petrus. Act. 4. Non est in vllo alio salus, nec est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri. Non frustrà hæc declaro, sed præparo vos paulatim ad doctrinam sequentem de iustificatione. Nam hic Locus est quædam παρασκευὴ, & præparatio ad sequentem explicationem doctrinæ de iustificatione.

Tertiò differunt Lex & Euangelium effectibus. Ministerium [*prædicatio*] Legis sine voce Euangelij, est tantùm ministeriũ mortis, id est, aut est politica disciplina, quæ est externa gubernatio, & frenum potentiæ locomotiuæ, vt nominamus, aut est iudicium, quo Deus ostendit in corde hominis horrendam iram aduersus peccatum. De quo iudicio dicitur Esaiæ 38. Sicut leo contriuit omnia ossa mea, & Paulus Rom. 3. ait, Per Legem cognitio peccati. & Rom. 4. Lex iram operatur. Manifestum est autem, non tolli peccatum & mortem iudicio illo & sensu iræ Dei, sed etiam hunc ipsum sensum iræ Dei esse pauores & dolores tristiores ipsa morte corporis, & initium æternarum pœnarum, nisi voce Euãgelij per Filium Dei homo liberetur, sicut scriptum est [*1. Cor. 5.*] Aculeus mortis peccatum, potentia peccati Lex. Gratia autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Præterea disciplina externa nec tollit peccata, nec meretur remissionem peccatorum, nec est impletio Legis. Sed Euangelium est ministerium Spiritus & vitæ, vt 2. Cor. 3. dicitur, id est, vox, qua

Deus credenti remittit peccata propter Filium, & dat Spiritum ſanctum, quo corda in illo ſenſu iræ Dei, & in pauoribus eriguntur, & ex doloribus inferorum eripiuntur, & ſentiunt pacem & lætitiam in Deo, & initia vitæ æternæ.

Hoc tertium diſcrimen vno verſu, vna ſententia complectitur mater Samuelis Prophetæ 1. Reg. 2. inquiens, Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. In hoc verſiculo Annæ matris Samuelis, perſpicuè diſcernuntur effectus vtriuſq; doctrinæ, Legis & Euangelij. Nam Lex mortificat & deducit hominem ad inferos, id eſt, monſtrato peccato & ira Dei aduerſus peccatum incutit cordi humano pauores & dolores, qui ſunt triſtiores ipſa morte corporis, & niſi accedat conſolatio Euangelij, ſunt initia & guſtus mortis æternæ. De hoc effectu Legis inquit ſanctiſsimus Rex Ezechias graui & mortifero morbo oppreſſus, Eſaiæ cap. 38. Sicut Leo contriuit omnia oſſa mea. Et Dauid Pſal. 38. Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & non eſt ſanitas in carne mea. Euangelium verò viuificat & reducit ab inferis hominem, id eſt, efficaciter cõſolatur corda contrita & humiliata, & inſtillat vulneribus cordis balſamũ ſaluberrimum, quod efficaciter ſanat non tantùm cicatrices, ſed etiam ipſa vulnera, & affert cordi pacem & gaudium in Spiritu ſancto, vt loquitur Paulus Rom. 14. Quòd autem hi ſint effectus Legis & Euangelij, teſtantur dicta, quæ annotaſtis. De Lege quidem inquit Paulus Rom. 3. Lex eſt agnitio peccati, quaſi dicat: Lex nõ tollit nec delet peccatum, ſed tantùm eſt ſpeculum monſtrans peccatũ & iram Dei. Et Rom. 4. Lex iram operatur. & Rom. 7: Per Legem peccatum fit excellenter peccatum. & 1. Cor. 15. Aculeus mortis eſt peccatum, ipſius verò peccati potentia eſt Lex. & 2. Cor. 3. Lex appellatur miniſterium mortis, quia mortificat & deducit ad inferos, vt verbis Annæ vtar, matris Samuelis. De effectu Euangelij dicit Paulus 2. Cor. 3. Euangelium eſt miniſterium Spiritus & vitæ: id eſt, vox, qua Deus credentibus annuntiat & donat remiſsionem peccatorum, & Spiritum ſanctum, qui Spiritus, vt piè canit Eccleſia, eſt in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium. Sicut enim calor, quem excitat Sirius ſeu Canicula, mitigatur aſpiratione leni ventorum, qui vocantur Eteſiæ, id eſt, anniuerſarij: ſic Spiritus ſanctus temperat & mitigat æſtum: id eſt, Senſum iræ Dei, quam neceſſe eſt omnes homines ſentire, vel in hac vita, vel in ipſa morte.

Tutius

Tutius est autem, & longè præstat, hominem, cùm adhuc valet & floret, mortificari & deduci ad inferos, quàm in extremo actu vitæ imperitum talium rerum opprimi sensu iræ Dei: ita hoc discrimen sentitur in cordibus, non constat inani & otiosa speculatione.

Quid? quòd Lege promulgata constituitur certa politia, & adduntur glorioſæ liberationes corporales, eductio ex Ægypto, & multæ admirandæ victoriæ, repressio cursus Solis, & alia incurrentia in oculos multarum gentium, & quæ proderant vniuersæ multitudini sanctorum & non sanctorum. Euangelij verò promulgatio non habet similem politicam gloriam, nec constituit politiam mundanam: sed colligit alibi alios auditores in diuersis politiis, & est ministerium, quo in eis inchoantur iustitia & vita æterna. Interea verò in hac mortali vita manent auditores subiecti cruci & ingentibus ærumnis.

Iosuæ 10.

Id est, hypocritarum.

Dic mihi, quis est principalis effectus caloris in rerum natura? Volumus enim hoc exemplo declarare, quod nunc annotastis. Calor principaliter congregat homogenea, & disgregat heterogenea, vt in officinis metallicis magna vis flammarum congregat massas argenti, & reliqua metalla, & feces segregat à massis argenti. Eiusdem effectus exempla cernimus quotidie in nostris focis. Hic est effectus principalis ipsius caloris: posteà calor habet alios effectus vberiores, seu minùs principales, videlicet aperire obstructiones, elicere & euocare humores ex corpore quocunque, sicut videtis calorẽ Solis nunc aperire terram, & educere vapores & exhalationes ex terra. Hoc exemplum propono, vt intelligatis id, de quo iam dicendum nobis est. Principalis effectus Legis est mortificare & deducere ad inferos, hoc est, accusare & perterrefacere conscientias. Principalis Euangelij effectus est viuificare, cõsolari & reducere ex inferis hominem. Ad hos effectus principales accedunt alij minùs principales, seu vlteriores, videlicet, quòd promulgatio Legis coniuncta est cum politica gloria, quæ est constitutio certæ politiæ ad Iordanem inter Syriam & Aegyptum, & defensio ac conseruatio huius politiæ vsque ad Messiæ aduentum, & multæ glorioſæ & mirandæ victoriæ, Euangelium

verò non habet talem gloriam, quia πόλιτευμα, vt Paulus ait Philipp. 3. non est in terra, sed est in cœlo, vbi est Christus ad dextrā Dei, quem expectamus rediturum ad nos. Sic de regno Christi dicit Zacharias Propheta, cap. 9. Ecce rex tuus venit tibi pauper, sedens super asinum &c. Quare Ecclesia collecta voce Euangelij non est alligata certo loco & certæ politiæ, sed est dispersus cœtus in variis politiis & regnis cruci subiectus, vt dicit Sophonias Propheta, cap. 3. Reliqui in mundo populum egentem, & pauperem, & sperantem in nomen Domini.

Quartò, Differunt Lex & Euangelium obiectis. Etsi vult Deus vocem Legis & Euangelij à toto genere humano exaudiri, vt omnes intelligant, se reos esse, & omnes quærant Mediatorem:

Seu applicatione: quia applicatio fit ad obiecta.

Prædicate Euangelium omni creaturæ.

Paulus Roman. 11. Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur: conclusit, scilicet voce & ministerio Euangelij, repetentis ac declarantis Legem: omnia, id est, omnes homines sub peccato, quia omnes sunt rei & digni morte æterna. Quare? vt omnium misereatur, vt omnes confugiant ad Mediatorem.

Tamen hac ὀρθοτομίᾳ publicè & priuatim vtendum est, vt Lex quidem ostendat iram Dei prophanis & hypocritis: Euangelium verò consternatos recreet & reficiat.

Sectione, partitione, distributione.

Verbum ὀρθοτομεῖν, id est, rectè secare, vsurpatur à Paulo in posteriore ad Timoth. cap. 2. & est metaphora sumta à sacrificiis, in quibus ars erat rectè secare, seu rectè partiri mẽbra. Nam alia cremabātur Deo, alia membra dabantur sacerdotibus, vt cauda, & adeps cremabantur Deo, baiuli seu harmi dabātur sacerdotibus, vt inde viuerent cum suis familiis. Ita Paulus iubet doctorẽ in Ecclesia ὀρθοτομεῖν, id est, rectè distribuere sermonem veritatis: hoc est, non tantùm distinguere Legem & Euangelium conspicuis limitibus, tanquam in iudicio regundorum finium, sed etiam rectè applicare singulis conuenientia. Sicut enim pater familiâs aliis dat lac, aliis vinum, aliis cereuisiam, aliis aquam, vt cuiusq; ætas & valetudo postulat:

postulat: ita in Ecclesia aliis Lex est proponenda & acuenda, aliis applicandum remediũ Euangelij. Verum quidem est, in publico ministerio oportere vtramque vocem sonare, & exaudiri à toto genere humano, sed tamen sapiens concionator ita temperet suas conciones, vt dicat congruentia locis, temporibus & personis, ac reliquis circumstantiis. Si videt concionator auditores suos esse deditos voluptatibus, & nihil aliud quærere, quàm instrumenta voluptatum, proponat eis dicta cœlestia, quæ ebrietatẽ, luxum in cibo, potu & vestitu & cognata vitia prohibent & damnant. Si videt auditores suos esse vsurarios, sæpe dicat de vsuris, & sic deinceps de ceteris. Quando autem animaduertit consternatos esse auditores, vel metu pœnarum publicarum, vel metu mortis, vel sentire aculeos peccati & iræ Dei in cordibus, ibi, in aliud tempus dilata concione Legis, annuntiet vocem Euangelij, & quos antea deduxit ad inferos, eosdem nunc reducat: hoc est ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.

Nam in publico munere docendi seueriſsimè taxanda est securitas Epicureorum & hypocritarum, qui etsi vera profitentur, nec sunt polluti externis sceleribus, tamen viuunt sine pœnitentia, & magis amãt voluptates & opes, quàm Deum. Talibus proponenda & inculcanda est Legis sententia, de qua Ieremiæ 23. dicitur: Nónne verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram? Rursus etiam erigendi & consolandi sunt dulciſsima prædicatione Euangelij, qui sentiunt vim & onus Legis, & à pauoribus inferorum liberari vehementer cupiunt, atque exoptant, iuxta illud, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos; & Esaiæ 61. Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me, vt consolarer omnes lugentes.

Ego nemini quidquam præscribo, neque mihi sumo potestatem quidquam mutandi, aut reformandi: sed memor sum meæ vocationis, & Spartulam, quam nactus sum, vtcunque ornare conor. Sed sæpe soleo dicere in familiari colloquio ad amicos, qui candidè verba amicorum accipiunt & interpretantur, Si essem concionator hoc tempore, vbicunque tandem, ego in anno ter aut quater tractarem materias Euangelicas. Reliquas conciones magna ex parte consumerem in prædicatione Legis & pœnitentiæ. Quare? Quia tanta est nunc hominum securitas, tãta prophanitas, loquor de ma

xima multitudine, paucis exceptis, vt tantùm transferant ad ἀσέλγειαν, vt ait Iudas in ſua Epiſtola, dulciſsimas & gratiſsimas conſolationes Euangelij, & abutantur ſapientia Chriſtiana, ſanguine Chriſti parta, & ſibi ipſis ſubiiciant dulces conſolationes inani quadam & otioſa ſpeculatione, quæ ſe ipſos fallunt & decipiunt, cùm nondum ſenſerint vllos pauores aut dolores propter peccata. Talibus autem, vbicunque ſunt, hîc, vel alibi, proponenda aſsiduè eſt, & inculcanda Lex, & proponenda exempla iræ Dei & pœnarũ, vt exemplum diluuij, delectionis Sodomæ, interitus Pharaonis &c. vt vel hoc modo, ſi fieri poſsit, ad pœnitentiam reuocentur, poſtea vbi vel in priuata confeſsione, vel ex aliis quibuſdam ſignis fuerit animaduerſum, eſſe in cœtu auditorum cõſternatas aliquas mentes, his remedium tempeſtiuũ eſt adhibendum. Dicam de noſtra ſchola, quæ aliqua ex parte ad meam inſpectionem & curam pertinet, tanquam indignum Lectorem. Ego multos iam menſes tractaui in hac ſchola legales materias, & nullam partem magis vrſi, quàm Locum de caſtitate, ſed verè vſuuenit, quod ille queritur apud Terentium, Hîc ſi quis bene præcipiat, nemo eſt, qui obtemperet. Audio, quoſdam ex ſcholaſticis, quos ſpero non multos eſſe, ſed quoſdam tamen audio adhuc ſe polluere vagis libidinibus, & non parcere Eccleſiæ Dei, ſed tanquam vpupas conſpurcare & contaminare nidum ſuum, hoc eſt, proprium corpus, & deinde illum cœtum, in quo verſantur. Quid eſt hac turpitudine indignius? Et tamen tales nebulones gloriantur ſe eſſe ſcholaſticos Chriſtianos, & volunt videri optimi. Talibus nebulonibus nihil niſi malleus conterens petras, & ignis iræ Dei erat proponendus, non balſamum Euangelij. Qui ſunt innocentes & immunes, agant Deo gratias, ſed alij, ad quos hæc pertinent, emendent ſuos mores, & ſuam vitam.

Priuatim verò in cuiuſque vita hic ordo ſeruetur, vt nobis ipſis ſecuritatem excutiamus cõminationibus Legis & exemplis horribilium pœnarum. Contrà verò in magno concurſu pauorum & dolorum ad aram Euangelij præſidiúmque confugiamus. Hoc ordine ſeruato, exiſtent in animis timor & fides. Sed quàm arduum & difficile ſit, his limitibus diſtinguere Legem & Euangelium, omnes pij norunt, qui non ſunt rudes & ignari exercitiorum ſpiritualium. Libet igitur cum reuerendo viro D. Luthero exclamare: Qui bene nouit diſcernere Legem & Euangelium,

non

non ſolùm verbis, ſed in ipſo vſu, vita & affectu, is agat Deo gratias, & ſciat ſe eſſe Theologum. Magnum Doctorem Eccleſiæ.

Mementote hoc epiphonema ſummi viri, quod extat in Commentariis Epiſtolæ ad Galatas. Aliud eſt ſola notitia & oratione diſcernere Legem & Euangelium, & aliud, ad vſum transferre hoc diſcrimen. Si quando ſentis te eſſe ſecurum, propone tibi Legem, & acue eam, non negligenter tibi propone Legem, non frigidè, ſed ardenter. Collige exempla pœnarum publicarum & priuatarum. Ita paulatim tibi excutietur veternus & ſecuritas. Quando autem ſentis, te conſternatum eſſe propter quaſcunque cauſſas, præſertim propter peccatum & iram Dei, tunc tanquam ſupplex confugias ad aram Euangelij, & inde petas conſolationes & remedia dolorum. Si poteris ita diſtinguere hæc duo genera doctrinarum Legis & Euangelij, ſcias te eſſe Theologum, ſed quàm ſit hæc ars difficilis, teſtabitur aliquando experientia.

Refutatio imaginationis de triplici Lege.

CAP. IV.

TOTVM Locum, vt meminiſtis, de diſcrimine Legis & Euangelij, in ſex capita docendi cauſſa diſtribuimus, quorum tria priora hactenus ſunt expoſita. Primùm enim diximus, quid ſit philoſophia, quid Lex, quid Euangelium. Has enim definitiones omnibus notiſsimas eſſe oportet. Secundo loco monſtrata ſunt diſcrimina philoſophiæ & Euangelij, ne quis faciat perniciosam confuſionem ſapientiæ rationis, & ſapientiæ Euangelj, quæ eſt propria Eccleſiæ. Tertio loco expoſita ſunt quatuor diſcrimina Legis & Euangelij, quorum primum ſumitur à notitia, ſecundum à promiſsione, tertium ab effectu, poſtremum ab obiectis. Hæc quidem hactenus ſunt tradita. Quæ ideo diligentiùs conſiderent ſtudioſi, vt ſenſim præparentur ad ſequentem Locum de inſtificatione, qui eſt præcipuum caput

noſtræ religionis. Qui enim non rectè didicit diſcernere Legem ab Euangelio, is poſtea ſæpe hallucinatur & impingit in doctrina de iuſtificatione. Nunc verò in quarto capite breuiter refutabimus inueteratum errorem de triplici Lege. Quòd autem non faciamus iniuriam Papiſtis, præter alia multa teſtantur Biblia ante annos 30. & 40. typis edita, in quorum veſtibulo hæc diſtinctio ſacrorum librorum ad faſtidium vſq; inculcatur: Omnes libri ſacræ Scripturæ veteris & noui Teſtamenti, aut ſunt legales, aut hiſtoriales, vtar enim ipſorum verbis, aut ſapientiales: Et accommodantes Papiſtæ hanc diſtinſtionem ad nouum Teſtamentum, dicunt, quatuor Euangelia eſſe libros legales, ſeu libros nouæ Legis, quam vocant Euangelicam. Hiſtoriam Apoſtolorum, ſeu librum Actorum Apoſtolorum vocant librum hiſtorialem. Epiſtolas Pauli & aliorum Apoſtolorũ nominant libros ſapientiales. Hæc non ſunt ignota iis, qui maturitatem ætatis aſſecuti ſunt, & aliquando inſpexerunt libros ſuperiori tempore editos. Poſſent alia multa indicia & argumenta manifeſta huius aſſeuerationis afferri, ſi vel opus eſſet, vel tempus pateretur. Verſantur in aliquorum manibus ſcripta cuiuſdam Thelogi Louanienſis Latomi, in quibus hæc expreſsè ſcribuntur, quòd non aliter ſit iuſtificatus Abraham, quàm Cicero, & quòd non habuerit Abraham aliam, aut meliorem notitiam Dei, aut Chriſti, quàm Cicero. Ex quo infert hanc concluſionem, omnes religiones eſſe vnam religionem, & homines ſemper fuiſſe ſaluatos Lege ſeu operibus Legis, ſeu diſciplina honeſta. Hæc ideo dico, ne quis putet, nos hyperbolicè aut calumniosè aliquid fingere & exaggerare, quod non ita ſe habeat.

Refutatio imaginationis de triplici Lege.

Impius error eſt, fingere tres fuiſſe Leges, primam naturæ, ſecundam Moſaicam, tertiam Euangelicam, & ſaluatos eſſe homines propter opera Legis. Hic error execrandus eſt; & ſciẽdum, vnam & eandem eſſe Legem, moralem, cuius ſumma in Decalogo comprehenſa eſt, quæ eſt æterna, congruens cum mente diuina, & cuius notitia in creatione generi humano inſita eſt, ſicut notitia numerorum. Itaque ſemper nota fuit patribus, & aliis hominibus, & fuit ac erit eadem in omni æternitate, quæ præci-

Dabo Legem meam in corda pit,

pit, quales nos esse, & quæ facere oportet, & quidem postulat integram obedientiam, & damnat non præstantes integrã obedientiam, iuxta illud: Maledictus, qui non manet in omnibus, quæ scripta sunt in Lege.

eorum, & in mentibus eorum scribam eam.

Recitabo vobis summam cõmenti aliquot seculorum de triplici Lege. Monachi aliquot seculis hanc opinionem in scholis, & in templis propagarũt, quòd videlicet homines ab Adam vsque ad Moysen habuerint Legem naturæ, id est, naturalem notitiã faciendorum & non faciendorum, & quòd huic Legi obtemperantes sint saluati Abraham & similes. Deinde dicunt, aliam Legem à Deo esse traditam per Moysen, & huius Legis obseruatione, seu obedientia homines saluatos esse vsque ad Christum. Postremò dicunt venisse Christum Dominum, & tradidisse nouam Legem, quam vocant Euangelicam, cui obedientes deinceps saluentur vsque ad finẽ mundi. In hoc commento miscentur vera falsis. Quòd dicunt in homine esse Legem naturæ, non est per se & simpliciter falsum, si rectè intelligatur. Quòd dicunt Legem esse à Deo traditam humano generi per Moysen, id etiam suo loco valet, sed tertium, quod addũt de Lege Euangelica, prorsus est commentitium & absurdum. Christus enim non venit in hunc mundum, vt ferat nouam Legem, sed vt saluos faceret peccatores, & vt esset minister Euangelij, quod ad doctrinam attinet. Verum quidem est, Christum enarrasse Legem, id est, Decalogum, vt Matth. 5, & aliâs sæpe. Verum & hoc est, & omnino concedendum, quod nemo sanus negat, Iohan. 13. & Iohan. 15. repetitum à Christo, & inculcatũ esse mandatum de dilectione. Sic enim inquit Christus Iohan. 13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem. Et Iohann. 15. Mandatum meum do vobis, vt diligatis vos inuicem: Sed ex his omnibus non sequitur consequentia, quam falsò addiderunt Sophistæ, quòd Christus sit Legislator, aut quòd Euangelium sit Lex, quia Christus nihil noui tradidit, quod ad Legem attinet, sed tantùm repetiuit & illustrauit dicta legalia, quæ passim extant in Moyse: Sicut enim in Decalogo dicitur, Diliges proximum sicut te ipsum: ita Christus dicit, Mandatum meum, vel mandatum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem. Non vocat nouum mandatum, quasi dicas, ignotum Ecclesiæ, inusitatum, inauditum, sed quia dilectio congruens cum hoc mandato

est rara virtus, imò rarissima, & verè rarior Phœnice, seu albo coruo, seu cygno nigro. Teneamus igitur quod verissimum est, non esse triplicem Legem in Ecclesia ab Adam, vsque ad postremũ mundi diem, sed tantùm esse vnam Legem moralem, congruentem cum mente diuina, cuius notitia transfusa est in creaturas rationales in ipsa creatione, & quia hæc notitia in homine post lapsum obscurata est, & multis dubitationibus impeditur, vt sæpe auditis has querelas, ideo Deus Legem moralem promulgauit sua voce in monte Sina, & summam inscripsit duabus tabulis. Hanc Legem moralem recitatam in Decalogo voce diuina postea semper enarrarunt in Ecclesia Prophetæ, Christus & Apostoli, nec nouam Legem tradidit Christus aut Apostoli, sed tantùm veterem, vt ita dicam, cãtilenam repetiuit & illustrauit. Hæc scire plurimùm prodest, quia iidem errores subinde repullulant, & eadem semper fabula agitatur in mundo, mutatis laruis.

Neque verò patres, nec alij vllo tempore acceperunt remissionem peccatorum propter sua opera, nec fuerũt iusti, nec hæredes vitæ æternæ operibus Legis, sed propter Filium Dei gratis fide acceperunt hæc beneficia redemtoris. Hanc sententiam confirmant multa dicta & exempla. Act. 4. Non est aliud nomen datum hominibus sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi nomen Iesu Christi.

Quid est obscuritatis in hac oratione? Non est aliud nomen: id est, aliud meritum, alia causa, quæ possit allegari coram iudicio Dei. Nihil est, quod possit opponi iudicio Dei, nisi nomen, id est, meritum vel obedientia Christi.

Act. 10. Petrus omnium Prophetarum consentientem vocem allegat: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Plena est exemplorum tota historia Prophetica. Sed nunc breuitatis causa exemplis primorum parentum & Abrahæ contenti erimus. Adam & Eua audientes promissionem de venturo semine, de quo dictum est: Semen mulieris conteret caput serpentis, sentiebant, se viuificari ex morte, & credebant, se iam recipi, & rursus placere Deo, propter venturum semẽ. Hac fide gratis, propter hunc venturum liberatorem erant iusti & hæredes vitæ æternæ, non propter Legem. Quia vtrumque perspicuè norant, se non fuisse

fuisse reuicturos ex pauoribus & morte, cùm accusarentur à Deo, si non audiuissent promissionem, & videbant deinde in sua natura destructam esse harmoniam cordis & Legis. Hanc horrendam destructionem, quia magis intelligebant, quàm nos, assiduis lacrymis deplorabant, & sciebant se nō esse iustos sua dignitate & suis meritis.

Lex est spiritualis, ego verò carnalis.

Nulla historia recitata à Prophetis debet nobis esse tam familiariter nota, quàm historia primorum parentum, quæ maximè declarat, quid sit peccatum, quid Lex, quid contritio, quid fides, & quæ sit ratio iustificationis & viuificationis. Denique nihil est præcipuum in doctrina religionis, quod non emineat in illa historia. Sed iam ceteris partibus omissis, dicamus de sententia proposita. Cùm primi parentes essent lapsi, senserunt in suo corde initia mortis æternæ, & nisi Deus immensa misericordia se rursus patefeciisset, edita promissione de venturo liberatore, de semine mulieris, haud dubiè extincta vita corporali, quæ iam de exiguo filo pendebat, & quidem putri filo, incidissent in æternam desperationem & mortem, & oppressi fuissent iustissimo iudicio & ira Dei, sicut Diaboli, quia cōminatio diuina est vera, rata & firma: Quacunque die comederitis, morte moriemini, videlicet non tantùm morte corporali, sed morte, quæ longè tristior est, æterna, quia mors corporalis non satisfacit Legi & iudicio, & iustitiæ diuinæ. Cùm igitur essent in his pauoribus mortis, & in his periculis inferni, vt loquitur psalmus 116. Dominus prodiit ex sua arcana sede, & cùm obiurgasset eos, iterum sanauit vulnera, quæ acceperant à serpente Diabolo, infuso saluberrimo balsamo Euangelij, seu promissionis de Mediatore, qua promissione audita, ex morte reuixerunt, & ex inferno reducti sunt, & iterum acceperunt consolationem, quæ est initium vitæ æternæ. Quare experientia ipsa conuicit eos, vt agnoscerent & faterentur, se iustos esse coram Deo, non suis operibus, non Lege, sed fiducia venturi liberatoris, propter quem in gratiam recipiebantur, & donabantur Spiritu sancto viuificante. Hæc suo loco in articulo de iustificatione pluribus exponentur.

De Abraham Genes. 15. scribitur, Credidit Abrahā Deo, & imputatum est ei ad iustitiam, Scilicet hoc credere, seu fides

hoc est, vt Christus interpretatur Iohan. 8. Abraham expetiuit videre diem meum, & vidit, & lætatus est. Pellantur ergo ex agro, atq; finibus Ecclesiæ, non Theologorum iudicia, sed delirantium somnia, de triplici Lege, & de modo saluationis per Legem, & sit missimè hæc hypothesis teneatur, quæ docet, vnam esse Legem æternam, quæ est iudicium Dei æternum de peccato.

Quòd vnum & idem sit Euangelium in Ecclesia, inde vsque ab initio.

CAPVT V.

IN epistola ad Hebræos dicitur, Christus heri & hodie, & in secula, id est, semper in Ecclesia vnum est caput, scilicet Christus, cuius corpus est Ecclesia, & membra sunt singuli credentes. In hac Ecclesia, vel in hoc corpore Christi, semper est vna vox Euangelij, & correlatiuè eadem fides. Item semper eadem bona seu beneficia distribuuntur in Ecclesia ab Adam vsque ad finem mundi: nec debemus, vt inquit Augustinus, fideles huius temporis anteferre patribus & Prophetis, per quos nobis hæc prophetata sunt. Non fingas, non somnies, non speres, te aliter ingressurum esse in vitam æternam, aut te habere alium Christum, aut meliorem, aut plura, aut maiora beneficia, quàm quæ habuerunt Adam & Eua in Paradiso, & Abraham, qui vixit duobus millibus annorum ante Christum natum ex Virgine. Sed vnicum est discrimen inter membra Ecclesiæ, quod sumitur à tempore, quòd videlicet patres & Prophetæ prædixerunt venturum esse liberatorem: Apostoli verò annuntiarunt & prædicarunt Christum venisse & exhibitum esse, crucifixum & resuscitatum, & ascendisse in cœlum, & nihil præterea restare, nisi iudiciũ. Hoc discrimine temporis excepto, quod necessarium est, nihil interest inter Abraham & Paulum, inter primos parentes & nos omnes & singulos, qui credimus in Euangelio. Ac si quis putat, Deum magis nobis esse propitium, quàm illis, sicut aliqui fanatici scripserunt

sunt hoc tempore, nostras preces magis exaudiri, quàm preces Dauidis aut Abrahæ, is longè à re ipsa aberrat, atque à veritate.

Cùm promissio gratiæ sit fundamentũ Ecclesiæ, statim post lapsum edita est, vt primi parẽtes scirent, Filium Dei assumturum esse humanam naturam, & destructurum opera Diaboli, iuxta dictum: Semen mulieris conteret caput serpentis. Deinde sæpe repetita est promulgatio, vt ad Abraham dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes. & sic intelligebant patres has promissiones, vt scirent, tunc quoque dominum illum adesse suæ Ecclesiæ, & postea assumturum esse humanam naturam. Ideo Iacob inquit Genes. 48. Benedicat Deus pueris istis, angelus qui me eripuit ex omnibus malis. Hîc nominans angelum, per quem ab omnibus malis liberatus est, intelligit hunc ipsum Dominum, & agnoscit per eum tolli peccatum & mortem, & omnia mala.

1. Cor. 3. Fundamentum aliud non potest poni, præter id, quod positum est &c.

In 1. capite Matthæi dicit Euangelista, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahæ. Quærat aliquis legens hæc verba, cur nominatim & expressa fiat mẽtio Abrahæ & Dauidis, cùm quidem Christus secundũ carnem etiam ab aliis sit propagatus, iuxta seriem, quæ postea recitatur in eodem capite? cur hi duo, Abraham & Dauid præ cæteris nominantur? Quia prima promissio primis parentibus tradita de semine venturo, repetita est, primùm quidem ad Abraham his verbis, In semine tuo benedicentur omnes gentes: deinde ad Dauidem 2. Reg. 7. & 1. Paralip. 17. Postquam dormieris cum patribus tuis, dabo tibi semen, quod regnet super Israel & Iuda &c. Prima promissio erat valde generalis, & propter generalitatem, vt sic loquar, aliquantò obscurior. Nemo enim poterat affirmare ex qua muliere, ex qua familia nasciturus esset promissus liberator. Erat enim generaliter dictum, Semen mulieris, non huius vel alterius. Postea Deus genus reuocauit ad speciem, seu transtulit thesin ad hypothesin, restringens promissionem ad posteritatem Abrahæ, In semine, inquit, tuo, non alterius, benedicentur omnes gentes. Cùm autem Iacob haberet filios 12. ne quis dubitaret ex qua tribu vẽturus esset Dominus, prædixit Iacob fore, vt Schilo promissus Dominus na-

ſceretur ex tribu Iuda. Sunt enim nota verba omnibus. Non auferetur ſceptrum &c. Cùm autem familia Iuda eſſet ampliſsima propter regiam dignitatem, Deus arctiùs reſtrinxit promiſsionem, eámque alligauit ad ſolam Dauidis poſteritatẽ. Ideo vterque Matthæus & Lucas deducunt genealogiam Chriſti poſt Abraham à Dauide. Hæ duæ valde inſignes repetitiones primæ promiſsionis illuſtrant doctrinam huius capitis maximè neceſſariam: Quòd videlicet ſemper in Eccleſia fuerit vnum & idem Euangeliũ, ſicut & Paulus inquit Rom. 1. ſe eſſe vocatum Apoſtolum ad docendum Euangeliũ, quod Deus prædixit per Prophetas ſanctos in Scripturis &c. Nemo igitur cogitet, Euangelium eſſe nouum genus doctrinæ, aut ignotum primis Patribus & Prophetis, ſed potiùs ita ſtatutum habeamus, ſemper fuiſſe vnam & eandem Eccleſiam omnium temporum, eíque fuiſſe notam promiſsionem de Mediatore, & eadem beneficia Euangelij annuntiari & diſtribui credentibus ante & poſt Chriſtum natum. Hac hypotheſi, quæ veriſsima eſt & immota, & nullis cuniculis cauillationum ſubrui poteſt, cõfirmata, multa poſſunt iudicari in tota doctrina religionis. Nihil fingo, ſed vera narro. Ante paucos annos quidam fuerunt in noſtris Eccleſiis inepti homines & inſulſi, qui auſi ſunt affirmare impudentiſsimo ore, nos habere neſcio quam prærogatiuam ſingularem & eximiam præ ceteris Patribus & Prophetis, & nos habere Deum magis propitiũ propter Chriſtum, quàm illi, & Deum libentiùs audire noſtras preces, quàm illorum, & neſcio quæ alia portenta finxerunt. Ne igitur incidamus in tales errores pernicioſos Eccleſiæ, & lędẽtes gloriam Dei, qui eſt æqualis erga omnes credentes ſine προσωποληψία, diligenter memoriæ mandemus teſtimonia, quæ deinceps addemus, partim ex ſacris literis, partim ex monumentis ſanctorum patrum.

Non igitur imaginandum eſt, Euangelium fuiſſe ignotum patribus, vt multi indocti omnibus temporibus finxerunt, ſed ſciẽdum eſt, vnam & eandem eſſe promiſsionem Euangelij propriã de Mediatore & reconciliatione, notam patribus inde vſque à prima promulgatione, in qua Adam & Eua recepti ſunt. Oportuit enim hunc Dominum ſemper Eccleſiæ notũ eſſe, quia ſemper hic cœtus certò fuit, eſt & erit Eccleſia Dei, in quo ſonat non ſola vox Legis, ſed etiam promiſsio gratiæ rectè intellecta. Quòd autem hoc modo, & non aliter ſaluati ſint omnes hæredes vitæ æternæ, ſcilicet

ſcilicet fiducia miſericordiæ propter Meſsiam promiſſæ, hæc dicta Scripturæ & piæ vetuſtatis clariſsimè teſtantur.

Iohan.1. Ex plenitudine eius nos omnes accepimus gratiá pro gratia. Vocat plenitudinem meritum reconciliationis, & potentiam ſeu efficaciam. Omnes igitur electi ſaluati ſunt, haurientes ex hoc fonte, id eſt, propter hanc victimam conſecuti ſunt reconciliationem, & ipſe fuit in eis efficax, dedit eis Spiritum ſanctum inchoantem nouam & æternam vitam in ipſis. Hanc eſſe ſententiam, declarant verba ſequentia, gratiam pro gratia, id eſt, reconciliationem noſtri pro amore erga Filium.

Iohan.8. Abraham optauit videre diem meum, & vidit, & lætatus eſt.

Act.15. Credimus, nos ſaluari per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut & illi ſaluati ſunt. Fide purificantur corda.

2.Cor.4. Habentes eundem Spiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt. [*Pſalm.116.*] Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur.

Hebr.13. Ieſus Chriſtus heri & hodie, idem eſt & in ſecula: heri, ante tempus ſui aduentus in carnem, hodie, cùm reuelatus eſt in tempore, nunc & in ſecula eſt idem Chriſtus, per quem vnum & eundem liberantur à Lege, iuſtificantur & ſaluantur omnes credentes, qui fuerunt, ſunt, & erunt. Itaque diuerſa tempora non mutant fidem & modum ſaluationis.

Apocalypſ.13. Agnus occiſus eſt ab origine mundi. Etſi enim effuſio ſanguinis eſt certi temporis, tamen applicatio illius meriti & obedientiæ perpetua eſt.

Conſiderate attentiſsimè hæc pauca Scripturæ dicta: non enim volo ſine neceſsitate multa cumulare. Nam vno & altero intellecto, nihil relinquitur obſcuritatis in propoſita ſententia. Primum teſtimonium ſumitur ex capite primo Iohan. vbi dicit Baptiſta, Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Quid vocat plenitudinem? Plenitudo intelligitur de merito Chriſti, ſeu obedientia, quæ eſt cauſſa omnium bonorum in Eccleſia, & de efficacia, qua Filius Dei eſt efficax, tanquam caput in ſuis membris, vel tanquam vitis in ſuis palmitibus. Ex hac plenitudine, id eſt, ex hoc fonte omnes riuuli in totam Eccleſiam manant,

Sicut enim riuuli ex fonte deducti totum hortum & singulas plantulas suauiter irrigant, recreant, & reficiunt: ita Christus est fons iustitiæ & vitæ. Item est Sol iustitiæ, vt loquitur Malachias cap. 3. quia vt Sol, quem oculis cernimus in cœlo, luce sua illustrat mundum vniuersum: ita hic Sol iustitiæ illustrat omnem hominem venientẽ in hunc mundum: omnem hominem, scilicet credentem, sicut ibidem dicitur: Quotquot receperunt eum &c. Alterum testimonium sæpe repetitum, est ex cap. 8. Iohan. Abraham optauit videre diem meum, & vidit, & lætatus est. Quomodo vidit Abraham Christum? in promissione. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Non dicam hoc loco de congressu & conuiuio Filij Dei, & Abrahæ, quod describitur Genes. 18. non enim volo nimis procul à propositio digredi. Tertium testimonium est valde insigne & memorabile Act. 15. vbi Petrus in Synodo Apostolica sic inquit: Quare tentatis Deum, imponentes iugum ceruicibus discipulorum, quod neque nos, neq; Patres nostri portare potuimus? sed credimus, nos saluari per gratiam Domini nostri Iesu Christi, sicut & illi saluati sunt. Fide purificantur corda. Memorabilis hæc est concio, quæ testatur eodem modo saluari Patres & Prophetas, & omnes credentes ante Christum, & nos miseros vermiculos, qui nihil sumus collati ad Patres. Quid enim nos sumus, si comparemur cum Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, Esaia, Ieremia &c? profectò nihil sumus, nisi vermiculi. Non ita superbiamus, vt nos ipsos audeamus vel comparare, nedum anteponere illis luminibus Ecclesiæ primæ. Quartum testimonium assumitur ex epistola posteriore ad Corinth. cap. 4. Habentes, inquit Paulus, eundem Spiritum fidei, sicut scriptũ est: Credidi, propter quod locutus sum. Et nos credimus, propter quod & loquimur: quasi dicat, Non habemus alium Spiritum, aut aliam fidem, aut aliam confessionem, quàm qualem habuit Dauid sanctissimus rex, & Propheta, qui Psal. 116. inquit, Credidi, scilicet in Christum, in venturum Dominum, ideo loquor, edo meam confessionem, & propterea bene affligor, id est, accipio plagas in hoc mundo. Hæc tria sunt inseparabilia in sanctis, fides, confessio, & crux. Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem: credentes autem & confitentes veram doctrinam, affliguntur. Væ illis, qui habent omnium hominum applausum, & suffragia, & laudationes, & comprobationes, & à nemine quicquam aduersi patiũtur. Ita enim Christus inquit, Væ vobis, cùm vobis homines benedixerint.

Quin-

Quintum testimonium sumitur ex cap. 13. ad Hebræos, quod est valde insigne propter formam verborum. Quid significat aduerbium heri? significat temps ab Adam vsque ad natum Christum, quod cõplectitur ferè 4000. annos. Hodie, significat tempus à nato Christo vsq; ad postremum mundi diem, seu vsque ad iudicium vniuersale: postea sequetur infinita æternitas, de qua dicit Paulus, nunc & in secula. Idem igitur Christus est, nõ tantùm respectu personæ, seu respectu æternæ diuinitatis, sed etiam respectu officij & beneficiorum, heri, ante suam natiuitatem ex Virgine: hodie, post suam natiuitatem ex Virgine, & idem mansurus est in secula, sicut Psal. dicit, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Postremum testimonium extat in Apocalypsi cap. 13. cuius variæ sunt enarrationes, sed hæc haud dubiè est simplicissima & verissima, analoga fidei, Agnus tollens peccata mundi, Christus est, occisus ab origine mundi. Non hic dicit Iohannes, Christum sæpius esse crucifixum, occisum, sepultum: nequaquam. semel tantùm est affixus cruci, semel tantùm fudit suum sanguinem in cruce sub Pontio Pilato, vt dicitur in Symbolo Apostolico. Nunc iterum viuit & regnat, teste Paulo Rom. 6. ne posit ei mors vltrà dominari vel nocere: sed hoc dicit Iohannes, Etsi certum tempus fuit destinatum mirando consilio Dei passioni Christi, in qua necesse fuit, Messiam occidi, offerre suum corpus in cruce, & fundere suum sanguinem tanquam pretium redemtionis nostræ, tamen meriti & obedientiæ huius participes sunt omnes credentes ab Adam vsque ad finem mundi, nec magis beneficium redemtionis vel passionis ad me pertinet, vel ad te, quàm ad Adam, Iacob, Dauidem, Ieremiam &c. Posset hoc dictum subtiliùs enarrari, si quis amaret subtilitatem, sed simus contenti hac simplici & vera enarratione. Audite nunc patres Græcos & Latinos, qui, quatenus consentiunt cum Scriptura, nequaquam sunt reiiciendi, & extenuandi: quia sicut nos nunc audimus nostros Episcopos, qui verè & rectè docent, ita patres non aspernemur, sed adhibeatur iudicium & delectus.

Chrysostomus enarrans locum Pauli Ephes. 4. Vnum corpus & vnus Spiritus, quemadmodum & vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Quid est vnum corpus? omnes vbique fideles, qui sunt, fuerunt, & futuri sunt, in

Verba sunt Chrysostomi in forma interrogationis.

quorum numerum etiam aggregandi ſunt, qui ante aduentum Chriſti Deo placuerunt.

Legant iuniores caput 11. Epiſtolæ ad Hebræos, ibi inuenient longum catalogum ſanctorum, ab Adam vſque ad Dauidem, de quibus omnibus affirmat Epiſtola ad Hebræos, quòd fide ſola, & non aliter placuerint Deo.

Quomodo autem hi pertinent ad vnitatem corporis? Quia hi quoque Chriſtum agnouerunt, vt hæc dicta teſtantur, Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & lætatus eſt. Item, Si crederetis Moyſi, etiam mihi crederetis. Nam de me ille ſcripſit, ſicut & reliqui Prophetæ. Neque verò ſcripſerunt ignorantes, de quo dicerent. Agnouerunt enim illum, & adorauerunt.

Iohan. 5.

Scopus Scripturæ eſt Chriſtus.

Neque ſcripſerunt.) Quare hoc dicitur? Ad differentiam vatum Ethnicorum. Quid ſignificat dictum Pauli 1. Cor. 14: Spiritus Prophetarum eſt ſubiectus Prophetis? Spiritus Prophetarum, ſcilicet in Eccleſia. An hoc dicit Paulus, quòd Spiritus ſanctus ſit mancipium Prophetarum, ſit ſeruus & ſubiectus Prophetis? non, eſt Dominus Prophetarum. Sed quare dicit, eſt ſubiectus Prophetis? Significat eſſe ingens diſcrimen inter vates Eccleſiæ, & inter vates Ethnicos. Sibylla apud Virgilium Aeneid. 6. eſt vates Ethnica, ſed non habet Spiritum ſanctum ſibi ſubiectum, quia incipit furere, & furens effatur ea, quæ non intelligit, neſcit quid dicat, non habet actum reflexum in ſuis dictis & oraculis. Ideo his verſibus deſcribit Virgilius vaticinantem Sibyllam:

--cui talia fanti,
Ante fores ſubitò, non vultus, non color vnus,
Non comtæ manſere comæ, ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorq́; videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Iam propiore Dei &c.

Noſtri verò Prophetæ, Eſaias, Ieremias, Daniel & ceteri nõ ſunt furioſi hòmines, non excedunt ex ſua poteſtate, non deturbantur de ſua mente & ſanitate, ſed habent iudicium de ſuis dictis & factis, ſciunt,

ſciunt, quid dicant & faciant, & intelligunt rectiſsimè ea, quæ aliis proponunt & prædicunt, & quæ literis mandant. Quando Eſaias noſter ſcripſit cap. 53. bene ſciuit, de quo loqueretur, videlicet de Meſsia. De hoc Domino inquit, Verè languores noſtros tulit &c. Et, Seruus meus iuſtus notitia ſui iuſtificabit multos.

Itaque & illi vnum ſunt corpus. Si enim hoc corpus, quod ab vno Spiritu regitur, diſtractum eſſet, nequaquam eſſet corpus. Nam & nos dicere ſolemus de iis, quæ vnita ſunt, quæque inter ſe cohærent, vnum corpus ſunt. Quoniam igitur arctiſsima copulatio eſt capitis & corporis, rectè Paulus Eccleſiam vnum corpus appellauit, cuius vnicum caput eſt Filius Dei.

Geneſ. 2: Erunt duo in carnẽ vnam, vnum corpus: coniugium eſt imago Eccleſiæ.

Si ſæpe cogitaremus, qualem haberemus patrem, & quale caput, & qualem Spiritum, quo regimur & ducimur, ſi modò ſumus credentes, & membra Chriſti, & Filij Dei, profectò eſſemus in multis officiis præſtandis diligentiores. Sed ita viuimus, ita verſamur in hoc mundo, quaſi eſſemus ſine capite, quaſi eſſemus ſine patre, quaſi eſſe ſine gubernatore Spiritu ſancto.

Auguſtinus epiſtola 157. ad Optatum: Eadem fides eſt noſtra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Vnde dicit Apoſtolus, Habentes eundem Spiritum fidei, ſecundum quod ſcriptum eſt, Credidi, propter quod locutus ſum. Si ergo eundẽ Spiritũ fidei & illi habebãt, qui venturum in carne Chriſtum prænũtiauerunt, quem etiam illi, qui eum veniſſe nuntiarunt, Sacramenta eſſe potuerunt pro temporum diuerſitate diuerſa, ad vnitatem tamen eiuſdem fidei concurrentia. Eadem eſt igitur vox veræ Eccleſiæ omnium temporum, & idem Euangelium, & congruit vox Prophetarum cum voce Filij Dei & Apoſtolorũ, niſi quòd Prophetæ de venturo Meſsia concionantur: Apoſtoli

Illi habuerunt circumciſionem, nos habemus baptiſmum, illi habuerũt agnum mactatum in Paſchate, nos habemus Cœnam Domini.

Hactenus Auguſtinus.

de exhibito, cetera sunt eadem. Nam beneficia Messiæ pertinent ad vniuersam Ecclesiam à principio mundi, vsque ad finem, & cuicunque datur vnum Euangelij beneficium, ei certum est omnia dari: vt Rom. 8. dicitur: Omnia cum eo nobis donauit. & Psal. 23. Dominus pastor meus, nihil mihi deerit. Præclarè ergo quidam dixit, Patres & Prophetæ antecedũt currum Christi triumphalem, quem nos sequimur.

Vox præceptoris Philippi.

Talis est connexio beneficiorum Euangelij, vt vno dato, cetera simul dentur: quia fides est copulatiua, vt veteres loquuntur, non est disiunctiua.

Deus dat simul gratiam & donum per gratiam, Rom. 5. & Epheſ. 2. Dat nobis opulentiã suæ gratiæ.

Forma verborũ sumta est ex imagine pompę triumphalis, ad quam alludit etiam psalm. 68.

Refutatio opinionis, quæ facit confusionem veræ Ecclesiæ & Ethnicorum.

CAP. VI. & VLT.

DICAT aliquis, cur hanc quæstionem intempestiuè nobis inculcas, cùm videatur propriè pertinere ad locum de Ecclesia? Respondeo. Necesse est eadem in Doctrina Christiana sæpe repeti: nõ enim quotidie noua dici possunt, & debent, sed illud Socraticum tenendum est, vt eadem dicamus, & quidem de iisdem eadem. Quare nemini videatur intempestiua huius quæstionis hoc loco explicatio. Deinde necesse est in titulo de Euangelio aliquid dici de hac sententia, vt intelligatur, quæ res propriè discernat Ecclesiam ab aliis gentibus. Non Lex, nec philosophia facit discrimẽ inter Ecclesiam & alias sectas, sed vox Euangelij proprium decus est Ecclesiæ. Nam omnes homines

homines ſani particulam Legis retinent, & habent hanc perſuaſionem, eſſe Deum mentem æternam, cauſſam boni in natura, vt ait Plato, ſed nemo extra Eccleſiam, ſine miniſterio, & ſine lectione librorum Propheticorum habet notitiam arcani myſterij de redemtione generis humani, quod myſterium patefit ſeu reuelatur in Euangelio, vt inquit Paulus Rom. 1. Non pudet me Euangelij, ſiquidē eſt Dei potentia ad ſalutem omni credenti. Iuſtitia enim Dei per illud patefit ex fide in fidem. Occaſionem verò huic quæſtioni præbent importunę diſputationes quorundam fanaticorum hominū, vt Thammeri, & ſimiliū, qui contendunt, omnes religiones eſſe vnam religionem, & vnumquemque poſſe ſaluari in ſua religione. Ideo dicunt, Xenophontem, Socratem, Platonem & ſimiles philoſophos non minùs eſſe ſaluatos, quàm Abraham, Iſaac & Iacob, & affirmant, nihil intereſſe inter notitiam Dei, quam habuit Abraham, & inter ſapientes, Socratem, Platonem & Xenophontem, & ſimiles. Ne igitur incidamus in tales errores contumelioſos aduerſus Deum, & periculoſos Eccleſiæ, breuiter explicanda eſt hæc quęſtio.

Non contemnamus Filium Dei, & vocē Euangelij, ſed agnoſcamus immenſam miſericordam Dei, qui vult ſibi æternam Eccleſiam colligere agnitione Filij, & non aliter: & pro hoc ingenti beneficio gratias agamus, nec aſſentiamur architectantibus Eccleſiam ſine Filio Dei, ſine Euangelio, & ſine vocatione. Non enim fingēda eſt Eccleſia ſine notitia aliqua promiſſionis de Chriſto, & ſine miniſterio. Non eſt Eccleſia in eo cœtu, vbi nec notitia eſt promiſſionis de Chriſto, nec vox, nec miniſterium Euangelij. Ideo non ſunt membra Eccleſiæ Ariſtides, Scipio & ſimiles, etiāſi habent excellentes virtutes, quas Deus dat propter imperia, tantiſper dum vult genus humanum in hac vita manere. Quòd autē neceſſe ſit notitiam Chriſti eſſe in Eccleſia, hæc dicta teſtantur, Iohan. 3. Qui non credit in Filium non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

Marci vlt. Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit: Qui verò non crediderit, cōdemnabitur. Hæ duæ regulæ non poſſunt mutari. Lex admittit diſpenſationem: Deus enim ipſe diſpenſat de ſua Lege, propter probabiles rationes, hoc eſt, propter deprecationē & interceſſionem Filij Mediatoris. Niſi enim Lex reciperet diſpenſationem, non potuiſ

ſent reſtitui in antiquam gratiam primi parentes poſt lapſum. Magnum eſt, quòd Deus diſpenſat in miraculis de ordine naturæ (qui eſt certiſsimus) vt in reſuſcitatione mortuorum & ſimilibus, quòd iuſsit Solem ſtare, aut regredi. Sed longè maius opus Dei eſt, & maius beneficium, quòd diſpẽſat de ſua Lege, cuius ordo eſt certior & firmior, quàm ordo in cauſsis ſecundis, id eſt, in creaturis. Euangelium verò nullam admittit diſpenſationem, ſed hęc regula eſt æterna & immota, Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui non credit, iam damnatus eſt. Dicat aliquis: Profectò hoc videtur eſſe nimis durum, quòd Deus reiiciat tam præſtantes viros, Socratem, Xenophontem, &c. quorum diſciplina fuit honeſta. Omitte hanc diſputationem: Tu quis es, inquit Paulus Rom. 9. qui reſiſtis Deo? Omnis homo mendax, Deus autem verax.

Iohan. 17. Sanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas.

Paulus dicit 2. Cor. 5. Superinduemur, ſi tamen non nudi reperiemur, hoc eſt, neceſſe eſt in hac vita fieri iuſtificationem & ſanctificationem. Niſi enim hoc fiat, nemo ſperet ſe futurum hæredem vitæ æternæ. Non autem poſſunt homines iuſtificari & ſanctificari ſine verbo diuinitus tradito per Prophetas & Apoſtolos: de quo verbo dicit Chriſtus Iohan. 17. Sanctifica eos in veritate &c.

1. Cor. 1. Cùm mundus per ſapientiam non cognouiſſet Deum ſapientem, placuit Deo per ſtultam prædicationem ſaluos facere credentes. Hoc dictum enarrans Theodoretus, Tres, inquit, ſunt ſpecies ſapientiæ: vna quidem, quę hominibus data eſt, per quam & ratione præditi ſumus, & ea quæ ſunt agenda diſcernimus, & artes ſcientiasque inuenimus, & Deum cognoſcere poſſumus. Altera eſt, quæ in rerum creatarum contemplatione verſatur. Videmus enim cœli magnitudinem, Solis pulchritudinem, aſtrorum choream, terræ & maris latitudinem, plantarum & animantium differentiam &c. ne ſingula afferam. Tertia ſpecies ſapientiæ ea eſt, quæ per Seruatorem noſtrum oſtenditur, quam qui non credunt, appellant ſtultitiam. Hoc autem dicit Apoſtolus, quòd oportebat quidem homines naturali accepta à Deo cognitione per creaturas, tanquam per

Sol eſt dux choreæ cœleſtis.

per pedum vestigia deduci, & earum opificem adorare. Sed quoniam nullam ex his vtilitatem accipere voluerunt, benignus & clemens Deus eis alia ratione salutem procurauit, & per eam, quæ à stultis stultitia appellatur, eos ab errore liberauit.

Rom. 1. Non vt Deum glorificarunt, nec ei gratias egerunt.

Id est, per Euangelij prædicationẽ. Hæc Theodoretus. Tres sunt species sapientiæ in rebus diuinis: prima est naturalis notitia, seu lumen simplex, quo agnoscimus esse Deum, & discernimus honesta & turpia. De hac naturali notitia sæpe auditis in omnibus partibus philosophiæ. Secunda species est ratiocinatio, quærens vestigia Dei impressa corporibus cœlestibus & inferioribus, ipsi etiam corpori humano, denique ipsi animæ. Videmus, inquit Theodoretus, Solis pulchritudinem, stellarum choream, terræ & maris latitudinem, plantarum differentiam, ex quibus omnibus ratiocinari possumus, hanc rerum vniuersitatem non casu extitisse, nec casu ita manere, sed conditam esse & cõseruari à mente architectatrice, quæ est amans vitæ hominum, vt ait dulcissimè Xenophon. Tertia species est sapientia patefacta in Euangelio, quam homines extra Ecclesiam, tanquam stultitiam & fabulam portẽtosam derident, sicut videmus hanc sapientiam derisam esse ab Athenien sibus philosophis, Act. 17. & suprà in eodem ad Corinthios cap. Paulus dixit. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gẽtibus stultitiam. Non est Euangelium prædicatio stultitiæ re ipsa. Absit: sed falsa hominum opinione, qui non credunt Euangelio, & quia ipsi sunt stulti, sapientiam Dei, summã putant esse stultitiam. Ideo Paulus dicit, Quia mundus non cognouit Deum per sapientiam, id est, partim per naturalem notitiam insitam nobis in creatione, & nondum prorsus extinctam, partim per ratiocinationem, placuit Deo alia ratione, alio modo nostram salutem procurare, vt verbis Theodoreti vtar, videlicet per prædicationem Euangelij.

Rom. 8. Quos elegit, hos vocauit. Hæc sententia planè affirmat vtrumque, & semper aliquos electos esse in cœtu vocatorum, & extra cœtum vocatorum nõ esse electos.

Cœtus scholasticus est cœtus vocatorum: cœtus, qui congregatur in templo, est cœtus voca-

torum. Vocati sunt baptisati, & audientes vocem Euangelij in scholis & templis, vbicunque proponitur.

Quæro an aliquis in Turcia possit saluari, si credat Euangelio, seu rectè inuocet Deum per Filum Mediatorem? Talis certè non est in locis eiusmodi, vbi in scholis & templis docetur Euangelium. Respondeo: Non excludimus ex cœtu vocatorum vel ab Ecclesia eos, quorum corpora procul remota sunt ab Ecclesia, sed quorum mentes pugnant cum Ecclesia & Euangelio. Qui verò mente, voluntate, confessione, inuocatione, dilectione sunt coniuncti cum Ecclesia, hos certum est, esse membra Ecclesiæ, etiamsi corpore tanto interuallo distent à cœtu & congregatione vocatorum, quanto interuallo abest cœlum à terra, & ortus ab occasu. Psal. 25. Vnam scilicet rem petij à Domino, & hanc requiram, vt habitem in domo Domini. Quando habes hoc votum consociationis cum Ecclesia, tàm es membrũ ac ciuis Ecclesiæ, quàm si versareris in his regionibus, vbi nunc scholæ & templa sonant doctrinam Christi.

Rom. 10. Quomodo inuocabunt, si non credent?

Paulus citat Rom. 10. dictum Ioelis, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Ex hoc dicto texit gradationem valde eruditam, piam & vtilem, quæ monstrat ministerij Euangelici necessitatem, dignitatem & efficaciam. Quomodo, inquit, inuocabunt, si non credent? quasi dicat, nihil est inuocatio sine fide, nisi inanis sonus, inane murmur, inanis clamor.

Ephes. 4. Christus sedens ad dexteram Dei, dat alios quidem Prophetas, alios Apostolos, alios pastores, alios doctores, & disertè inquit, seruari ministerium, vt non agitemur variis doctrinarum ventis.

Paulus Ephes. 4. citat dictum psalmi valde memorabile ex psalmo 68. Ascendit in altum, captiuam ducens captiuitatem, id est, hostes nostros, Diabolum, mortem, & dedit dona hominibus: qualia, dicat aliquis, dona? num aurum, & vasa argentea, & gemmas pretiosas? Dat quidem & hæc bona Christus, tanquam conditor & conseruator omnium rerum, sed propter hæc dona non ascendit ad cœlum, nec propter ea sedet ad dextram Dei. Alia dona longè maiora distribuit Christus in Ecclesia, primùm quidem remissionem peccatorum, deinde Spiritum sanctum,

sanctum, tertiò vitam æternam: & hæc omnia, quæ modò recensui, dispensat ac distribuit per media seu organa, videlicet per verbum & Sacramenta, per quæ vult esse efficax. Ideo facit mentionem ministerij & doctorum in Ecclesia. Alios dedit Prophetas &c. ad quid? vt ædificetur corpus Ecclesiæ, & ne circumferamini omni vento doctrinæ &c.

Esaiæ 8: Ad Legem & testimonia. Quòd si non dixerint iuxta hoc verbum, non erit eis matutina lux. Non enim apprehenditur voluntas Dei, nisi per verbum quod tradidit, & Deus ita vult agnosci & inuocari, sicut se patefecit.

Id est, ad verbū, quod est cōfirmatum testimoniis diuinis.

Fundamentum doctrinæ Ecclesiæ, est axioma de patefactione.

EXPLICATIO TEXTVS LOCORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANCHTHONIS

De Euangelio.

QVO consilio repetantur pagellæ, quas habetis in vestro libello Locorum communium, toties iam est dictum, vt videar ineptus, si velim eandem cantilenam repetere hoc loco. Si enim nullam haberet hæc repetitio vtilitatem, tamen debebat studiosis grata esse & iucunda earundem rerum crebra consideratio. Sed omissis prolegomenis, veniamus ad libellum, in quo initiò dicitur de definitiõe nominis. Explicatur enim vox Euangelij Grammaticè. Deinde traditur definitio rei, eáque sumitur ex dicto Christi, quod extat apud Lucam capite vltimo: Prædicate in nomine meo pœnitentiam & remissionem peccatorum. De hac definitione cogitantes, deploremus Ecclesiæ præsentis statum, in quo homines vani & contentionum cupidi mouerunt litem de definitione Euangelij, & acerrimè contendunt, nihil posse dici tam pestiferum & nocens in Ecclesia, quàm si

dicatur, Euangelium esse prædicationem pœnitentiæ. Ego de hac ré cogitans, sæpe soleo ad amicos dicere in priuato colloquio & sermone, Sicut turpe esset, magistrum bonarum artium & philosophiæ post annos 30. aut 40. à promotione, ignorare definitionẽ philosophiæ, quam profitetur: ita nihil est hæc disputatio de definitione Euangelij, nisi merus sarcasmus Diaboli, quo Diabolus superbè deridet & exagitat nostras Ecclesias, quæ cùm sint amplexæ tot annos Euangelium de Christo, tamen dicuntur adhuc ignorare, quid sit Euangelium. O deplorandam insciti am, si modò cadit talis insciti a in Ecclesiam! Sed sint illi duces cæcorum, & sequantur eos, qui volent, & sinant nos frui his micis', quæ cadunt de mensis Prophetarum & Apostolorũ, & eorum qui puritatem illorum secuti sunt.

Est autem] Definitio nominis Grammatica.

Basar] Hebraica dictio.

Prophetæ]

Vt Dauid psal. 40. Esaias cap. 40. 52. 61. In Psal. 40. dicitur: Euangelizaui iustitiam tuam, nec abscondi eam in corde meo &c.

Basar] id est, εὐαγγελίζομαι, læta bona annuntio. Luc. 2. Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Sic Esaias ca. 40. appellat Christum Dominum Euangelistam, id est, non Legis doctorem, non legislatorem, sed præconẽ Euangelij. Dabo, inquit, Ierusalem Euangelistam. Cap. 52 extat dictum, quod credo omnibus vobis notum esse ex Paulo cap. 10. ad Rom. Quàm speciosi sunt pedes Euangelisantium bona, Euangelizantium pacem. & 61. cap. eiusdem Prophetæ dicit Dominus noster, Spiritus vinxit me, vt Euangelizarem, vt docerem Euangelium. Habetis sat exemplorum: Non necesse est in hac Grãmatica explicatione diutiùs immorari.

Præmium]

Cicero lib. 2. ad Atticum, epistola 27. O suaues epistolas tuas vno tempore mihi datas duas! quibus Euangelia, quę reddam nescio, deberi quidem planè fateor. Id est, præmia læti nuntij.

In hoc exemplo agnoscitis, Euangelium vsurpari pro præmio læti nuntij.

Apud

Apud multos scriptores] Vt apud Plutarchum in vita Demetrij, pag. 306.

Lex per Moysen]

Augustinus tractatu 3. in Iohannem, Lex minatur, non opitulatur: iubet, non sanat: languorem ostendit, non aufert, sed medico præparat, venienti cum gratia & veritate, vt si medicus ad ægrotum mittat seruum suum, vt ligatum illum inueniat.

Nihil docemus, quod fuit ignotum piæ vetustati.

Paulus: Lex auget peccata, per Legem agnitio peccati.

Est venustissima similitudo de seruo medici, & de ipso medico. Moses cum sua Lege est similis seruo, famulo medici: Christus verò, qui attulit nobis gratiam & veritatem, est similis medico docto & fideli, & felici in medicatione. Quid agit seruus medici? Si opus est, vt ægrotus vinciatur, constringitur à seruo ante Domini aduentum, vt hominem phreneticum non potest curare medicus, nisi priùs ligatum: posteà verò venit medicus, ipse Dominus, & sanat ægrotum: ita Lex præparat nos ad medicinam, quam affert Filius Dei. Lex, inquit Paulus, est pædagogia ad Christum, id est, vt Augustinus inquit, medico præparat, &c.

Præcepta & promissiones] Sunt disparata, diuersa & dissimilia.

Est autem Lex] Lex est tota copulatiua.

Quomodo hæc consentiant] Metuunt culpam, vbi non est culpa, sicut faciunt hypocritæ omni tempore, trepidarunt timore, vbi non erat timor.

Euangelium est prædicatio pœnitentiæ, seruata partium pœnitentiæ distinctione, & cuiusque partis proprietate. Nam in prima parte, quæ nominatur contritio, aut arguit Euangelium incredulitatem, aut declarat Legem, quia propriè in Euangelio reuelatur, quis sit Filius Dei, & quare missus sit.

Iohan. 16. inquit Christus de Spiritu sancto, Spiritus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. De hoc loco mota sunt magna certamina non necessaria, sed sophistica, sicut ho-

mines inquieti & turbulenti ſemper quærunt materias, de quibus ſine fine rixentur. Simpliciſsima autem huius Loci enarratio hæc eſt, Spiritus ſanctus arguet hanc ſpeciem peccati, ſcilicet incredulitatem, ignorantiam aut contemtum Filij Dei, voce Euangelij, quæ eſt declaratio Legis. Lex enim nõ docet, quis ſit Meſsias, & cur mittatur ad genus humanum: ſed hæc doctrina propria eſt, & peculiaris Euangelij. Nec multum intereſt, ſiue dicas Spiritum ſanctum voce Euangelij arguere hanc ſpeciem peccati, quæ vocatur incredulitas, ſiue declarare per vocem Euangelij ipſam Legis cõcionem. Res eſt adeo perſpicua & manifeſta, vt etiam cęcis poſsit apparere, ſed hominibus contentioſis & rixoſis nunquam poteſt ſatisfieri, ſemper enim inueniunt rimulam, per quam elabantur.

Secunda pars & quidem principalis in conuerſione tota eſt Euangelij, vt Gal. 3. ſcribitur, Lex non eſt ex fide: id eſt, fides oritur ex promiſsione Euangelij, non ex Lege.

Hac cauillatione vtuntur aliqui: Nónne dicis primum præceptum Decalogi poſtulare fidẽ, & tu ipſe numeras fidem inter virtutes primi præcepti? Concedo: hæc vera ſunt. Sed hoc etiam addendum eſt ex Paulo, quod verisimum eſt: nimirum, Quòd fides non oriatur ex Lege, quod eſt impoſsibile, ſed ex Euangelio. Ex Lege quidem timemus Deum, vt ait Auguſtinus, de Spiritu & litera, id eſt, audita Lege expauescimus, agnoſcẽtes iram Dei aduerſus noſtra peccata, & metuentes æternam damnationem, ſed fide diligimus Deum. Fides enim non eſt ex auditu Legis, ſed ex auditu Euangelij, vt prolixè teſtatur Paulus Gal. 3. An, inquit, Spiritum accepiſtis ex auditu Legis? Non. Moyſes attulit ex monte Sina, non Spiritum ſanctum, ſed duas lapideas tabulas, attulit literam non Spiritum: ſed ex promiſsione Euangelij vtrumque ſimul hauritur, & fides, & Spiritus ſanctus Gal. 3. Promiſsionem Spiritus fide accipimus. Res etiam eſt manifeſtiſsima. Veniamus ad tertiam partem pœnitentiæ.

Quod ad nouam obedientiam attinet, Lex oſtendit, quæ actiones Deo placeant: Euangelium docet, quomodo fieri poſsint, & quomodo placeant.

Tres ſunt partes pœnitentiæ, vt omnes concedimus ſine controuerſia. Prima eſt cõtritio: ſecunda pars eſt fides, & quidem anima pœnitentiæ: tertia eſt noua obedientia,

obedientia seu nouitas vitæ. Quid agit Lex in prima parte? Arguit totam molem peccatorum, originale & actualia. Quid agit Euangelium in hac prima parte? Aut arguit ipsam incredulitatem, aut declarat primum præceptum in accusatione peccati, cùm Lex non doceat, quid sit Messias, aut cur missus sit. In hanc sententiam inquit Christus, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. In secunda parte pœnitentiæ nihil habet loci Lex, sed in ea dominatur sola vox Euãgelij, vt Paulus inquit, Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio. Postulat quidam Lex fidem, sicut reliquas virtutes & opera bona, sed fides, teste Paulo Gal. 3. ex auditu promissionis Euangelij oritur, non ex promissione Legis. Ad Legem opera habent se correlatiuè, ad promissionem habet se correlatiuè ipsa fides. In tertia parte, quæ est noua obedientia, quid agit Lex? est regula vitæ: monstrat, quæ opera, & quos cultus Deus approbet: Euangelium verò duo officia sustinet, quorum alterum est docere de possibilitate, quomodo possint fieri bona opera in tanta infirmitate naturæ nostræ, inter tantas Diaboli insidias, inter tot impedimenta periculorum & negotiorũ. Alterum officium est, docere quomodo placeant Deo, cùm sint opera nostra imperfecta, manca & mutila, & longè distent à perfectione Legis. Ideo oportet nos singulis momentis orare, Remitte nobis debita nostra. Videtis igitur an falsò dicatur, quòd Euangelium sit prædicatio pœnitentiæ. Non intelligimus vocem pœnitentiæ tantùm de contritione, & quidem tali, quæ nihil aliud sit, quàm pauor & dolor, qualis ex sola Lege est, sed intelligimus, vt Scriptura loquitur, de tota conuersione, complectente non tantùm agnitionem peccati, sed etiam fidem & fructus pœnitentiæ, hoc est, bona opera.

Habet enim ratio] Quomodo potes hoc probare, quod homo habeat naturalẽ notitiam Legis: non iam requiro testimonia Pauli Rom. 1. & 2. sed proba per exempla? Probo exemplo primorum parentum, & ipsius Caini, quòd homini sit notitia Legis in creatione insita. Primi parẽtes post lapsum quærunt quidem latebras, sed cùm accusarentur voce Dei, non negarunt factum, nec peccato prætexuerunt ignorantiam Legis. Sed Adam quidem deriuauit culpam in vxorem, Eua transtulit culpam in serpentem. Hæc historia euidentissimè testatur, primos parentes habuisse notitiam Legis naturalem. Nondum tum Moyses suam Legem in duabus tabulis generi humano propo-

ſuerat. hæc enim acciderunt ante Moyſen. Deinde exemplum Cain eandem ſententiam confirmat. Etſi Cain poſt interfectum Abelem aliquandiu negabat factum, inquiens, Nunquid ego ſum cuſtos fratris mei? tamen paulò poſt conuictus teſtimonio conſcientiæ & voce diuina, nõ tantùm fatetur peccata, nec vllam prætexit ignorantiam Legis, ſed modum etiam excedit in deploratione ſui peccati, edens hanc vocem plenam deſperationis, Maior eſt iniquitas mea, quàm vt remitti poſsit.

Poteſtis ex his duobus exemplis intelligere, homines habere aliquam naturalem Legis notitiam; quia ſi notitia Legis non fuiſſet ante Moyſen, vt multi fanatici cogitant, profectò nec Adam potuiſſet poſt lapſum agnoſcere ſuum peccatum, nec Cain: contrarium autem oſtendunt ipſæ hiſtoriæ.

Alia eſt promiſsio] Hæc tam ſunt plana, vt videar vobis intempeſtiuam præſtare beneuolentiam, ſi velim addere longiores declarationes.

Quia gratis] Videtis eum vrgere particulam Gratis.

Adhoc certamen] Reuocate vobis in memoriã dictum Epiphanij ſæpe repetitũ, Ad intelligendam Scripturam duabus rebus opus eſt, primùm ſpeculatione, deinde ſenſu. Quid vocat Epiphanius ſpeculationem? Grammaticam & Dialecticam diligentiam, & collationem Scripturarum. Quid autem vocat ſenſum? ipſam experientiam ſpiritualem in pauoribus & in conſolatione. Apud Athenæum recitatur iocus cuiuſdam Comici poetæ: Cùm Comicus poeta exhibuiſſet actionem ſcenicam, ſpectante Alexandro, & videret Alexandrum peregrinante animo fuiſſe ſpectatorem fabulæ, exclamauit ille poeta: Nemini placent Comœdiæ, niſi acceperit à mulierculis plagas. Ita nos poſſumus dicere de re graui, magna & ſeria, id eſt, de experientia ſpirituali: Nemini placet ſacra Scriptura, nemini dulceſcunt pſalmi, nemo magnificat cõſolationem Euangelij, niſi priùs bonas plagas & ingentia vulnera acceperit à Diabolo & mundo. Vt enim ſani non mirantur, neque requirunt operam medici: ſed ægroti Deo gratias agunt pro medicatione, quæ tollit aut mitgat acerbitatem dolorum & cruciatuum in corpore: ita homines ſecuri aut hypocritæ audiunt

audiunt Euangelium peregrinante animo, cogitant interea de sua pecunia, aut de aliis rebus huius mundi. Qui verò habent corda sauciata, & sentiunt vulnera cordis, iis grata, & iucunda, & salutaris est vox Euangelij. Theologia non est speculatiua, non est hominum otiosorum speculatio, sed est practica, id est, habens vsum in inuocatione, in pœnitẽtia, denique in media morte. Aliæ doctrinæ omnes siue sint Papisticæ, siue philosophicæ, siue Turcicæ, siue Iudaicæ recentes non habent talem vsum.

Fide accipi] Quia fides habet se correlatiuè ad promissionem, sicut est copulatio indissolubilis inter maritum & vxorem in legitimo coniugio: sic inter promissionem & fidem est similis connexio & copulatio.

Iohan. 1. Iohan. 5.

Neque obedientiam]

Particula Gratis nõ excludit præsentiam obedientiæ, sed meritum nostrum, vt in latrone emendato sunt multæ virtutes, vt verbi caussa, cõtritio, fides, confessio, dilectio proximi, & tamẽ vera est propositio: Latro est iustus sola fide, sine operibus Legis, id est, sine merito suorum operum.

Gratis, particula exclusiua non excludit fidem, aut nouam obedientiam, aut cõtritionem, sed tantùm excludit meritum nostrum, vel opinionem meriti nostri, & transfert caussam tanti beneficij, quantum certè est remissio peccatorum in solum meritum Christi, in solam obedientiam Christi. Opera bona nõ nocent, sed noli assuere hunc veterem panniculum, scilicet Pharisaicam opinionem meriti.

Vno verbo iustificationis]

Quia talis est connexio beneficiorum Euangelij, vt vno dato cetera simul dentur, & vno remoto reliqua simul remoueantur.

Si habes remissionem peccatorum, certò habes Spiritum sanctum, qui testificatur de gratia, qui est Spiritus gratiæ, item habes spem resurrectionis non ad iudicium & condemnationem, sed ad vitam æternam. Rom. 8. Qui non pepercit Filio vnigenito, sed pro nobis omnibus tradidit, quomodo non cum eo omnia

nobis donaret. Psal. 32: Dominus pastor meus, nihil mihi deerit, id est, nullum beneficium Euangelij me destituet.

In reliquis pagellis textus hæ sententiæ sunt præcipuæ. Prima est, quòd omnibus temporibus fuerit, sit, & deinceps futurum sit idem & vnum Euangelium, videlicet promissio de Mediatore, cuius Mediatoris agnitione & fiducia saluati sunt, saluantur, & deinceps salui erunt omnes & singuli credentes. Hanc sententiam textus confirmabit inductione exemplorum, vt verbi caussa, Abrahæ, Dauidis & aliorum. Altera sententia præcipua in sequentibus pagellis vsque ad finem, docet Euangelij promissionem non modò gratuitam esse, sed etiam vniuersalem. Vtraque enim concio vniuersalis est, & ad totum genus humanum sine exceptione pertinet, videlicet concio pœnitentię, arguens & accusans omnium hominum peccata, & promissio Euangelij, quæ omnibus credentibus offert beneficia Christi, sine respectu nostrorum operum & meritorum.

Lex enim] Lex est agnitio peccati. Rom. 3. Item, Lex iram efficit. Ergo nō tollit peccatum, non remittit, non sanat vulnera.

Scimus autem] Si dicimus nos sine peccato esse, decipimus nos ipsos, inquit Iohan. in Canonica cap. 1.

Est igitur opus]

Caussa efficiens principalis Euangelij & omnium beneficiorum, quæ in Euangelio promittuntur, est immensa Dei misericordia, vt Ierem. 3. dicitur in threnis, Misericordiæ Domini, quòd non consumti sumus.

Quòd non sunt deleti primi parentes post lapsum: id est opus misericordiæ diuinæ. & psal. 25. Omnes viæ Domini misericordia & veritas. Misericordia Dei est fons omnium bonorum, quæ ad Ecclesiam permanant.

Impulsiua, quæ Deum mouet, est agnus Dei tollens peccata mundi. Accipimus enim gratiam pro gratia, Ioh. 1. & diligimur propter dilectum, Ephe. 1.

Sicut principalis caussa, quæ à Græcis appellatur ἀγαπημένη, est misericordia in Deo, dilectio Dei, iuxta dicta: Sic Deus dilexit mundum &c. Deus est charitas:

Ita

Ita impulsiua est Filius Mediator, propter quem Deus omnia nobis donat.

Nostra] Id est, Euangelica, vt quidam loquuntur. Nulla est Lex Euangelica, est inane nomen.

Nemo] Hypothesis sæpe iam confirmata.

Abraham]

Iohann. 8. Vidit Abraham diem meum, & lætatus est. Vidit, scilicet in promissione.

Iacob]

Genes. 48. Angelus, qui me eripuit ex cunctis malis, benedicat pueris istis. & cap. 49. Non auferetur sceptrum à Iuda, donec veniat Schilo. Hæc de Messia dici manifestum est. Filiis Ioseph, Ephraim & Manasse. Id est, Saluator, promissus liberator.

Non loquitur de Angelo creato, sed de Filio Dei, qui est nuntius missus ad Ecclesiam. Nam eripere ex omnibus malis, non est naturæ creatæ, sed diuinæ.

Scriptum est] Genes. 15: Deo scilicet promittenti: imputatum est ei, scilicet hoc credere, hæc fides, syntaxis refertur ad sensum.

Paulus] Ephes. 3. 1. Timoth. 3. vocat mysterium absconditum, id est, sapientiam ignotam rationi sine singulari patefactione.

Promissio de Christo] Inductio. Confirmat sententiam, quòd idem sit Euangeliũ in Ecclesia, omnibus temporibus, inductione.

Paulatim clariùs]

Cùm initiò generaliter dictum esset de semine mulieris, postea restrictio ad certam speciem facta est, videlicet ad posteritatem Abrahæ & Dauidis, vt certum esset in qua gẽte, quo loco, quo tempore Deus hunc Mediato- Salomon cap. 4. Prouerb. inquit, Via iustorũ est similis luci,

rem exhibiturus esset, & splendidissimè illustrata est promissio voce Prophetarum.

quæ crescit ab aurora vsque ad meridiem. Sicut ergo differunt aurora & lux meridiana, sic differunt tempora Ecclesiæ. Idem Sol manè oritur, & postea accedit ad meridianum, sed tamen gradus sunt lucis, quæ in aurora spargitur, & quæ in meridie cernitur. Ita paulatim promissio Euangelij clariùs repetita & illustrata est. Prima promissio promulgata primis parentibus est valde generalis, & propter genus habet nonnihil obscuritatis, Semen mulieris conteret caput serpentis. Postea verò cùm repeteretur promissio ad Abraham, & ad Dauid, translata est thesis ad hypothesin, & genus declaratum est per speciem.

Obscura] Scilicet propter generalitatẽ.

In te] Serpentem. Horrendum est, quòd impij dicuntur semen Diaboli.

Caput tuum]

Serpens non amittit vitam saluo capite, etiamsi aliæ partes corporis sint dissectæ. Ideo disertè dicitur in prima promissione, Filium Dei Mediatorem conculcaturum caput serpentis, hoc est, vt Iohannes interpretatur, destructurũ opera Diaboli, quæ sunt peccatum & mors.

1. Ioh. 3. sic dicitur: Ideo Filius Dei apparuit scilicet in carne, vt destruat opera Diaboli. Hæc verba Iohannis interpretantur primam promissionẽ sine figura. Quod dicitur figuratè in prima promissione, hoc dicitur propriè sine figuris à Iohanne. Antiquitas non fuit garrula, sed fuit breuis & succincta, fuit amans breuitatis, vt testantur aphorismi Hippocratis, quibus nihil potest esse breuius & rotundius. Tales aphorismi sunt multa dicta Moysis.

Tota] Tota mundi historia est depicta in his verbis: Inimicitias ponam &c. Quid est totius mundi historia, nisi tyrannis Diaboli. grassantis in genere humano, sophistica & manifesta vi? Alios lacerat Diabolus mendaciis, alios mordet & interficit homicidiis.

Affligantur in hac vita] Credo vix aliquem esse ex adul-

adultioribus in hoc ipso cœtu, quamuis paruo, qui nos senserit in sua vita aliquos crudeles morsus Diaboli. Aut læsit Diabolus tuum corpus, aut læsit tuam famam, aut læsit tuas facultates, aut tuam cõscientiam, quod est tristissimum vulnus.

Ad Abraham] Genes. 12. & 22. In primo libro Moysis velut gemma insignis eminet promissio de Mediatore, aliquoties repetita & illustrata in colloquiis cum patribus. Deus tradidit hanc promissionem primis parentibus post lapsum, hanc ipsam repetiuit ad Abraham, eandem repetiuit ad Isaac & Iacob. Ideo debetis amare Genesin propter hanc gemmam. In Exodo promulgatur Lex: amate Genesin propter Euangelium, Exodum propter Legem. In Genesi dominatur promissio. In Exedo Lex.

Significat enim] Hæc promissio repetita ad Abraham enarratur à Paulo Ephes. 1. & Galat. 3. Benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in cœlestibus &c. Quibus verbis significat Paulus benedictionem Abrahæ promissam, non esse intelligendam de regno politico, quale Iudæi somniant, sed de bonis spiritualibus, cœlestibus & æternis. Eodem modo interpretatur hanc promissionem Gal. 3. in hanc sententiam, Qui sub Lege sunt, sunt sub maledictione, id est, sunt oppressi maledictione, iuxta illud: Maledictus, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt &c. Qui verò credunt in Christum, benedicentur cum fidelibus Abrahæ. Ideo enim Christus est factus pro nobis maledictum, vt nos liberaret à maledictione Legis, vt benedictionem Abrahæ promissam consequeremur.

Exactis] cap. 3.

Abraham] Gen. 15. Quæro, an Abraham fuerit cultor idolorum, seu idololatra, ante vocationem ex Vr Chaldæorum? Fuit. Vnde potes hoc probare? Ex libro Iosuæ 24. cap. Disertè scribitur Abraham coluisse idola, antequam vocaretur diuinitus ex Chaldæa. Ergo Abraham non potuit coram Deo allegare innocentiam & dignitatem suam, sed libenter agnouit & confessus est, se esse miserum peccatorem nõ modò in peccatis conceptum, sed etiam pollutum cultu idolorum

& aliis multis delictis. Fuit vir magnus, heroicus & diuinus vir, vir Dei, ſed tamẽ habuit ſua peccata, quæ in omni vita deplorauit, propter quæ petiuit à Deo remiſsionem peccatorum.

Sequuntur] Hactenus ex Moyſe confirmauit ſententiam propoſitam, quòd idem ſit Euangelium à principio. Nunc ſequuntur teſtimonia ex pſalmis & ex Eſaia, quia Dauid & Eſaias ſunt præcipui Prophetæ poſt Moyſen. Qui vultis eſſe ſtudioſi Theologiæ, hunc ordinem ſeruate in lectione: primùm omnium legite Geneſin, qui liber eſt antiquiſsimus non modò in Eccleſia, ſed etiam extra Eccleſiam. Totus mundus non habet antiquius ſcriptum, quàm Geneſin. In nullo ſcripto ſic recitatur ſeries annorum à creatione, vt in Geneſi. Nuſquam extat deſcriptio creationis mundi & generis humani, nuſquam extat hiſtoria de lapſu hominum & reſtitutione, niſi in Geneſi, ſed quod eſt præcipuum in illo libro, id maximè obſeruetur, videlicet promiſsio de Mediatore tradita primis parentibus, & poſtea ſæpe repetita in colloquiis cum patribus. Poſt Geneſin legatis Exodum, in quo præcipuus locus eſt promulgatio Legis, quæ eſt altera pars doctrinæ Chriſtianæ. Poſt hos libros legatur quintus liber Moyſi Deuteronomium, qui liber eſt eruditiſsimum & ſapientiſsimum ſcriptum, comprehendens ſummam Exodi, Leuitici & Numerorum: eſt enim veluti ἐπιλογισμὸς, ſeu repetitio. Poſt Moyſen legatis Pſalmos: poſt pſalterium, Eſaiam. In his libris veteris Teſtamenti verſeris tanquam in tua domo, & in tua habitatione, ſemper in his hæreas, habites, immoreris, & facias tibi ſingula dicta horum librorum tam familiaria, quàm ſunt tibi noti tui digiti. In nouo Teſtamento legas in primis Euangelium Iohannis, & Epiſtolam ad Romanos. Reliquos libros non extenuo, neque contemno, non excludo, ſed loquor de præcipuis ſcriptis, quorum lectio ſæpiſsimè repetenda eſt.

Vt] Pſal: 143.

Iuſtificabitur] Scilicet propria mundicie, propria dignitate, ſine Mediatore.

Si] Pſal. 130.

Dixi] Pſal. 32. Beati quorum remiſſæ, &c.

Item]

Item] Psal.110: Dixit Dominus &c. Epistola ad Hebræos est commentarius psalmi 110.

Suauissima] Sed hæc carmina nemini dulcescunt, nisi priùs senserit morsus serpentis, nisi acceperit plagas à mundo & Diabolo. Alexander non cepit magnam voluptatem ex spectaculis comœdiarum, quia non didicerat in gynæceis accipere plagas à mulierculis: sic nemini dulcescunt suauissima carmina Dauidis, nisi acceperit plagas à Diabolo.

Sed tanta] Querela. Donec res sunt secundæ, facilè potes dicere, Deus diligit me, sed quãdo subitę tempestates in nos irruunt, ibi labor est & opus, dicere, Dominus est mea fortitudo, mea arx, meum præsidium. Hæc facilè dicuntur, sed sunt difficillima in praxi.

Sed] Præcisio inductionis.

Hactenus] Epilogus totius Loci.

Euangelij promissio non tantùm est gratuita, sed etiam vniuersalis, id est, pertinet ad omnes, qui eam accipiunt. Homo cruciatur duabus potissimum tentationibus, in vita & in morte. Prior est de indignitate, altera est de electione seu de particularitate. Tentationi indignitatis opponatur vox Euangelij, & particula Gratis. Tentationi electionis opponatur cõcio de fide, vniuersalis promissio Euangelij, & in hanc quoque te iniudas, tanquam in arculam, donec transeat tempestas, id est, tentatio.

Paulum] Rom. 1.

Conclusit] Scilicet voce Legis, & signis reatus, id est, pœnis publicis & priuatis.

FINIS LOCI DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII.

STVDIOSIS IN ACADEMIA LIPSICA S. D.

QVI expetit finem, non fugiat media ad finem ducentia. Est autem finis, ad quem omnes articuli referuntur, caput in Symbolo, Credo remissionem peccatorum. Ideo enim credimus, Christum Deum & hominem natum esse ex Virgine, crucifixum & resuscitatum, vt per eum, & propter eum accipiamus remissionem peccatorum, cui adiuncta sunt, vel potiùs cognata beneficia, resurrectio corporum, & vita æterna. Si quis igitur summum fidei articulum de remissione peccatorum, vt par est magnificat, is non fugiat, nec aspernetur piam explicationem eius doctrinæ, quã si vel tollas, vt Iudæi, vel depraues, sicut Papistæ, neque Deo debita gloria tribui potest, neq; Ecclesia suum locum tenere ac tueri, neque reliqui fidei nostræ articuli inuiolati manere possunt. Quare hortor omnes studiosos pietatis, vt magna attentione, repetitionem Loci de Iustificatione audiant, ad quod quidem, vt paratiores veniant, breuiter in vestibulo recitabo historiam primorum parentum, quæ doctrinam hanc totam maximè illustrat, & nos de conuersione & de consolatione commonefacit. Vtar autem in hac historia aliquot sentẽtiis clarissimi præceptoris Philippi Melanthonis, ídque faciam permotus exemplis summorum virorum, qui non dubitárunt à præceptoribus verba & sententias mutuari. Quis enim ignorat, Aristotelem plurima à Platone, Cyprianum à Tertulliano, Prosperum ab Augustino mutuatum esse? sed non iustituo huius facti Apologiam longiorem

giorem, cùm libenter & ingenuè fatear, me amantissimum esse doctrinæ & scriptorum Philippi. Bene & feliciter valete, & Deum orate, vt nobis diu concedat halcyonia ad repetitionem veræ & necessariæ doctrinæ de Deo, & de aliis rebus bonis. Lipsiæ,

Anno Christi M. D. L X V.

die 14. Iunij.

Victorinus Strigelius.

LOCVS DE IVSTIFICATIONE.

Præfatio obiter excepta ante explicationem Loci de Iustificatione.

DOCTRINA de Iustificatione seu de remissione peccatorum, quam nunc, Deo iuuante, ordimur, in capita octo, docendi & breuitatis caussa distribuemus: quorum primum erit Grámatica declaratio vocabulorum iustitiæ, fidei & gratiæ. Oportet enim nos à Grammatica ordiri, quia verba sunt notę rerum. Si quis autem errat de notis seu signis, is etiam facilè errorem cõcipit de rebus ipsis, quę significantur. 2. Secundum caput erit concio pœnitentiæ. Quia sicut in curatione vulneris necesse est sentiri dolorem: ita in doctrina de Iustificatione, necesse est, homines commonefieri de pœnitentia, hoc est, de agnitione peccati & iræ Dei aduersus peccatum. Hac enim methodo vtitur Paulus ipse in Epistola ad Romanos, cùm in capitibus tribus, 1. 2. & 3. accusat gentes & Iudæos, & tandem vniuersum genus humanum propter

peccata. 3. Tertium caput noſtræ explicationis erit ſumma doctrinæ veræ, ſimplicis & ſincere, de iuſtificatione peccatoris coram Deo. Vt enim Paulus poſt concionem pœnitentiæ recitat principalem ſtatum, ſeu propoſitionẽ totius negotij in fine cap. 3. Rom. ita nobis idem erit faciendum. Nam omiſſa principali propoſitione nihil intelligi poteſt, nihil doceri, aut percipi. 4. Poſtea in capite quarto ſequẽtur confirmatio propoſitionis & veræ ſententiæ de iuſtificatione, ſumta partim ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, partim ex teſtimoniis piæ & eruditæ antiquitatis Græcæ & Latinæ, vt agnoſcatis conſenſum Orthodoxæ & Catholicæ Eccleſiæ Ieſu Chriſti. 5. In quinto capite diſſeremus de cauſsis iuſtificationis. Nihil enim ſine mentione cauſſarum rectè cognoſcitur, iuxta peruulgatum Ariſtotelis axioma: Scire eſt rem per cauſſas cognoſcere. 6. In ſexto capite proponemus diſcrimẽ inter iuſtificationem & regenerationem. Etſi enim fide iuſtificamur ſimul & regeneramur, tamen aliud eſt iuſtificatio, aliud regeneratio. Hoc diſcrimen cùm multi ignorent, aut non ſatis intelligant, toto, vt dicitur, cœlo errant & hallucinantur in doctrina de iuſtificatione. 7. Septimum caput declarat particulam excluſiuam Gratis, vel ſola fide, vt nos vſitatè loquimur in noſtris Eccleſiis. 8. Octauum & poſtremum caput cõtinebit refutationem earum opinionum, quæ vel corrumpunt Sophiſticè articulum iuſtificationis, vel hoc caput in Symbolo prorſus delent, Credo remiſsionem peccatorum. In his octo capitibus noſtra verſabitur explicatio. Ac ſoleo tali ordine ſeu methodo iſta proponere, vt iuuentus in ipſo veſtibulo videat initia, progreſsiones & metas. Alioqui cogitaret iuuẽtus, hanc doctrinam fore infinitam & immenſam. Credo autem, omnia his octo capitibus contineri, quæ & poſſunt, & debent ſine longis ambagibus dici de hac tanta re. Et hæc quidem de ordine & methodo. Nunc de dignitate & neceſsitate pauca obiter addam. Nam ſi vellemus omnia dictando perſequi, nõ poſſemus vno anno abſoluere hunc titulum. Vt autem in ceteris nõ fuimus longiores, quàm ſcholæ conſuetudo poſtulat, & diſcentium vtilitas: ita etiam in hoc titulo non conſumemus tot annos, quot conſumſerunt Græci in bello Troiano.

Quanta igitur ſit dignitas huius articuli, ex hac vna re æſtimari

mari potest, quòd finis est præstantissima caussa. Nam finis gratia, reliqua omnia suscipiuntur. De qua sententia multa dicuntur in Dialecticis, & physicis. Iam verò constat, articulum de remissione peccatorum, vel quod idem est, de iustificatione esse præcipuum caput in Symbolo, ad quod reliqui articuli tanquam ad scopum referuntur. Ideo enim assentimur ceteris articulis in Symbolo recitatis, vt possimus per & propter Christum habere remissionem peccatorum, &, si libet vti pluribus verbis synonymis, iustificationem coram Deo, imputationem iustitiæ, reconciliationem cum Deo, & acceptationem ad vitam æternam. Hæc enim aut eadem sunt, aut cõnexa, nec sunt nimis subtiliter discernẽda. Quoties igitur recitas tuum symbolum, siue Apostolicum, siue Nicenum, cogita hunc esse finem aliorum articulorum, Credo remissionem peccatorum. Si quis autem habet remissionem peccatorum, is non dubitet de resurrectione corporum, aut de vita æterna. Nam iustus, vt inquit Propheta, fide sua viuit. Viuet autem non sola anima post hanc mortalem vitam, sed etiam corpus resuscitatum ex morte, & rursus copulatum cum anima. Deinde precatio Dominica, quam vulgò vocamus Pater noster, admoneat nos quotidie, & singulis horis & momentis de hoc articulo. Est enim præcipua petitio in tota oratione Dominica, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Etsi enim ponitur loco quinto, tamen reliquis petitionibus prælucere debet, sicut sæpe audiuistis regulam valde vtilem. Nihil possumus à Deo petere & expectare, nisi primùm iacto fundamento, hoc est, agnito Mediatore, & propter eum accepta remissione peccatorum & reconciliatione, vt verbi caussa, non potes petere panem quotidianum à Deo irato, sed oportet te bona corpori necessaria petere à Deo propitio & reconciliato, hoc est, quem statuas tibi remittere & condonare peccata. Tertio, vsus Sacramentorum est perpetua commonefactio de hoc præcipuo articulo doctrinæ Christianæ. Nam de Baptismo inquit diuus Petrus Actor. 2. Agite pœnitentiam, & baptizamini vnusquisque, vt accipiatis remissionem peccatorum: quasi dicat, Ideo baptisamur, vt recipiamur in gratiam à Deo propter meritum & obedientiam Filij Mediatoris, & sanctificemur Spiritu

ſancto ad vitam æternam. De calice verò ſeu de altera parte Cœnæ Domini expreſsè dicitur in hiſtoria inſtitutionis Cœnæ Domini, Hic calix eſt nouum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur in remiſsionem peccatorum. Videtis igitur ex hac breui inductione me vera dixiſſe, quando vſus fui hac aſſeueratione, quòd videlicet articulus de remiſsione peccatorum ſit præcipuus, & finis omnium aliorum articulorum. Nam ad hunc articulum, vt breuiter omnia repetam & colligã, refertur totum ſymbolum, & hic articulus dominatur in precatione ſeu inuocatione, & omnibus aliis petitionibus præluceat. Deniq; Sacramenta nihil aliud ſunt, quàm ſigilla obſignantia hunc articulum de remiſsione peccatorum, & teſtificantia applicari nobis remiſsionem peccatorum. Quod enim vniuerſaliter dicitur in promiſsione Euangelij, hoc applicatur in vſu Sacramentorum ſingulis credentibus. Certè in abſolutione, ne huius etiã nos capiat obliuio, audimus hanc vocem dulciſsimam: Confide Fili, remittuntur tibi peccata. Hæc eſt vox promiſsionis de remiſsione peccatorum. Sed ſatis ſit hæc dixiſſe in hac breuitate temporis de dignitate huius doctrinæ, de qua nemo ſatis dignè differere poteſt, etiamſi multos menſes declamando conſumat.

Sequitur, vt pauca dicamus, de neceſsitate ſeu vtilitate. Angeli, nato Chriſto, hunc hymnum canunt, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, hominibus lætitia. Non poteſt autem Deo & Filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto tribui vera gloria ſine agnitione Mediatoris, & non accepta remiſsione peccatorum ſeu reconciliatione. Hoc enim eſt fundamentũ veræ gloriæ, de qua canunt angeli, Gloria in excelſis Deo. Hanc gloriam deſcribit Paulus Coloſſ. 1. & Hebr. 1. inquiens, Chriſtus Dominus & Saluator noſter tranſtulit nos ex poteſtate tenebrarum in regnum lucis, in quo habemus remiſsionem peccatorũ per ſanguinem ipſius. Et Hebr. 1. Qui purgatione peccatorum noſtrorum per ſemet ipſum facta, conſedit ad dextram maieſtatis in excelſis. Econtrà, qui hunc articulum aut omnino ignorant, aut corrumpunt, aut delent, ne quidem intelligere & ſomniare poſſunt, quid ſit gloria, de qua canunt angeli. Deinde non poſſunt in hominibus exiſtere pax & lætitia ſpiritualis, niſi hoc fundamento iacto, videlicet agnito Mediatore,

diatore, & accepta per eum remissione peccatorum. Pax enim hoc loco significat tranquillitatem conscientiæ seu cordis, ortam à fide & spe. Hanc comitatur sua sponte tanquã effectus proprius lætitia, qua obedimus Deo volentes in vita priuata, in vocatione seu functione publica, & in ipsis ærumnis ac in media morte, sicut de Stephano dicitur, Ibat ouãs animis, & spe sua damna leuabat. Denique ne sim longior, & ne nobis effluat tota hora inter prolegomena, certissimum est, non posse Deum inuocari, nec Ecclesiam discerni ab aliis sectis, amissa luce doctrinæ de iustitia fidei. Huius insciti a seu ignorantia tantas parit tenebras in Ecclesia, quantæ quondam dicuntur in Sicilia fuisse eruptione Æthneorum ignium. Tantę autem fuerunt illæ tenebrę, vt scribit Cicero, vt homo hominem per biduum non agnosceret. Talis est, & tam miserandus status Ecclesiæ, in qua ignoratur aut corrumpitur, quasi aceto infuso, saluberrimum balsamum videlicet doctrina de iustificatione. Agamus igitur Deo gratias, quantas animus noster concipere potest, quòd in hac vltima senecta mundi & Ecclesiæ Deus dignatus est hanc lucem nobis reddere, & simul precemur Deum, vt diu hanc lucem, in qua ambulamus, conseruet, nec sinat eam extingui vllis furoribus bellicis, aut domesticis dissidiis, aut alia quacunque fatali calamitate. Ambulemus in luce, inquit Dominus, dum lucem habemus, quia qui in tenebris ambulant, facilè impingunt & præcipitantur.

Enarratio vocabulorum, Iustitiæ & Gratiæ.

CAPVT I.

MENELAVS apud Euripidem inquit, se diuturna conuersatione inter barbaros factum esse barbarum. Vt enim iuxta claudũ habitans, claudicare discit, secundum prouerbium: ita qui versatur inter barbaricas gentes, nõ potest aliter facere, quin induat aliquem habitum illius barbariei, & quasi coloretur illo colore barbarico. Idem accidit Ecclesiæ Dei aliquot seculis superioribus. Cùm enim bonæ literæ essent extinctæ, & regnaret in scholis barbaries sophistica, inter alia bona amisso est etiã nativa significatio & interpretatio vocabulorum Iustitiæ, fidei, & gratiæ, & excogitatæ sunt à Sophistis peregrinæ, nouæ, & veræ Ecclesiæ ignotæ significationes. Nam iustificationem intellexerunt de mutatione qualitatum, vt si dicas, Calefactio est impressio calocis, vel transfusio caloris in aquam: ita finxerunt hominem iustum esse qualitatibus, siue à ratione, siue aliunde ortis, quod est falsissimum. Non enim iustificamur vlla qualitate in nobis hærente, siue sit orta à ratione, siue profecta aliunde, sed iustificamur sola fide, id est, fiducia Mediatoris Christi crucifixi pro nobis & resuscitati, sicut Propheta Esaias inquit cap. 53. Seruus meus, id est, Christus, notitia sui, id est, fiducia sui, iustificabit multos. Paulus inquit Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, non dicit, nostris qualitatibus hærentibus in nobis. Deinde finxerunt noui illi doctores in Ecclesia appellatione fidei tantùm significari notitiam historicam de Christo, qualis etiam est in Diabolis, & nostra memoria Eccius & alij acerrimè contenderunt in colloquiis & conuentibus Imperij, nequaquam fidem vsurpandam esse pro fiducia, qua acquiescimus in Deo propter Mediatorem, seu qua accipimus remissionem peccatorum. Postremò vocabulum gratiæ interpretati sunt sophisticè de nouis motibus excitatis à Spiritu sancto. Quanquam autem verum est, semper cum iustificatione coniunctam esse inseparabiliter ipsam regenerationem & renouationem, quæ fit per Spiritum sanctum, quia simul fiunt iustificatio & regeneratio, tamen gratia principaliter significat misericordiam Dei, & diuinam acceptationem, non significat motus & qualitates in nobis. Ergo

oportet

oportet nos dediſcere iſtas interpretationes barbaricas & ſophiſticas horum vocabulorum, quibus Paulus in hac materia perpetuò vtitur, & diſcere nouam linguam, quæ quidem re ipſa non eſt noua, ſed propter barbariem videtur eſſe noua, etſi veteri quoque & puriori Eccleſiæ fuit notiſsima, quæ non ex ſuo cerebro illam excogitauit, ſed à Paulo didicit ac deſumſit.

Eccleſia non gignit nouam adoctrinam: ſed tanquam diſcipula reuerenter audit b vocem diuinam, & retinet natiuam ſignificationem verborum & phraſis, & refutat ſophiſticam, affingentem dictis Propheticis & Apoſtolicis alienas ſignificationes.

a Heſiodus ſcripſit Theogoniam de multitudine Deorum, de Saturno, Ioue &c. Talé Theologiam nos non importamus in Eccleſiam.

b Proponite vobis imaginẽ Mariæ ſororis Marthæ, de qua dicit Dominus apud Lucam, Maria elegit optimam partẽ, id eſt, verbũ Dei, vocem diuinã. Martha interea erat ſolicita de rebus corpori neceſſariis, de victu. Maria verò ſedebat tãquam diſcipula ad pedes Chriſti, & audiebat vocem Domini de maximis rebus. Hæc Maria eſt imago veræ Eccleſiæ, quæ tanquam diſcipula ſedet ad pedes Chriſti. Audi (inquit pſalm.) filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiſcet rex decorem tuum.

c Verba ſunt intelligenda de ſubiecta materia, ſicut patitur natura rerum, de quibus aliquid commemoratur.

Ordiar igitur doctrinam de iuſtificatione à Grammatica declaratione vocabulorum iuſtitiæ, fidei & gratiæ.

Etenim amiſſa verborũ proprietate, quæ rerum notæ ſunt, alias confingi res neceſſe eſt.

Signis mutatis mutantur res ſignatæ. Ariſtoteles, Quemadmodum (inquit) ignarus Arithmeticæ facilè decipitur in computando: ita ignorantes vim verborum, errant de rebus ipſis.

Eſt autem triplex vſus vocabuli iuſtitiæ. Primùm ſæpe vſurpatur nomen iuſtitiæ pro iuſtitia vniuerſali, quæ eſt obedientia iuxta omnes leges, vt cùm Ariſtides nominatur iuſtus, intelligitur vir nullius criminis reus, I.

Græcè ἀνέγκλητος. Paulus requirit in Epiſcopo, non vt ſit

sed obediens omnibus legibus ἀναμάρτητος, id est, sine peccato, in externa disciplina. quod est impossibile, sed hoc postulat, vt sit ἀνέγκλητος, id est, nullius sceleris vel criminis reus, non debet esse adulter, fur, latro, seditiosus, periurus, si est talium criminum expers, potest admitti ad ministerium. Ἀναμάρτητος significat eum qui est sine peccato. talis nemo est, nisi solus Dominus, de quo dicitur, Non fecit peccatum, non est inuentus dolus in ore eius, sed de ceteris omnibus verum est, quod ait Iohannes, Si dicimus, nos non habere peccatum, sumus mẽdaces, & decipimus nos ipsos: sed possumus esse per Dei gratiam ἀνέγκλητοι, id est, integri vitæ, sceleríque puri, vt ait Horatius.

II. Deinde significat iustitiam particularem, quæ suum cuique tribuit, vt mercator est iustus, qui non defraudat emtores. Hæ sunt significationes Legi conuenientes, quibus etiam Prophetæ & Apostoli vtuntur, concionãtes de iustitia operum, vt Psal. 119. de iustitia vniuersali loquitur: Feci iudicium & iustitiam. Et Iohan. [1. Iohan. 3.] Qui facit iustitiã, iustus est. De iustitia verò particulari in Psa. 7. dicitur: Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam, hoc est, secundum hanc causam iustam, in qua Saul me falsò criminatur, quòd sim seditiosus, & velim eum ex regno excutere, tu es testis, me non habere hanc iniustitiam.

III. Tertius vsus proprius est Euangelij, vt cùm dicimus: Latro in cruce est iustus fide: id est, acceptus Deo, seu placens Deo, & donatus remissione peccatorum propter Mediatorem. Quia enim Legi dininæ non præstamus perfectam obedientiam, Ideo in Euangelio proponitur gratuita reconciliatio propter Mediatorem, quæ nominatur imputatio iustitiæ.

Ad quod prædicamentum pertinet vocabulum iustitiæ, sicut vsurpatur à philosophis? Ad prædicamentum qualitatis. Ad quam speciem pertinet? ad primam, quæ est habitus. Qualis est habitus Iustitia vel vniuersalis, vel particularis secundum philosophos? est habitus voluntatis, sicut dicunt Iurisconsulti, de particulari iustitia, quòd sit cõstans & perpetua volũtas, id est, ἕξις, propositum constans & firmũ, tribuens suum cuique, vel Geometrica proportione, vel Arithmetica. Sed in quo prædicamento est iustitia,

ſtitia, de qua concionatur Euangelium? In prædicamento Relationis. Quæro an iuſtitia latronis in cruce tantùm ſit relatio rationis? eſt reatio realis. Quod eſt fundamentum? Obedientia Chriſti Mediatoris, qui pendebat tunc à latere latronis, eſt fundamentum huius iuſtitiæ relatiuæ. Quòd autem res ita ſe habeat, docet Paulus inquiens, Per redemtionem, quæ eſt in Chriſto.

Quanquam igitur in vera contritione ſunt plures motus: tamen vocabulum iuſtificari phraſi Euangelica haud dubiè ſignificat accipere remiſsionem, reconciliationem ac imputationem iuſtitiæ, vt Lucæ 18. de publicano ſcribitur: Deſcendit iuſtificatus in domum ſuam, id eſt, abſolutus à reatu, & fide cõſecutus remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, imputationem iuſtitiæ, & acceptationem ad vitam æternam.

Dicat aliquis, Tu fingis has interpretationes, ſunt hæc coacta & contorta. Non. Conſidera precationem miſeri hominis publicani, magni peccatoris, vt omnes ſumus magni, ſed alij in aliis gradibus. Quid dicit ille miſer? Domine, ſis propitius mihi peccatori. Quid eſt eſſe propitium? nónne ſignificat remittere peccata, abſoluere aliquem à pœna & culpa? Hunc verò Chriſtus poſtea dicit deſcendiſſe iuſtificatum, hoc eſt, donatum & reconciliatum cum Deo.

Sic Rom. 5. dicitur, Iuſtificati fide pacem habemus, id eſt, conſecuti remiſsionem peccatorum gratis, & reconciliati Deo per Mediatorem, & accepti Deo imputata nobis iuſtitia, ſentimus pacem & lætitiam acquieſcentem in Deo, & duce Chriſto, accedimus ad Deum petentes & expectantes ab eo bona. Quòd enim comprehendatur remiſsio peccatorum in vocabulo iuſtificationis, ex dicto Pauli Rom. 4. manifeſtũ eſt, vbi expreſsè inquit: Sicut & Dauid dicit beatitudinem eſſe hominis, cui Deus imputat iuſtitiam ſine operibus, Beati quorum tecta ſunt peccata.

Hæc ſatis ſit breuiter dixiſſe de primo vocabulo, id eſt, de iuſtitia & iuſtificatione. Studioſi philoſophiæ moralis ſæpe audiuerunt diſtinctionem legalis iuſtitiæ & Euangelicæ. Quare non vtar repetitionibus & declarationibus non neceſſariis & intempeſtiuis, ſed ſpero rem ſatis intelligi. Itaque accedo ad ſequens vocabulum fidei.

Quòd autem fides in ſermone Prophetico & Apoſtolico ſignificet fiduciam Mediatoris ac miſericordiæ promiſſæ propter Mediatorem, teſtimonia, quæ ſequuntur, ſatis declarant.

Rom. 4. Ideo ex fide gratis, vt ſit firma promiſsio. Hic diſertè Paulus confert fidem & promiſsionem, vt teſtetur fidem non tantùm eſſe notitiam aſſentientem hiſtoriis, ſed multò magis fiduciã acquieſcentem in promiſsione diuina. Omnes autem promiſſiones in Chriſto ſunt Amen, id eſt, includunt Chriſtum Mediatorem, ſine quo nihil Deus nobiſcum agit.

Qui didicerunt Dialecticam, intelligunt, qualis ſit connexio inter correlatiua. Nam vno horum poſito, ponitur alterum, vno deſtructo, deſtruitur alterũ, imò ne quidem intelligi poteſt vnum ſine altero, vt pater eſt filij pater, filius eſt patris filius. Non potes mihi dare Patrem ſine Filio, nec Filium ſine Patre. Vno horũ ceſſante, ceſſat & extinguitur alterum: ita habent ſe correlatiuè, ſunt ἀντίστροφα, fides & promiſsio. Promiſsio nõ eſt nobis firma: Nobis dico, id eſt, reſpectu noſtri, niſi apprehendatur fide. Contrà fides eſt inanis imaginatio, & ſomnium inane, niſi nitatur promiſsione, veluti anchora & petra firmiſsima. D. Lutherus ſolebat dicere de hac connexione: Qualis eſt copulatio maris & fœminæ in matrimonio legitimo, quod eſt fœdus indiſſolubile & perpetuum: talis eſt cõnexio fidei & promiſsionis. Sie ſind einander zur Ehe gegeben/vnd kõnnen nicht geſchieden werden.

Epheſ. 3. Per quem habemus acceſſum & libertatem loquendi cum Deo in fiducia, quæ eſt per fidem ipſius. In hoc dicto primùm nominatur acceſſus.

Quomodo differunt προσωπον & προσαγωγὴ? Magna laus eſt Principis, quando vocatur in hiſtoriis εὐπρόσωπος, qui omnibus præbet facilem ad ſe aditum, cuius fores, vt ita dicam, omnibus patent. Alexander fuit talis Princeps, qui ſemper alteram aurem reſeruabat reo. προσαγωγὴ ſecũdum etymologiam vocabuli, eſt adductio ſeu deductio. Tu potes ad aliquem venire ſolus ſine comite & duce. Id nominatur πρόσωπον, ſed προσαγωγὴ non ſit ſine duce & comite. Dicit igitur Paulus, nos primùm beneficio Chriſti habere aditum & acceſſum ipſo Chriſto præeunte tanquam duce.

Nam

Nam mens perterrefacta agnitione peccati fugit Deum. Huic fugæ opponitur vocabulũ accessus, & ne sit trepidus accessus, adduntur plures circumstantiæ.

Nullum est maius ornamentum orationis, quàm si crescat per gradus. Rhetores vocant incrementum, αὔξησιν. Est autem αὔξησις vel in singulis verbis, vel in integris sententiis. Hoc loco apud Paulum est αὔξησις in ponderibus verborum: primus gradus est accessus, secundus παῤῥησία, id est, libertas loquendi, tertius & summus est fiducia, non dubitans de clementia, & exauditione.

Accede in fiducia, id est, statuens te clementer recipi, non accede, vt venit latro in conspectũ iudicis laturi sententiam de supplicio. Plus est deinde παῤῥησία.

παῤῥησία, libertas linguæ vel sermonis. Apud Plautum venustè dicit quidam seruulus: Herus meus iussit me habere liberam linguam, & seruam operam, id est, iussit me habere παῤῥησίαν, libertatem loquendi, admonẽdi. Sed nunc alia regula traditur in aulis: Herus meus iussit me habere seruam linguam, & liberam operam.

Pauper verecundus etiam bene sentiens de amico diuite, tamẽ aperire illi suam necessitatem non audet: ita nos multò timidiùs petimus, imò fugitantes non petimus. Iubet igitur, vt ingenuè & liberè te aperias totum, & ausis petere à Deo necessaria.

Psalm. 62. Effundite corda vestra ô populi, coram Domino. id est, effundite omnes vestras cogitationes, omnes affectus, gemitus, suspiria, preces, vota.

Postremò addit caussam talis accessus, & refutat obiectionem indignitatis. Etsi sumus indigni, tamen sic accedimus, non freti nostra iustitia, sed freti promissione, pretio, & intercessione Filij Dei.

Sumamus exemplum huius regulæ Paulinæ, quia omnia, vt sæpe solemus dicere, iudicant homines aut regulis, aut exemplis. Daniel cap. 3. precatur pro tota Ecclesia, non tantùm pro sua persona (quia semper debemus complecti Ecclesiam, quoties à Deo petimus bona nobis necessaria. Quomodo enim potest membrum obliuisci eius corporis, cuius est

membrum, & cui insertum est?) & inter alia inquit: Prosternimus coram te nostras preces, non in iustificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis, exaudi nos, exaudi nos propter Dominũ, id est, propter promissum Messiam. In hoc exemplo videtis, qua fiducia accedat Daniel ad Deum, non fretus propria dignitate, aut propriis viribus, sed fiducia vnius & solius Mediatoris, qui tunc erat venturus, nunc venit & exhibitus est. Primùm in ea precatione est confessio peccati & indignitatis. Peccauimus (inquit) nos cum patribus nostris, iniquè egimus, discessimus à viis tuis &c. Quia Deus postulat à nobis confessionem nostræ miseriæ. Deinde addit aliam confessionem, qua tribuit Deo laudem misericordiæ promissæ propter venturum liberatorem, propter quem petit se exaudiri, recipi & saluari in Ecclesia & cum Ecclesia: quia, vt antea dictum est, membrum non debet expetere propriam salutem sine salute corporis, hoc est, Ecclesiæ.

Abacuc. 2: Iustus fide sua viuet: Nemo autem iustus & beatus est sola notitia. Necesse est igitur fidem, de qua Abacuc amplissimum præconium facit, intelligi non de sola notitia: sed multò magis de fiducia victrice pauorum & dubitationum.

Mementote hunc aphorismũ propositum, quem loco Symboli vsurpat D. Paulus Apostolus. Sæpe enim repetit hunc aphorismum, vt Rom. 1. Gal. 3. & aliàs sæpe. Iam si fides significaret solam notitiam speculatiuam, profectò non rectè diceret Propheta, Iustus fide sua viuit. Nemo enim viuit, aut potest viuere sola notitia. Neminem iustum aut beatum facit sola speculatio, sola θεωρία. Ergo necesse est voce fidei etiam comprehendi præter notitiam, fiduciam requiescentem in ipsa vita, quæ est Filius Dei. Quoties auditis talia dicta de fide & de effectibus fidei, sitis Dialectici, & versemini cogitatione in prædicamẽto relationis. Sicut enim hęc oratio est correlatiuè intelligenda: Fide sumus iusti, id est, propter Filium Mediatorem crucifixum pro nobis & resuscitatum: ita etiam hæc vox Prophetæ: Fide iustus viuit, est correlatiua, id est, amplectitur & osculatur, vt ait psal. 2. Dominum, in quo est lux & vita. Iohan. 1. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Sicut initio creationis omnia sunt viuificata per Filium, quæ habent vitam: ita credentes omnibus temporibus mundi vsque ad finem viuificati sunt, viuificantur,

cantur, & deinceps viuificabuntur per λόγον Filium Dei, qui dicit Iohan. 14: Ego sum via, veritas, & vita, Item: Ego viuo, & vos viuetis. Et Iohan. 6. Sicut ego viuo propter Patrem: ita manducans meam carnem, & bibēs meum sanguinem, viuet propter me. Ergo hæc oratio de fide iustificante & viuificante intelligatur correlatiuè. Non viuimus beneficio fidei, tāquam operis aut virtutis accensæ in nostris cordibus, sed viuimus merito & efficacia Filij Dei: primùm Christus meritus est tibi vitam sua obedientia, deinde efficit in te vitam sua diuina potentia.

Rom. 5: Iustificati fide pacem habemus. Hæc pax seu tranquillitas orta à fide est in corde non iam fugiente Deum, sed ad Deū accedente, & petente atque expectante ab eo bona.

Doctor Pomeranus, piæ memoriæ, in concionibus & lectionibus solebat vti hac similitudine, quam debetis meminisse, & quæ est popularis, potest ab omnibus intelligi, etiam à vulgo. Sicut differunt annulus aureus & gemma inserta annulo: ita differunt fides & Christus. Sicut igitur annulus magni fit & æstimatur, nō propter exiguam massulam auri, sed propter Adamantem, aut aliam pretiosam gemmam, quam habet inclusam & sibi insertam: ita quoque dicitur de fide, quòd iustificet, aut viuificet, aut pacem nobis afferat. Hæc intelligantur propriè & principaliter de Christo, qui est obiectum vnicum, aut certè præcipuum fidei: & sciamus, hos effectus tribui fidei, non vt caussæ principali & propriæ, sed vt instrumento seu organo. Nam non alio medio, non alio organo, non alio instrumento possumus apprehendere Christum, nisi fide.

Postremò & hæc argumenta ostendunt, fidem esse fiduciam misericordiæ: quia necesse est discerni fidem Ecclesiæ à notitia dæmonum, de qua Iacobus inquit: Dæmones credunt & contremiscunt.

Quot modis differunt fides Pauli & fides Diaboli? tribus modis. Primùm caussa efficiēte, deinde obiectis, tertiò effectibus. Primùm dico differre efficiente caussa, quia fides in Paulo accenditur per Spiritum sanctū: sed notitia in dæmonibus est opus rationis sine Spiritu sancto. Deinde differūt fides Pauli & fides dæmonū obiectis: quia notitia in dæmonibus tantùm intuetur historiam, quam scit esse veram. Scit enim Dia-

bolus Christum natum esse ex Virgine, passum, resuscitatum, abiisse in cœlum, & sedere ad dextram Patris, & paulò post rediturum ad iudicandum viuos & mortuos. Hæc omnia scit esse verissima, sed non intuetur additam promissionem, quam scit ad se non pertinere, quia in Symbolo Niceno dicitur, Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit è cœlis. Et in epistola ad Hebr. cap. 2. Non angelos assumsit, sed semen Abrahæ, vt testaretur beneficium redemtionis non ad Diabolos pertinere, sed ad solos homines. Sed nostra fides, Pauli, Abrahæ & omnium sanctorum, non tantùm considerat historiam, cuius notitia est necessaria, sed omnium maximè est defixa in promissionem traditam in Euangelio: sic Deus dilexit mundum &c.

Tertium discrimen sumitur ab effectibus. Effectus notitiæ in Diabolis sunt fuga & fremitus aduersus Deum, teste Iacobo: Dæmones credunt & contremiscunt. Nolite dubitare, quin Diabolus sentiat impendere, & quasi in foribus esse postremum iudicium. Ideo tanquam impositurus colophonem, & additurus extremum actum suæ fabulæ, nunc rabiosè sæuit & grassatur in tyrannis, in fanaticis hominibus, in falsis fratribus, in hypocritis, & serit lites ex litibus, bella ex bellis, seditiones ex seditionibus, vt ante lætissimã nobis καταστροφὴ expleat aliquo modo nocendi cupiditatem & ἐπιχαιρεκακίαν insanabilem, sicut testatur Apocalypsis Iohannis cap. 12. Descendit (inquit) Diabolus ad vos, qui habitatis in terra, habens iram magnam, sciens quòd non habeat multum temporis.

Item: Quia vera fides luctatur cum tentationibus, & est victoria, quæ[a] vincit mundum, vt 1. Iohan. 5. scribitur, Sola autem notitia non est[b] victrix mortis.

b scilicet instrumentaliter, Principaliter hæc dicuntur de Christo: Ipse contriuit caput serpentis, non solùm in suo corpore, sed etiam in nobis, teste Paulo: Conculcabit Satanam sub pedibus nostris.

b Die testimonium de hac sententia, quòd vincamus Diabolum & mundum, & omnes res aduersas per Filium Dei, 1. Cor. 15. Deo sit gratia, qui dat nobis victoriã per Dominum nostrum Iesum Christum. Hanc autem fide apprehendimus & amplectimur, & retinemus. Ideo etiam, quanquam minùs propriè & instrumẽtaliter, tribuitur hæc victoria fidei, cùm sit propria Filij Dei. Vincimus enim non propriis viribus, sed per Filium Dei. Alterum illustre testimonium

monium, extat Rom. 8. Verùm superamus omnia per eum, qui dilexit nos. Quis dilexit te? non tantùm Pater, sed etiam Filius, vt testatur Paulus Gal. 1. Qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.

Præterea fiducia misericordiæ excutitur lapsibus contra conscientiam, manente notitia in parte cognoscente.

Spero ex hac recitatione testimoniorum & argumentorum nemini obscurum esse, quid fides significet. Est igitur fides assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiæ, & est fiducia acquiescens in Deo propter Filium, accedens ad Deum, & inuocans eum, & clamás, Abba Pater, quæ sentitur in credentibus, & in veris pauoribus adfert consolationem & lætitiam.

Est illustris descriptio sumta ab effectibus: sed nunc declarabo vnam tantùm particulam: Quare dicitur, omni verbo Dei NOBIS tradito? Multa leguntur in sacris literis, quæ ad nos nec debent, nec possunt applicari, vt Abrahæ promissa est terra Chanaan. Hæc promissio nihil ad nos pertinet. Satis est igitur historiam scire, quòd Abrahæ olim sit promissa certa sedes ad Iordanem. Illa promissio iam cessat, deleta politia. Sic Angelus dicit ad Mariam Luc. 1. Concipies & paries Filium. Hæc nihil ad nos. Ego non sum mater Christi, tu etiam non es mater Christi, sine allegoria. Nam quòd Christus dicit, Qui audit vocẽ meã, is est frater meus, & mater mea: id intelligitur allegoricè, propriè loquendo, sola Maria est mater Christi. Ex hac enim assumsit massam naturæ humanæ, non aliunde: sed sunt alia verba Dei, quæ ad nos omnes & singulos sine exceptione pertinent. Quare singuli applicent sibi verbum Dei, quod ad omnes & totum mundum pertinet, quale est illud Iohan. 3. Omnis, qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui non credit, iam iudicatus est, & ira Dei manet super eum. Deinde memineritis dictum Salomonis Prouerb. 30. Omne verbum Dei purgatum est clypeus credenti. Cur dicit, omne verbum Dei purgatum? Quare non simpliciter dicit, Omne verbũ Dei est clypeus? Quia vult verbum Dei intelligi sine corruptela & sine carnalibus imaginationibus, iuxta mentem & voluntatem Dei, non iuxta nostram imaginationem. Exemplum in Apocalypsi scribitur, Agnus occisus est ab origine mundi. In hunc locum incidens aliquis, dicit, Profectò ego lego expressa verba, quibus nemo

pius poteſt contradicere. Diſertè & expreſsè dicit Iohannes in Apocalypſi: Agnus, id eſt, Chriſtus occiſus ſeu mactatus eſt ab origine mundi, hoc eſt, poſt conditum genus humanum, & poſt conditam Eccleſiam. Quid hæc verba ſibi volunt? An Chriſtus millies eſt crucifixus & occiſus? Non. ſed hæc eſt natiua ſententia. Etſi certum fuit tempus deſtinatum paſsioni & mactationi huius agni, & effuſioni ſanguinis ipſius, tamen meritum huius mactationis & paſsionis eſt omnium temporum & ætatum, pertinet ad omnes credentes vniuerſaliter, & non minùs prodeſt primis parentibus in paradiſo, quàm mihi aut tibi, das heiſt verbum Dei purgatum.

Antequam de vocabulo Gratiæ dicere incipiam, quod fiet, ſi priùs pauca dicta fuerint de diſcrimine inter fidem, & ſpem, & dilectionem, reuocabo iunioribus in memoriam ſecũdam regulam, traditam in prædicamento relationis. Omne vocabulũ relatiuum verſatur inter duo extrema, quorum alterum eſt fundamẽtum, alterum terminus. Hanc regulam ideo repeto, quia iuſtificatio, fides, & gratia, non ſunt vocabula abſoluta, ſed relatiua. Quærendum eſt igitur in ſingulis vtrumque extremum, fundamẽtum & terminus, vt ipſa relatio rectiùs intelligatur. Fundamentum iuſtificationis noſtræ coram Deo eſt obedientia & meritum Filij Dei, iuxta dictum Rom. 5: Sicut per vnius inobedientiam multi conſtituti ſunt peccatores: ita per vnius obedientiam multi iuſtificabuntur. Terminus iuſtificationis eſt perſona agens pœnitentiam, & credens in Filium Dei. Ipſa verò relatio, quæ propriè nominatur iuſtificatio, eſt applicatio obedientiæ & meriti Chriſti ad perſonam agentem pœnitentiam & credentem: quæ applicatio nihil eſt aliud, niſi remiſsio peccatorum, & imputatio iuſtitiæ, & reconciliatio cum Deo. Fundamentum fidei eſt in mente notitia & aſſenſus, in voluntate eſt fiducia. Terminus fidei eſt obiectum, ſcilicet, omne verbum Dei nobis traditum & rectè intellectum ſine carnalibus imaginationibus, & ſine corruptelis, & in hoc promiſsio gratiæ, quæ velut gemma inſignis eminet inter dicta cœleſtia. Relatio, quæ vocatur fides, eſt applicatio notitiæ, aſſenſionis & fiduciæ ad verbum Dei, atque in primis ad promiſsionem gratiæ. Nam fides, vt paulò poſt dicetur, eſt virtus apprehenſiua, quę apprehendit obiectum monſtratum. Fundamentum gratiæ (vt veniamus ad id, quod nunc nobis propoſitum eſt ad declarandum) eſt miſericordia in Deo, quæ non eſt accidens, vt in nobis, ſed eſt ipſa Dei eſſentia, ſicut inquit in ſua Canonica Iohannes,

nes, Deus est charitas. Non tantùm hoc dicit, Deus diligit nos, sed est ipsa dilectio, seu ipsa charitas. Terminus gratiæ est persona placens Deo, seu accepta Deo. Ipsa relatio vocabuli Gratiæ est acceptatio, qua Deus propter Christum nos gratis recipit, & facit hæredes vitæ æternæ. Vt autem vocabulum Gratiæ rectiùs intelligatur, discernenda est docendi gratia phrasis Latina à phrasi Hebraica. In Latina lingua hæc duo vocabula habent se correlatiuè, fauor & gratia. Fauor significat actiuè beneuolentiam, qua alios homines complectimur. Gratia verò significat Latinis acceptationem, vt sic loquar, passiuam: vt cùm dicimus, Mecænas est in magna gratia Augusti, id est, placet Augusto, acceptus est Augusto. Et hæc quidem est consuetudo sermonis Latini, vt nouerunt omnes, qui versantur in scriptis Ciceronis, & in aliis bonis autoribus Latinis. Sed Hebræi propter angustiam sui sermonis vno vocabulo Gratiæ complectuntur fauorem & gratiam. Quare vocabulum gratiæ Hebræis significat actiuè & passiuè.

Differunt autem fides & spes: quia fides & notitiam significat, & deinde fiduciam accipientẽ præsens beneficium, scilicet remissionem peccatorum. Spes autem est expectatio futuræ liberationis.

Cognatæ virtutes sunt fides & spes, nec tamen sunt confundendæ, sed prudẽter discernendæ. Fiducia est actus, vt in scholis loquimur, non modò fidei, sed etiam spei, sed differunt fides & spes. Quia fides accipit præsens beneficium, quod nunc offertur, videlicet remissionem peccatorũ, vt Christus inquit ad paralyticum, Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: & ad mulierculam peccatricem, Luc. 7. Fides tua saluam te fecit, vade in pace: & paulò antè dixerat ad Pharisæum Christus in eadem concione, Remissa sunt ei peccata multa &c. Vides igitur fidem accipere præsens beneficium, Credo remissionem peccatorum mihi dari, non tantùm aliis, & nunc dari, in hoc momento, in hac ipsa hora. Spes autem expectat futuram liberationẽ, vel in hac vita, iuxta consilium Dei, vel post hanc vitam: sic dicimus in Symbolo, Expecto resurrectionem mortuorum & vitam venturi seculi. Sunt verba Symboli Niceni.

Differunt etiam fides & dilectio: quia fides audit Deum promittentem: dilectio audit Deum præcipientem. Fides versatur circa opera Dei: dilectio versatur circa opera nostra. Fides accipit

beneficia Christi: charitas reddit mutuam beneuolẽtiam, & præstat aliqua officia, velut ἀντίδωρα, pro modo facultatum. Rectè igitur veteres dixerunt, fidem esse virtutem apprehensiuam.

ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, ἐκ τῶν ἐνόντων, pro præsenti copia.

Est egregius aphorismus.

Considerate diligenter hæc discrimina. Quare Paulus non dicit in suis Epistolis, Nos sumus spe iusti, aut sumus iusti dilectione? Respondeo: Non sumus iusti spe: quia spes non accipit præsens beneficium, sed expectat futuros euentus. Oportet autem nos in præsentia iustificari, si volumus saluari: superinduemur, inquit Paulus, si non nudi reperiemur, hoc est, nemo post hanc vitam erit hæres vitæ æternæ, nisi sit iustificatus in hac vita, nisi habeat remissionem peccatorum in hac vita. Deinde quare non iustificamur dilectione Dei, aut proximi? (Non iam disputo de perfectione aut imperfectione) quia dilectio nõ est virtus accipiens aliquid à Deo, sed est virtus reddens aliquid Deo. Aliud est accipere, aliud dare. Sola fides accipit beneficia Christi, sola est virtus apprehensiua, & quidem in præsentia. Fides audit Deum promittentem, vt Abraham audit hanc promissionem, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Huic promissioni credit, hanc fide amplectitur, in hac acquiescit. Ideo scriptum est Gene. 15. Credidit Abraham Deo, scilicet promittenti, & reputatum est ei ad iustitiam. Quid agit dilectio? Dilectio audit Deum præcipientem, scilicet, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum sicut te ipsum. Hanc vocem audit dilectio. Fides verò audit aliam vocem, Cõfide fili, remittuntur tibi peccata tua. Aliud est autem promissio, aliud præceptum. Habet igitur se fides correlatiuè ad pomissionem: dilectio verò respicit ad mandatum Dei. Deinde discernũtur fides & dilectio Fides versatur circa opera Dei, vt in Symbolo dicimus, Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ. Audis vnum opus, creationem & sustentationem omnium rerum, quæ est actio Dei generalis, vt solemus loqui in scholis. Deinde dicis, Credo in Iesum Christum, natum ex Maria Virgine, passum, crucifixum &c. Hæc non sunt opera nostra, aut vllius creaturæ, sed sunt opera Filij Dei redemtoris nostri & saluatoris. Tertiò dicis, Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum &c. Hæc non sunt opera tua, aut mea, sed sunt opera Dei, & nulla prorsus fit mentio operis humani, nostri, aut

aut angelorum, aut vllius creaturæ in toto Symbolo: tantùm opera Dei ordine commemorantur, primo loco creatio, secundo redemtio, tertio sanctificatio. Circa hæc opera versatur fides, credit Deum esse conditorem & conseruatorem omnium rerum creatarum, credit Christum esse redemtorem & saluatorem, credit Spiritum sanctum esse sanctificatorem. Hæc sunt opera Dei: sed quid agit interea dilectio? Dilectio est occupata nostris operibus, nostris officiis, studet Deo aliquid grati facere. Tertiò fides accipit beneficia Christi, est virtus, vt ita dicam, mendica. Dilectio est liberalis pro modo facultatum. Hinc sequitur hoc πόρισμα: Rectè igitur veteres dixerunt, Fidem esse virtutem apprehensiuam.

Nomen gratiæ significat gratuitam misericordiam seu remissionem peccatorum, & acceptationem donatam propter Filium, cum qua tamen coniuncta est donatio Spiritus sancti, accendentis nouam lucem & nouas virtutes in corde hominis, cui remittuntur peccata.

Ne quis autem confundat gratuitam acceptationem & nouas virtutes in nobis accensas, vtitur Paulus duabus appellationibus, quibus hæc duo beneficia discernit. Rom. 5. Multò magis gratia Dei & donum per gratiam, per Iesum Christum in multos exuberant. Semper igitur in hac doctrina consideretur initiò, & quid vocabula significent, iustitia, fides, & gratia, & prudẽter discernantur dicta propria Legis, & alia propria Euangelij.

Sic argumentor: Rom. 2. dicit Paulus: Non auditores, sed factores Legis iustificantur. Ergo operibus sumus iusti.

Respondeo ad antecedens. Dictum Pauli est dictum Legis, quod debet discerni à concione propria Euangelij. Nam in sequentibus capitibus Paulus alia phrasi vtitur, non secum pugnans, sed loquens de alia materia. Iustificamur, inquit, gratis, gratia ipsius, per redemtionem &c. Non pugnant inter se hæc rectè distributa: verba enim intelligenda sunt secundum subiectam materiam. In capite 2 ad Roman. extat concio Legis, qua accusat Paulus Iudæos gloriantes de Lege, & de obseruatione Legis. Hos arguens, inquit, Non auditores, non hypocritæ, qui simulant Curios, & bacchanalia viuunt, nõ arguti ciues sine virtute, sed factores Legis iustificantur. Cùm autem nemo satisfaciat Legi, ac ne quidem possit satisfacere propriis

viribus & propria dignitate: Deus aliam nobis iuſtitiam conſtituit, de quà Paulus dicit Rom. 3. Nũc ſine Lege iuſtitia Dei patefacta eſt, de qua teſtimonium perhibent Lex & Prophetæ. Diligenter igitur conſiderandum eſt, vbi Scriptura loquatur legaliter, & vbi Euangelicè Sicut in Ethica non pugnant inter ſe ſummum ius & æquitas, ſed differunt gradibus propter certas circumſtantias: ita Lex & Euangelium non pugnant inter ſe, ſed Lex verſatur circa alia obiecta, & Euangelium etiam habet ſua obiecta, circa quę verſatur. Credo vos ſine longiore declaratione ſatis iam intelligere, quid hæc tria vocabula ſignificẽt, primùm iuſtitia, deinde fides, tertiò gratia. Sed dicat fortaſſe aliquis: Tu videris vti ταυτολογία, qua nihil eſt ineptius: videris enim confundere & miſcere vocabula gratiæ & iuſtificationis. Suprà enim dixiſti, iuſtificationem eſſe remiſsionem peccatorum & acceptationem ad vitam æternam: nunc eandem cantilenam repetis in deſcriptione gratiæ. Reſpondeo: neceſſe eſt copulari cauſſam & effectum. Non enim potes ſeparare cauſſam & effectum, etiamſi potes verbis diſtinguere. Non potes intelligere filium ſine patre, nec patrem ſine filio: ita cùm gratia ſit cauſſa omnium beneficiorum, quæ Eccleſiæ donantur propter Chriſtum, neceſſe eſt fieri vtrobique mentionem eorundem beneficiorum, & in declaratione vocabuli iuſtitiæ, & in declaratione vocabuli gratiæ: ſed diſcernuntur hæc duo, tanquam cauſſa & effectus. Gratia eſt cauſſa remiſsionis peccatorum & iuſtificationis, ſicut dicitur Epheſ. 2. Gratia ſaluati eſtis, idque nõ ex vobis, Dei donum eſt, ne quis glorietur. Effectus autem gratiæ eſt ipſa iuſtificatio ſeu remiſsio peccatorum, ſed hæc ſuo loco diſcernemus pluribus verbis, in capite de cauſsis iuſtificationis, ibi ordine recitabimus cauſſas. Audietis etiam infrà in proprio & peculiari capite doctrinam valde neceſſariam, de diſcrimine remiſsionis peccatorum, ſeu iuſtificationis & regenerationis. Quanquam enim homo ſimul & ſemel eodem momento iuſtificatur & regeneratur, id eſt, accipit fide ſimul vtrumque beneficium, remiſsionem peccatorum, & Spiritum ſanctum, tamen neceſſe eſt diſcerni conſolationem, de qua mens præcipuè angitur in pauoribus, à nouitate Spiritus, quæ ſequitur ipſam iuſtificationem ſeu remiſsionem, non quidem ſucceſsione temporis, ſed ordine naturæ, ſicut effectus ſequitur cauſſam. Quando tu es in media morte, & iam vocaris ad vitæ exitum, fieri non poteſt, quin ſentias aliquos pauores & aliquas conſternationes, de gradibus iam non loquor,

quor, qui in aliis sunt alij. In eodē etiam homine, iam maiores, iam minores. In tali igitur casu, quid quærit tua mens, quid maximè appetit? certè præcipuè hoc vnum expetit, vt habeat Deum propitiū, misericordem, remittentem peccata, tegentem omnes nostras sordes, originales & actuales. Huic pauori & consternationi opponit vox Euangelij congruentem consolationem, inquiens: Confide fili, remittuntur tibi peccata. Item, Venite ad me omnes &c. Item, Sic Deus dilexit mundum &c. Hoc est principuum & principale bonū, de quo maximè sumus soliciti & in vita, & in morte, quatenus agimus pœnitentiam, quando res seriò agitur, non simulatè. Sed Deus cùm sit non solùm bonus, sed etiam beneficus, semper adiungit remissioni peccatorum alterum beneficium, tanquam appendicem prioris, vel auctarium, & ἐπίσαγμα, scilicet donum Spiritus sancti, qui Spiritus non est otiosus in nobis, sed talia agit & efficit, qualis est ipse, iuxta regulam, Qualis causa, talis effectus. Ipse autē cùm sit amor & lætitia essentialis & æterna inter Patrem & Filium, vt piè credimus & docemus, accendit tales motus in nobis, amorem Dei & proximi, & lætitiam acquiescentem in Deo, qualis est ipse, ita tamen, vt creator semper discernatur à creatis motibus.

Concio pœnitentiæ.

CAPVT II.

IN primo capite fuimus Grāmatici & Dialectici, nunc accedimus ad methodum Paulinam. Paulus in epistola ad Roman. quæ est methodus vniuersæ Scripturæ, & clauis, qua aperiuntur fores vniuersæ Scripturæ, orditur suam doctrinam à concione pœnitentiæ. In primo capite accusat Ethnicos pollutos horribili idolomania & libidinibus, & aliis sceleribus. In secundo capite accusat Iudæos hypocritas, qui ostentabant folia fici sine fructibus, erant arguti ciues sine virtute. Tertiò coniungit Iudæos & gentes, & edit fulmen aduersus totam hominum naturā, vt sit totus mundus reus, & omne

os obſtruatur, inquiens cap. 3. Omnes peccauerunt & carẽt gloria Dei &c. Poſt hanc concionem ſequitur dulciſsima vox Euangelij in fine capitis 3: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius &c. Hanc propoſitionẽ confirmat cap. 4. Poſtea cap. 5. amplificat hanc doctrinam ab effectu. Eadem methodo nos quoque, Deo iuuante, in hac doctrina vtemur: non enim licet nobis diſcedere à methodo Paulina, niſi velimus omnia peruertere.

Non fruſtrà nec temerè Filius Dei iubet Apoſtolos docere in ſuo nomine pœnitentiam & remiſsionem peccatorum, ſed magno conſilio coniungit prædicationem pœnitentiæ cum propria Euangelij promiſsione. Quanquam enim remiſsio peccatorum non datur propter dignitatem pœnitentię, ſed datur credentibus gratis, vt beneficium ſit certũ: tamen res atque euentus oſtendit remiſsionem peccatorum non magnifieri, nec dulceſcere ſine agnitione peccati & iræ Dei.

Dulcia non meminit, qui nõ guſtauit amara. Et Cicero inquit de bona & mala valetudine: Bona valetudo gratior eſt iis, qui ex morbo conualuerunt, quàm aliis, qui nunquam ægro corpore fuerunt. Et idem Cicero in quadam Philipp. inquit, Libertatem efficit iucundiorem ſeruitutis recordatio. Ita ſe res habet in ſpiritualibus. Qui nunquam ſenſit pauores mortis & pericula inferni, quomodo is poteſt cum Dauide exclamare, De profundis clamaui ad te, Domine, ſi iniquitates obſeruaueris, Domine, quis ſuſtinebit? apud te eſt propitiatio. Sed illi, qui ſaltem primis labris guſtarunt hæc exercitia pœnitentiæ, norunt quàm grata & neceſſaria ſit conſolatio Euangelij.

Vt enim hi, qui nullos corporis cruciatus ſentiũt, [a] medicam artem non magni faciunt, ita homines viuentes ſine vllo ſenſu doloris, neque mirantur, neque requirunt beneficium Euangelij proprium, quod eſt remiſsio peccatorum. Ideo Paulus dicturus de articulo iuſtifi-

a Matth. 9. Prouerbium Saluatoris noſtri: Non opus habent hi, qui validi ſunt, medico, ſed qui malè habent. Quam ſententiam Ouidius complexus eſt aliud agens, non reſpiciens ad dictum Chriſti:

Firma valent per ſe, nullúmq; Machaona quærunt,

cationis,

Ad medicam dubius confugit ager opem.

eationis, orditur à concione pœnitentiæ, in qua non modò gentes pollutas horribili b idolomania & tetra confusione libidinum, sed etiam Iudæos viuẽtes sine timore Dei, & sine fide, accusat & condemnat. Non enim grata sunt remedia, nisi dolores priùs sentiantur.

Machaon fuit chirurgus apud Græcos in bello Troiano.

b Quare vocatur cultus idolorum à Græcis idolomania, id est, furor idolatricus? potésne probare ex capite 1. Rom. quòd cultus idolorum sit amentia & horribilis furor? Paulus inquit, Relicto vero Deo coluerunt serpentes, bestias venenatas, iumenta, quadrupedes, vt Aegyptij coluerũt Apim bouem, deinde crocodilos, serpentes, & nescio quas alias bestias venenatas: an non hic est manifestus furor, habere in numero deorum bestias venenatas, quarum conspectum homines sani fugiũt? quid est furiosius, quàm petere à talibus venenatis bestiis auxilium, salutem, opem, cùm audito nomine illarum bestiarũ, omnes sani cohorrescant? Hæc & alia considerent adolescentes in lectione capitis primi ad Romanos: imò totam epistolam sæpe & attentè legant. Scitis enim Paulum à Filio Dei appellari vas seu organum electum: qua appellatione hoc significatur, nullum ex Apostolis doctrinam de Christo tradidisse dexteriùs, & feliciùs, & clariùs, quàm hunc doctorem, qui ex Saulo factus est Paulus, & ex lupo ouicula, imò pastor gregis Domini vigilantissimus. Quare & sermonẽ Pauli diligenter consideremus, & imitemur, quantum possumus, methodum, qua vtitur in suis scriptis. Nihil enim dici sapientius de his materiis potest, nihil ordine magis concinno explicari, quàm quo ordine vsus est Paulus.

Hac methodo nos etiam vtemur, & ante explicationem articuli iustificationis, pauca de peccato, de ira Dei, & de tristissimis calamitatibus, quas Deus generi humano velut signa reatus circundat, dicemus, vt harum rerum consideratione nos ipsi & alij ad veram pœnitentiam, & ad agnitionem misericordiæ propter Christum promissæ excitemur.

Dicemus in hoc capite de tribus rebus: primò de peccato, deinde de ira Dei. Ista enim duo habent se correlatiuè. Nam peccatum est dignum ira Dei, meretur iram Dei, & Deus iustè i-

raſcitur peccato: tertiò breuiter dicemus de mole calamitatum generis humani, quam Deus ipſe nobis imponit, & hac ſarcina non leui nos premit, vt tanquam ſignis reatus admoniti, cogitemus de cauſsis tantarum calamitatum & malorum.

Principiò ſatis conſtat, totum genus humanum propagatum ab Adam, amiſiſſe imaginem Dei, hoc eſt, vt Paulus interpretatur, veram conditoris agnitionem, veram iuſtitiam & ſanctitatem, & iam in hac miſera & imbecilli natura inimicitiam eſſe aduerſus Deum, quia Legi Dei nec ſubiicitur, nec ſubiici poteſt. Circumfert enim in mente triſtem caliginem & dubitationes de Deo, & in voluntate ſecuritatem negligentem Deum, & diffidentiam fugitantem Deum, & in corde inclinationes, vnde multi errantes impetus contra Legem Dei oriuntur. Ephes. 4. & Coloſſ. 3.

Sæpe vobis hoc dixi, & iterum dico, Quoties vultis deſcribere vel imaginem Dei in homine, vel peccatum originis, eundùm eſſe ordine per potentias animæ præcipuas. Imago Dei ante lapſum in hominis mente quid fuit? Vera agnitio conditoris, quæ eſt ſumma ſapientia. In voluntate primorum parentum fuit conuerſio ad Deum: id eſt, vniuerſalis obedientia iuxta Legem Dei. In corde fuit harmonia affectuum congruens cum voluntate Dei, & hæc quidem fuit imago Dei ante lapſum in homine. Nunc verò peccatum originis, quod in nos poſteros Adæ propagatur carnali generatione, eſt primùm in mente caligo, quæ parit triſtes dubitationes de Deo, de prouidentia & aliis rebus diuinis, deinde in voluntate eſt auerſio à Deo, id eſt, ſecuritas negligens Deum in rebus ſecundis, & diffidentia fugiens Deum, iraſcens Deo in rebus aduerſis. Sumus enim omnes in ſecunda fortuna tumidi, in aduerſa verò timidi, vt ait Seneca vtens παροιμία, poſtea in corde eſt contumacia affectuum contra Legem Dei. Hæc omnia complectitur Paulus inquiens Rom. 8. φρόνημα τῆς σαρκὸς &c. nec ſubiici poteſt, ſcilicet integra obedientia, non loquitur de diſciplina, loquitur de interiore obedientia.

Hanc prauitatem & malitiam humanæ naturæ agnoſcamus & deploremus, ſicut eam patres, Prophetæ & Apoſtoli aſsiduis lachrymis

chrymis deplorarunt: & sciamus, homines non satisfacere Legi Dei, nec disciplina iustos esse coram Deo. Nota est Moysi concio in cap. 8. Genes. Figmentum cordis humani malum est à pueritia. Eadem est sententia dicti Ieremiæ cap. 17. Peruersum est humanum cor in omnibus, & miserum & inscrutabile. Et Dauid in Psalm. 51. digitum ad hanc radicem seu fontem peccati intendens, pressis & flebilibus modis inquit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Omitto Pauli querelas de horrenda deprauatione naturæ humanæ, quæ extant in cap. 7. ad Rom. Quæ cùm ita sint, fateamur, nos nihil aliud esse, nisi massas immundas abortu editas, reas & multiplici ter pollutas atq; auersas à Deo, & illam Psalmi vocem non solùm in ore, sed etiam in pectore habeamus: Tibi tantùm sum peccatum, & malum coram te feci, vt tu iustificeris in sermonibus, & vincas cùm iudicaris.

Considerate attentiùs hunc versum grauissimũ. Dauid pollutus adulterio & homicidio, & deformatus ingentibus pœnis & scandalis, sic ad Deum clamat, Tibi ô Deus, tantùm sum peccatum: non dicit, tãtùm sum peccator, sed quod est significantius, Tibi sum peccatum, & res rea, immunda, polluta. Quare autem edo confessionem hanc? Sequuntur causæ finales: vt tu iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris. Qui sunt sermones Dei, in quibus Dauid tribuit Deo laudem iustitiæ, seu æqualitatis? Respondeo: Duæ sunt conciones præcipuæ in tota Scriptura sacra, vna est concio pœnitentiæ, altera promissio Euangelij. Vtraque autem est vniuersalis, iuxta hæc dicta, Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei, Venite ad me omnes qui laboratis &c. Quare (inquit Dauid) ego ingenuè & apertè confiteor coram te, me esse miserrimum peccatorem, vt tibi tribuatur laus iustitiæ & æqualitatis, non solùm in concione pœnitentiæ, qua arguuntur & accusantur omnium hominum peccata, sed etiam in promissione Euangelij, quæ & ipsa est vniuersalis, & ad omnes accipientes & credentes pertinet. Sicut igitur fateor, me iustè accusari in cõcione pœnitentiæ, & tibi tribuo laudem iustitiæ & æqualitatis: ita etiam me includo in vniuersalem promissionem, & statuo eam ad me quoque pertinere, vt ita sis iustus, & iustificeris in vtraque re, & concione. Sed quare addit: vt sis mundus, cùm iudicaris? (est enim hoc vocabulum passiuum) quia hypocritæ, Pharisæi & alij, omnes (inquam) hypocritæ, inde vsque

à Cain, non tribuunt Deo laudẽ iuſtitiæ in pœnis, in calamitatibus, non dicunt cum Daniele, Tibi Domine, iuſtitia, nobis autem confuſio faciei: non dicunt cum Dauide Pſal. 119. vel cum Mauricio Imperatore, Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum: ſed fremunt aduerſus Deum, & opponunt Deo ſuam diſciplinam & ſua merita: ſicut facit apud Thucydidem lib. 7. in poſtrema oratione Nicias dux Atticus, qui circumuentus ab hoſtibus Siculis, allegat ſua merita in rempub. & in ſingulos ciues, & iubet exercitum benè ſperare propter ſuas virtutes & ſuam diſciplinam: poſtea verò, cùm abiiceretur in carcerem, & ibi interficeretur, horribiliter fremit aduerſus Deum, tanquam tyrannum & iniuſtum iudicem, non diſcernentem bonos à malis. Hoc igitur Pſalmus vult, cùm iudicaris, id eſt, cùm iudicant te hypocritæ, Nicias, Cato, Brutus & alij.

Etſi enim hypocritæ ſomniant ſe iuſtos eſſe vmbra externorum operum, & in pœnis fremũt aduerſus Deum, quaſi iniuſtè puniat præſtantes diſciplinam, & viuentes ſine ſcelere: tamen nos in Eccleſia Deo punienti laudem iuſtitiæ tribuamus, & Danielis confeſsionem toto pectore recitemus: Tibi, Domine, iuſtitia, nobis autem cõfuſio faciei noſtræ. Quàm enim certum eſt, dies circa brumam breuiſsimos eſſe, tam certum eſt, vniuerſos & ſingulos homines in peccato non ſolùm concipi & naſci, ſed etiam viuere & mori.

Brutus inquit: O Iupiter, quę eſt cauſſa tantorum malorum? cur quæris, miſer homo, an non es interfector & cuculus ingratus, qui deuorasti bene de te meritum Iulium Cæſarem?

De conceptione noſtra immũda audiuiſtis ex pſal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Qualis autem conceptio, talis etiam natiuitas, quia vitium conceptionis non corrigitur in natiuitate, ſicut dicitur de coctionibus: Vitium prioris coctionis non corrigitur in poſterioribus. De vita & morte omnium hominum hæc dicta teneantur. 1. Iohan. 1. Si dicimus, nos non habere peccatum, ſumus mendaces, & fallimus nos ipſos, & veritas non eſt in nobis, & quotidie precamur, Remitte nobis debita noſtra &c. Et Salomon inquit in Eccleſ. cap. 7. Non eſt iuſtus in terra, qui quanquã faciat bene, nõ etiam peccet. De morte verò

verò dicit Paulus Rom. 8. Corpus mortificatur propter peccatum, ſpiritus autem viuit propter iuſtificationem, id eſt, omnes homines ſunt morti obnoxij propter peccatum adhuc hærens in natura, quod nondum eſt prorſus deletum. Quare ab initio noſtri ortus vſque ad finem vitæ, nobis eſt opus remiſsione peccatorum. Quid eſt vita Chriſtiana, niſi perpetua remiſsio peccatorum? Ideo quotidie nobis opus eſt recitatione huius articuli in Symbolo: Credo remiſſionem peccatorum.

Deinde procul remoueamus ab Eccleſia Stoicas imaginationes, quæ Deo ἀπάθειαν tribuunt, & ſomniant, Deum nec ira, nec gratia moueri, & firmiſsimè ſtatuamus, tantām eſſe in Deo irā magnitudinē aduerſus peccatum, vt æternus Pater non potuerit placari, niſi deprecatione & morte Filij vnigeniti.

a Non eſt talis ira in Deo, qualis in nobis eſt, ſcilicet inordinata, plena confuſionis & deformitatis. In æterna vita videbimus, quomodo Deus iraſcatur, & quomodo miſereatur: aliter videt, quàm nos, aliter audit quàm nos. Non enim habet oculos & aures corporeas, ita etiam aliter iraſcitur & miſeretur, quàm nos, ſine commotione deformi, & indigna tali maieſtate.

b Omnium teſtimoniorum iræ Dei ſummum & maximum eſt mors Filij Dei.

Hanc veram & ingentem iram in Filium deriuatam, quam nulla creatura ſuſtinere poteſt, conſideremus, & illius agnitione verè expaueſcamus. De hac ira Paulus inquit Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo, aduerſus omnē impietatem & iniuſtitiam hominum.

Non ſimus Stoici, ſed tribuamus Deo affectus, amorē, iram miſericordiā, & reliquos, quos ei tribuit expreſsè multis in locis ſacra Scriptura, nec delabamur in ſtultas opiniones, quæ diſputant, tales affectus eſſe indignos natura Dei. Sicut aliter, vt antea diximus, Deus videt & audit, quàm nos: ita etiam ſuo modo pro naturæ & maieſtatis ſuæ dignitate iraſcitur, & diligit, & miſeretur, ſine ſimulatione & ſine deformitate, non tribuamus Deo ſimulationē, quæ eſt mendacium. Quando Paulus dicit, Reuelatur ira Dei &c. non intelligas aliam rem, quàm quæ ſignificatur hoc vocabulo iræ: quando dicit de miſericordia & dilectione Dei, intelligas illa, quæ

significantur his verbis, & non concipias alias imaginationes.

Postremò commonefaciant nos de horribili magnitudine peccati & iræ Dei, pœnæ tristissimæ, quæ publicè & priuatim in genere humano grassantur.

Nam omnes calamitates humanæ sunt quasi vox Legis, de ira Dei nos admonens, & omnes ad pœnitentiam inuitans, vt Moses Psal. 90. inquit: Quia deficimus in ira tua, & in a furore tuo turbamur, posuisti tibi iniquitates nostras in conspectu tuo, occulta nostra in lumine vultus tui. Quoniam omnes dies nostri præ ira tua c declinant.

a Furor significat æstum & ardorem iræ diuinæ, iram non simulatam, sed ardentem.

b Iniquitates, scilicet actuales, actualia peccata: occulta, id est, peccatum originis, quod ignorat ratio sine verbo Dei.

c Psalmus 90. est vtilissima & saluberrima commonefactio de breuitate & miseria vitæ humanæ, de qua nimis verè dicitur: Vita fugax hominum magnorum plena malorum. Mõstrat etiam causas mortis hominum, & omnium calamitatum, scilicet peccatum & iustam iram Dei aduersus peccatum, sed addit consolationem de misericordia Dei mitigante pœnas in hac vita, & remittente pœnas æternas. Tales insignes Psalmos debetis nõ tantùm legere, sed etiam ad verbum edisscere, vt ipsa verba suppeditent vobis necessariam doctrinam & salutarem consolationem. Verè potest dici, homines vix vlla in parte sacræ Scripturæ tam acquiescere, quàm in carminibus Dauidis: & quanquam valde probo diligentiam & dexteritatem eorum, qui vel Græcis, vel Latinis versibus, aut rythmis Germanicis vertunt Psalmos, tamen ipsa simplicitas Hebraici sermonis est omnium efficacissima ad consolandum.

Cùm autem hac voce, arguente peccata, mens perterrefacta est, rursus vera consolatione erigatur, de qua mox dicemus.

Summa

Summa doctrinæ de iustificatione peccatoris coram Deo.

CAPVT III.

SAEPE audiuistis dictum memorabile Epiphanij, qui inquit contra Apostolicos, Verbum Dei indiget speculatione & sensu. De speculatione Dominus & Saluator noster inquit apud Iohannem cap. 5. Scrutamini Scripturas: & Psal. 1. Beatos esse prædicat, qui noctes & dies meditantur in Lege Domini. Nam sine lectione Scripturæ sacræ nemo speret se posse agnoscere voluntatem Dei de nostra salute. De sensu verò, id est, de experientia spirituali dicit idem Saluator Iohan. 7. Siquis vult facere voluntatem Patris, cognoscat de doctrina: quasi dicat, differunt philosophia & doctrina Euangelij. Nam philosophia sola speculatione & contemplatione contenta est: ac quò quisque est ingeniosior & sagacior, eò plura discit in philosophia, sed doctrina Euangelij non tantùm requirit speculationem mentis otiosæ, & ebriæ voluptatibus, sed etiam desiderat sensum, id est, pauores & consolationes, in quibus sentitur vis & efficacia Euangelij. Hoc dictum Epiphanij ideo nunc repeto, quia in 3. capite proponetur summa articuli de iustificatione, ad quem intelligendum non satis est afferre Grammaticam diligentiam, sed opus est in consideratione huius articuli vera pœnitentia & vera inuocatione, in qua sentiuntur mortificatio & viuificatio, hoc est, pauores & consolationes. Si quis enim securo animo, & otioso, & ebrio audit has cõciones, is sciat, se nihil, aut parum esse profecturum, sed tamen omnibus prodest huius doctrinæ repetitio, vt si nunc non sentiant ea, de quibus diximus, tamen olim in epitasi certaminum possint recordari & meminisse hanc doctrinam.

Quemadmodum præcepta de re militari non intelliguntur ab iis, qui hostem nunquam viderunt: ita consolatio Euangelij propria nemini dulcescit, nisi versato in seriis pauoribus, & iactato fluctibus & procellis tentationum. Non est enim otiosæ & securæ mentis, de magnitudine peccati, de ira Dei, de fide accipiente

remiſsionẽ peccatorum, cogitationem ſuſcipere, ſed hæc propria & arcana ſapientia eſt Eccleſiæ Dei, nec diſcitur, niſi in vero certamine, vera luctа & inuocatione Dei. Quare tota doctrina de iuſtificatione referenda eſt ad experientiam terrorum in contritione, & conſolationum fidei. Nam experti mortificationem & viuificationem, vt Dauid, Exechias, Paulus, aliter intelligunt dictũ, Fide iuſtificamur, quàm hypocritæ, inde vſque à Cain.

Difficilis eſt, & non cuiuis expoſita Theologia Paulina. Eccius Sophiſta, & alij in Papatu execrãtur hanc propoſitionem, qua vtimur in noſtris Eccleſiis & ſcholis, Sola fide iuſtificamur. Quę autem ratio eos impellit, vt ita iudicent & pronuntient? Quia tantùm ſunt otioſi ſpeculatores, & non diſcernunt Euangelium à Philoſophia, nec habent vllum ſenſum, id eſt, vllam experientiam ſpiritualem mortificationis & viuificationis. Qui autẽ verſati ſunt in certaminibus conſcientiæ, in veris pauoribus & doloribus, & ſenſerunt aliquando conſolationes efficaces & ſalutares, hi rectiùs & dexteriùs poſſunt iudicare de hoc myſterio ignoto omnibus creaturis ſine patefactione Euangelij. Ideo dixi requiri in Theologia, præſertim in hoc articulo, non tantùm ſpeculationem, ſed omnium maximè ſenſum, ſeu experientiam.

Summa autem doctrinæ de iuſtificatione hęc eſt. Homo agnoſcens peccatum & iram Dei, & oppreſſus maledictione Legis, nõ confugiat ad diſciplinam, quæ eſt miſera & immunda hypocriſis, nec aliunde remedia dolorum petat, ſed audiat promiſsionem Euangelij propriam, de Filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui conſtitutus eſt Mediator, Propitiator, Redemtor, Iuſtificator, & Saluator, & ſtatuat non tantùm aliis, ſed etiam ſibi remitti peccata gratis, propter hunc Mediatorem Deum & hominem, per miſericordiam, non propter contritionem aut dilectionem noſtrã, imò nec propter actiones Dei in nobis, quibus anteferenda eſt obedientia Mediatoris, & interceſsio. Hac fide cùm erigitur homo conuerſus, certum eſt ei donari remiſsionem peccatorum, reconciliationem & imputationem iuſtitiæ propter Chriſti obedientiam & meritum.

Diligenter expẽdite hanc propoſitionẽ, in qua ſingula verba non

non ſine conſilio poſita ſunt: ſic dico, Homo agnoſcens iram Dei, & oppreſſus maledictione Legis: verè enim fulmen eſt hoc dictũ Deut. 27: Maledictus omnis, qui non ſeruat omnia, quæ ſunt ſcripta in libro Legis. Attexite huic axiomati minorem & concluſionem. Ego miſer non ſeruaui omnia, quæ ſunt ſcripta in libro Legis. Ergo optima conſequentia & optimo iure ſum damnatus & maledictus, dignus æterna pœna, in quam abiecti ſunt diaboli. Quid tu oppones huic fulmini? certè nihil aliud, niſi Mediatorem. Hic factus eſt, vt Paulus ait, maledictum, vt nos redimeret à maledictione Legis, vt benedictionem promiſſam Abrahæ conſequeremur. Ideo quando audis vocabulum maledictionis Legis, non cogites de re parua, ſed de omnium maxima, maximéque terribili. Quorſum eſt igitur confugiendum in hoc concurſu pauorum & trepidationum? Non confugiat homo ad diſciplinam, quæ eſt folium ſici, quo texerunt ſuam nuditatem primi parentes. Diſciplina eſt ſimilis ſepulchro foris pulchrè picto, intus autem pleno cadauerum & ſordium, & ſqualoris. Coram iudice politico potes allegare tuam diſciplinam, ſed caue ne eam opponas iudicio Dei. Nec aliunde petat remedia dolorum, non à philoſophia, non à Lege, non ab vlla creatura, ſed audiat homo promiſsionem Euangelij propriam. quæ eſt illa? Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9, & ſtatuat non tantùm aliis &c. Sequitur ἀντίθεσις & excluſiua, non propter contritionem aut dilectionem &c. Quare hæc verba ſunt poſita in propoſitione principali? Ad refutandam συνεκδοχὴν ſiue Oſiandri, ſiue Maluendæ, ſiue aliorum quorumcunque, qui non rectè ſentiunt de hoc articulo. Verum eſt in iuſtificatione peccatoris effundi Spiritum ſanctum in cor credentis, qui cùm ſit Spiritus gratiæ & precum, non eſt otioſus, ſed efficit congruẽtia voluntati Dei, accendit in nobis tales motus, qualis eſt ipſe, neq; tamẽ propter hanc nouitatem ſpiritualem, nec propter has actiones Dei in nobis ſumus coram Deo iuſti, ſed ſumus & manemus in hac vita iuſti propter vnicam obedientiam, vel quod idem eſt, propter vnicum meritum Filij Dei, quod longè anteferendum eſt omnibus aliis rebus, ſiue ſint in nobis, ſiue ſint extra nos.

Etſi enim cum hac conſolatione Filius Dei ipſe corda erigit & viuificat, ac Spiritum ſanctũ in hunc, qui fide ſuſtentatur, effundit, & iam domiciliũ ac templum Dei eſt homo renatus, tamen anteferenda eſt obedientia Filij Dei his ipſis diuinis actionibus,

& retinenda conſolatio, propter Mediatorem Deum & hominem tibi credenti imputari iuſtitiam. Hanc ſummam Paulus Rom. 3. ſignificantiſsimis verbis exponit, inquiēs: Iuſtificamur gratis gratia ipſius per redemtionē, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem in ſanguine eius per fidem.

Conſiderate quæſo ponderate & emphaſes verborum. Non enim verba Scripturæ numeranda ſunt, ſed ponderanda. Nullū enim verbum in Scriptura otioſè poſitum eſt, vt ait Baſilius enarrans 1. caput Gene. Iuſtificamur, id eſt, accipimus remiſsionem peccatorum, reconciliamur Deo, & reputamur iuſti coram Deo: quomodo? gratis, id eſt, ſine noſtro merito, ſine vllo noſtro opere, ſiue antecedat, ſiue ſequatur, ſiue concurrat gratia ipſius. Hîc nominatur cauſſa efficiens, & fons tanti beneficij. Gratia, inquit Paulus Epheſ. 2. ſaluati eſtis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Et Pſal. De profundis, 130. dicitur: Apud te propitiatio eſt, id eſt, remiſsio peccatorū, vt timearis, ne quis glorietur. Deinde ſequitur cauſſa impulſiua, quæ mouet Deum, vt nos iuſtificet & ſaluet: per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu &c. Hæc verba pertinent ad cauſſam impulſiuam. Eſt autem meritum cauſſa impulſiua: nam ad cauſſam impulſiuam pertinent Lex, meritum, affectus & obiectū. Sed cur additur in fine clauſula Per fidem? vt mōſtretur inſtrumentum, ſeu organum, ſeu medium, quo apprehendimus gratiam Dei, & redemtionem per Chriſtum factam, & totum beneficium iuſtificationis, ſeu remiſsionis peccatorum, quia ſine fide non prodeſt nobis promiſsio Euangelij. Ideo ex fide gratis, vt ſit firma promiſſio.

Vt autem hæc tota doctrina fiat illuſtrior, recitabo exemplum Adæ, quod ſemper ſit in conſpectu: quia eodē modo fiunt conuerſio & conſolatio in ceteris.

Semper debent cōiungi exēpla & regulæ. Adam non tantùm eſt primus parens generis humani, ſed etiam eſt typus & imago pœnitentiæ & iuſtificationis omniū hominum, qui ad Deum conuertuntur. Non fingas, te aliter fore iuſtum, aut ſaluum, quàm quomodo iuſtificatus & ſaluatus eſt Adam primus parens noſter. Credimus enim nos ſaluari, ſicut & patres ſaluati ſunt per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti. Fide purificantur corda, vt inquit Petrus Act. 15. & Baptiſta inquit: Iohan. 1. Omnes

mnes ex plenitudine eius acceperunt gratiam pro gratia: id est, eadem est via, idem modus, eadem ratio iustificationis & salutionis omnium hominum à principio vsque ad finem. Ideo Paulus allegat exemplum Abrahæ, idq; applicat ad totam Ecclesiam Gal. 3. Rom. 4.

Cùm Adam esset lapsus, innumerabiles causæ dolorum & pauorum concurrebant. Primùm enim non sine ingenti consternatione suam nuditatem, & tristissima vulnera aspiciebat. Deinde cùm nec promissionē gratiæ audiuisset, nec vllum exemplum reconciliationis vidisset, quid aliud cogitare poterat, quàm se ruiturum esse in æternum exitiū, præsertim cùm ira Dei declarata esset in reiectione & tristissimis pœnis Diabolorum?

Verè dicit Augustinus in multis scriptis, Miracula assiduitate vilescunt. Nos non ita miramur beneficium iustificationis & remissionis peccatorum, sicut Adam, quia nos non tantùm habemus regulas, id est, promissiones Euangelij, sed etiam habemus multa exempla annotata in sacris literis, & quotidiana, Dei beneficio, in singulis familiis, iustificationis & reconciliationis cum Deo: sed Adam nihil horum habuit post lapsum, nec audiuerat vnquam vocem Euangelij de gratuita cum Deo reconciliatione, nec viderat vllum exemplum gratię, imò norat, Diabolos abiectos esse in æternas pœnas, propter contumaciam aduersus Deum.

Augebat etiam dolorem hæc cogitatio, quòd intelligebat totum genus humanum sua culpa incidisse in æternam iram Dei, sed omnium maximè expauit, accusante Deo, & sonante ipso tristissimam accusationem: ita primùm exstitit contritio in corde Adæ.

Nullus homo vnquam sensit tantam contritionem, quantam sensit Adam ante promulgationem Euangelij. Ideo D. Lutherus inquit in Genesi, Non fuerunt maiores martyres, quàm Adam & Eua. Nihil sunt Stephanus & Laurentius, si conferantur ad primos parentes: quia illi exiguo tempore, aliquot horulis sensérunt cruciatus. Primi verò parentes totos annos ferè mille, paucis detractis, fuerunt martyres, & quotidie recruduerunt vulnera primorum p[illegible]entum. Quando enim viderunt Abelem necatum, & alterum fratrem excommunicatum à Deo, in quanto putatis dolore eos fuisse?

Deinde ſonante promiſsione recipitur Adam, & accenditur in eo fides, qua agnoſcit, ſe recipi per miſericordiam, propter ſemen promiſſum, & ſentit ſe iam viuificari, & ex doloribus inferorum liberari. Hæc hiſtoria ſæpe cogitetur, nõ ſolùm quia totam doctrinam illuſtrat, ſed etiam vt nos ipſos de pœnitentia & de vera conſolatione commonefaciat.

Confirmatio doctrinæ de iuſtificatione.

CAP. IV.

METHODVS Paulina, vt aliquoties dixi, in Epiſtola ad Romanos verè aurea hæc eſt: Primùm Paulus concionatur de pœnitentia, in qua concione accuſat non modò Ethnicos pollutos manifeſta idolomania & turpitudine, ſed etiam Iudæos, qui diſciplinam externam vtcunque præſtabant, & profitebantur doctrinam Prophe ticam. Deinde Paulus recitat ſummam doctrinæ de iuſtificatione peccatorum coram Deo: Fide, inquit, gratis iuſtificamur. Tertio loco addit confirmationem principalis propoſitionis in cap. 4. Huius methodi veſtigia nos vtcunque ſequimur: primùm enim propoſuimus declarationem vocabulorum iuſtitiæ, fidei & gratiæ: deinde conciunculam pœnitentiæ addidimus: poſtea à nobis recitata eſt ſumma articuli de iuſtificatione. Nunc igitur in quarto capite inſtituemus confirmationem veræ ſententiæ, eámque hauriemus ex fontibus Iſrael, vt Pſal. 68. loquitur, Benedicã Domino Deo, de fontibus Iſrael. Fontes autem Iſrael nihil aliud ſunt, quàm ſcripta Prophetica & Apoſtolica. Vt enim vetus Teſtamentum eſt fons noui, ſic nouum eſt lux veteris. His autem teſtimoniis Propheticis & Apoſtolicis adiungemus confeſsionem & conſenſum Catholicæ Eccleſiæ, hoc eſt, eorum, qui retinent fundamentum ſine corruptelis. Quanquam enim fides noſtra ſolo verbo Dei niti & poteſt & debet, tamen

tamen magna confirmatio fidei est, inquisita vera antiquitate, & cognita serie temporum Ecclesiæ, colligere testimonia eorum, qui fundamentum retinuerunt. Tales sunt in Ecclesia Græca, Basilius, Chrysostomus, Theodoretus: in Latina, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Bernardus, & quidam alij, quorum testimonia & dicta suo loco audietis.

Cùm singuli in vera pœnitentia & inuocatione experiamur, quàm difficile sit statuere, non propter Legem, nec propter opera nostra, sed propter Mediatorem crucifixum pro nobis, & resuscitatum, nos consequi remissionem peccatorum, & reputari iustos, id est, acceptos Deo, & donari Spiritu sancto, & fieri hæredes vitæ æternæ, necesse est ad nos ipsos confirmandos, repeti consensum Prophetarum, Christi & Apostolorum, & huic adiungi testimonium Ecclesiæ Catholicæ, id est, eorum, qui retinent fundamentum, & intelligũt exercitia pœnitentiæ & inuocationis, & didicerunt acquiescendum esse fide in Filio Dei.

Non tantùm ad refutandos aduersarios, Papistas, & alios: sed multò magis ad nos ipsos erudiendos & confirmandos contra dubitationes, necesse est nos habere in promtu firma & illustria testimonia de hoc articulo, scilicet de fide iustificante coram Deo. Non est res facilis & expedita, vt multi somniant, firmiter statuere, quòd simus iusti coram Deo, & accepti ad vitam æternam propter vnicum Mediatorem Deum & hominem, sed omnes pij experiuntur in pœnitentia, in inuocatione, in omnibus vitæ periculis, quàm ardua res sit, & quàm difficilis, menti & cordi hoc persuadere, vt nõ dubitet de gratia Dei, sed statuat eam exuberare, vt Paulus loquitur, supra delictum.

Ordiar autem à Moyse tanquam duce chori Prophetici, qui Genes. 3. recitat primam promissionem: Semen mulieris conteret caput serpentis. Hæc promissio affirmat fore, vt venturum semen mulieris deleat peccatum & mortem, & restituat iustitiam & vitam æternam. Sic enim Iohannes in epistola primam promissionem enarrans inquit, Filius Dei apparuit, vt destruat opera Diaboli. Eadem promissio repetita est ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hanc benedictionem Paulus

Gala.3.& Epheſ.1.interpretatur,non de imperiis mundi, quæ Iudæi ſomniantes expectant, ſed de remiſsione peccatorum, donatione Spiritus ſancti, & de hæreditate vitæ æternæ.

Nulla eſt melior ratio interpretandi Scripturæ dicta, quàm collatio locorum veteris & noui Teſtamenti. Moyſes dicit Geneſ. 3. Semen mulieris &c. Hæc verba enarrat Ioannes in Canonica ſua, inquiens cap. 3. Filius Dei apparuit, ſcilicet in carne, vt deſtruat opera Diaboli: Quæ ſunt autem opera Diaboli? peccatum & mors. Deinde repetitur prima promiſsio de venturo liberatore ad Abraham, his verbis, In ſemine tuo &c. Qualis autem benedictio promiſſa ſit propter Chriſtum, docet nos Paulus Epheſ. 1. inquiens: Benedictus Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, &c. Totum caput. 1. ad Epheſ. eſt enarratio promiſsionis repetitæ ad Abraham. Similis enarratio extat Gal. 3. vbi ſic inquit Paulus, Chriſtus factus pro nobis maledictum, redemit nos à maledictione Legis, vt benedictionem Abrahæ promiſſam conſequeremur. Qui enim ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abraham &c. Hic textus manifeſtè refutat ſomnia Iudæorum, qui expectant politicum Imperium Meſsiæ, & docet Eccleſiam, quæ beneficia ſint petenda & expectanda ab hoc Domino, videlicet liberatio à maledictione Legis, ab ira Dei, à morte æterna, à peccato damnante, & reſtitutio gratiæ Dei, iuſtitiæ & vitæ æternæ.

Sic Dauid eſt locuples teſtis articuli de iuſtificatione, vt Pſal. 2. Beati omnes, qui confidunt in eo. Et Pſal. 6. Saluum me fac propter miſericordiam tuam.

Scilicet Filio Mediatore.

Quoties autem in Pſalmis fit mẽtio miſericordiæ, correlatiuè intelligenda eſt fides, qua ſtatuimus nos recipi per miſericordiam propter Chriſtum promiſſam.

Eſt regula dialectica, ſed accommodata ad Theologiam. Poſito vno correlatiuo, ponitur alterum: imò alterum ſine altero non poteſt intelligi. Quare cùm audis in Pſalmis & tota Scriptura mentionem miſericordiæ, mox veniat tibi in mentem fides, quæ habet ſe correlatiuè ad illam gratiam.

Nam

Nam ſine Mediatore Chriſto, Deus eſt ignis conſumens, vt Deuter. 4. ſcribitur.

Iohan. 14. Nemo venit ad Patrem niſi per me. Ego ſum via, veritas & vita. Nemini patet aditus ad æternum Patrem, ſine duce & Mediatore Filio: quia Deus habitat in luce, vt ait Paulus, inacceſsibili, ſcilicet ſine Mediatore. Nihil agit Deus nobiſcum ſine Mediatore per gratiam.

Poſt Dauidem Eſaias Propheta doctrinam de Meſsia & de gratia ſplendidiſsimè illuſtrauit.

Dux & præceptor omnium Prophetarum eſt Moſes. Duo optimi & præſtantiſsimi diſcipuli ſunt Dauid & Eſaias. Quare vobis hunc præceptorem Moſen, & hos duos diſcipulos cõmendo, ita vt non poſsim ardentiùs quic quam vobis commendare, nec tantùm ad eos loquor, qui ex profeſſo aliquando erunt Theologi, ſed ad omnes pios ſine exceptione.

Vt cap. 53. diſertè inquit, Seruus meus iuſtus notitia ſui iuſtificabit multos: quia peccata eorum ſuſtinuit.

Quare Chriſtus appellatur ſeruus? Quia aſſumſit formam ſerui, id eſt, naturam humanam, & in hac forma ſerui præſtitit Deo ſummam obedientiam vſque ad mortem, mortem autem crucis, Philipp. 2. Deinde vocatur hic ſeruus, iuſtus, non tantùm ideo, quia ipſe eſt iuſtus, ſed quia iuſtitiam, id eſt, obedientiam ſuam alijs applicat per fidem.

Notitia ſui) id eſt fiducia ſui. Eſt Hebraiſmus. Sed cur valet hæc iuſtitia coram Deo? Reſpondet Propheta, Quia peccata eorum ipſe ſuſtinuit, id eſt, vt Iohannes Baptiſta inquit, Ipſe eſt agnus tollens peccata mundi.

Eſaiæ ſucceſsit Ieremias, qui ca. 23. & 33. eadem verba de beneficiis Meſsiæ repetit, inquiens: Suſcitabo germen Dauidi, & regnabit Rex, & hoc eſt nomen, quòd vocabunt eum Iehoua iuſtitia noſtra. Hæc verba Paulus enarrans 1. Cor. 1. inquit: Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemtio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

Diligẽter & attentè conſidere tur hoc dictũ Pauli, & expẽdantur pondera verborum. Quare vocatur Chriſtus ſapientia? Quia protulit ex ſinu Patris Euangelium, quod eſt myſteriũ, vt ait

Paulus, abſconditum à ſeculis, id eſt, ignotum omnibus creaturis ſine ſingulari patefactione. Nominatur igitur ſapientia propter patefactionem Euangelij, de qua dicitur: Nemo nouit Patrem, niſi Filius, & cui Filius voluerit reuelare. Deinde nominatur idem Dominus iuſtitia noſtra, quia applicat nobis ſuam obedientiam, & ſuum meritum per fidem, ſumus propter Chriſti obedientiam iuſti & hæredes vitæ æternæ. Tertiò, vocatur idem Dominus ſanctificatio, quia dat nobis de ſuo Spiritu, vt Ioannes loquitur, donat nobis Spiritum ſanctum, Spiritum gratiæ & precum, Spiritum non timiditatis, ſed fortitudinis, dilectionis & modeſtiæ. Poſtremò appellatur redemtio, nõ tantùm ideo, quia redemit nos in cruce effuſione ſanguinis, ſed etiam quia liberabit Eccleſiam in fine mundi ab omnibus miſeriis. De hac liberatione inquit Chriſtus Lucæ 21: Quando videbitis hęc, ſcilicet ſigna poſtremi diei, attollite capita veſtra, quia appropinquat redemtio veſtra. Bona res eſt, inquit Auguſtinus, quies & pax, ſed non quæratur in hac vita, ſed in altera vita. In mundo preſſuram habebitis, inquit Chriſtus, in me verò pacem.

Ieremiam audiuit Daniel, qui cap. 9. de Meſsia his verbis concionatur: Septuaginta hebdomades præfinitæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctuarij tui, vt finiatur præuaricatio, & obſignetur peccatum, & fiat propitiatio pro iniquitate, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & compleatur viſio & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum.

Olim vngebantur reges & ſacerdotes balſamo. Quare cùm Chriſtus ſit ſacerdos Eccleſiæ, & Rex æternus, dicitur vngi.

Et in eodem capite, confugiens ad miſericordiam petit ſe exaudiri propter Dominum, id eſt, propter promiſſum Mediatorẽ.

Inter [a] minores Prophetas, [b] σύγχρονος Eſaiæ fuit Oſeas, qui cap. 13. Meſsiam ſic facit loquentem: De manu mortis liberabo eos, & de morte redimam eos: O [c] mors, ero mors tua, & peſtis tua, ô inferne.

a Quot ſunt maiores Prophetæ? Quatuor. Eſaias, Ieremias, Ezechiel & Daniel. Quot ſunt minores? Duodecim. Ab Oſea, vſque ad Malachiam.

b Cogitate, qui Prophetæ ſimul vixerint, & docuerint. σύγχρονοι ſunt Eſaias, Micheas & Oſeas. Vnde hoc ſcimus? ex titulis Prophetarum. Nominant enim hi Prophetæ eoſdem reges, ſub quibus docuerunt.

c Quis

e Quis interpretatur mihi hoc vaticinium, dicat aliquis? Respondeo, Paulus noster est interpres optimus huius vaticinij 1. Cor. 15. vbi sic inquit, Mors, vbi est aculeus tuus? Inferne, vbi est victoria tua? Aculeus quidem mortis est peccatum, peccati verò potentia est Lex. Deo autem sit gratia, qui dedit nobis victoriam, scilicet aduersus Legem, peccatum, mortem & infernum, per Iesum Christum. Audis ex Paulo, quis sit ille loquens apud Oseam cap. 13: O mors, ero mors tua &c. Nihil potest dici ad cõsolandas mentes dulciùs & efficaciùs.

Ioel cap. 2. describens beneficia huius Domini, inquit: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Non autem potest vera inuocatio fieri sine agnitione & fiducia Mediatoris. Quia quicquid non est ex fide, peccatum est. Rom. 14.

Vbi extat hæc consequentia, quam nos extruimus ex dicto Ioelis? Apud Paulum Rom. 10: Quomodo inuocabunt, nisi credant? quomodo credent, nisi audiant? quomodo audient, nemine prædicante? Fides ergo ex auditu, auditus per verbum.

Abacuc cap. 2. summam Euangelij breui aphorismo complexus est, quem Paulus Rom. 1. & Galat. 3. citat & illustrat: Iustus fide sua viuet.

Propria, non aliena.

Hactenus ostendi doctrinam de iustificatione non esse nouã, sed à Prophetis, quorum voci Deus illustria testimonia addidit, propagatam & literis mandatam esse. Nunc, si placet, Christi & Apostolorum dicta audiamus, quæ sunt lumina Propheticarum concionum.

Sic animi confirmandi sunt, & imbuendi veris sententiis, vt eos etiam cõtemnere possimus, qui nos sic sentientes deridebunt. Idem nobis præcipuè in hoc articulo faciendum est. Non solùm enim aduersarij & hostes Ecclesiæ Dei, sed etiam Diabolus & nostra conscientia acerrimè repugnat veritati doctrinæ de iustificatione gratuita peccatoris coram Deo. Quare nihil satis est, vt veteres dixerunt, ad bellum gerendum. Audiuistis hactenus testimonia Prophetica de hoc articulo. Nunc audietis dicta Christi & Apostolorum.

Sic autem inquit Christus Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam : quasi dicat: Filius Dei missus est, vt reconciliati propter ipsum, & liberati ab ira Dei, & æternis pœnis, rursus donemur iustitia & vita æterna. Hæc tanta beneficia vult accipi Filius Dei fide.

Acto. 4. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri, & non est in aliquo alio salus.

Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

Act. 13. In hoc omnis, qui credit, iustificatur.

Acto. 15. Credimus, nos saluari, sicut & Patres nostri sanati sunt, per gratiam Domini nostri Iesu Christi. Fide purificantur corda.

Iohannes scriptor Euangelij cap. 20. summam Euangelij sui recitãs, inquit: Hæc scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus sit Christus, Filius Dei, & vt credentes habeatis vitam per nomen eius. In hoc dicto recitatur summa totius doctrinæ Euangelicæ, quæ complectitur tres articulos, quorũ primus est de persona Christi, quòd sit Filius Dei, & Virginis Mariæ, hoc est, Deus & homo in vna persona. Alter articulus est de officio seu beneficio Christi. Nam Filius Dei est Christus, id est, vnctus abæterno Patre, vt sit Ecclesię perpetuus Sacerdos & Rex: Sacerdos quidem, docens Ecclesiam, & pro ea orans & sacrificans, & hoc suum sacrificium Ecclesiæ applicans: Rex verò, gubernans Ecclesiam, & liberans eam à potestate hostiũ, & defendens, & dans ei dona. Tertius articulus præcipuus in doctrina Euangelij, est de applicatione beneficiorum Christi ad nos, quæ non aliter fit, ac ne quidem fieri potest aliter, quàm per fidem. Videtis igitur hæc tria Iohannem esse complexum, cùm inquit, Hæc scripta sunt &c. Ad hanc summam doctrinæ Euangelij pertinent etiam insignia dicta, quę repetiuimus ex Actis Apostol. Hunc librum debetis amare & magnifacere: quia non tantùm continet regulas & axiomata de modo iustificationis: sed etiam proponit exempla illustria huius doctrinæ. Dictum Petri in domo Cornelij Acto. 10. nihil aliud est, quàm decretum Synodi Propheticæ. Deinde eiusdem Petri dictum Actor. 15. est decretum Synodi

Synodi Apostolicæ. Hunc consensum Prophetarum omnium & Apostolorum anteferamus omnibus decretis Conciliorum.

Etsi autem confirmationem huius articuli, quæ extat in cap. 4. ad Roma. alij aliter distribuunt: tamen nos quinque argumenta breuiter recitabimus, vt nos de doctrina confirment, & in quo tidiana inuocatione & consolatione fidem exsuscitent.

Scio alios aliter distribuere argumenta capitis 4. ad Rom. sed non labefactatur status Ecclesiæ propter dissimiles dispositiones, modò rem rectè teneamus.

I. Argumentum.

Abraham non fuit iustus propter opera coram Deo, sed fide.
Ergo nec ceteri sunt iusti propter opera, sed fide.

Valet consequentia: quia vnus & idem modus est iustificationis & saluationis omnium electorum. Antecedens probatur ex dicto: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam.

Magno consilio Paulus hoc dictum repetit ex scripto primo & antiquissimo Ecclesiæ. Nullum enim in toto mundo extat scriptum antiquius, quàm primus liber Mosis, qui inscribitur Genesis. Voluit igitur Paulus ipsa antiquitate & vetustate, quæ certè apud sanos plurimum habet momẽti & ponderis, confirmare lectorem, ne dubitet de hac doctrina, sed statuat eam antiquissimam & verissimam esse, iuxta dictum Tertulliani: Primum quodq; verissimum, adulterinum quodcunque posterius. Deinde proponit nobis exemplum Abrahæ, quia Abraham est pater omnium credentium, & est typus totius Ecclesiæ. Non ergo fingas, non somnies, non speres, te aliter ingressurum esse in vitam æternam, quàm sicut ingressus est Abraham. Quanquãm enim Abraham habuit multas heroicas virtutes, quales nemo hominum habuit multis seculis, tamen propter has non placuit Deo, non fuit acceptus Deo ad vitam æternam, sed ideo placuit, & ideo reputatus est iustus, quia credidit Deo promittenti non modò terram Canaan, sed venturum liberatorem totius generis humani, de quo dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes, sed non potest exhauriri consilium Pauli, quo vsus est in citatione huius dicti, & exempli Abrahæ.

II. Iuſtificatio eſt imputatio iuſtitiæ, qua Deus per miſericordiam nos recipit.

Non ſumus igitur iuſti noſtris operibus aut meritis.

Valet conſequentia à contrariis: pugnant inter ſe contradictoriè miſericordia & noſtra opera. Neque vnquam poteſt mens noſtra acquieſcere in fiducia noſtrorum operum: ſola miſericordia Dei eſt ſicut petra immota, quæ non poteſt labefactari, aut loco dimoueri. Noſtra opera quid ſunt, niſi arenæ, quas ventus ſpargit?

III. Iuſtificatio eſt remiſsio peccatorum, qua Deus tegit & non imputat peccata. Non igitur ſumus iuſti noſtris operibus.

Antecedens cõfirmatur ex Pſal. 32. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui nõ imputat Dominus peccatum.

Videtis, quanti faciat Paulus Moyſen præceptorem, & diſcipulum natiuũ Dauidem. Cùm enim citaſſet ex Geneſi teſtimonium de Abraham, mox repetit ex Pſal. 32. inſigne teſtimonium de Iuſtificatione, quę profectò nihil aliud eſt, quàm continua remiſsio peccatorum: ideo quotidie petimus, Remitte nobis debita noſtra. Et in Symbolo dicimus, Credo remiſsionem peccatorum. Ideo etiam accedimus ad abſolutionem, & ad Cœnam Domini, vt audiamus hanc vocem, Confide fili, remittuntur tibi peccata. Dicat aliquis: Tamen multi pſalmi etiam eos prædicant beatos, qui timent Dominum, aut qui ſunt benefici erga pauperes. Reſpondeo: Hæc non inter ſe pugnant rectè diſtributa. Placet Deo beneficentia erga pauperes, iacto priùs fundamento, hoc eſt, agnito Mediatore, & propter eum accepta remiſsione peccatorum & reconciliatione.

IV. Abraham fuit iuſtus ante circumciſionem.

Ergo non eſt iuſtus circumciſione.

Sicut nos poſt Chriſtum natum & reſuſcitatum magno in honore & pretio habemus, & meritò, baptiſmum & Cœnam Domini, tanquam Sacramenta à Chriſto inſtituta: ita Iudæi ante Chriſtum natum, maximi fecerunt Circumciſionem, quæ erat ſigillum fœderis, quod Deus conſtituerat cum Abraham, & omnibus eius poſteris, vt ſcribitur luculentè Geneſ. 17. Ego ſum Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Hoc erit

fœdus

fœdus meum inter me & te. Et paulò post: Et hoc erit signum fœderis inter me & te. Sicut igitur Circumcisio per sese non iustificauit Abraham: ita nos non iustificant Sacramenta, sed fides Sacramentorum. Non ideo es iustus, sanctus & hæres vitæ æternæ, quia accedis ad Cœnam Domini, sed necesse est, te exercere fidem in perceptione Cœnæ Domini, vt vsus sit salutaris. Abraham annos 24. ante institutionē Circumcisionis fuit iustus pronuntiatus coram Deo, sicut ostendit supputatio temporum. Est enim Abraham vocatus ex Vr Chaldæorum in terram Chanaan, anno ætatis suæ 75. Circumcisio verò est instituta 99. anno ætatis Abrahæ. Ergo rectissimè ratiocinatur Paulus, nō fuisse iustum propter Circumcisionē, quia impossibile est, causſam esse posteriorem, tanto præsertim interuallo, ipso effectu.

V. Oportet promissionem gratiæ, seu reconciliationis esse certam.

Promissio pendens ex conditione Legis fit incerta: quia Lex iram a efficit.

a Accusat nos, denuntiat nobis pœnas præsentes & æternas.

Ergo promissio gratiæ non pendet ex cōditione Legis, sed gratis datur, & fide accipitur.

Sic inquit Paulus Rom. 4. Si ex Lege, id est, ex operibus sumus hæredes, scilicet vitæ æternæ, quid sequitur? otiosa est promissio, scilicet gratiæ seu Euangelij, & inanis est fides. Dicitur dicit, Otiosa promissio: non dicit inanis, quia hoc esset blasphemum & contumeliosum aduersus Deum, si diceret, verba Dei esse inania: sed rectè dicit, Est otiosa: quia quem habet vsum, quam vtilitatem, quem fructum nobis affert Euangelium, si aliunde pēdet nostra salus & iustificatio? Deinde fides nostra esset prorsus inanis: non enim differret à somnio illius piscatoris apud Theocritū, qui cùm somniasset se cepisse aureum piscem, non voluit ampliùs piscari, sed tandem fame coactus est redire ad suum artificium. Quæ est autem ratio huius consequentiæ, quam Paulus texit, Si ex Lege hæreditas, inanis est fides? Quia, inquit, Lex iram operatur, Lex est speculum monstrans iram Dei & pœnas, & quando rectè intelligitur, etiam in nobis excitat iram, id est, fremitum & indignationem aduersus Deum. Ideo inquit Paulus, Ex fide gratis, vt sit firma promissio, firma, scilicet respectu nostri.

Adiungantur autem his testimoniis & argumentis dicta piæ

vetuſtatis, quæ eandem doctrinam confirmant, aut certè declarant.

Sicut nunc tibi rectè docenti vel in templo, vel in ſchola meritò aſſentimur propter Deum & verbũ Dei, non propter tuam perſonam: ita non debemus contemnere teſtimonia veteris Eccleſiæ, congruentia cum verbo diuinitus tradito. Non volumus anteferre patres, aut Synodorum decreta verbo Dei, ſed tantùm ea probamus, quæ ſunt ἀνάλογα fidei.

Baſilius in concione de humilitate: Hæc eſt perfecta & integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter iuſtitiam ſuam aliquis effertur, ſed agnoſcit ſe indigere vera iuſtitia, fide autem ſola in Chriſtũ iuſtificari, ſicut & Paulus gloriatur, ſe deſpicere ſuam iuſtitiam, quærere autem fide per Chriſtum iuſtitiam, quæ ex Deo eſt.

Ante annos 20. aut ad ſummum 30. nondum verſabatur in manibus erũditorum liber Baſilij. Quare nemo poterat quærere in Baſilio teſtimonia de hoc articulo: nunc verò, Dei beneficio, habemus non ſolùm Baſilium, ſed etiã Iuſtinum Martyrem, Athanaſium, Nazianzenum, Chryſoſtomũ, Theodoretum, & multos alios in ſua lingua loquentes, pro quo beneficio debemus Deo agere gratias immortales. Credo nomen Gregorij Pontani, Doctoris & Cancellarij Saxonici, multis veſtrum eſſe notum, præſertim adultioribus. Hic vir, qui excellebat amore religionis, & verè Deum inuocabat, cùm ſemel audiuiſſet citari hoc dictum à Domino Philippo, piæ memoriæ, maxima lætitia perfuſus eſt, & Deo gratias egit pro tam illuſtri & perſpicuo teſtimonio, præſertim cùm audiret, Baſilium vti particula excluſiua Sola, quam Papiſtæ execrantur, & iuſſit ſibi monſtrari ipſum locũ Baſilij: & quanquam optimus vir non erat Græcè doctus, tamen audiebat Philippum ſingula verba interpretantem optima fide, & auditis ipſis Græcis verbis, tantùm non exiliuit gaudio. Quod ideo dico, ne miracula aſſiduitate vileſcant. Si nunc hæc vobis videntur communia, nota, vſitata & trita, cogitate ante annos paucos non fuiſſe tam familiariter nota. Vt autem iuuentus magis amet hoc dictum, recitabo ipſa verba Græca Baſilij: Αὕτη δὲ ἡ τελεία καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τις ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ ἔγνωκε χριστὸν δεδικαιωμένον, καὶ καυχᾶται

καυχᾶται παῦλος ἐπὶ τὸ καταφρονῆσαι τῆς ἰδίας δικαιοσύνης, ζητῶν δὲ διὰ χριστοῦ τὴν ἐκ θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει. Alludit ad locum Pauli Philipp. 3. Græci Theologi ita fuerunt versati in sacris literis, vt non citent nostro more capita, sed perpetua oratione contexant dicta Scripturæ. Hoc igitur dictum Basilij, perpetua memoria conseruari debet, quia categoricè & disertè affirmat, nos sola fide iustificari, & proponit nobis exemplum Pauli, qui ad Philipp. cap. 3. inquit, vt inueniar in eo, non habens meam iustitiam, quæ est ex operibus, sed eam, quæ est per fidem Christi &c. Quare cùm tantus Apostolus suam iustitiam despiciat tanquam σκύβαλα, vt ipse loquitur, multò iustiùs est, nos extenuare & abiicere nostros laceros panniculos, propter quos interdum aliqui sibi placent, non tantùm coram hominibus, sed etiam coram Deo.

Chrysostomus homilia 3. in priorem ad Timoth. Quid est tam incredibile, quàm hostes & peccatores non iustificatos per Legem, aut per opera, subitò per fidem solam consequi summa bona? sed copiosè in epistola ad Romanos de hoc capite disseritur, & hoc ipso in loco, vbi dicitur: Certus sermo, & dignus, quem omnes amplectantur, quòd Iesus Christus venit in hūc mundum, vt saluos faceret peccatores.

Græca verba Chrysostomi hæc sunt:

Τί οὖν τὸ ἀπιστούμενον, εἰ οἱ ἐχθροὶ, εἰ οἱ ἁμαρτωλοὶ, εἰ οἱ ἐν νόμῳ μὴ δικαιωθέντες, μηδὲ δι' ἔργων, ἀλλ' ἐξαίφνης διὰ πίστεως μόνης ἔμελλον τῶν πρωτείων τεύξεσθαι; πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἐν τῇ πρὸς ῥωμαίους περὶ τούτου διαλέγεται καὶ κεφαλαίῳ, πολλὰ δὲ καὶ ἐνταῦθα. πιστός, φησιν, ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὅτι Χριστὸς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι.

Idem enarrans epistolam ad Romanos, sæpe repetit hanc sententiam, quòd fide consequamur remissionem peccatorum propter Christum, non propter opera. Et cap. 4. disertè dicit, fide non solùm diligi Deum, sed vicissim credentes sentire, quòd à Deo diligantur, quanquam multis modis rei sint. Verba Chrysostomi sunt: Gloriatur credens, non tantùm ideo, quòd sine simulatione Deum diligat, sed multò magis, quòd ipse Deo charus, & maximis ab eodem honoribus affectus sit. Quemadmodum enim credens ex honesta de Deo opinione verum amorem erga Deum

concipit: sic Deus vicissim credentem diligit, quanquam multipliciter reum, quem non modò à pœna liberat, sed etiam iustificat. Rectè igitur credens gloriatur, se Deo iucundissimum & charissimum esse.

Audiamus iam Græca verba.

Ὁ πιστὸς, οὐχ ὅτι τὸν Θεὸν ἐφίλησε μόνον γνησίως, ἀλλ' ὅτι καὶ πολλῆς παρ' αὐτοῦ τιμῆς ἀπήλαυσε καὶ ἀγάπης. ὥσπερ γὰρ αὐτὸς αὐτὸν ἠγάπησε, μεγάλα περὶ αὐτοῦ φαντασθεὶς, τοῦτο δὲ ἀγάπης δεῖγμα, οὕτω καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ἐφίλησε μυρίοις ὑπευθυνον ὄντα, οὐχὶ κολάσεως ἀπαλλάξας μόνον, ἀλλὰ καὶ δίκαιον ἐργασάμενος. ἔχει τοίνυν χώραν ὡς μεγάλης καταξιωθεὶς ἀγάπης.

Audiuimus duos Græcos testes de articulo iustificationis. Adiungamus his duobus tertium testem grauissimum & eruditissimum Theodoretum.

Theodoretus enarrans caput 3. ad Roman. Sola fide allata peccatorum remissionem accipimus, quoniam veluti quoddam redemtionis pretium Dominus Christus corpus suũ obtulit. Item, Dominus Christus & Deus est, & propitiatorium, & Pontifex, & agnus, & in suo sanguine nostram salutem procurauit, solã à nobis fidem exigens.

Si nullas vtilitates perciperemus ex his testimoniis, tamen hæc vtilitas non contemnenda est, quòd toties repetitur & inculcatur particula exclusiua, Sola, quam acerrimè oderunt Papistæ, & damnant atrocissimè. Ne igitur videamur aliquid noui docere, bonũ est, vos habere in promtu horum veterum Theologorum Græcorum testimonia, qui ingenio, eruditione & eloquentia omnibus aliis Theologis post Apostolos antecellunt. Veniamus nunc ad Latinam Ecclesiam, cuius doctores præcipui sunt Ambrosius, Augustinus, Hieronymus & Bernhardus. Ex his igitur quatuor, allegabimus pauca & lecta testimonia, quæ non minoris debetis æstimare, quàm aurum, argentum, & gemmas pretiosas.

Ambrosius epist. 71. ad Irenæum: Ex operibus Legis nemo iustificatur: quia per Legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur.

Hæc sunt hausta ex fontibus doctrinæ Paulinæ, qui inquit Rom. 3. Per Legem agnitio peccati,

cati, Et Rom. 7. Per Legem peccatum fit supra modum peccans peccatum, id est: Lex non delet, non tollit peccatum, sed tantùm ostendit, tanquam speculum.

Veniens igitur Dominus Iesus, peccatum omnibus, quod nemo poterat euitare, donauit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione deleuit.

Alludit his verbis ad insigne & memorabile dictum Pauli, ad Coloss. 2. Christus deleuit chirographum nostrum, quod erat scriptum in decretis, id est, in Lege, & id affixit cruci &c. Sicut enim quondam in trophęis scribebantur res gestæ, vt in trophæo Themistoclis pingebatur pugna Salaminia: ita affirmat Paulus nostra peccata sanguine Christi deleta esse, & chirographum, quod contra nos erat scriptum, effixum esse cruci, atque ita è medio sublatum. Ad hoc trophæum Christi, id est, ad crucem semper respiciamus in uocatione, in vita, & in morte. Hoc si fecerimus, sentiemus veram & efficacem consolationem.

Hoc est, quod inquit, Superabundauit peccatum per Legem, [*Rom.* 5. superabundauit autem gratia per Iesum Christum. Sicut Iohannes inquit: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est, donatum habet, quia per Christum iustificatus est. Fides ergo est, quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & venia donatur.

Animaduertitis ipsi, me non monente, hoc dictum Ambrosij esse analogum fidei, quia est corona quędam contexta ex fragrantissimis flosculis dictorum Pauli. Quare magnifacite hoc testimonium Ambrosij, quod non ex humana ratione, sed ex fontibus Israel haustum est.

Idem enarrans cap. 3. ad Rom. Iustificati sunt gratis: quia nihil operantes, neque vicem reddentes sola fide iustificati sunt.

Idem enarrans 1. cap. prioris ad Corinth. Hoc constitutum est à Deo, vt qui credit in Christum, saluus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.

Hieronymus dialogo 1. contra Pelagianos: Tunc iusti sumus, quando nos peccatores esse fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia contingit.

Augustinus Psal. 31. Qui sunt beati? non in quibus nõ inuenerit Deus peccatum. Nam in omnibus inuenit: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.

Id est, omnes sunt peccatores. Hoc est, carent non tantùm approbatione diuina, sed etiam illis ipsis bonis, quę sunt res gloriosæ. Non habent sapientiam & iustitiam, quàm Deus approbat, & quam pronuntiat esse rem gloriosam.

Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet, vt non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam.

Psal. 32. est vnus ex præcipuis in toto libro Psal. Cõtinet enim illustre testimonium de remissione peccatorum, seu de iustificatione &c. Hunc psalmum Paulus citat & illustrat cap. 4. ad Rom. Et Augustinus eundem optimo commentario enarrauit, in quo hæc verba leguntur, quæ nunc recitauimus.

Idem Psal. 67. Fides opera præcedit, quia sine bonorum operũ meritis per fidem iustificatur impius, sicut dicit Apostolus: Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, vt deinde ipsa fides per dilectionẽ incipiat operari. Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est, vt antecedat fides, vt inde ista, non ab istis incipiat illa: quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi priùs credat in Deum.

Memẽtote hoc testimonium ad refutãdos clamores Papistarum, qui semper habent in ore nomen bonorum operum, quoties nos de fide aliquid dicimus, ipsi de operibus declamitant. Sic igitur inquit Augustinus: Necesse est, vt fides, qua iustificatur impius, seu qua accipitur remissio peccatorum, antecedat omnia bona opera. Ergo nulla opera sunt bona, nisi quæ fiunt prælucente fide, iuxta regulam Pauli Rom. 14. Quicquid non est ex fide &c. Et Hebr. 11. Impossibile est Deo placere sine fide. Postquam autem fide accepta est remissio peccatorum, sequitur dilectio Dei & proximi, non perfecta & absoluta, sed vtcunque incoata, quæ perficietur in altera vita, Bene declarauit Augustinus dictum,

dictum, quod sæpe nobis inculcant & obiiciunt Papistæ cap. 5. ad Galat. Fides per dilectionem est efficax. Concedo, inquit Augustinus, hoc dictum, sed ita, vt rectè intelligatur. Non fidem efficit dilectio, sed econtra fides est fons & caussa dilectionis, fides est quasi arbor, dilectio est fructus arboris.

Idem lib. 19. de Ciuit. Dei, cap. 27. Ipsa quoque nostra iustitia, quamuis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamẽ tanta est in hac vita, vt potiùs peccatorũ remissione constet, quàm perfectione virtutum. Testis est oratio totius ciuitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. Per omnia quippe membra sua clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra.

Id est, Ecclesiæ.

Duæ sunt ciuitates: vna est ciuitas Dei, cælitúmque respubl. hoc est, vera Dei Ecclesia, cuius nos omnes ciues esse oportet, si modò volumus fieri hæredes vitæ æternæ. Nam extra Ecclesiam nulla est salus speranda. Altera ciuitas est hic mundus, id est, multitudo hominum non conuersa ad Deum. Vt autem hæc impia multitudo perseuerans in delictis contra conscientiam, videtur sibi esse beata in hac vita: ita vera Ecclesia agnoscit se versantem in terris peregrinari, seu peregrè abesse à patria: sicut canimus in optimo carmine Germanico de Spiritu sancto: Wenn wir heim fahren auß diesem elend. Hæc vita nihil aliud est, quàm triste exilium. Vera autem patria & πολίτευμα nostrum est in cœlo, vt ait Paulus Philip. 3. Hæc dico, vt iuuentus intelligat titulum optimorum librorum, quos scripsit Augustinus de ciuitate Dei. Vnusquisque est aut ciuis in Repub. Dei, aut ciuis in Repub. Diaboli. Si es ciuis Dei, es hic peregrinus, & expectas meliorem patriam: si autem mundo te totum tradidisti, frueris quidem ad tempus voluptatibus: sed paulò post abiicieris in sedem atque regionem damnatorum.

Bernhardus in serm. 32. in Cantica: Quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit iustitiam, & credit in te, qui iustificas impium, is per solam fidem iustificatus pacem habebit apud Deum.

Quid vocat D. Bernhardus compunctionem? cõtritionem, agnitionem peccati & iræ Dei, verum dolorem & pauorem ortum ex accusatione Legis. Nam iuramentum diuinum apud Ezechielem 33. est copulatiuum, quia

coniungit conuerſionem peccatoris & vitam. Nolo, inquit Deus mortem peccatoris &c. Et Chriſtus Lucæ vlt. Prædicate in nomine meo pœnitentiam, id eſt, conuerſionem & remiſsionem peccatorũ. Quare non vult Chriſtus ſeiungi à remiſsione peccatorum præſentem conuerſionem.

Eſurit, & ſitit] Vtitur verbis Chriſti Matth. 5. Eum locum enarans Auguſtinus, inquit, Hypocritæ Phariſæi, non ſitiunt, ſed ructãt iuſtitiam, vt ille Phariſæus Luc. 18. Sed melior eſt, inquit Auguſtinus, in malis factis humilis confeſsio, quàm in bonis ſuperba gloriatio.

Idem in 1. conc. de annuntiat. Neceſſe eſt primùm omnium credere, quòd remiſsionem peccatorum habere non poſsis, niſi per indulgentiam Dei: ſed adde, vt credas & hoc, quòd per ipſum peccata TIBI donantur. Hoc eſt teſtimonium, quod perhibet Spiritus ſanctus in corde tuo, dicens, Dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apoſtolus, gratis iuſtificari hominem per fidem.

Duplex eſt fides ea diuiſione, quæ vocatur τῦ πολυσήμυ, alia generalis, alia ſpecialis. Generalis eſt notitia hiſtoriæ & promiſſionis gratię ſine applicatione ad nos ipſos. Hanc fidem habent dæmones, & omnes hypocritæ, qui norunt doctrinam, & intelligunt eam vtcunq; ſed non transferunt eam ad vſum, non ſibi applicant, nullum fructum ex ea capiunt. Alia fides, & quidem vera & ſola fides propriè nominanda, eſt ſpecialis, de qua Paulus inquit, Iuſtificati fide, pacem habemus &c. Hæc enim fides, quæ iuſtificat & ſaluat, non eſt tantùm notitia hiſtoriæ, aut promiſsionis, ſed eſt fiducia applicans nobis beneficia Chriſti, & ſtatuens, ea non tantùm ad alios pertinere, ſed etiam ad nos ipſos, & quidem ſingulos. De hac fide ſpeciali loquitur Bernhardi dictum.

Oro autem æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt Spiritu ſancto ſuo hanc æternam & immotam veritatem de iuſtificatione in noſtris pectoribus obſignet, obſignatámque conſeruet.

AMEN.

De causſis iuſtificationis.

CAPVT V.

MVLTI non admoniti de cauſsis iuſtificationis, putant hæc inter ſe non congruere, ſed quodam modo pugnare, quando dicimus, Per miſericordiam Dei ſumus iuſti, propter obedientiã Chriſti ſumus iuſti. Item, Fide ſumus iuſti, ſumus iuſti remiſsione peccatorum. Hæc etſi prima ſpecie videntur eſſe diuerſa, & repugnare inter ſe, tamen reipſa ſuauiſsimè inter ſe congruunt, quia in his propoſitionibus, quas recitaui aliâs, aliarum cauſſarum fit mẽtio. Cùm dico, Sumus iuſti per miſericordiam Dei, nomino cauſſam efficientem principalem αἰτιωτάτην: cùm dico, nos eſſe iuſtos propter obedientiam Chriſti, digitum intẽdo ad cauſſam impulſiuam, ſiue ad meritum, quia meritum eſt cauſſa impulſiua. Si dico, Fide ſumus iuſti, facio mentionem cauſſæ inſtrumentalis, quia nullum eſt aliud inſtrumentum, quo poſsimus accipere gratiam & beneficia Chriſti niſi fides. Quando dico, nos eſſe iuſtos remiſsione peccatorum, vel imputatione, nomino formalem cauſſam, quia formale iuſtitiæ eſt ipſa remiſsio peccatorum, vel imputatio iuſtitiæ. Nam cui remittuntur peccata, illi imputatur iuſtitia, & econtra.

Etſi tota diuinitas eſt cauſſa efficiens iuſtificationis, vt Rom. 8. dicitur: Deus eſt, qui iuſtificat. & 2. Cor. 5. Deus erat in Chriſto, mũdum ſibi reconcilians, & non imputans nobis peccata noſtra: tamen impulſiua eſt obedientia Mediatoris, iuxta dictum: Per vnius obedientiam multi iuſtificantur.

Scio, aliquos diſputare de diſcrimine obediẽtiæ actiuæ & paſſiuæ Chriſti. Actiuam obedientiam intelligunt de impletione Legis, de qua Chriſtus inquit, Non veni ſoluere Legem, ſed implere. Paſsiuam intelligunt ipſam paſsionem ſeu effuſionem ſanguinis, & nõ volunt, nos iuſtos eſſe per actiuam, ſed paſsiuam obedientiam. Nihil opus eſt hac ſubtili diſtinctione, Paulus dicit ſimpliciter ſine diſtinctione, Per vnius obedientiã ſumus iuſti. Ergo complectitur totam obedientiã Chriſti à principio natiuitatis, vſque ad reſur-

rectionem. Quicquid igitur Christus totos annos 33. & circiter, à nativitate vsque ad resurrectionem fecit & passus est, hoc totum vocatur obedientia Christi: natus est propter nos, circumcisus octauo die propter nos, baptisatus est propter nos, docuit & edidit miracula propter nos, impleuit Legem propter nos, denique passus est & resurrexit propter nos. Quorsum igitur attinet ita subtiliter distinguere gradus obedientiæ? Simplicissimum est credere & statuere, quòd propter totam obedientiam Christi, siue sit actiua, siue passiua, simus iusti coram Deo. Quanquam enim passio & crucifixio, & effusio sanguinis est præcipuus gradus illius obedientiæ: tamen reliqui gradus nequaquam sunt contemnendi, aut extenuandi. Propter eandē causſam natus est, & circumcisus, & baptisatus, propter quam est passus & crucifixus. Sic etiam loquitur Paulus Philipp. 2. Factus est Patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: non excludit reliquam obedientiam ab opere redemtionis, etsi fatetur, passionem esse summum gradum obedientiæ.

Agnoscamus igitur Filium Mediatorem, Deum hominem, cōstitutum propitiatorem, propter quem recipimur: & sciamus, nos simul recipi ab æterno Patre, Filio, & Spiritu sancto, & imputari nobis iustitiam. Simul autem Filius viuificat credentem, & effundit in cor Spiritum sanctum, quo lætitia acquiescens in Deo, Dilectio Dei, & vera inuocatio accenditur.

Propheta Abacuc, cap. 2. de fide inquit, Iustus fide sua viuet. His verbis tribuit fidei, non modò iustitiam, sed etiam vitam, & coniungit vtrumque, sicut res ipsæ sunt inter se connexæ, nec possunt, aut debent distrahi aut diuelli, etiamsi rectè discernuntur. Homo fide iustificatus, simul viuificatur. Quomodo? à Filio Dei, qui est vita, vt Iohan. 1. dicitur: In ipso erat vita, & vita erat lux hominum. Sicut enim Deus per Filium in creatione omnibus rebus viuētibus impertiuit vitam, ita in iustificatione per eundem Dominum nos viuificat, reducit ex inferis, & vitam mortificatis restituit. Filius autem effundit vnà cum Patre in cor credentis Spiritum sanctum, qui & ipse est viuificator, iuxta dictum Pauli 2. Cor. 3. Litera occidit, Spiritus autem viuificat: Et Iohan. 6. Caro non prodest, Spiritus est qui viuificat &c. Vt igitur contritio & verus dolor antecedit iustificationem, ita iustificationem sequitur ordine naturæ viuificatio seu retractio, vt ita dicam, ex doloribus inferni, seu reuocatio ab

tio ab Orco, 1. Reg. 2. Nam viuificatio est, quando Filius Dei λόγος, qui est vita, ostendit nobis Patrem, seu voluntatem & misericordiam Patris, & simul effundit in cor credentis Spiritum sanctũ, qui nõ est otiosus hospes, sed facit congruentia suo nomini sanctissimo. Appellatur autem à Propheta Spiritus gratiæ & precum: ergo accendit veram inuocationem, veram dilectionem Dei, & reliquos motus congruentes Legi Dei, iuxta dictum, Dabo Legem meam in corda eorum &c.

Formale iustificationis est imputatio iustitiæ, seu remissionis peccatorum, seu reconciliatio, seu acceptatio personæ, teste Paulo Rom. 4. & aliás sæpe. Intelligatur autem remissio peccatorum de continua remissione, etiam postquam renati sumus, & sciant renati, se quoque assiduè accipere remissionem peccatorũ, & nitatur fides propitiatore Deo & homine.

Sicut tota vita hominis Christiani nihil aliud est, aut certè nihil aliud esse debet, quàm ἐνδελέχεια, seu continuatio pœnitentiæ: ita iustificatio personæ nostræ coram Deo in hac vita, nihil est aliud, quàm perpetua seu assidua remissio peccatorum. Ideo Ps. 19. sic precatur: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me &c. quasi dicat, Multæ arcanæ sordes & peccata hærent in omnibus etiam renatis, propter quæ mala opus est credentibus & renatis assidua remissione peccatorum. Sed quid opus est testimoniis, cùm precatio quotidiana nos de hac sententia admoneat? singulis enim momentis precamur, Dimitte nobis debita nostra: ipso facto ostendentes, nos nõ posse vno momento carere hoc beneficio, quod Augustinus appellat asylum Ecclesiæ.

Instrumentum quo fit applicatio, est fides. Nam fide accipiuntur remissio peccatorum, imputatio iustitiæ, donatio Spiritus sancti, & vitæ æternæ.

Sic argumentor: Fides est effectus & donum Spiritus sancti. Ergo donatio Spiritus sancti nõ accipitur fide. Respondeo per similitudinem. Sicut ortus Solis matutinus & dies simul sunt tempore, etiamsi verum est, Solem esse caussam diei: ita simul sunt fides & donatio Spiritus sancti, etiamsi differunt Spiritus sanctus & fides, sicut caussa & effectus. Hac similitudine simus contenti, nec plus sapiamus, quàm oportet.

Finalem cauſſam iuſtificationis monſtrat ipſe ordo articulorum Symboli. Sunt enim hæc tria capita in Symbolo connexa, Credo remiſsionem peccatorum, carnis reſurectionem, & vitam æternam: vt ipſa ſeries oſtendat remiſsionem peccatorum credentibus donari ad hunc finem, videlicet propter reſuſcitationem ad vitam & gloriam ſempiternam. Nam finis noſtræ fidei, vt Petrus ait, eſt ſalus animarum. Animam verò iuſtificatam & ſaluatam, corporis maſſa, tanquam comes indiuiduus ſequetur, & ad ſocietatem eiuſdem beatitudinis à Filio Dei reſuſcitabitur. Præclarè ergo Bernhardus ſerm. 6. de aduentu Domini: Si Chriſti membra volumus inueniri, ſequendum eſt nobis ſine dubio caput noſtrũ, vt videlicet prima nobis reparandarum ſit ſolicitudo animarum, pro quibus ipſe iam venit, & quarum priùs mederi ſtuduit corruptioni, corporis verò curã illi tempori magis reſeruemus, & differamus in illum diem, quo reformandi corporis gratia venturus eſt.

Alius eſt ordo creationis humanæ naturæ, alius regenerationis. In creatione, vt ſcribitur Geneſ. 1. Primùm omniũ eſt formatum corpus ex terra. Formauit Deus hominem ex limo terræ, &c. Deinde condita eſt anima, Inſpirauit Dominus in faciem ſpiraculum vitæ: & hic quidem eſt ordo creationis, in regeneratione verò alius eſt ordo. Chriſtus ẽnim ſaluator noſter venit in primo aduentu in carnem propter ſalutem, ſeu reparationem animarum. In altero verò aduentu, quem expectamus, veniet idem Dominus reparandi & reformandi corporis noſtri cauſſa. Nã corpus ex ſepulcro reuocabit, & rurſus cum anima, quæ eſt ſpiritus immortalis, copulabit, vt totus homo fruatur vita æterna ſine peccato, & ſine morte, & ceteris miſeriis. Hæc pulcerrimè ſignificantur in dicto Bernhardi. Quod ad Symbolum attinet, ſciant ſtudioſi & omnes, pij tres poſtremos articulos eſſe fines totius Symboli. Aſſentimur reliquis Symboli articulis, vt conſequamur in hac vita remiſsionem peccatorum, & habeamus certiſsimam ſpem vitæ melioris ſecuturæ, ad quam nos ſua diuina potentia & efficacia reſuſcitabit is, qui verè appellatur vita & reſurrectio.

De

De discrimine iustificationis & regenerationis.

CAPVT VI.

HOC discrimine ignorato, sequitur infinita confusio opinionum de hoc articulo. Cùm enim simul fiant hæc duo, iustificatio & regeneratio, multi in eam opinionem discesserunt, vt existimarent nos iustos esse ipsa regeneratione, id est, nouitate spirituali accensa à Spiritu sancto, quod longè secus est. In vita æterna erimus ἰσάγγελοι, sine peccato, sine morte, Et erimus integrè conformes Legi Dei sine vlla praua concupiscentia, sine omnibus defectibus & inclinationibus pugnantibus cum Lege Dei. Nunc verò in hac vita sumus, & manemus iusti vsque ad mortem, nõ nouitate nostra, sed obedientia & merito Saluatoris nostri, vel quod idem est, remissione peccatorum: Et caussa omnis erroris in libro Interim, in scriptis Osiandri, & in multis aliis sophisticis libris, est ignoratio huius discriminis. Etsi autem hæc duo sunt arctissimo vinculo inter se copulata & connexa, Iustificatio & regeneratio, tamen debent prudenter discerni & distingui, sicut Paulus ipse hæc distinguit. Coniungit quidem hæc duo beneficia Rom. 5. inquiens: In Christo habemus gratiam & donum per gratiam, sicut & Baptista inquit, Gratia & veritas per Christum facta est. Sed idem Paulus docet nos Ephes. 2. quòd gratia simus saluati, non dono per gratiam: id est, In hac vita semper habemus Deum propicium & placatum, remissionem omnium peccatorum, non propter nouas qualitates seu virtutes in nobis accensas & incoatas per Spiritum sanctum, sed propter Mediatorem & propiciatorem, quem cõstituit Deus & proposuit Ecclesiæ, in suo sanguine per fidem.

Iustificatio, vt sæpe dixi, donatur propter Mediatorem per fidem, id est, propter Filium Dei accipimus remissionem peccatorum, & reputamur iusti seu accepti Deo gratis. Neque verò solùm in conuersione, sed etiam post conuersionem in hac vita fide propter Filium Dei persona est iusta: quia semper manet Mediator,

velut vmbraculum amplectens nos & tegens noſtras ſordes, & propter ipſum nos certò recipit æternus Pater. Hunc honorem neceſſe eſt Filio Dei tribui, vt conſolatio ſit certa & firma, & vt Deum rectè inuocare poſsimus.

Duæ ſunt grauiſsimæ cauſſæ, propter quas hæc ſententia retinenda eſt firmiſsimè: prima ſumitur ab officio Mediatoris: veriſsimum eſt enim dictũ Eſaiæ, cap 4. Creabit Dominus in omni loco vbmraculũ abæſtu. His verbis deſcribitur officium Mediatoris, qui comparatur vmbraculo tegenti nos aduerſus ęſtum & incendium iræ diuinæ. Eſt enim Deus ſine Mediatore nobiſcum agens, nihil aliud quàm ignis conſumens, & malleus conterens petras. Eſt igitur nobis opus, ne abſumamur incendio iræ diuinæ, vmbraculo, hoc eſt, Mediatore & Propitiatore, tegente noſtram infirmitatem & noſtras ſordes. Altera ratio ſumitur à noſtra infirmitate: Etſi enim ſumus ad Deum conuerſi, habemus initium fidei, & aliarum virtutum, tamen nondum ſumus integrè conformes Legi, nondum ſumus ſine peccato. Quare donec viuimus in hoc ſeculo, vt Scriptura loquitur, opus eſt nobis ſingulis momentis remiſsione & condonatione peccatorum gratuita. Sic igitur diſcrimen iuſtificationis & regenerationis pertinet & ad gloriam Chriſti, & ad noſtram firmam & certam conſolationem.

Fit autem iuſtificationis applicatio per fidem, qua ſimul corda regenerantur: quia tunc Filius Dei per Euangelium viuificat corda, & dat Spiritum ſanctum: ita in mente & corde inchoatur regeneratio, accepto verbo, id eſt, conſolatione, quam dicit Filius Dei in corde, & accepto Spiritu ſancto, qui nouos motus accendit in corde.

Ne putent iuniores nos nouas formas verborum excogitare in hoc articulo, audiant pſalmum 31. In te, Domine, ſperaui, &c. vbi ſic dicitur, Dic animæ meæ, Salus tua ego ſum. Qualis eſt hæc Apoſtrophe, ad quam perſonam potiſsimùm dirigitur hæc precatio? ad λόγον Filium Dei, qui eſt λόγος, non tantùm reſpectu Patris, ſed etiam reſpectu noſtri. Vt enim Pater in prima creatione per hunc Filium λόγον dicit decretum, & ordinem omnium rerum conſtituit: ita in regeneratione ſeu recreatione per eundem λόγον Pater æternus dicit conſola-

solationem in nostris cordibus, id est, alloquitur nos, vt Pater suos filios, confirmans nos contra dubitationem & trepidationem, Salus tua ego sum, noli metuere, ego sum protector tuus &c. Hæc certò fiunt in cordibus & sentiuntur, non modò in vita, sed etiam in media morte. Nec possunt hæc pingi in pariete, sicut figuræ geometricæ, sed opus est, vt loquitur Epiphanius, sensu, id est, experientia spirituali.

Etsi autem inchoatur in nobis nouitas spiritualis, tamen adhuc multæ sordes hærent in conuerso, nec Filius Dei postea desinit esse Mediator. Ideo statuendum est, fide nos propter ipsum placere: non propter nostram dignitatem. Huc pertinent hæc dicta:

Psal. 143: Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens.

Scilicet propria dignitate, aut virtute, aut sine Mediatore.

1. Iohan. 1. Si dicimus, quòd peccatum non habeamus, nos ipsos decipimus.

1. Corint. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum.

Bona & necessaria res est tranquillitas conscientiæ: sed tamen non iustificat coram Deo.

Exod. 34. Coram te innocẽs non est innocens.

Multi sunt innocentes humano iudicio, sed coram Deo, nemo est innocens. Ideo Deus apud Prophetam inquit, Ego castigabo te, vt, quæ nunc videris tibi innocens, deponas hanc imaginationem de tua innocentia.

1. Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Semper igitur vera est hæc propositio: Nunquam remissio peccatorum & reconciliatio diuellenda est à præsenti conuersione, quæ est ipsa regeneratio, & tamen persona in hac vita est & manet iusta propter obedientiam Mediatoris, quæ longè supra nostras virtutes inchoatas collocanda est.

Apud Danielem cap. 9. dicitur de beneficiis Christi: Adducetur iustitia sempiterna. Hinc aliqui sic argumentantur:

Iustitia Christiana est æterna.
Remissio peccatorum non est æterna.
Ergo remissio peccatorum non est iustificatio nostra.

Respondeo. Distingue tempora, & concordabis Scripturas. Daniel loquitur in cap. 9. nõ tantùm de inchoatione, sed etiam de con-

ſummatione regni Chriſti & beneficiorum Domini. Vt igitur in hac vita ſumus & manemus iuſti remiſsione peccatorum, ſicut Auguſtinus dicit: Iuſtitia in hac vita magis conſtat remiſsione peccatorum: quàm perfectione virtutum. Ita poſt hanc vitam, ceſſante miniſterio Euangelij & Sacramentorum, ceſſante fide & ſpe, abolito peccato, & deleta morte, erimus iuſti, ſicut Angeli, habentes integram impletionem Legis, vt dicitur Ierem. 31. Dabo Legem meam in corda eorum. Nec quicquam detrahitur aut imminuitur de gloria Chriſti, quia omnia beneficia in hac & futura vita referuntur accepta, nõ noſtris virtutibus, meritis, operibus, laboribus, ærumnis, ſed adſcribuntur hæc omnia ex aſſe, in ſolidum, totaliter, vt vulgò loquimur, ipſi Mediatori Deo & homini, nato, crucifixo, reſuſcitato pro nobis, & propter nos. Hæc eſt haud dubiè ſimplex veritas, non quæramus in ſcirpo nodum, id eſt, in ſimplici veritate infinitas cauillationes.

Declaratio particulæ excluſiuæ Gratis.

CAPVT VII.

SEMPER in conſpectu ſint hæ quatuor cauſſæ, propter quas neceſſe eſt retineri excluſiuam.

Prima eſt, vt Chriſto vera gloria tribuatur. Gloria autem Chriſti hæc eſt, quòd per ſemetipſum, purgatione facta peccatorum noſtrorũ, conſedit in dextra maieſtatis in excelſis, conſtitutus hæres vniuerſorum, & dominus ſuper omnem principatum, poteſtatem & virtutem, atque dominium, & factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemtio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

Nato Chriſto, canunt Angeli, hunc hymnum, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, & lætitia hominibus. Ex hoc hymno Angelico ſumimus cauſſas, propter quas retinenda eſt excluſiua particula

cula Gratis, vel quod idem est, sola fide iustificamur. Nisi enim hæc retineatur firmissimè, non potest tribui Christo vera gloria. Quærat autem aliquis, quæ sit illa gloria, de qua canunt Angeli. Respondeo non meis, sed Pauli verbis: Christi gloria hæc est, quòd purgatione facta peccatorum nostrorum per semetipsum, scilicet in cruce tradito corpore pro nobis, & effuso sanguine ad promerendam remissionem peccatorum, cõsedit in dextra maiestatis in excelsis &c. Videtis hanc definitionem gloriæ Christi ex fragrantissimis floscu-lis sententiarum Pauli contextam esse.

Secunda caussa, vt conscientiæ habeant firmam consolationẽ: quia si remissio peccatorum penderet ex cõditione nostræ dignitatis, fieret incerta. De hac caussa Paulus inquit Rom. 4. Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio.

Tertia caussa, vt possit inuocatio fieri fiducia Filij Dei, non fiducia nostrorum meritorum, iuxta dictum: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id est, agnitione & fiducia mei, dabit vobis.

Quarta caussa, vt sit conspectius discrimen Legis & Euangelij: nam particula Gratis, vt suprà dictum est, præcipuè discernit Euangelium à Lege, quæ suas habet promissiones, sed nequaquam gratuitas, vt dicitur: Qui fecerit hæc, viuet in eis. Has quatuor caussas necesse est omnibus familiarissimè notas esse, quia illustrant promissionem Euangelij & beneficia Christi, & asserunt piis consolationem, & accenduntveram inuocationem, qua accedimus ad Deum fiducia Filij Mediatoris.

Tria sunt membra in carmine Angelico. Primum est gloria Dei in excelsis, secũdum est pax in terra, tertium lætitia hominibus. Ad hunc ordinem hymni Angelici, congruunt tres priores caussæ: prima caussa, propter quam retinenda est particula exclusiua Gratis, pertinet ad gloriam Dei & Christi. Est autem gloria Christi agnitio non modò personæ, sed etiam beneficiorum Christi, & apprehensio illorum bonorum, quæ fit fide. Secunda refertur ad pacem conscientiæ, id est, ad consolationem, quæ vincit omnes dubitationes, pauores & trepidationes. Tertia caussa est lętitia in inuocatione: postquam enim accepimus remissionem peccatorũ gratis, propter Christum, non tantùm sentimus consolationem in pecto-

ribus noſtris, ſed etiam læti accedimus ad Deum petentes & expectantes ab eo bona. His tribus cauſsis additur quarta, vt conſpiciatur diſcrimen Legis & Euangelij: quia particula Gratis, & expreſſa mentio redemtoris præcipuè diſcernunt Legem ab Euangelio. Lex nihil dicit expreſsè de Mediatore: in Euangelio autem fit expreſſa mentio Mediatoris. Deinde Lex habet quidem promiſsiones, ſed conditionales, nullas verò habet gratuitas, vt Euangelium.

Vt autem Paulus vtitur particula Gratis, ita nos in eandē ſententiam dicimus: Sola fide iuſtificamur, id eſt, agnitione & fiducia ſolius Filij Dei, ſtatuente, quòd propter eum nobis dentur remiſsio peccatorum, & reconciliatio, & hæreditas vitæ æternæ,

In ſcholis dicitur, correlatiuè intelligendam eſſe hanc propoſitionē: Fide iuſtificamur: Chriſtus apud Iohannem cap. 4. inquit ad Apoſtolos, Vos tanquam meſſores demetitis alienas fruges, alieno labore ſatas: quia Prophetæ ante Chriſtum natum præpararunt terram ad accipiendum ſemen Euangelij, imò collegerunt Deo æternam Eccleſiam, non ſolùm ex populo Iſrael, ſed étiam ex vicinis gentibus: vt Daniel collegit Eccleſiam in Babylone, Ioſeph in Aegypto, Elias in Syria, Ionas in Niniue. Idem poteſt dici de nobis: nos iam, Dei beneficio fruimur hac luce ſimplici & perſpicua doctrinæ, pro qua meritò debemus Deo gratias agere: ſed noſtri præceptores & patres reuerenter amandi, annos totos 40. & ampliùs, quanta certamina ſuſtinuerunt in tot colloquiis & conuentibus Imperij, donec obtinuerunt palmam, & tradiderunt nobis, tanquam præclarum depoſitum hoc genus doctrinæ, quod nunc Dei beneficio eſt vſitatum & notum: ſed credite mihi ante annos 30. aut 40 non fuerunt adeo peruulgata, vt nunc ſunt. Demus igitur operam, ne poſteritas amittat hanc ſimplicitatem.

Etſi autem certiſsimum eſt, dato Spiritu ſancto, multas virtutes ſimul inchoari, iuxta dictum: Effundam ſuper domum Dauid Spiritum gratiæ & precum: tamen propoſitio vera eſt, Sola fide perſona credens eſt iuſta: quia propter Mediatorem placet fide, non propter propriam dignitatem, ſeu nouitatem. Quamobrem, particula Gratis non excludit ceteras virtutes, ne adſint, ſed excludit conditionem meriti, ſeu dignitatis noſtræ, hoc eſt, vt populariter dicere ſolemus, etiamſi multæ virtutes ſimul ſunt, tamen

men non sunt causſæ vel meritum remiſsionis peccatorum, seu iuſtificationis, & acceptationis ad vitam æternam.

Vos scitis hoc tempore sparsum esse in Ecclesia παράδοξον, quòd bona opera officiant saluti. Hoc παράδοξον est exterminandum ex agro & finibus Ecclesiæ: quia reuera Spiritus sanctus multas virtutes, multa bona opera vnà cum fide in nobis accendit: & tamen vera est propositio, Sola fide sumus iusti: quia dilectio, spes & ceteræ virtutes non accipiunt remiſsionem peccatorum, sed sola fides est organum, seu instrumentum, quo accipimus & nobis applicamus hoc tantum bonum & beneficium. Multi putant legentes parabolam Luc. 18. de Phariſæo & publicano, Phariſæum damnatum esse propter bona opera. Absit: non nocuit Phariſæo honesta disciplina, sed gloriatio Phariſaica de bonis operibus, seu impia fiducia bonorum operum. Est igitur hoc παράδοξον nihil aliud, quam puerilis fallacia accidentis, Bona opera per se certè sunt salutaria, sunt bona, Deo placẽtia. Sed quando accedit hoc accidens, quod addit Phariſæus apud Lucam, videlicet impia fiducia & gloriatio, tunc per accidens contaminantur, & fiunt mala.

Refutatio errorum, qui corrumpunt, aut delent præcipuum articulum in Symbolo, Credo remiſſionem peccatorum.

CAPVT VIII.

ALIVD est corruptela, aliud deletio: sicut alia res est somnus, alia mors: differũt gradibus corruptela & deletio. Turci, Iudæi recentes, & qui condiderunt decreta Tridentinæ Synodi, delent in vniuersum hunc articulum, Credo remiſsionem peccatorum. Quia Tridentini isti iudices affirmant, dubitandum esse de gratia, de

remiſsione peccatorum. Sed alij verecundiores corrumpunt hunc articulum, non aliter quàm caupones corrumpunt vinum aut cereuiſiam infuſione aquæ.

Origenes, & multi eum ſequuti ſparſerunt falſam interpretationem in Eccleſiam, tantùm ceremoniis detrahi iuſtificationem, & finxerunt, homines iuſtos eſſe propter opera moralia.

Origenes fuit filius Leonidæ martyris Aegyptij, cuius hiſtoria prolixè recitatur ab Euſebio, lib. 6. hiſt. Eccleſ. Fuit autem magna eruditio & autoritas Origenis. Hic non procul abfuit à temporibus Apoſtolorum: & tamen, quòd valde mirandum eſt & dolendum, hic tantus vir cœno contaminauit fontes Apoſtolicæ doctrinæ. Sic enim enarrat propoſitionem Pauli Roma. 3. & aliâs: Fide iuſtificamur ſine operibus Legis, ſcilicet ceremonialibus, quod ita intelligit & declarat. Tres fuerunt ſpecies Legis Moſaicæ, prima & ſummà, moralis, quæ eſt æterna & omnium temporum, non poteſt abrogari. Reliquæ duę fuerunt partim ceremoniales, partim iudiciales. Iam verò conſtat, vnà cum politia abrogatas eſſe leges tam ceremoniales, quàm iudiciales Moyſis, quæ non ſunt naturales. Hinc extruxit ſuum commentum, Paulum detrahere iuſtificationem forenſibus & ceremonialibus operibus Moyſis, ſed nequaquam moralibus. Eſt certè plauſibilis corruptela, quæ poſſet homini non admonito facere fucum, & multi ſecuti ſunt Origenem: ſed Epiphanius acerrimè refutauit errorem Origenicum, & anteceſsit Epiphanium Methodius, qui editis ſcriptis luculentis, quæ vtinam hodie extarent, refutauit has & ſimiles corruptelas in doctrina Origenes.

Sed Auguſtinus in lib. de Spiritu & litera, eruditè hanc corruptelam refutat: & affirmat, Paulum vniuerſaliter loqui etiam de moralibus, cùm inquit, Ex operibus Legis nemo iuſtificatur.

Quòd autem Paulus de tota Lege, in primíſque de morali loquatur, nec tantùm detrahat iuſtificationem circumciſioni, aut aliis ceremoniis, ſed etiam morali obedientiæ, hæc dicta euidentiſsimè oſtendunt: Rom. 3. Per Legem agnitio peccati. Roman. 4. Lex iram efficit. Hæc dicta neceſſe eſt intelligi de Decalogo, qui eſt ſpeculum præcipuum peccati & iræ Dei. Nulla enim pars Legis atrociùs accuſat & perterrefacit homines, quàm vox Decalogi.

Verùm

Verum est, ceremonias etiam nos admonere de peccato, vt Circumcisio significabat peccatum originis, & abiectionem huius corruptæ naturæ: sed multò clariùs, & sine vllo inuolucro Decalogus accusat peccatum, quando sonat hoc fulmen: Maledictus, qui non seruat omnia, quæ sunt scripta in libro Legis. Sic sacrificia Leuitica significabant, homines esse miseros peccatores, & expectandum esse alium redemtorem, & aliam victimam tollentem peccata mundi, sed hæ allegoriæ & imagines non ita feriunt cor, vt vox Decalogi.

Deinde Rom. 7. expressè Paulus citat Legem moralem, vt testetur se loqui de Decalogo: Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi Lex diceret, Non concupisces. Et Gal. 3. repetit maledictionem additam violationi Legis moralis in cap. 27. Deuter. Cùm igitur doceat, nos per Christum ab hac maledictione liberatos esse, nemini dubium aut obscurum esse potest, de qua Lege potissimùm loquatur. Sed omissis ceteris argumentis, hoc vnum attentè cogitemus, quod copiosè explicatur ab Augustino in libello de Spiritu & litera: si liberatio à Lege tantùm ad ceremonialia pertinet, non profuit patribus ante Moysen. Necesse est autem statuere, quòd liberatio à Lege pertineat ad vniuersam Ecclesiam à principio mundi vsque ad finem. Quare absurdissimum est dicere, quòd Christus liberauerit nos tãtùm à ceremonialibus. Sit igitur hoc nobis persuasum, Paulum de tota Lege loqui, & neminem propter ceremonias, aut moralia opera coram Deo iustum esse. Nulla enim maior contumelia aduersus Filium Dei dici aut cogitari potest, quàm fingere, non solam ipsius obedientiam esse pretium & meritum remissionis peccatorum, & propitiationem pro peccato.

Sequitur altera corruptela, quæ docendi causa solet appellari συνεκδοχή: nam Thomas, Scotus & similes scholastici Theologi, vel potiùs Sophistæ, finxerunt hominem esse iustum, non sola fide, sed fide, vt ipsi loquuntur, formata, scilicet dilectione: ac in summa hoc dixerunt, hominem fide tantùm præparari, vt postea possit esse iustus dilectione Dei & proximi. Huic Sophisticæ corruptelę similis est deprauatio veræ sententiæ, quæ extat in libro Interim de iustitia inhærente, seu de nouitate spirituali. Hæc enim omnia idem signi-

ficant. Ac ſi verè volumus iudicare, in eodem luto erroris hæſit Oſiander, cuius grandiloquentia multis fucum fecit. Reuera autem nihil aliud dicit Oſiander, quàm hoc, quòd homo fide accipiat remiſsionem peccatorum, nec tamen hac fide ſit iuſtus, ſed ea iuſtitia, quam ipſe appellat eſſentialem, quæ in nobis habitat, & nos impellit, vt iuſta faciamus. Hæc etſi grandi ſono orationis dicũtur, & multis videntur eſſe plauſibilia, tamen in fundamento nihil noui dicit Oſiander, ſed tantùm repetit veterem cantilenam noua verborum forma. Quod enim Sophiſtæ, Scotus, Thomas & alij, & liber Interim dixerunt de effectu, hoc ipſe dicit de cauſſa: illi nominant effectum, ſcilicet nouitatem ſpiritualem, ſeu iuſtitiam inhærentem ſiue dilectionem, qua putant formari fidem rudem alioqui & informem: Oſiander pro effectu nominat cauſſam, id eſt, ipſum Deum habitantem in nobis, & nos impellentem ad bona opera. Hæc ideo dico, vt iuuentus intelligat diſcrimina & conſonantias opinionum falſarum. Verbis diſſident, ſed re ipſa concinunt hæ corruptelæ. Cùm ante años circiter 13. aut 14. edidiſſet aliqua ſcripta Oſiander, multi non intelligentes ſcopum controuerſiæ, diſputarunt cum Oſiandro de inhabitatione Dei in nobis, & putarũt in illa re verti cardinem negotij, quod longè ſecus eſt. Nec debemus, nec poſſumus negare, quòd Deus habitet in ſanctis, iuxta dictum, Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Item Chriſtus habitat in nobis per fidem, Epheſ. 3. Et de Spiritu ſancto notiſsima ſunt dicta, in quibus affirmatur, quòd ſimus templa & domicilia Spiritus ſancti, quotquot ſumus renati. Ergo non eſt quæſtio de inhabitatione, an Deus, vel Chriſtus, vel Spiritus ſanctus in nobis habitet, neque etiam eſt quæſtio de effectibus Dei, vel Chriſti, vel Spiritus ſancti in nobis habitantis. Scimus enim, Deum nunquam eſſe otioſum, ſed eſſe actum merum, id eſt, ſemper aliquid agentem. Sed hoc eſt κεφάλαιον, hoc eſt caput controuerſiæ, An propter illam inhabitationem & efficaciam Dei in nobis, ſimus & maneamus iuſti in hac vita. De hac quæſtione reſponſionem mox audietis. Mens noſtra in magnis pauoribus & doloribus non quærit, quas habeat qualitates & actiones Dei interiores, ſed hoc potiſsimùm quærit, quomodo Deum propitiũ habere poſsit, quomodo cum Deo reconciliari poſſit. De hac re eſt dimicatio & lucta præcipua in tentationibus, ſicut omnes experiuntur. Ergo non eſt obſcuranda conſolatio omnium maximè neceſſaria de remiſsione peccatorum, hac grandiloquen-

tia Osiandri, de inhabitatione Dei operantis in nobis, & impellentis nos ad bona opera. Habet illa oratio suum locum, nec est simpliciter damnanda, sed non transferatur in alium locum intempestiua quadam & præpostera beneuolentia.

Secunda corruptela articuli iustificationis est συνεκδοχὴ Papistarum, libri Interim, Osiandri, & aliorum, qui sic interpretantur propositionem Pauli: Fide iustificamur, id est, præparamur ad iustificationem, vt simus deinde alia re iusti, seu accepti coram Deo, videlicet nouitate seu dilectione, seu inhærente iustitia essentiali. Nam hi modi loquendi idem significant. Suprà autem satis confirmauimus hanc sententiam opponendam Synecdochæ, quòd fide persona iusta sit coram Deo etiam post regenerationem, & quòd hæc fides nitatur obedientia & intercessione Mediatoris. non nostra nouitate, seu inhærente iustitia, seu essentiali. Cùm verò hac cõsolatione corda viuificata sunt, iam fiunt templa Dei, & habent iustitiam, scilicet ipsum Deum mouentem & sanctificantem corda, seu nouitatem, quam efficit Deus, & quæ est frũctus Spiritus, eoque nominatur, & est iustitia, etiamsi aliud est, propter quod persona in iudicio Dei iusta reputatur, quia nouitas nondum est integra, & tristes reliquiæ peccati hærent in omnibus in hac vita, vt infrà in loco de bonis operibus copiosiùs dicetur.

Considerate quæso exemplũ Dauidis, qui post atroces lapsus, post adulterium & homicidium perpetratũ, fuit in maxima consternatione animi. Quid igitur petit in his turbinibus ac fluctibus tentationum à Deo? Audi psalmum, Miserere mei, Deus. Nónne petit omniũ primùm à Deo ardentissimis votis, & toto pectore remissionem peccatorum gratis propter Mediatorem? Sic enim incipit psalmus, Miserere mei, Deus, secundum misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Et sequitur longa confessio peccatorum, originalis & actualium, & repetit aliis verbis eandem petitionem: Asperge me, Domine, hyssopo &c. Expendite in hac precatione pondera verborum: non dicit, Miserere mei secundum meam nouitatem, aut inhærentem iustitiam, aut essentialem iustitiam, vt Osiander loquitur, sed confugit ad portum misericordiæ, iactatus tempestatibus & ventis maximarum tentationũ, sicut

& in Psal. 6. inquit: Saluum me fac per misericordiam tuam: Ita primùm petit Dauid beneficium summum & maximè necessarium, scilicet remissionem peccatorum: & hæc est iustificatio nostri coram Deo. Postea verò addit petitionem de gubernatione Spiritus sancti, seu de regeneratione: Cor mundũ crea in me, ô Deus, & Spiritum firmum innoua in visceribus meis &c. Hic ordo psalmi congruit ad dictum Baptistæ: Gratia & veritas per Christum facta sunt. Et ad dictum Pauli Rom. 5. Per Christum habemus gratiam, & donum per gratiam. Primo loco nominat gratiam, id est, gratuitam reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum: postea sequitur veritas seu donum per gratiam, id est, donatio Spiritus sancti, cuius fructus sunt, vt ait Paulus Gal. 5. dilectio, mansuetudo, castitas, & reliquæ virtutes. In hoc exemplo Dauidis, rem tanquam in speculo propositam cernimus, & videmus, quàm longè à re ipsa, atque à veritate, & ab experientia omnium sanctorum distet non modò Scoti, Thomæ, & libri Interim imaginatio, sed etiam Osiandri grandiloquentia. Retineamus igitur Paulinam Theologiam, quæ non tantùm est verissima, sed etiam simplicissima & planissima.

Postremò hanc totam doctrinam propriam Ecclesiæ Dei, quæ est portus & summa consolatio piorum, audacissimè obruit Synodus Tridentina, quæ iubet omnes homines manere in dubitatione.

Hic pernicioſus error non tantùm corruptela est, sed etiam deletio totius capitis in Symbolo: Credo remissionem peccatorum, nec Ecclesiæ doctrinam proponit, sed Ethnicas, seu Pharisaicas imaginationes confirmat. Nam humanæ mentes ignaræ Euangelij, & Legem vtcunque intuentes, merguntur in hanc dubitationem, quæ tristes fremitus aduersus Deum & desperationem parit. Nos igitur huic impio decreto & execrando opponamus mandatum Dei æternum & immotum, quod seuerissimè præcipit, vt credamus Filio Dei, & promissionem diuinam, quæ hanc ipsam ob causſam edita, & iureiurando cõfirmata est, vt ei assentiamur, nec fluctibus dubitationum opprimamur. Nota est enim vox iurisiurandi: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et Iohannes inquit, Qui non credit Deo, accusat eum mẽdacij. Qui igitur perseuerat in dubitatione,

an

in conuersus ad Deum placeat Deo, is afficit Deum contumelia, arguens eum mendacij.

Considerate diligenter hæc, non tam ad refutãdam Synodi Tridentinæ audaciam, & amentiam, quàm ad nos ipsos consolandos & confirmandos contra varias & multiplices dubitationes, quæ ex ratione & ex Lege oriuntur. Homo naturaliter circumfert in mente caliginem tristem & lugendam. Hoc malum per accidens confirmat Lex: sicut enim flamma augetur affuso oleo: ita homo ignarus Euangelij, & nihil sciens nisi Legem, manet in dubitatione, & perpetuò disputat, an Deus sit propitius, an velit nos exaudire & recipere, præsertim in ærumnis & in media morte. Cõtra hoc malum Deus edidit mãdatum, quod seuerissimè præcipit, vt omnes Filium Dei, tanquam testem & nuntium veracem audiant, iuxta dictum, Hunc audite: & qui hunc non audiunt, ego vltor existam, Deut. 18. Deinde proposuit Deus promissionem Euangelij vniuersalem & gratuitam: ac verissimum est, quod dicit Bernhardus: Misericordia Dei in medio posita est, nec quisquam illius expers est, nisi qui renuit, repugnat, resistit. Tertiò opposuit Deus nostræ dubitationi & infirmitati iuramentum, de quo dicit Tertullianus. O beatos, quorum caussa Deus iurat: econtrà, ô miseros, si nec iuranti Domino credant. Quid tristius est, quàm aspernari Deum, non modò promittentem, sed etiam iureiurando confirmantem sua promissa?

Hinc perspicuum est, quare decretum Synodi Tridentinæ, quod cõfirmat errorem de dubitatione, odio dignissimum sit, & execrandum ab omnibus creaturis. Nos verò assentiamur promissioni, vt Paulus Rom. 4. docet, promissionem oportere fide accipi, & hac fide vincamus dubitationem, cùm quidem Spiritus sanctus ideo donetur credentibus, vt confirmet mentes contra fluctus dubitationum, & contra metum in periculis.

Audiamus antea citatum Psal. 51. Cor mundum crea in me, ô Deus &c. Quid vocat Dauid cor mundum? Audite Petrum enarrantem hoc Psalmi dictum Act. 15. Fide purificantur corda. Ergo petit cor mundum, id est, fide purificatum, fidele, credens. Mox addit: Et Spiritum firmum innoua in visceribus meis. Cur appellat Spiritum sanctum, Spiritum firmum? Respondeo. Quia confirmat nos contra hæc duo mala, quorum alterum est dubitatio de volun-

tate & misericordia Dei, alterum metus in periculis mortis, & mille aliis: deinde in sequenti versu dicit psalmus, Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Cur nominat sanctum? quia sanctificat, id est, regenerat & renouat mentem, voluntatem & cor: & accendit in singulis potentiis seu membris, vt loquitur Paulus, animæ motus congruentes cum Lege Dei. Tertiò eundem Spiritum appellat principalem. Scimus, pleroſque Principes non degeneres, esse heroica virtute, in quibus est longè maius robur cordis, & maior fortitudo, seu maior celsitudo animi, quàm in aliis plebeiis hominibus. Ideo petit heroicum Spiritum, celsum, magnanimum, despicientem omnes pauores & pericula, non æstimantem vnius assis Diabolum & omnia eius organa. Talem Spiritum principalem siue heroicum habuit Daniel inter leones, viri tres in mediis flãmis, Paulus in omnibus suis afflictionibus, denique omnes sancti in casu cõfessionis, & in aditu mortis. Alij vertunt Spiritum spontaneum, quia Princeps non coactè aliquid facit, non metu, sed sponte sua. Idem est igitur Spiritus spontaneus & principalis.

EXPLICATIO TEXTVS LOCORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANCHTHONIS

De iustificatione.

TOTIES dixi de causis consilij, quo repetiuimus eosdem Locos, & easdem materias, vt videatur esse ineptum & superuacaneum, plura de eadem sententia dicere. Certè si necessaria est repetitio in vllo articulo doctrinæ Christianæ, in hoc Loco de iustificatione omnium maximè necessaria est. Nemo enim putet, se exhausisse hoc caput doctrinæ vna aliqua aut altera meditatione, sed tota vita debet præcipuè versari & consumi in speculatione & sensu (vt verbis Epiphanij vtar) huius articuli. Non sunt quotidie noua & inaudita proponenda auditoribus, sed hoc longè est vtilius, & plus conducit

ducit ad piam & ſpiritualem eruditionem, ſi eædem res ſubinde repetantur & inculcentur. In philoſophia ſatis eſt ſemel atque iterum doctrinam propoſitam eſſe: quia philoſophia extruitur ex principiis natura notis. Sed in Theologia cùm pleræque res ſint poſitæ ſupra & extra captum humanæ mentis, vel ob hanc vnam cauſſam neceſſaria eſt crebra repetitio.

De gratia & iuſtificatione.

Hic Locus continet] Lutherus Geneſ. 21. Hic ſummus fidei articulus eſt, quem ſi vel tollas, vt Iudæi: vel depraues, ſicut Papiſtæ, neque Eccleſia conſiſtere poteſt, neque Deus retinere poteſt ſuam gloriam, quæ eſt quòd ſit miſericors, & quòd propter Filium condonare peccata, ac ſaluare velit. Idem Gal. 3. Locus iuſtificationis diligenter diſcendus eſt. In eo enim comprehenduntur omnes alij fidei noſtræ articuli, eóque ſaluo, ſalui ſunt & reliqui.

Vino vendibili, vt dici ſolet prouerbio, nihil opus eſt ſuſpenſa hedera: id eſt, Res bonæ non indigent longa commendatione. Sed tamen vt iuniores excitentur ad diligentem & ſeriam meditationem articuli de iuſtificatione, volui hæc dicta magni viri repetere ex duobus commentariis, neque neceſſe eſt addere perſpicuis verbis vllam gloſſam, aut declarationem.

Proprium Chriſti beneficium eſt gratia. Iohan. 1. Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Chriſtum facta eſt.

Conſolationem] Iuxta illud Rom. 5. Iuſtificati fide, pacem habemus, id eſt, firmam conſolationem, quę ſuperat omnem ſenſum & cogitationem, vt alibi loquitur Paulus ad Philipp. 4.

Vera inuocatio] Iohan. 4 dicit Chriſtus ad mulierem Samaritanam in familiari colloquio: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate: Deus enim eſt Spiritus, & requirit adoratores ſpirituales. Quo dicto ſummum & præcipuum Dei cultum eſſe veram Dei inuocationem indicat. Hęc verò non poteſt præſtari ſine fide, accipiente remiſſionem peccatorum gratuitam.

Præcipuè discernit] Quatuor sunt, vt ita dicam scholastico more, effectus articuli iustificationis. Primus, quòd monstrat agnum Dei tollentem peccata mundi: secundus, quòd affert piis mentibus necessariam & firmam, & salutarem consolationem, quæ potest & debet opponi peccato & morti. Tertius effectus est, quòd accendit in nobis veros cultus Dei & veram inuocationem. Quartus est, quòd discernit hic articulus Ecclesiam ab aliis sectis iudicio Dei damnatis, vt à secta Mahometica, recenti Iudaica, Papistica, Ethnica & multis aliis, quæ sectæ prorsus ignorant veritatem de hoc articulo.

Ideo] Fons certaminum de hoc Loco.

Hypocritæ] Inde vsque à Cain, qui fuit primus Pharisæus & Pelagianus, quia obtulit sacrificium Deo cum opinione operis operati, id est, putauit ipsum opus per se Deo placere, etiamsi nulla esset fides, nulla dilectio in corde.

Dauid] Psal. 143: Non iustificabitur, scilicet Propria mundicie, sine Mediatore.

Alio loco] Psalm. 2.

Notitia.] Hebraismus est. Latinis tantùm significat actionem mentis, sed Hebræis significat actionẽ mentis & voluntatis, cum qua copulati sunt affectus in corde: vt Psalm. 51. Peccatum meum agnosco, scilicet non tantùm speculatiuè, sicut homines otiosi de peccato cogitant, sed ita agnosco peccatum, vt meum cor expauescat, & sentiat vim peccati. Genes. 4. scribitur, Adam cognouit vxorem: Ibi manifestum est, verbum Cognouit, non intelligi de otiosa speculatione. Notitia eius: id est, fiducia eius, quæ comitatur notitiam Christi.

Leges] Noua consilia, de quibus suprà.

Statim post Apostolos] Non diu retinent homines lucem veritatis, nisi diuinitùs seruetur. Ideo Esaias precatur pro discipulis cap. 8. Obsigna Legẽ tuam

tuam in discipulis meis: quasi dicat, Video secuturas esse magnas tenebras post meam mortem, ideo tu obsignato Spiritu sancto tuo in cordibus meorum auditorum & discipulorum natiuam verbi sententiam, nec sinas eam corrumpi, aut extingui Pharisaicis & aliis furoribus.

Omnes doctores in Ecclesia, & in scholis hac forma precationis vti debent: Obsigna Legem tuam in discipulis meis. Verisimè enim dicitur, homines non diu retinere lucem veritatis, nisi diuinitus seruetur, vt ostendunt plurima exempla. Post mortem Ioseph, quanta mutatio secuta est in Aegypto? post mortem Danielis, quæ tenebræ oppresserunt Orientem? sic post Apostolos, Origenes & alij obscurarunt veram doctrinam, & quasi cœno iniecto, aut etiam veneno turbarunt fontes Israel, id est, simplicem doctrinam Prophetarum & Apostolorum.

Statim] Et tamen Papistæ audent affirmare, Ecclesiam non posse errare. De quo dicto dicemus suo loco. Verum est dictum synecdochicῶς: Sicut Ecclesia est sancta κατὰ συνεκδοχὴν, id est, aliqua mẽbra sunt sancta: alij multi sunt in Ecclesia hypocritæ & Epicuræi: ita Ecclesia non errat, id est, aliqua membra retinent veram sententiam, siue in aliquibus membris manet lux veræ doctrinæ.

Alius] Multis patribus non defuit intelligentia rerum spiritualiũ, σύνεσις πνευματικὴ, sed plerisque defuit facultas explicandi, ἑρμηνευτικὴ δύναμις. Non omnibus datum est, & rectè sentire de doctrina, & sensa, vt Cicero loquitur, & dicendo & scribendo rectè exprimere. Basilius habet vtrunque donum, & Augustinus, sed multi alij incommodè & inconcinnè loquuti sunt.

Corrigunt] Papistę nunc Sanguineis ebuli baccis, minióque rubenti pingunt suas statuas, sua idola, missas, & inuocationẽ mortuorum, &c.

Quòd mereamur] Scholastici Theologi, vel, vt veriùs dicam, Sophistæ, Thomas, Scotus & similes finxerunt duplex meritum, vnum cõgrui, alterum condigni. Meritum congrui appellant opus bonum ante

gratiam, quod valet ad impetrandam gratiam de congruo. Meritum verò condigni nominat opus, quod ſequitur impetratam gratiam, quodque meretur vitam æternam de condigno. Hanc monſtroſam & falſam diſtinctionem declarant exemplo Cornelij, Act. 10. Dicunt enim Cornelium eleemoſynis & aliis bonis operibus meruiſſe gratiam de congruo. Congruebat enim bonitati diuinæ compenſatio bonorũ operum Cornelij. Poſtquam verò Cornelius à Petro baptizatus eſt, & Spiritum ſanctũ accepit, dicunt eius opera fuiſſe meritoria vitæ æternæ de condigno: dignus eſt enim operarius mercede ſua. Hanc fabulam de duobus generibus meritorum olim magna autoritate Sophiſtæ in templis & ſcholis, & in omnibus libris repetebant, atque inculcabant, ſicut de Democrito inquit Cicero, neminem maiore autoritate maiores nugas docuiſſe.

Sicut res ſunt falſæ & monſtroſæ, ita etiam oratio eſt monſtroſa.

Nos aut ignoramus iſta, aut ridemus, ſicut certè ſunt digna quæ rideantur: ſed ante annos 50. nemo audebat iſta cõtemnere, ac ſi quis leuiter contradixiſſet Monachis, haud dubiè coniectus fuiſſet in ignem. Agamus Deo gratias, quòd ſumus vindicati ab iſtis erroribus, qui ſunt blaſphemi contra Filium Dei.

Impletionem Legis] Quando Sophiſtæ interrogantur, quomodo aliquis poſſit implere Legem, cùm Lex ſit ſpiritualis, nos verò carnales: Reſpondent per diſtinctionem fictam & commentitiam. Duplex eſt impletio Legis: alia ſecundum ſubſtantiam facti, alia ſecundum intentionem præcipientis. Etſi igitur, inquiunt, nemo ſatisfacit Legi, quòd ad intentionem præcipientis, tamen poſsibilis eſt impletio Legis ſecundum facti ſubſtantiam. Nemo enim ad impoſsibile obligatur. In hac diſtinctione quantum ſit erroris & tenebrarum, omnes pij intelligunt.

Miſeri homines, tanquã cæci Phariſæi, nõ intellexerũt quanta res ſit Lex, & cur Chriſtus ſit miſſus ab æterno Patre in hunc mundum. Chriſtus inquit. Non veni ſoluere, ſed implere Legẽ.

Et

Et Paulus de Christo inquit: Finis, id est, impletio Legis est Christus. Pellatur ergo ex agro, atque finibus Ecclesiæ, hæc falsa & vana distinctio de duplici impletione Legis. Si quis vult propter ἀντίθεσιν, quæ est valde necessaria in omni genere doctrinarum, plura legere de duplici merito, & de duplici impletione Legis, legat commentarium Reuerendi Patris D. Lutheri in Galatas, ibi inueniet longam & commemorationem & refutationem horum deliriorum.

Primùm] Post exordium, quod hactenus audiuimus, sequuntur tres propositiones principales. Prima loquitur de disciplina, quid de ea sit existimandum, & quantum ei tribuendum sit: secunda est concio pœnitentiæ, tertia est summa articuli de iustificatione.

Paulus] 1. Timoth. 1. Lex posita est ad cohercendos iniustos.

Pædagogiam] Galat. 3. manuductionem ad Christum.

Velatam] 2. Cor. 3. Duplex est Mosis facies, vna velata, altera retecta. Velata significat opinionem Pharisaicam: retecta, est verus vsus & intellectus Legis, de quo dicit Paulus, Lex iram efficit, per Legem agnitio peccati.

Secundò] Semper intuendum est exemplum primorum parentum, quia illustrat omnes articulos doctrinæ Christianæ.

Christus fuit minister Circumcisionis] Populi circumcisi.

Inquiens] Lucæ vlt.

Fit & voce Euangelij] Præcipuum discrimen Euangelij & Legis facit particula Gratis, & expressa mentio redemtoris. Ex hoc fundamento sequitur, Legem non arguere expressè & disertè hanc speciem peccati, quæ est, non credere in Filium Dei. Certè Lex non facit expressam mentionem redemtoris.

Quæ sit voce Legis] Deus arguit peccatum mi-

niſterio Legis & Euangelij. Nam Lex arguit totam molem peccati: Euãgelium arguit certam ſpeciem, videlicet ignorãtiam & contemtum Filij Dei. Deinde arguit Deus peccatum mole calamitatum, ſeu ſignis reatus, quæ nobis circundat.

Si non volumus vocem ſonãtem in miniſterio audire: neceſſe eſt, nos alios concionatores audire, qualis eſt Moſcus in Liuonia, & Turca in Pannonia.

Poſtremò arguit Deus peccatum ſenſu iræ ſuæ, vt Ezechias rex inquit, Eſaiæ 38. Sicut leo contriuit omnia oſſa mea.

Tertiò] Sequitur tertia propoſitio, quæ deſcribit modum iuſtificationis, éſtque hæc principalis propoſitio diligenter conſideranda, & memoriæ mandanda, vt non tantùm alios, ſed etiam nos ipſos erudire & confirmare poſsimus de vera ſententia. Multi enim, qui diu didicerunt hanc doctrinam, non poſſunt ea, quę ſentiunt, ſatis commodè exponere verbis. Quare ſit vobis hæc forma verborum in textu quàm maximè commendata.

Cùm mens] In omnibus Scriptis ſacris & prophanis præcipua diligentia quærenda eſt propoſitio principalis, ſeu ſtatus negotij: ita in hoc articulo conſtituenda eſt certa propoſitio, quæ nos docet de remiſsione peccatorum, ſeu de modo iuſtificationis. Nemo autem poteſt diſertiùs & rotundiùs hanc ſententiam enuntiare, quàm Paulus, qui Roma. 3. vt meminiſtis, ſic inquit: Iuſtificamur gratis, gratia ipſius per redemtionẽ, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem in ſanguine ſuo per fidem. Hæc eſt principalis propoſitio, quam Paulus confirmat capite 4. teſtimoniis Moyſi & Dauidis, & aliis quibuſdam argumentis. Expendantur autem pondera verborum, & ſingula appendantur ad libram, ſeu ad calculos vocentur. Iuſtificamur, id eſt, habemus remiſsionem peccatorum, reputamur iuſti coram Deo, ſumus reconciliati Deo, & accepti ad vitam æternam. quomodo? gratis, id eſt, ſine noſtra dignitate, ſine noſtro merito, non propter vllam noſtram virtutem, aut qualitatem, ſiue ſit contritio, ſiue dilectio, ſiue alia quęcunque virtus. Non enim hęc particula excludit præſentiam aliarum virtutum, ſed meritum. Sequitur, Gratia ipſius: hæc tertia particula monſtrat nobis fontem huius

huius beneficij, scilicet immẽsam & inenarrabilem misericordiam Dei, de qua dicitur Iohan 3. Sic Deus dilexit mundum &c. Et Ephe. 2. Gratia saluati estis, non ex operibus, ne quis glorietur. & psal. 130. Quia apud te est propitiatio. Item, apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio. Sequitur quarta particula, Per redemtionem, quæ est in Christo. Cur fit mentio redemtionis? vt scia mus nobis remitti peccata propter obedientiam & meritum Filij Dei. Etsi enim gratuita est remissio peccatorum, quod attinet ad nostra opera & merita, tamen non remittuntur peccata sine persolutione pretij æquiualentis, quod Græci vocant λύτρον seu ἀπολύτρωσιν: est quidem Deus misericors, sed tamen etiam iustus est. Quare sicut immensa sua misericordia non potuit videre æternum & vniuersalem interitum generis humani: ita propter iustitiã suam postulauit compensationem & par pretium, pro nostra contumacia & inobediẽtia. Hoc pretium cùm nec angeli, nec homines, nec vlla creatura persoluere posset, Filius Dei factus est redemtor, persoluẽs pro nobis hoc pretium, & quidem, vt postea inquit Paulus, in sanguine suo. Hũc dicit propositum esse. Cur vtitur verbo proposuit? Eodem consilio, quo senex Simeon inquit Lucæ 2: Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel: quasi dicat, Quod latet, ignotum est, ignoti nulla cupido. Quare si beneficium redemtoris esset ignotum generi humano, nemini nostrum prodesset, nemini salutem & consolationem afferret. Proposuit igitur Deus, & palàm reuelauit redemtorem generis humani, in passione & resurrectione, & postea in missione Spiritus sancti, & in collectione Ecclesiæ, quæ fit per Euangeliũ & vsum Sacramentorum. Sed cur nominat hunc Mediatorem propitiatorem, seu propitiatoriũ? Alludit Paulus ad typum de arca fœderis, & de propitiatorio. Exod. 25. Arca fœderis tegebatur propitiatorio, quod erat tabula ex solido auro conflata, sine vlla admixtione ligni. Hæc tabula aurea tegebat arcam, & nominabatur propitiatorium, quia Deus promiserat, se velle ibi propitium esse, & ibi exaudire preces hominum. Erat autem illa tabula typus Christi: sicut enim propitiatorium tegebat arcam, & quidem arcam fœderis, in qua erant duæ tabulæ Decalogi: ita Christus est nostrum vmbraculum & tegumentum, defendens nos aduersus æstum iræ diuinæ, ne absumamur incendio iræ & pœnæ. Postremò additur clausula omnium maximè

neceſſaria de fide, vt nos doceat de applicatione gratiæ & redemtionis: Per fidem inquit, quaſi dicat, Niſi tu fide apprehendas gratiam Dei & meritum Chriſti, fruſtrà tibi prædicatur Euangelium. Quare vt fias particeps gratiæ Dei, & beneficiorum Chriſti, applicantur tibi hæc beneficia fide, non dilectione, aut ſpe, quia ſpes non accipit præſens beneficium, ſed expectat futuram liberationem: dilectio non accipit beneficia Dei, ſed reddit aliquid pro modo facultatum. Hæc ideo tam prolixè commemorauí, vt vobis inculcem verba Pauli, quibus nihil poteſt in hac materia dici rotundius, diſertius & ſignificantius.

Tribunis] Liuius li. 9. decad. 4. Cato Maior Cenſorius, cùm vreretur gloria Scipionis, vt omnes natura ſumus ſuperbi, & inuidi, alij magis, alij minùs, incitauit Tribunos Petilios, vt accuſarent, vel potiùs allatrarent Scipionem, & obiicerent ei hoc crimen, quòd non bona fide retuliſſet ſpolia Carthaginis in ærarium Reip. id eſt, accuſarent eum peculatus. Scipio nihil aliud reſpondit ad has calumnias, niſi hoc vnum: Hodiernus dies nos admonet de victoria aduerſus Hannibalem: quare qui volunt, aſcendant mecum in Capitolium, vt agamus Ioui gratias pro victoria. Hac oratione audita, tota multitudo populi, quæ antea fuerat à tribunis, tanquam à ventis concitata, ſecuta eſt Scipionem, & vota fecerunt Diis, more Ethnico, poſtea Scipio diſceſſit ex vrbe, & vixit priuatus vſque ad mortem.

Hebræis] Habetis exempla huius ſignificationis Matth. 12. Ex verbis tuis iuſtificaberis, id eſt, iuſtus pronuntiaberis. Et Rom. 2. Factores Legis iuſtificabuntur, id eſt, iuſti pronuntiabuntur. & apud Eſaiam cap. 5: Væ, qui iuſtificatis impium, id eſt, iuſtum pronuntiatis, abſoluitis.

Exempla]

Vt Rom. 3. Iuſtificati ſanguine, id eſt, reconciliati per mortem eius. Paulus interpretatur Rom. 5. vocabulum iuſtificationis per vocabulum reconciliationis.

Quanquam] Hæc duo ſimul ſunt, nec poſſunt ſeparari, gratia, & donũ per gratiam, id eſt, remiſsio peccatorum, & donatio Spiritus ſancti: ſed tamen

tamen sunt distingenda. Remissio peccatorum ordine naturæ prior est donatione Spiritus sancti, etiamsi tempore simul cõcurrunt hæc duo beneficia. Ortus Solis est ordine naturæ prior quàm dies, & tamen hæc duo simul fiunt, ortus Solis, & initium diei.

Comitantur] Ordine naturæ.

Primùm quærit remissionem] Vt Dauid Psal. 51. orditur suã precationem à petitione remissionis peccatorum, Miserere mei, Deus &c. postea petit donum per gratiam, id est, Spiritum sanctum. Sic Luc. 18. publicanus precatur: Domine, propitius esto mihi peccatori. Et Petrus Act. 2. inquit: Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Hæc omnia congruunt ad dictum Pauli Rom. 5. Per Christum habemus gratiam, id est, remissionem peccatorum: & donum per gratiã, id est, Spiritum sanctum.

Primum & præcipuũ beneficium, de quo angitur nostra conscientia in pauoribus, in vita & morte, est remissio peccatorum. Quanquam igitur in precatione Dominica petitio de remissione peccatorum ponitur quinto loco: tamen est præcipua petitio in tota illa precatione. Quando incipis precari, cogita omnium primùm de remissione, de qua quidem & Patris appellatio te monet: sic articulus, Credo remissionem peccatorum: est præcipuus in toto Symbolo. Ad hunc articulum referuntur Sacramenta, Baptismus & Cœna Domini.

De Fide.

Hęc sunt inter se contraria & oppositа: Iustificamur operibus, &, Iustificamur fide. Sicut Paulus clarè proponit hanc ἀντίθεσιν, Gal. 2. Si iustificamur operibus, Christus fruſtrà mortuus est.

Mediatorem pro nobis] Christus non tantùm fuit Mediator in passione, sed nunc quoque interpellat pro nobis, & meritum suum nobis applicat, vt Rom. 8. dicitur: Qui sedet ad dextram Dei, & interpellat pro nobis. Et Hebr. 7. Semper viuens, vt interpellet pro nobis.

Canisius princeps Iesuitarum, vel Esauitarum, scripsit libellos, in quibus affirmat, Christum tantùm fuisse Mediatorem tempore passionis: & hoc ideo scribit, vt possit ornare inuocationem mortuorum. Si enim Christus iam non est mediator, vt fingit Canisius, sequitur, quærendos esse alios Mediatores & intercessores, id est, sanctos. Nos verò confirmati testimoniis Scripturæ, agnoscamus Dominum nostrum non tantùm fuisse mediatorẽ exiguo illo tempore passionis, sed fuisse mediatorem à principio generis humani post lapsum, & deinceps mansurum vsque ad finem mundi. Sic Psal. 110. dicitur: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Est autem sacerdotis officium non tantùm docere populum, sed etiam pro populo orare, sicut fecit Ieremias, & omnes sancti doctores in Ecclesia. Testimonia verò Pauli sunt Rom. 8. Qui sedet ad dextram Dei, & interpellat pro nobis: id est, applicat nobis suum meritum. Et Hebræ. 7. Semper viuens, vt interpellet pro nobis. Alij sacerdotes moriuntur statuto tempore, sed hic sacerdos semper viuit, vt possit semper interpellare pro Ecclesia, hoc est, applicare ei suum sacrificium & meritum.

Christus est inuocandus vtroque modo: primùm vt dator bonorum vnà cum Patre & Spiritu sancto, deinde vt Mediator Dei & hominum, sicut Paulus eum appellat 1. Timoth. 2.

Correlat.] Est phrasis Dialectica. Correlatiua sunt, pater & filius, dominus & seruus. Vno nominato, intelligitur alterum. Quamdiu durat relatio, alterum sine altero esse non potest. Amor habet se correlatiuè ad rem amatam. Si quis puellam amat, puella est obiectum amoris. Sic in rebus spiritualibus: Fidei obiectum est Christus Mediator, Propitiator, Redemtor. Ad hunc habet se fides correlatiuè. Omnia vocabula affectuum sunt relatiua secundum dici, quia habent respectum ad sua obiecta, quæ sunt caussæ veræ affectuum.

Nec norunt pauores] Siracides: Qui non est tentatus, qualia scit? Sic doctrina de remissione peccatorum non intelligitur sine exercitiis pœnitentiæ, inuocationis, & patientiæ.

Psa. 12. inquit, Verbum Domini esse purgatum igne septies. Ignis, teste

teſte Petro, ſignificat afflictionem vel tentationem. Sicut ergo aurum vel argentum igne probatur: ita fides, inuocatio, patientia exercentur rebus aduerſis. Apud Senecam inquit Hercules: Tolle imperia dura, quid virtus erit? Et alibi ait Seneca: Tamen per ipſas lucet ærumnas decus. Virtutes non conſpiciuntur in tranquillitate externa corporis & facultatum: ſed exerunt ſuam efficaciam in concurſu calamitatum.

In hoc articulo] Finis totius Symboli & hiſtoriæ de Chriſto eſt articulus, Credo remiſsionem peccatorum: poſtea ſequitur reſurrectio ad vitam æternam: ideo Petrus inquit 1. Petr. 1. Finis fidei noſtræ eſt ſalus animarum.

Da operam, vt Spiritus tuus viuat propter iuſtitiam: corpus quanquã mortificatur propter peccatum, tamen reſurget ſuo tempore. Qui te finxit ex luto terræ, is nullo negotio poterit te refingere ex terra.

Λαῷ] Varium & mutabile ſemper vulgus.

Cicero pro domo ſua: In imperita multitudine eſt varietas & inconſtantia, & crebra tanquã tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio.

Nullius hominis beneuolentia confidendum eſt, quia omnium hominum, ſummorũ, mediocrium, & infimorum voluntates ſunt mutabiles. Quidam venit ad Principem Fridericum, Saxonię Electorem, & citauit clauſulam Pſalmi 146, inquiens, ſcriptum eſt, Nolite confidere in Principibus. Ibi Dux ſapiens, & non imperitus lectionis Pſalmorum, Tu, inquit, non integrè citas verba pſalmi: ſequitur enim, In filiis hominum, in quibus non eſt ſalus, quaſi dicat: Pſalmus non tantùm loquitur de aularum & Principum, ſed de omnium hominum beneuolentia, quæ eſt incertiſsima.

Si doctrina de articulo iuſtificationis manſiſſet integra & inuiolata ſuperioribus aliquot ſeculis in Papatu, nihil iam opus eſſet hac Grammatica diligentia, qua declarantur vocabula fidei, gratiæ, & iuſtificationis. Tam enim eſſent notæ eorum ſignificationes, quàm nobis noti ſunt noſtri digiti: ſed Eccleſia inter barbaros oblita eſt

ſui ſermonis. Quare nunc quidem valde neceſſaria eſt hæc diligentia Grammatica, quæ declarat natiuam vim & ſignificationem cuiuſque vocabuli. Cur autem in appellatione fidei, diuerſarum linguarum phraſis, tam prolixè in libello D. Philippi conferatur & declaretur, occaſio hæc eſt: Sophiſtæ, Eccius & ſimiles in Papatu, oppugnantes noſtram doctrinam de iuſtificatione, quærunt eluſiones ex Grammatica, & dicunt, nec in Hebraica, nec in Græca, vocabulum fidei vſurpari pro fiducia, ſed contendunt, hac voce tantùm ſignificari notitiam hiſtoriæ.

In Philippicis) Philippus fuit pater Alexandri Magni. Is cœpit opprimere libertatem Græciæ: quare Demoſthenes amans libertatis, hortator fuit ſuis ciuibus, vt bellum gererent cum Philippo & Macedonibus. Hinc eſt nomen Philippica. Cicero eodem nomine appellauit ſuas inuectiuas in Antonium.

ἄλλα] Apud Græcos duplex eſt ſocietas: vna defenſiua, altera offenſiua. Defenſiua vocatur συμμαχία, offenſiua ὁπμαχία. Hęc vocabula ſæpe occurrunt in hiſtoriis. Rem verò ita intelligite: Aut ſocij faciunt fœdus inter ſe tantùm defenſionis cauſſa aduerſus communem hoſtem: tale fœdus eſſe debebat inter Principes Europæ contra Turcas: hæc nominatur συμμαχία: Alij verò cõfœderati & ſocij ſunt obligati ad inferendum bellum ſine exceptione, ſiue amicis, ſiue hoſtibus. Hæc eſt ὁπμαχία.

Piſiſtrato) Tyranno Attico. Piſiſtratus & Solon fuerunt collegæ: ſed cùm Piſiſtratus eſſet amans Imperij, oppreſsit patriam tyrannide. Huic ceſsit Solon, & peruagatus eſt magnam partem orbis terræ, ne cogeretur ſpectare ſeruientem Patriam. Cùm autem initiò Piſiſtrato agitanti tyrannica conſilia reſiſteret, & interrogaretur, qua ſpe fretus id faceret, reſpondit, Senecta. Fit huius apophthegmatis mentio apud Ciceronem in Catone: Piſiſtrato quærenti, qua tandem ſpe fretus ſibi tam audacter obſiſteret, reſpondiſſe Solon dicitur, Senectute.

Definitio fidei) Fides in Eccleſia tria complectitur, notitiam, aſſenſum, & fiduciam

dũciam. Notitia est initium fidei, iuxta peruulgatũ dictum, quod rectè huc transfertur & accommodatur, Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido. Item, Omnis affectus comitatur notitiam, quæ monstrat obiectum, & hæc notitia est caussa, sine qua non. Sicut enim visio non potest fieri, nisi in medio illuminato, siue aere, siue aqua: nam in tenebris nihil cernitur: ita sine præcedenti notitia monstrante obiectum, nullus existit in corde affectus. Tu non amas hominem ignotũ. Non amas aliquam in vrbe Constantinopoli, quam non vidisti, nec de ea audiuisti vnquam. Ergo notitia est primum & quasi fundamentum & initium fidei. Alterum est assensus, quo amplectimur totam historiam de Christo, imò omne verbum Dei generaliter loquendo, & in hoc verbo velut gemmam ipsam promissionem de Christo. Non enim satis est, nosse historiã, nisi etiam assentiaris historiæ & verbo Dei. Hæc verò duo nondum sufficiunt, nisi accedat tertium, videlicet fiducia, quæ est affectus in voluntate & corde, de quo dicit Augustinus: Credens scit se credere, id est, sentit consolationem, pacem, tranquillitatem in suo corde. Et Paulus inquit Rom. 8. Spiritus sanctus perhibet testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei, & clamat in nostris cordibus, Abba Pater.

Deinde in definitione fidei non frustrà nec temerè dicitur, Vniuerso verbo Dei nobis proposito: quia fides est tota copulatiua, id est, amplectitur omnes articulos fidei. Necesse est enim omnes articulos fidei ita retineri, vt nullum ignores, nec vlli contradicas, vt, non satis est, te credere, quòd Christus sit natus ex Virgine, & pro nobis passus & resuscitatus, nisi etiam credas, eundem Dominum & redemtorem esse Filium Dei, Patri coæternum & coessentialem, vt Symbolum Nicenum loquitur. Si enim vnum articulum reiicias, non prodest tibi reliquum Symbolum. Quod autem fides sit tota copulatiua, testatur psal. 119. qui est regula studij Theologici. Sic enim inquit, Tunc non confundar, cùm respexero ad omnia mandata tua. Et Exod. 12. scriptũ est de agno mactato in Paschate: totum agnum comedetis. Hic typus significat totam doctrinam de Christo recipiendam esse, non aliquam tantùm partem. Dicam vobis aliam quoque caussam, cur fidei tribuatur assentiri omni verbo Dei nobis tradito, vt scilicet moneamur in interpretatione verbi instituendam esse collationem partium Scripturæ sacræ, neque vni clausulæ calumniosè ita inhærẽdum esse, vt negligantur cetera, ex quibus petenda est necessariò explicatio loci vel figurati, vel obscu-

rioris. Fuerunt quidam phanatici homines, qui à Græcis appellantur ἀνθρωπομορφῖται, qui affinxerunt Deo formam humanam corporalem, & interrogati cur ita ſentirent, reſponderunt, Quia Scriptura ſæpe teſtatur, Deum habere oculos, aures, pedes, manus &c. Deum ambulare, ſedere &c. Ergo magno conſenſu Scriptura nos conuincit, vt ita ſentiamus, & piaculum magnum eſt, diſcedere à proprietate verborum. His reſpondet Theodoretus in quæſtionibus Geneſeos, Verte, inquit, paginam Scripturæ, & leges in altera facie hæc verba Iohan. 4. Deus eſt Spiritus. Item, Deus eſt vbique, nullo loco continetur, eſt infinitus & immenſus. Ergo non poteſt ei aſſignari & attribui forma corporis humani. Quod enim cœlum, aut quæ terra poſſet capere brachia Domini, pedes Dei, caput Dei, ſi Deus eſſet moles corporea? Ideo opus eſt in ſtudio Theologico collatione Scripturarum.

Adeóque & promiſsioni] Promiſsio gratię, vel promiſſio de Chriſto eminet in tota Scriptura, tanquam gemma inſignis. Vt igitur magnifacimus annulum aureum propter gemmam inſertam, ſic meritò magnifacimus totam Scripturam propter promiſsionem de Mediatore. Nam ſine hac, tota Scriptura non ſufficit ad ſalutem. Ergo non quæramus in ſacris literis hiſtorias tantùm, vel Legem, ſed omnium maximè promiſsionem.

Theognidis] Euripides in Helena: Sapiente diffidentia nihil eſt hominibus vtilius.

Σώφρον' δ' ἀπιστίας ὑγιὲς ἐστὶν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.

Candor eſt virtus vicina veritati. Verſatur autem inter duo extrema, inter ſtultam credulitatem, & ſuſpicacitatẽ, ſeu calumniam. Vocat igitur Euripides ſapientem diffidentiam, ipſum candorem, qui nec eſt ſtultè credulus, nec eſt ſuſpicax. Stulta credulitas omnia approbat ſine probabili ratione: econtrà ſuſpicacitas vbique metuit inſidias, vbi nullæ ſunt inſidiæ. Ergo qui poteſt diffidentiam ſic moderari, vt fugiat ſtultam credulitatẽ & ſuſpiciones, vel calumnias, is eſt ſapienter diffidens, id eſt, eſt reuera candidus. Cùm dicto Euripidis congruit Salomonis ſententia: Leuis eſt, qui ſtultè credit.

πίστεις] Significant firmiſsimas probationes apud Rhetores.

Quærenda

Quærenda est] Iuxta regulam: Verba sunt intelligenda de subiecta materia.

Θνήκει πίστις] Moritur fides: pullulat seu floret perfidia, id est, Fidelitas periit.

Francofurti ad Mœnum, in quodam pariete domus, picta est virguncula, contexens coronam ex Teucrio. Et additus est Germanicus rythmus, à multis celebratus: Je lenger je lieber ich bin allein/Denn trew vnd warheit ist worden klein. Quòd multi boni viri hoc tempore magis amant solitudinem & latebras, quàm sodalitia, qui tamen natura non abhorrent ab hominum congressibus: caussa est, quia crescit malitia hominum, & perfidia: contrà euanescit fides in amicitia.

In versu Græco] Euripides in Oreste: Barbarus factus es diuturna cõuersatione inter barbaros. Vox Tyndari ad Menelaum.

Menelaus totum decennium commoratus est in castris ad Troiam. Deinde expugnata Troia, aliquot annos consumsit in peregrinatione, priusquam domum reuerteretur. Cùm igitur iam rediisset in patriam, Tyndarus socer sic compellat reducem generum: Tu, inquit, Menelae, non es Græcus, sicut antea, sed es barbarus factus. Idem accidit Ecclesiæ inter Sophistas, Thomam Scotum, Occam & alios. Ac nisi Deus repressserit factionem Flacianam, quæ amat nouum genus sermonis, & de industria vitat phrases & verba vsitata: haud dubiè importabit in Ecclesiam veram barbariem, & nouum genus doctrinæ.

Hæc explicatio] In cap. 4. ad Rom. Paulus instituit confirmationem principalis propositionis de iustificatione, quòd videlicet sola fide simus iusti coram Deo per Christum. Etsi autem vtitur multis argumentis, quæ alij aliter distinguunt, tamen hoc est præcipuum, & quasi firmamentum & fundamentum totius negotij: oportet promissionem gratiæ nobis, seu respectu nostri esse certam, ratam & firmam: sed fieret nobis incerta, irrita & inutilis, si penderet ex conditione Legis, vel, quod idem est, ex conditione nostrorum operum & meritorum. Ergo promissio gratiæ non est conditionalis, scilicet pen-

dens ex noſtra obedientia, ſeu poſtulans noſtram obedientiam, tanquam cauſſam iuſtificationis, ſed eſt gratuita, id eſt, gratis datur propter Mediatorem: ſed hoc donum non poteſt apprehendi aliter, niſi fide, quia non eſt aliud inſtrumentum, quo poſsimus hoc beneficiũ amplecti, niſi fides.

Certus] πληροφορία, eſt aſſentiri verbo Dei & promiſsioni, nec auelli propter contraria, quæ ratio oſtendit.

Rom. 5. Iuſtificati fide, pacẽ habemus] Sicut prius argumentum ſumitur ex prædicamento relationis, à natura correlatiuorum: ita ſecundum ſumitur ab effectu, id eſt, ab experientia ſpirituali.

Pacem] Tranquillitatem cordis, conſcientiæ, conſolationem opponendam peccato & morti.

Terribilius ſignum iræ Dei] Mors Filij Dei eſt ſpeculum iræ & miſericordiæ Dei: iræ quidem, quia hoc teſtimonium ſuperat omnia alia ſigna iræ Dei, cuiuſmodi ſunt diluuium, deletio Sodomæ, interitus Pharaonis, excidium Ieroſolymæ &c. Miſericordię verò, quia, vt Gala. 2. Paulus inquit: Dilexit nos Chriſtus, & tradidit ſe ipſum pro nobis. Et Rom. 8. Qui non pepercit proprio Filio, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum eo omnia nobis donauit. Sicut idem Sol liquefacit ceram, & indurat lutum: ita paſsio Chriſti alios terrefacit, alios conſolatur. Impiis eſt ſignũ iræ Dei, & cauſſa horribilis pauoris, vt dicitur apud Zachariam: Videbunt quem confixerunt. Nobis verò, & omnibus credentibus, eſt ſignum miſericordiæ, & quidem præcipuum teſtimoniũ: ſicut Paulus inquit, Qui dilexit me, & tradidit ſe ipſum pro me. Ita tu quoque dicas vera fide, quamuis languida & imbecilli, Qui me dilexit &c. Sic fiet tibi paſsio Chriſti ſpeculum miſericordiæ.

Iuſtus] Symbolum Pauli Roman. 1. Galat. 3. Hebr. 11. Abacuc. 2.

Omnis] Eſai. 28. Rom. 11.

Audet] Magna res eſt accedere ad Deum,

Deum, maior coram Deo liberè loqui, maxima est statuere, quòd exaudiaris. Apud Rhetores nominatur hæc figura Incrementum.

Sed reclamat] Ideo tam prolixè disputatur in textu de vocabulo fidei, quia de hoc acerrima est nobis cum Papistis contentio & disceptatio: an videlicet significet fiduciam misericordiæ propter Mediatorẽ promissæ, an verò tantùm significet notitiam historiæ, qualis est in hostibus Dei diabolis, & in omnibus hypocritis.

Actor. 15. Fide purificantur corda] Debet vobis omnibus notissima esse historia, quam Lucas recitat Act. 15. Quidam Pharisæi volebant videri ciues & membra Christianæ Ecclesiæ. Hi contendebant, Circumcisionem, & alia opera Legis ceremonialis necessaria esse ad salutem omnibus, neque homines sola fide iustificari. Ea res præbuit occasionem cogendi Synodum Apostolicâ in vrbe Hierosolyma. In hac Synodo Petrus dixit sententiam verissimam & grauissimam. Quid, inquit, tentatis Deum, imponentes iugum cerui cibus discipulorum, quod neque nos, neque parentes nostri portare potuerunt? sed credimus, nos saluari per gratiam Domini nostri Iesu Christi, sicut & patres saluati sunt: Fide purificantur corda. Quęrat autem aliquis, vnde sit sumta hęc phrasis, Fide purificantur corda. Respondeo. Apostoli libenter vtuntur verbis & phrasibus Prophetarum. Dauid autem Psal. 51. ita loquitur, petens remissionẽ peccatorum: Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor: cor mundum crea in me, ô Deus &c. Quid vocat Dauid cor mundum? nihil certè aliud, nisi cor fide purificatum, non Epicureum, non Stoicum, non Academicum, non fremens aduersus Deum, sed agnoscens iram Dei aduersus peccata, & confugiens ad misericordiam propter Dominum promissam. Hac fide purificantur, mundantur, dealbantur corda, hoc est, remittuntur peccata, & teguntur reliquæ sordes, ne incurrant in oculos Dei.

Paralipomena] Quomodo appellantur libri Xenophontis, quos scripsit de rebus Græcis post Thucydidem? vocantur παραλειπόμενα, id est, reliquiæ eius historiæ, quam inchoauit Thucydides. Thucydides describit annos 21, belli Peloponnesiaci. Durauit autẽ bellum illud,

quod inter ſe geſſerunt Græcæ ciuitates, annos 28. Quod igitur eſt prætermiſſum & relictum à Thucydide, id poſtea ſuis libris pertexuit Xenophon libris ſeptem de rebus Græcis. Sic in ſacris literis, ſi quid eſt prætermiſſum & relictum in quatuor libris Regum, id poſtea ſarcitur & expletur in duobus libris τῶν παραλειπομένων, id eſt, reliquiarum. Sunt igitur paralipomena, appendices librorum Regum.

Ioſaphat] Pius & felix rex. Innumerabilis multitudo Ammonitarum & Moabitarum fecerunt hoſtilem impreſionē in terram Canaan. Huic multitudini hoſtium nequaquam par erat exercitus Ioſaphat regis. Qua igitur re confidit ſanctus Rex? non humanis præſidiis, quæ nulla erant, aut perexigua: ſed Domino Deo, cui non eſt difficile ſaluare, vel in multis, vel in paucis. Quare cum hortaretur ſuos milites, vt eſſent forti animo, ſic inter cetera inquit, Credite (ſcilicet promiſsionibus Dei, qui per Prophetas affirmat, nos fore victores hoſtium) & ſecuri eritis, id eſt, tranquilli, non pauidi, non conſternati. Eſt pulcherrima oratio militaris.

Principale obiectum] Sicut viſus principale obiectum eſt lux, ſine qua colores cerni non poſſunt: ita fidei principale obiectum eſt Deus propitius propter Mediatorem. Hoc fundamento iacto, alia bona, quæ ſunt in magna varietate, peti & expectari poſſunt.

Fidei, quæ eſt oculus credentis cordis, duo ſunt obiecta: principale, ſummum & præcipuum eſt Deus clemens, propitius, miſericors proper Chriſtum Mediatorem: poſtea infinita ſunt obiecta minùs principalia, vt panis quotidianus, & multa alia.

Vtile eſt conſiderari] Eſt inſignis regula interpretationis Scripturæ.

Sic argumentor: In cap. 15. Geneſ. nulla fit expreſſa mentio remiſsionis peccatorum & reconciliationis cum Deo.

Ergò Paulus non rectè accommodat dictum, Credidit Abraham Deo, &c. ad confirmationem articuli de iuſtificatione. Sic argumentantur Papiſtæ, & ſeriò ſic argumẽtantur: Quid poſſumus, aut debemus reſpondere ad hanc obiectionem valde ſpecioſam, popularem

larem & plausibilem, quæ multis facit fucum? Respondeo breuiter: Etsi textus in eo loco nihil dicit expresè de remissione peccatorũ, tamẽ intelligendus est iuxta hanc regulam æternam & immotam, quòd videlicet omnibus aliis promissionibus sit inclusa promissio de remissione peccatorum. Ideo enim aliæ promissiones traditæ sunt, vt nos cõmonefaciant de promissione gratiæ, & sint occasiones exercendæ fidei de remissione peccatorum. Hæc non possunt negari, nisi ab insanis & furiosis.

Merces tua] Merces phrasi Scripturæ significat non tantùm præmia, sed etiam successus & felicitatem in vocatione. Promittit igitur Deus Abrahæ non modò defensionem & præmia in hac vita & futura, sed etiam felices successus gubernationis Ecclesiasticæ, politicæ, & œconomicæ.

Abraham nõ tantùm fuit doctor Ecclesiæ, sed etiam bellator, vt testatur cap 14. Genes. & œconomus. Sustinuit igitur triplicem gubernationem, Ecclesiasticam, politicam, & œconomicam. In his laboribus omnibus promittit ei Deus successus. Sicut autem nulla maior miseria est, quàm infelicitas, sic magnum ornamentum virtutis & pietatis est, felicitas in rebus gerendis.

ὑπόστασις] ὑπόστασις significat quiddam verè subsistens, nõ euanescens: ideo pro persona vsurpatur in articulo Trinitatis. Eadem vox medica phrasi significat feces in vrina subsidentes & conspicuas. Apud philosophos opponitur τῇ ἐμφάσει, id est, speciei, vt nubes est ὑπόστασις, arcus ἔμφασις. Postremò apud Paulum & Polybium significat fiduciam, vt Heb. 3. Participes facti sumus Christi, si principium fiduciæ vsque ad finem firmum retinuerimus. Et Polybius lib. 6. de Horatio Coclite: Non sic robur, vt fiduciam ipsius & audaciam, hostes metuebant.

Aliqui eruditiores] Qui retinuerunt fundamentum, vt Augustinus, Ambrosius, Bernhardus: & apud Græcos, Basilius, Theodoretus, Chrysostomus, & multi alij.

De Spiritu & litera] Cap. 29. Nullus liber in Augu-

ſtino tam eſt vtilis, quàm liber de Spiritu & litera, tyroni Theologiæ.

Melius intelligi vox Euangelij poteſt] Iuxta dictum Pauli 1. Corin. 4. Regnum Dei non in ſermone, ſed in virtute conſiſtit. Sermonem vocat otioſam ſpeculationem & diſputationem de doctrina cæleſti: virtutem appellat experientiam ſpiritualem pauorum & conſolationum in vera pœnitentia, in vera inuocatione, in patientia, denique in media morte.

Quibuſcunque verbis] Cicero: Rebus intellectis, in verborum vſu faciles ſimus.

Reficiam] Scilicet merito & efficacia.

Vnà] Tu non ſolus oras, ſed habes tibi adiũctum interpellatorem, interceſſorem Filium Dei, ſi credis.

Quòd obiiciunt] Aliud eſt diſputare de copulatione virtutum, aliud de conſolatione neceſſaria in pauoribus conſcientiæ. Quando expaueſcit conſcientia coram iudicio Dei, non quærit, quas habeat virtutes, ſed quærit, cur & quomodo habeat propitium Deum.

Relatiua ſecundum dici] Sunt vocabula abſoluta, quibus adhærẽt reſpectus, vt amor, ſpes, fides, &c.

Pauli] Roman. 9. Omnes hypocritæ ſua opinione & imaginatione falſa & inani ſectantur Legem iuſtitiæ, volunt eſſe & videri iuſti, nõ tantùm coram hominibus, ſed etiam coram Deo. Sed quid accidit eis? Hoc quod Paulus dicit. Ad Legem iuſtitiæ nunquam perueniunt: quia non rectam viam quærunt, ducentem ad iuſtitiam. Eſt autem vnica via Chriſtus, vt ipſe inquit, Ego ſum via, veritas & vita, &c. Si quis ab hac via aberrat, is fortunam inuocet, vt dici ſolet. Si vultis rectè intelligere dictum Pauli, proponite vobis exemplum Phariſæi apud Lucam 18. Nónne ille ſectatur iuſtitiam Legis, inquiens, Ego bis ieiuno in ſabbatho &c. Sed non peruenit ille miſer

fer homo ad Legem iuſtitiæ: ſed publicanus, qui dixit, Domine, propitius eſto mihi miſero peccatori.

Quietans] Veteres rectè dixerunt: Fides eſt virtus apprehenſiua & quietatiua, id eſt, fides eſt vnicum inſtrumentum, quo fit applicatio promiſſionis gratiæ & beneficiorum Chriſti ad ſingulos credentes, & hæc ipſa fides affert pacem & tranquillitatem conſcientiæ.

Omniũ articulorum notitiam] Neceſſe eſt fundamentum ita teneri, vt nullus articulus fidei penitus ignoretur, aut ne contrarium aſſeueretur.

Quid voco fundamentum? Legem moralem & Symbolum: quia Lex & Symbolum pertinent ad fundamentum, quo nititur Eccleſia & ſalus noſtra. Sunt autem multæ dubitationes in animis etiam ſanctiſsimorum hominum, ſed tamen illæ dubitationes vincuntur fide, ne aſſeueretur contrarium.

Finũ] 1. Petr. 1. Finis fidei eſt ſalus animarum.

Corpus erit comes animæ in reſurrectione.

De vocabulo Gratiæ.

Sine motu diuino] Philoſophi diſcernunt heroicam virtutem à communi diſciplina, vt Cicero in 2. de natura deorum inquit: Nullus vnquã fuit vir magnus ſine afflatu diuino. Et Seneca: Nulla magna virtus ſine Deo.

De heroica virtute diſputat Ariſtoteles in 7. Ethicorum, vbi citat verſum Homeri, quẽ pronuntiat Pater Priamus de filio ſuo Hectore, qui verè fuit vir heroicus: Tu, inquit, mi fili, videris mihi eſſe filius, non alicuius hominis, ſed iptius Dei. Verè igitur heroici motus ſunt opera Dei rara & ſingularia, ſicut gemmæ ſunt raræ, & tamen diſcernatur heroica virtus in Alexandro, à motibus Spiritus ſancti in Ioſeph & Daniele.

Nouas virtutes à Spiritu ſancto] Semper aduerſantur veræ

ſententiæ de iuſtitia fidei, duo genera hoſtium, Phariſæi & Enthuſiaſtæ. Phariſæi contendunt, diſciplinam ſuam eſſe meritum remiſſionis peccatorum, & iuſtitiæ coram Deo, ſicut Pelagiani, Papiſtæ & monachi docent. Enthuſiaſtæ volunt excellere, & dicunt ſe iuſtos eſſe ſua nouitate & afflatibus. Quanquam autem in corda credentium effunditur Spiritus ſanctus, qui inchoat in nobis nouitatem, ſeu nouas virtutes congruentes cum Decalogo tamẽ in infinitũ anteferenda eſt obedientia Mediatoris ſanctificationi, quæ fit in nobis, iuxta dictum Pauli Rom. 5. Per vnius obedientiam iuſtificamur.

Conſiderate genera hoſtium Eccleſiæ: Semper Eccleſia à duobus exercitibus acerrimè oppugnatur: in vno exercitu ſunt Phariſæi, in altero Enthuſiaſtæ. Phariſæi miſcẽtes philoſophiam doctrinæ Eccleſiæ, nihil pluris faciunt, & nihil magis mirantur, quàm diſciplinam humanæ rationis. Hanc contendunt eſſe meritum vitæ æternæ & remiſſionis peccatorum, & propter hanc ſomniant, ſe coram Deo iuſtos eſſe. Euthuſiaſtæ, reiecta diſciplina rationis, de qua gloriantur Phariſæi, volunt excellere, & iactitant afflatus, ſeu raptus diuinos. Etſi autem verum eſt, virtutes acceſas à Spiritu ſancto longè antecellere diſciplinæ rationis, tamen ſemper manet hæc propoſitio vera & immota: Non propter noſtras virtutes, ſiue à ratione, ſiue à Spiritu ſancto excitatas, in hac vita ſumus iuſti, ſed propter aliam cauſſam, quæ eſt obedientia vnius Mediatoris, de qua dicitur Rom. 5. Sicut per vnius Adæ inobedientiam omnes ſunt facti peccatores: ita per vnius obedientiam multi iuſtificantur. Ego teneamus hoc axioma Theologicum: In infinitum anteferenda eſt obedientia Mediatoris ſanctificationi, quæ fit in nobis, omnibus virtutibus & motibus, qui in nobis exiſtunt diuinitus: quia nouitas non eſt integra, ſed eſt contaminata multis ſordibus peccatorum: non eſt integra conformitas cum Lege Dei: Ex parte prophetamus, inquit Paulus, & reliqua omnia ſunt ex parte, id eſt, mutila & manca.

Plurimùm refert] In quo prædicamento eſt gratia? In prædicamento Relationis. Fundamentum gratiæ eſt ipſa miſericordia in Deo, de qua dicit Chriſtus: Sic Deus dilexit mundum &c. Et Ioan. 17. Sit tua dilectio in eis, qua me diligis. Terminus eſt perſona accepta, ſeu placẽs Deo, id

id est, quæ recipitur in gratiam. Inter hæc duo extrema versatur relatio, quæ est applicatio fundamenti ad terminum, id est, gratuita personæ acceptatio per misericordiam Dei propter Christum Mediatorem.

Lex per Mosen]

Lex aut iram efficit, aut hypocrisin. Opponitur ergo gratia iræ, & veritas hypocrisi.

Quãdo Lex rectè intelligitur, & rectè declaratur, tunc efficit iram, id est, agnitionem peçcati & iræ Dei, & horribiles pauores in conscientiis, in quibus ipsa necessitas cogit nos quærere consolationem Euangelij, sed quando non rectè intelligitur Lex, tunc efficit hypocritas tumentes persuasione propriæ sapientiæ & iustitiæ, quales fuerunt Pharisæi. Qui enim somniant, nihil requiri à Lege, nisi disciplinam externam, quam potest ratio vtcunque efficere & præstare, hi fiunt hypocritæ & superbi. At per Christum nobis donantur hæc duo: primùm gratia, quæ opponitur iræ Dei: deinde veritas, quæ opponitur hypocrisi, & omnibus vmbris euanescẽtibus.

Tollit]

Lex est agnitio peccati, non deletio.

Morientem]

Disciplina Aristidis moritur cum Aristide. Nõ viuificat eum, nõ liberat eum à morte æterna.

Veritas]

Quando veritas significat vera & æterna bona, tum accipitur metaleptic̄s: nam propriè significat aut notitiam veram, aut ἀνάλησιν, quæ est veritas.

Necessariò comitatur]

Cuicunq; datur vnum Euangelij proprium beneficium, ei certum est omnia dari, vt Rom. 8. scribitur: Qui Filio vnigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum eo omnia nobis donauit.

Non possunt hæc separari, remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, & vitæ æternæ, sed possunt discerni. Sumus iusti remissione peccatorum, non donatione Spiritus sancti, quia propter Mediatorem sumus iusti, non

propter Spiritum ſanctum. Tota quidem Trinitas iuſtificat nos, tanquam cauſſa efficiens, ſed tantùm ſumus iuſti per Chriſtum mediatorem pro nobis paſſum & reſuſcitatum, tanquam per cauſſam impulſiuam.

Fauorem] Vt Gala. 2. Gratia ſaluati eſtis, id eſt, miſericordia, fauore, beneuolentia Dei, dilectione Dei.

Donum]

Vt 1. Cor. 10. Diuiſiones ſunt gratiarum, id eſt, donorum: Idem autem Spiritus. Principalis ſignificatio in vocabulo gratiæ eſt gratuita acceptatio. Poſtea etiam transfertur eadem vox ad auxilium, ſeu ad dona Spiritus ſancti.

Non eſtis ſub Lege] Vix eſt dulcior aphoriſmus in Paulo, quàm hic. Eſſe ſub Lege, eſt accuſari & damnari à Lege, vt Paulus inquit Gala. 3 Qui ſunt ſub Lege, ſunt ſub maledicto, id eſt, opprimuntur fulmine Legis. Eſſe ſub gratia, eſt habere remiſsionẽ peccatorum, & Deum propitium, & tegi à Mediatore, velut vmbraculo aduerſus æſtum iræ diuinæ.

Superabundauit gratia] Gratia eſt vberior, ſeu potentior peccato dupliciter: primùm imputatione, quia maior eſt Dei miſericordia, vt ait Auguſtinus, quàm omnium peccatorum miſeria. Quantacunq; ſunt peccata, & quotcunque ſunt, tamen credenti & confugienti ad Mediatorem remittuntur, modò non deſperet, non abiiciat gratiam Dei. Hæc non dicuntur ad confirmandam ſecuritatem, ſed ad conſolandos eos, qui luctantur cum pauoribus conſcientiæ. Deinde gratia eſt vberior & potentior peccato ipſa effectione, quia Spiritus ſanctus in renatis perſeuerantibus in gratia, vincit peccatum & mortẽ, & tandem omnino delebitur peccatum & mors ex noſtra natura, quod fiet in reſurrectione mortuorum.

Cauſſam] Scilicet impulſiuam.

Conditionem meriti] Particula Gratis excludit merita noſtra, non meritum Chriſti, quia oportuit iuſtitiæ Dei ſatisfieri, pœna in Mediatorem deriuata.

Prima

Prima hæc eſt] De hac cauſſa loquitur Paulus 1. Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Eſt autem gloria Chriſti, agnoſcere quis ſit, & quare [a] miſſus ſit. Eſt autem miſſus, ſiue à Deo nobis donatus, vt ſit noſtra ſapientia, iuſtificatio, ſanctificatio & redemtio. Sapientia quidem, quia profert Euangelium ex ſinu Patris: iuſtitia, quia iuſti ſumus coram Deo propter obedientiam & meritum huius perſonæ: ſanctificatio, quia dat nobis de Spiritu ſuo: poſtremò eſt redemtio, quia & ſoluit λύτρα pro nobis, vt ſatisfieret iuſtitiæ Dei, & integrè nos liberabit in poſtrema mundi die.

[a] id eſt, reſpectu perſonæ & officij.

Vt ſit firma promiſſio] Quia ſi remiſsio penderet ex conditione noſtræ dignitatis, fieret incerta. Vt igitur ſit certa, non nititur arena noſtrorum operum, ſed petra firmiſsima, ipſo merito & obedientia Mediatoris.

Tertia cauſſa] De hac cauſſa Hebr. 4. dicitur: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Hunc locum enarrans Chryſoſtomus, inquit: Non dubitantes. Non enim poteſt cum fiducia talis accedere. Scilicet dubitans. Hoc obſeruetur contra Papiſtas, & Tridentinam dubitationem. Item ad exercendam inuocationem. Quomodo eſt accedendum ad Deum? Cum fiducia. Sic & alibi loquitur Paulus Epheſ. 3. παῤῥησία opponitur dubitationi. Vt igitur rectè poſsit præſtari vera inuocatio, neceſſe eſt retinere particulam GRATIS.

Maledictus] Deut. 27. Paulus citat hoc dictum, & enarrat Galat. 3.

Qui fecerit] Leu. 18. Citatur à Paulo Rom. 10. & Gal. 3. Si vultis rectè diſcere Theologiam, aſſuefacite vos ad communiſsima principia & axiomata, quibus vtitur Paulus in ſuis epiſtolis: & illa axiomata tam ſint vobis nota familiariter, quàm tibi noti ſunt digiti in tua manu.

Expoſui] Tranſitio. Hactenus dictum eſt, quid ſignificet vocabulum Gratiæ, & propter quas cauſſas vrgeat tantoperè Paulus in ſuis Epiſtolis particulam excluſiuam Gratis. Deinceps in textu declaratur particula excluſiua, ne quis ad falſam ſententiam eam detorqueat, vt ſæpe fieri ſolet, vt dextrè tradita, accipiantur ſiniſtrè. Habet autè particula excluſiua Gratis apud Paulum hanc ſententiam. Excludit meritum noſtrum, non meritum Chriſti, quia neceſſe fuit iuſtitiæ Dei ſatisfieri per ſufficientem pœnam, quam perſoluit Filius Dei pro nobis. Deinde non excludit hæc particula pœnitentiam, & ſingulas partes pœnitentiæ, quæ ſunt contritio, fides, & noua obedientia, ſed excludit conditionem noſtræ dignitatis, ſeu noſtrorum meritorum. Poſt hanc declarationem valde neceſſariam ad vitandos errores, repetitur in textu Paulina propoſitio, quæ ſummam huius articuli continet, quæq; extat Rom. 3. deinde additur Paulina confirmatio.

Videndum eſt] Sic argumentor exempli cauſſa Iohan. 17. dicit Chriſtus in ſua precatione, quam recitauit ante poſtremum agonem, qua nulla ardentior vnquam audita eſt, nec in cœlo, nec in terra. Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant, te ſolum eſſe verum Deum.

Ergo à diuinitate excluduntur Filius & Spiritus ſanctus.

Reſpondeo. Particula excluſiua SOLVS in dicto Chriſti non opponitur ceteris perſonis diuinitatis, ſcilicet Filio & Spiritui ſancto, ſed opponitur omnibus idolis & creaturis. Nulla creatura eſt Deus, nullum idolum eſt Deus, ſed verus Deus eſt Pater vnà cum Filio & Spiritu ſancto, & hæc eſt diuinitas mittẽs: perſona verò miſſa, vt ſit Mediator inter Deum & homines, eſt Deus, & homo Ieſus Chriſtus. Hoc exemplum ideo repeto, vt videatis, multum momenti eſſe in particulis excluſiuis: quas ſi quis non rectè intelligit, is dicitur à Dialecticis ignorare elenchum.

Meritũ Chriſti eſſe cauſſam] Vos ſæpe auditis in ſacris concionibus hanc ſententiam: Neceſſe eſt ante fidem & iuſtificationem præcedere contritionem, quæ eſt dolor & pauor propter peccatum & iram Dei: deinde neceſſe eſt, fidem & iuſtificationẽ ſequi bona opera, vel quod idem eſt, nouam obedientiam: & tamen nec contritio præcedens non iuſtificat, nec noua

noua obedientia, quæ sequitur, sed semper manet vera propositio: Sola fide iustificamur.

Hæc sunt) Epiphonema. Possunt intelligi & habent vsum in vita. Sophistica non intelliguntur, & non habent vsum. Veritas est simplex. Intelligitur & habet vsum in doctrina & consolatione.

Sola) Nemo vos decipiat vanis sermonibus. Qui talia facit, regnũ Dei non possidebit, scilicet adulteria, scortationes &c. Sunt barbaricæ & Diabolicæ voces, quòd Deus nõ cũret bona opera, aut quòd bona opera noceant saluti. Turpe est, talia nõ solùm dici aut scribi, sed etiam audiri in Ecclesia: tales voces sunt execrandæ ab omnibus creaturis. Quòd enim Deus curet opera, & quòd bona opera non obsint, satis testatus est Deus ipso facto in diluuio, in quo seruauit Noah cum familia sua, octo homines, qui erant iusti, vt ait Scriptura, & ambulabant cum Domino. Reliquam multitudinem generis humani Deus perdidit, & funditus deleuit aquis diluuij.

Nunc addam) Hactenus de exclusiua. Nunc additur propositio & confirmatio Paulina ex cap. 3. & 4. ad Rom. Potior ratio est habenda confirmationis, quàm refutationis, quia refutatio tantùm destruit, confirmatio ædificat.

Omnes peccauerunt) Omnes habent peccatũ, sunt peccatores, immundi & rei. Initio dicit de morbo, postea de remedio.

Gloria) Illa sapientia & iustitia, quam Deus approbat, quam iudicat esse rem gloriosam.

Iustificamur autem gratis) In hoc dicto nominãtur tres caussæ iustificationis. Prima est efficiens, gratia Dei: altera caussa est impulsiua, redemtio per Christum facta: tertia caussa est instrumentalis, apprehensiua, scilicet fides. Ediscite hoc dictum ad verbum, quo ad consolationẽ nostram vti possumus, etiam in media morte.

In sanguine) Augustinus: Totius fiduciæ

certitudo eſt in pretioſo ſangui ne Chriſti.

Quando audis nominari ſanguinem Chriſti, intelligas totam obedientiam Chriſti, cuius præcipua pars fuit redemtio facta in cruce. Ita cùm Iohannes inquit: Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato, intelligas obedientiam vel meritum Chriſti.

Deinde Paulus]

Confirmatio.

Ex Geneſi]

Nihil dubium eſt, librum Geneſeos omnium ſcriptorum Propheticorum eruditiſsimum eſſe. Ideo dixit Reuerendus vir D. Lutherus: In Scriptura ſancta nihil pulcrius eſt Geneſi.

Quæ eſt ratio tanti encomij? Reſpondeo. Prima cauſſa eſt antiquitas ſcripti. Nulla extat hiſtoria antiquior in toto mundo, in Eccleſia, & extra Eccleſiam, quàm Geneſis. Altera cauſſa eſt, quia hic liber eſt fons ſanctiſsimus & auguſtiſsimus doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ. Nam omnia ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum tantùm ſunt rīuuli deducti ex hoc fonte, & ſunt quaſi commentaria, & paraphraſes Geneſeos. Tertia cauſſa ſumitur à ſubiecta materia, quam Græci vocant ὑποκείμενον, quia hic liber non tantùm deſcribit creationem rerum, & initia mundi, vt Timæus Platonis, ſed deſcribit ipſum Deum, recitat cauſſas peccati & mortis, & primam promiſsionem de ſemine, hoc eſt, de Mediatore contrituro caput Serpentis. Recitat etiam initia Eccleſiæ, & inſtaurationem poſt lapſum & propagationem generis humani vſque ad diluuium, & deinde originem gentium variarum poſt diluuium. Denique complectitur miracula ſeruationis Noe in diluuio, & aliorum. Item exempla pœnarum, iræ Dei & gratiæ Dei, & multa alia. Quare cùm hæc ita ſint, ſit vobis commendatus liber primus, in quo reuerendus pater Lutherus conſumſit ſuam venerandam caniciem & ſenectutem, & quaſi cygneam cantilenam cecinit in enarratione iſtius libri. Quòd ſi amatis vllum commentarium Lutheri, amate commentarium ipſius in Geneſin.

Illum virum]

Patrem omnium credentium. Rom. 4. Ideo dicitur Lucæ 16. Lazarum eſſe translatum in ſinum Abrahæ.

Deo]

Scilicet promittenti.

Sed

Sed hîc priusquam] Videtis, quanta sit impudentia Satanæ. Diabolus non tantùm calumniatur miseros Pastores & Doctores scholasticos, & alias humiles & miseras personas, sed etiam audet blasphemia deformare Paulum, doctorem gentium, & vas illud electum, vt appellat eum Scriptura. Sed sinamus Diabolum furere apud inferos. Nos agamus Deo gratias, qui dedit Ecclesiæ tantum doctorem, qui & vinus docuit Ecclesiam annos 36. & mortuus nobiscum loquitur per scripta sapientissima & eruditissima.

Non videre eos] Cæco etiam Sol est obscurus in meridie.

Solent] Sic multi contemnunt philosophiam, quam nunquam gustarunt primis labris. Nazianzenus in oratione de Basilio dicit, ideo multos contemnere philosophiam, vt possint suam insciti am tegere & occultare inter homines stolidos. Ideo enim cuperent omnes alios sui similes esse, id est, asinos & imperitos.

Porrò] Refutatio Synecdoches, seu fidei formatæ. Sicut Aristoteles in 1. Phys. componit rem naturalem ex materia & forma: & dicit, materiam esse massam rudem & informem, sed perfici & ornari, & quasi perpoliri à forma. Ita dicunt Sophistæ, Thomas, Scotus & similes, fidem esse informem, rudem, impolitam, si non informetur dilectione. Quando autem accedit dilectio ad fidem, tum dicunt, fidem esse formatam. Ergo hæc duo vocabula idem significant, fides formata & Synecdoche.

Affingimus] Papistæ dicunt, nos nimis subtiliter intelligere & interpretari Paulum, & obiiciunt nobis illud Menandri de legibus, Leges sunt res bonæ, sed si qui eas aspiciat nimis acutè & subtiliter, fit Sycophanta. Audite igitur responsionem & Apologiam in textu opponendam huic calumniæ.

τὸ ῥητὸν] Controuersiæ scripti & sententiæ diiudicãdæ sunt ex scriptis Propheticis & Apostolicis, dextrè & sine Sophistica inter se collatis, & ex his diiudicari possunt à piis, qui doctrinam Eccle-

siæ rectè didicerunt, qui quidem & testimoniis veteris Ecclesiæ, quæ nondum discesserat ab Apostolorum vestigiis, adiuuantur.

Ad diiudicationem controuersiæ de scripto & sententia, duo potissimùm requiruntur, quorum prius est collatio dextra, candida, non sophistica dictorum cœlestium, quæ tradita sunt in sacris literis. Alterum est inquisitio diligens puræ antiquitatis, quæ fuit proxima Apostolis, & non discessit à vestigiis Apostolorum. Talis est antiquitas à morte Iohannis Apostoli, vsque ad mortem Augustini. Nam illud tempus habuit & discipulos Apostolorum, & alios scriptores, qui retinuerunt fundamentum, etsi habuerunt aliquas suas stipulas. Sed post mortem Augustini secuta est turba scriptorum, quorum autoritas non est magnifacienda in controuersiis. Sicut ergo audimus docentes vel in templis, vel in scholis, reuerenter & cum modestia, si recta & vera docent: ita ego & tu debemus audire venerandam antiquitatem rectè docentem.

Non inuehamus]

Multi sensum suum inferũt in Scripturas, quibus accidit, quod ab Aristotele dicitur: Intus existens prohibet extraneum. Quemadmodum enim morbus oculorum impedit visionem: ita fascinati anteceptis opinionibus & persuasionibus inflectunt Scripturam ad suas imaginationes. Non est autem regula, vt ait Basilius, inflectenda ad lapidem, sed lapis congruat ad normam.

Præcipuum)

In qualibet disputatione vnũ est argumentum præcipuũ, quo tota causa nititur. Hoc argumentum si est firmum, nec potest conuelli aut labefactari præstigiis sophismatum: non dubites de bonitate causæ: cetera argumenta, quæ accedunt, magis sunt ornamenta, quàm confirmationes. Ita in articulo iustificationis, hoc est præcipuum argumentum: Si ex Lege hæreditas, inanis est fides nostra, & otiosa promissio: sed nec promissio est otiosa, id est, frustrà tradita à Deo, nec fides nostra, quæ nititur promissione, est inanis: Ergo non pendet iustificatio & hæreditas vitæ æternæ ex nostra dignitate, sed nititur alio fundamento. Maiorem Paulus probat, Quia Lex iram efficit, id est, semper accusat & damnat nos.

Imò

Imò dilectio] Nulla potest esse dilectio sine fide. Quomodo potes amare Deum, quem iudicas esse tuum hostem, & iudicem seuerum? Deus diligendus est, tanquam Pater.

Exoriri non potest] Chrysostomus Ephes. 6. Nulla est vtilitas dilectionis sine fide: imò ne quidem existere potest dilectio aliter, id est, sine fide.

Sententia huius dicti est: Quòd nec placeat Deo, nec præstari dilectio sine fide possit.

Gratis] Particula Gratis toties à Paulo repetita, opponenda est tentationi de indignitate. Etsi enim nos sumus indigni omnibus beneficiis Dei, tamen Mediator dignus est, cuius merito iustificemur & saluemur.

Ne quis glorietur] Hæc particula sumta est ex psalmo, De profundis. 130: Apud te propitiatio est, vt timearis, id est, ideo reuelata est promissio gratiæ, vt arrogantia hypocritarum refutetur, qui non esuriunt, & sitiunt, sed ructant iustitiam, vt ait Augustinus.

Quidam] Vt Origenes, & qui eum sequuntur. Refutationis corruptelæ Origenicæ duo sunt fontes, prior hic est: Quòd Paulus loquatur de tota Lege, non tantùm de ceremoniis, inde æstimari potest: quia dicta de vsu Legis præcipuè quadrant & congruunt ad Decalogum, siue ad Legem moralem, vt verbi caussa, Lex est agnitio peccati, Lex iram efficit, & similia. Hæc certè principaliter intelligenda sunt de Decalogo, qui est speculum peccati & iræ Dei. Alter fons refutationis est: Si Christus tantùm nos liberauit à ceremoniis Mosi, liberatio Christi tantùm prodest iis, qui nati sunt & cooptati in Ecclesiam post Christum exhibitum, nec profuit patribus ante Mosen, vel ante Christum natum. Pertinet autem liberatio Christi à Lege ad Ecclesiam omnium ætatum & temporum: credimus enim nos saluari, sicut & patres saluati sunt &c. Ergo confitendum est, Christum non tantùm liberasse nos à ceremoniis Mosi, sed etiam à maledictione Decalogi, cuius summa recitatur in dicto

notiſsimo & celebratiſsimo, Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis.

Fateri] Hæc verba opponuntur ſtultiſsimo ſomnio Monachorum, de merito congrui & condigni.

Concipere S. S. Id eſt, Coniungimus donum cum gratia. Sic Paulus loquitur Rom. 5.

Promiſsio gratiæ eſt vniuerſalis] Promiſsio Euangelij vniuerſalis opponenda eſt tentationi de particularitate, ſeu de prædeſtinatione. Etſi enim non omnes accipiunt promiſsionem, quod fit ipſorum culpa, tamen verè ad omnes & ſingulos pertinet promiſsio, qui eam amplectuntur, nec abiiciunt ante poſtremum vitæ actum, ſiue in ipſo mortis agone, iuxta dictum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Sic argumentor: Concluſit Deus omnia ſub peccato:
Ergo Deus eſt autor peccati.

Reſpondeo. Eſt fallacia figuræ dictionis: Concludere ſub peccato, ſignificat accuſare, & reuelare nobis peccatum rationi ignotum, non tantùm prædicatione verbi, ſed etiam pœnis publicis & priuatis, & ſenſu iræ Dei, vt Dauid pulſus in exilium à filio Abſolone, & deformatus ingentibus ſcandalis, & oppreſſus mole calamitatum, concluditur ſub peccato, quia gerit iam ſigna reatus, nec poteſt negare ſe eſſe peccatorem. Sed quis eſt finis huius concluſionis ſub peccato, vt vtar phraſi Scripturæ? vt Deus omnium miſereatur, id eſt, vt inquit Propheta Ezechiel cap. 33. Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.

Hunc audite] Sic Pſalm. 2. Oſculamini Filium. Beati omnes, qui confidũt in eum. Et Moſes inquit Deut. 18. Prophetam ſuſcitabit tibi Dominus Deus de medio fratrum tuorum, hunc audies. Quòd ſi quis hunc non audiet, ego ipſe vltor exiſtam, ero vindex inobedientiæ, & incredulitatis.

Adiuuat] Hoc verbo vtitur Scriptura ſine metu cauillationis, & idem verbum

verbum vsurpat millies Augustinus in libro de Spiritu & litera, & alibi, vbi acerrimè refutat Pelagianos hostes gratiæ Dei.

De libero arbitrio] Sophistica nec intelligi possunt, nec habent vsum in vita. Sententia verò de libero arbitrio suprà explicata, & hic breuiter repetita, non modò intelligi potest à piis auditoribus, sed etiam vsum habet in docendo, in consolando, & in exhortando. Contemnentibus autem hanc doctrinam idem vsu venit, quod in prouerbio dicitur: Reprehendunt vinum, & bibunt tamen.

Etiamsi Flaciani totum mundum complent suis chartis, & suis clamoribus, calumniis, mendaciis, insidiis & fallaciis, tamen non possunt ipsi carere ea forma doctrinæ, quam in aliis tantoperè accusant & reprehendunt. Quid enim dicent Francisco Spiræ, homini Italo, cuius historia plus quàm Tragica recitatur à Sleidano? Fuit ille in Italia aduocatus seu procurator in foro, & aliquandiu amplexus est doctrinam Euangelij, & iuxta hanc Deum inuocauit. Ad extremum verò victus spe, aut fractus metu, aut blanditiis amicorum debilitatus, aut quacunque tandem de caussa, abiecit professionem Euangelij, & ob eam rem incidit in tristissimam tentationem de prædestinatione seu de particularitate. Ita enim disputauit miser homo: Multi vocati, pauci electi. Ego nescio, an sim in numero electorum. Quare est mihi desperandũ de salute æterna. Quid quæso ad hunc Franciscum Spiram dicet Flacianus, mordicus retinens sua paradoxa de trunco, de diabolo, de asino, & de furore in conuersione? an iubebit Franciscum Spiram magis furere & fremere, aduersus Deum & expectare, donec vi cogatur ad credendum? Certè si vult consulere saluti miseri hominis, vt hunc exempli caussa proponamus, quod facilè potest ad alias personas, & alia negotia accommodari, hoc dicet Francisco Spiræ: æternum & immutabile, & summum mandatum est, Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Deinde promissio Euangelij non tantùm est gratuita, excludens omnem nostram dignitatem, & nostra merita, sed etiam est verè vniuersalis, pertinens ad omnes & singulos credentes, id est, non repugnantes Spiritui sancto, non perseuerantes in blasphemia aduersus Filium Dei, sed gementes inenarrabilibus gemitibus, & petentes auxilium in hac lucta. Talibus verè adest Filius Dei, &

dato Spiritu ſancto exſuſcitat, ſeu ſufflat ſcintillam fidei. Quare & Auguſtinus ait, Si non ſentis te trahi, ora vt traharis, ſi non potes orare, geme ſaltem, & expecta conſolationem, non anteferas tua peccata merito Filij Dei, non anteferas diabolos Deo. Certè talia ſunt commemoranda apud Franciſcum Spiram, apud fures & latrones, qui ducuntur ad ſupplicia: imò etiam apud honeſtos homines, qui in lecto moriuntur, qui ſæpe cruciantur & oppugnantur his tentationibus. Quòd ſi Flacianus hoc modo non conſolatur Franciſcũ Spiram, aut furem, aut latronem, aut alium hominem luctantem cum hac tentatione, perdet & ſeſe, & illam miſeram animam, cui præſtò eſt. Hæc non dico in cuiuſquam odium, vel contumeliam, aut ad vllius hominis gratiam: ſed quia ſcio, & expertus ſum, rem ita ſe habere.

FINIS LOCI DE IVSTIFICATIONE.

LOCVS

LOCVS DE BONIS OPERIBVS.

SEQVITVR Locus de bonis operibus, de quibus omnibus hominibus notissima sit concio Pauli, quæ docet, Deum curare opera, & bona opera non officere saluti, vt quidam indocti vociferantur & scribunt. Verba autem Pauli, perpetua memoria digna, extant in cap. 2. Epistolæ ad Titum: Apparuit gratia Dei salutaris omnibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis concupiscentiis viuamus in hoc seculo piè, iustè, & modestè, expectantes reuelationem magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui tradidit seipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. Hæc sunt verba Pauli, quæ debent iuniores domi diligenter legere, & attentè considerare, quia proponunt tria argumenta, plena ardentissimorum affectuum, quæ nos hortantur ad nouam obedientiã post acceptam remissionem peccatorum, seu iustificationem. Primum argumentum hanc habet sententiam: Gratia Dei salutaris omnibus hominibus, non est transferenda ad lasciuiam & petulantiam, vt in Epistola Iudæ dicitur, Non peccetis, vt inquit Paulus Rom. 6. vt gratia abundet: Absit. Secundum argumẽtum, quo Paulus hortatur nos ad bona opera, congruit cum præclara sententia Iohannis in Canon. cap. 3. Qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Ego, inquit Deus, sanctus sum, Ergo & vos sitis sancti. Quanquam enim nostra sanctificatio & iustitia est imperfecta & languida, tamen Deus eam requirit, & vult, nos his initiis & rudimentis præparari ad cœlestem Ecclesiam & Academiam. Tertium argumentum sumitur à fine redemtionis, & cum dicto Ioan. 5. congruit: Filius Dei apparuit, non vt confirmaret & stabiliret, sed vt destrueret opera Diaboli, peccatum & mortem. Hæc igitur summa est exhortationis Paulinæ. 1. Non abutamur gratia Dei ad omnem petulantiam & lasciuiam, sed grati vtamur, & in timore Dei & reuerentia, beneficiis Christi & Dei: 2. & nos præparemus ad futuram vitam, in qua reuelabitur gloria magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi. 3. Denique semper meminerimus, huc esse finem redem-

tionis noſtræ, vt non tantùm imputatione, ſed etiam effectione, & re ipſa ſimus iuſti & ſancti. Hac concione Pauli, & his argumentis patheticis ſi qui non mouentur, profectò ſunt frigidiores glacie, & illis rupibus duriores, quæ tremuerunt, cùm Deus ederet Decalogum. Poſtquam autem hæc præfatus ſum iuniorum cauſſa, monſtrabo diſpoſitionem huius Loci ſimpliciſsimam. Totum hunc Locum de bonis operibus complectemur capitibus ſex: in quorum primo docebimus, quæ opera facienda ſint. In ſecundo, quomodo poſſint fieri in tanta noſtra imbecillitate, & inter tot impedimenta interna & externa. In tertio capite dicemus, quomodo placeat noua obedientia, cùm quidem longiſsimè abſit à perfectione Legis. In quarto exponemus cauſſas magnas & graues, propter quas neceſſaria eſt noua obedientia, etiamſi non eſt cauſſa iuſtificationis & ſaluationis. In quinto capite diſcernemus peccata, quæ manent in ſanctis in hac vita, à lapſibus contra fidem, & contra bonam conſcientiam. In ſexto & poſtremo Dialecticè, & quantum fieri poteſt, ſine ambagibus ſoluemus argumenta aduerſariorum, Papiſtarum & aliorum, quæ obiiciuntur contra doctrinam ſaluberrimam de iuſtitia fidei.

DE

DE PRIMA QVAESTIONE.

Quæ opera facienda sint.

CAPVT I.

VT doctrinam de bonis operibus, seu de noua obedientia ordine complectamur, distribuemus eam in quæstiones quinque: quæ opera facienda sint, quomodo fieri possint, quomodo placeant, cur facienda sint, quod sit discrimen peccatorum, cùm necesse sit fateri, quòd in hac vita maneant peccata in renatis.

Non libenter discedo ab vsitata methodo, sicut multi faciunt, vel inani curiositate, vel ostentatione.

De prima Quæstione.

Vult Deus, & fidem & opera gubernari ea norma, quam tradidit sua voce, iuxta hæc dicta.

Vos iuniores semper debetis pluris facere vnum aphorismum, seu breue dictum Scripturę, quàm omnes commentarios & omnia volumina veterum & recentium scriptorum Ecclesiasticorum. Quod ideo dico, ne quis commentariis, postillis, annotationibus abducatur à fontibus Israel. Illa scripta, vt inquit Lutherus in Genesin, maximè probanda sunt in Ecclesia, quæ lectorem non procul abducunt à textu, sed potiùs eum deducunt ad fontes Ecclesiæ, & sunt tanquam statuæ Mercuriales, mõstrantes viam, quà sit eundum, quid sit obseruandum. Reliqua commendentur piæ meditationi lectorum.

Psalm. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Cur verbum vocetur lucerna, seu lychnus, docet Petrus Apostolus in secunda epistola, ca. 1. inquiens dulcissimè: Habemus sermonem Propheticum, cui attendentes, bene facitis, tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec exoriatur lucifer in cordibus vestris. Comparat Apostolus,

& hoc loco Dauid verbum Dei lychno lucenti in mediis tenebris. Vt enim nemo ambulat tutò sine lychno in densis tenebris, & in media nocte, præsertim ignarus viæ & locorum: Ita totus hic mundus sine verbo est plenus caliginis & tenebrarum, nec quisquam per eum potest ambulare sine multis lapsibus pugnantibus cum fide, & cum bona conscientia. Quare vt viatori noctu iter facienti per loca ignota, necessarius est vsus lychni ardentis: ita nobis in hoc exiguo & breui vitæ curriculo necessaria est verbi meditatio: primùm propter doctrinam de vera agnitione & inuocatione Dei: deinde propter consolationem: tertiò propter gubernationem vitæ, omnium actionum & consiliorum. Videtis igitur, quàm venustè dixerit Psalmus, & hunc secutus D. Petrus, verbum Dei esse lucernam. Debent vos de hac re admonere vestri lychni domestici, qui præluceṫ vobis noctu, & iter in plateis monstrant. Sic enim cogitetis: Iste lychnus est imago verbi diuini. Sicut hic lychnus regit pedes meos, ne impingam: ita verbum debet regere mea consilia, meas actiones, & mea studia.

Deut. 12. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.

Numer. 15. Recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos meretricios.

Est metaphora. Oculi meretricum sunt vagabundi, nõ prospiciunt recta linea, sed vagantur per omnes angulos: ita ratio humana vagatur, quærens nouum genus doctrinæ & nouos cultus, nec vult alligari ad verbum Dei.

Sed memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.

Id est, dicati, consecrati.

Esaiæ 29. Frustrà colunt me mandatis hominum.

Hic vnicus aphorismus euertit totum Papatum. Est machina Demetrij, quę vocatur ἑλέπολις, id est, expugnatrix vrbium. Demetrius habuit machinam bellicam, qua facilimè expugnauit vrbes & arces. Talis ἑλέπολις, seu machina contra Papatum vniuersum, est hoc dictum Esaiæ, quod citat Christus Matth. 15. Euertit hoc dictum totum Monachatum, seu vitam Monasticam, quæ est doctrina hominum, euertit cælibatum

tum sacerdotum, qui est doctrina dæmoniorum, vt Paulus ait 1. Timoth. 4. Euertit Missam idololatricam, quia est commentum humanum, non est traditio Christi.

Ezech. 20 In præceptis patrum vestrorum nolite ambulare, nec idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, & facite ea.

Papistæ allegant dictum ex Prouerbiis Salomonis cap. 22. Ne transferas terminos, quos posuerunt patres tui. Ergo (inquiunt) non est discedendum à tot seculorum consensu. Respondeo: Ne transferas terminos, quos posuerunt patres tui, scilicet in vera doctrina: sed necesse est transferre terminos patrum, qui doctrinam mutauerunt, atque ita discesserunt à vestigiis Prophetarum & Apostolorum. Ita enim inquit Ezechiel cap. 20. In meis præceptis ambulate, non in præceptis patrum vestrorum, scilicet iniustis & impiis, nec idolis polluamini. Non igitur sequitur: Pater meus audiuit Missam: Ergo & ego audiam missam, quia scriptum est: Honora patrem & matrem. At non magis honorabis parentes, quàm, qui ante omnes est, Christum.

Hæc dicta perspicuè reiiciunt omnes opiniones & cultus sine verbo Dei excogitatos, & deducunt nos ad testimonia vocis diuinæ de fide, & de operibus. Vt enim nulli creaturæ concessum est tradere nouam doctrinam de Deo: ita nec angelis, nec hominibus licet instituere nouos cultus Dei.

Gala. 1: Si quis aliud Euangelium proposuerit, anathema sit.

Duæ sunt pestes in genere humano, pugnantes cum prima tabula Decalogi. Prior pestis nominatur ab Epiphanio in refutatione Hieraclis, negantis resurrectionem mortuorum, ἐθελοσοφία, id est, sapientia humana, contraria verbo Dei. Altera pestis est ἐθελοθρησκεία, id est, cultus sine verbo excogitatus, vt vita Monastica est ἐθελοθρησκεία. Vtramque pestem damnat & reiicit Paulus Coloss. 2. vbi disertè vtitur hac voce composita ἐθελοθρησκεία, selbst erwehlte/erdachte Gottesdienst.

Sciamus igitur, normam inchoatæ obedientiæ oportere esse

præcepta Dei, quorum ſumma in Decalogo comprehenſa eſt, quem ſapienter intelligi iuxta declarationem à Chriſto & Apoſtolis expreſſam, oportet.

Quare dico ſapienter? Alludo ad dictum Pauli Coloſſ. 3. Habitet inter vos verbum Dei abundè cum omni ſapientia, hoc eſt, lectio verbi Dei & intelligentia non ſit puerilis aut fanatica, ſed ſit ſapiens, id eſt, coniuncta cum σοφίᾳ & αἰσθήσει, vt ſæpe dictum eſt ex Epiphanio.

Hæc autem noua obedientia non eſt tantùm externa diſciplina, ſed etiam in corde noua lux, vera Dei agnitio, fides, timor Dei, fiducia, dilectio, ſpes, vera inuocatio, conſtantia ſeu firmitas in vera ſententia, fortitudo, temperantia, caſtitas & aliæ virtutes, vt latro conuerſus non tantùm externa bona opera habet, confeſsionem peccati ſui, & iuſti iudicij Dei, inuocationem Chriſti, & obiurgationem aduerſarij, ſed etiam interna, cuiuſmodi ſunt, agnitio iræ Dei aduerſus peccata, ingens dolor animi deplorantis ſua ſcelera & multiplicem contumaciam, fides accipiens remiſsionẽ peccatorum, & vitæ æternæ hæreditatem propter Meſsiam, fiducia miſericordiæ & præſentiæ Dei in iis ærumnis, quas ſuſtinebat, dilectio Dei & propoſitum obediendi Deo, ſpes liberationis, patientia ſubiiciens animum Deo in hac triſti pœna. Pertinet autem exemplum latronis in cruce conuerſi & fide recepti, ad omnes homines. Nam conuerſio & ſaluatio huius latronis imago eſt conuerſionis & ſaluationis ſingulorum electorum. Quare hunc latronem nobis proponamus in contritione, fide, abſolutione, cruce & bonis operibus, & grato corde præſtemus eos cultus, quos Deus ipſe in verbo ſuo poſtulat, & quidem eo ordine præſtemus, ſicut poſtulat.

In crucifixione.

Duo latrones pendentes à lateribus Chriſti, ſunt imago totius generis humani, hoc eſt, veræ Eccleſiæ, & cœtus hypocritarum & Epicureorum, vel multitudinis non conuerſæ ad Deũ. Sicut enim duo latrones pendent in furca propter ſua ſcelera: ita totum genus humanum premitur morte & aliis calamitatibus propter peccata, teſte Paulo Rom.

Rom. 8. Corpus mortificatur propter peccatum: videtis enim mori non minùs sanctos, quàm impios. Deinde quod ad externam disciplinam attinet, non est magnum discrimen inter nos & Papistas, imò si licet verum dicere & fateri, sæpe à Papistis plura officia virtutum præstantur, quàm à nobis, qui gloriamur de doctrina Euangelij, quod tamen auditu est triste & horrendum. Sed vna res præcipuè distinguit Ecclesiam à reliqua multitudine generis humani non conuersa ad Deum, quòd Ecclesia agnoscit Deum, & Filium, quem Deus misit, vt sit victima pro nobis, & Mediator noster. Hunc Deum inuocat Ecclesia fiducia Mediatoris, & obiurgat aduersarios dissentientes à doctrina Euangelij. Est igitur imago certaminis inter nos & Papistas, imò inter Ecclesiam omnium temporum, & hæreticos, proposita in historia duorum latronum, quorum alter conuertitur ad Deum, alter ludit in media morte, & maledicit Christo.

Vult autem primùm ardere in corde nostro fidem, non otiosam notitiam, sed fiduciam inuocantem ipsum, quæ sentitur in afflictionibus. Cum hac fide coniuncta est dilectio, & accenduntur aliæ virtutes necessariæ, iuxta præcepta moralia, iustitia, castitas, veritas & aliæ. Postremò accedant ceremoniæ diuinitus ordinatæ, non vt mereantur remissionem peccatorum, non quòd placeant Deo sine fide & sine operibus moralibus, sed vt sint signa promissionum verè credenti.

Etiamsi millies accedas ad Sacramentum, tamen non iustificabit te vsus Sacramenti, nisi in corde accensa sit fides & bonum propositum. Lutherus in Genesin inquit: Quantum credis, tantum habes: si credis, habes, si non credis, nihil habes.

Deinde vt sint signa professionis, quæ discernant Ecclesiã ab Ethnicis.

Duo sunt fines omnium Sacramentorum, Circumcisionis, Baptismi, Cœnæ Domini: alter est publicus, alter est priuatus. Publicus est distinctio Ecclesiæ ab aliis sectis impiis & damnatis: vt Baptismus discernit Christianum à Turca, vel Iudæo recenti publicè: Sic olim Circumcisio distinguebat posteritatem Abrahæ, à ceteris gentibus. Priuatus finis Sacramentorum & quidem principalis est signum, testimonium, pignus, sigillum promissionis gratiæ verè credenti, sicut dicitur: Hoc facite ad mei recordationem.

Hæc tota doctrina de ordine operum sæpe à Prophetis, Christo & Apostolis repetita est, vt Esaiæ 1. & vlt.

Quid mihi cum multitudine victimarum vestrarum, scilicet non iacto priùs fundamento, nõ prælucente fide, neque inchoata obedientia morali?

Ieremiæ 7.

Non præcepi vobis de holocaustis.

Oseæ 6.

Misericordiam volo, & non sacrificium.

Zachariæ 7. & 8.

Diligite veritatem & pacem.

Matth. 15.

Fruſtrà me colunt mandatis hominum.

Roman. 2.

Circumcisio prodest, si Legẽ obserues: Sic prodest tibi Baptismus & Cœna Domini, si Legem obserues, scilicet moralem, prælucente fide.

1. Corinth. 7.

Nihil est Circumcisio, nihil præputium, sed dilectio, obedientia &c.

DE SECVNDA QVAESTIONE.

Quomodo bona opera fieri possint.

CAPVT II.

AVDIVIMVS hactenus, quæ opera Deus postulet, & approbet, ea videlicet, quæ non excogitantur à nobis, sed quæ congruunt cum Decalogo sapienter intellecto. Non enim Deus tantùm postulat externam disciplinam, qualẽ præstiterunt Pharisæi & hypocritæ omnium temporum, sed præcipit cultus interiores & exteriores

riores iuxta omnia præcepta moralia: vult etiam Deus eo ordine præstari opera, quem ipse sanxit. Ac fundamentum & principium omnium operum sit fides, quæ non est otiosa notitia, sed fiducia inuocans Deum, quæ sentitur in afflictionibus. Deinde cum hac fiducia sit coniuncta dilectio Dei & proximi. Postremò accedat ad fiduciam & dilectionem vsus ceremoniarum, seu Sacramentorum, quæ publicè quidé sunt signa distinctiua, priuatim verò signa obsignantia & exhibentia hoc, quod in promissione traditur. Nam vt Ecclesiam discernunt ab aliis gentibus & sectis impiis: ita singulis piis sunt sigilla, vt Paulus loquitur, iustitiæ fidei. Nunc igitur ad secundam quæstionem accedimus.

Etsi homines huius miseræ & languefactæ naturæ viribus aliquo modo possunt externa Legis opera facere, tamen sine auxilio Spiritus sancti non inchoatur interior obedientia.

Duplex est obedientia, quam Deus postulat in sua Lege, vna est externa, altera interna. Externa vocatur disciplina, quæ est gubernatio locomotiuæ congruens ad Decalogum. Hanc externã obedientiam homines etiam non renati vtcunq; præstare possunt. vt aliâs sæpe dictum est. Sed internam ne quidem inchoare possumus sine auxilio Spiritus sancti, vt Christus inquit Ioh. 4. Veri adoratores, id est, præstantes interiorem cultum, adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. veritatem nominat verbum Dei, vt Iohan. 17. dicitur: Pater, sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Spiritũ vocat tertiam personam diuinitatis, procedentem ab æterno Patre & coæterno Filio, quæ mittitur in cordà credentium, vt testimoniũ perhibeat Spiritui nostro, quòd simus Filij Dei, & impellat nos ad inuocationem, & opituletur infirmitati nostræ, Rom. 8. Neque est, quòd quisquam abhorreat ab hac phrasi, in qua fit mentio auxilij diuini, cùm tota Scriptura, & Paulus in primis Rom. 8. sine metu cauillationis Flacianæ, vtatur verbo adiuuandi.

Datur autem Spiritus sanctus, cùm in conuersione seu pœnitentia vocem Euangelij audimus & cogitamus, & corda fide eriguntur, & in ea consolatione sustentantur agnitione misericordiæ Dei, & incipiunt acquiescere in Deo, & vt Paulus in-

Galat. 3. extat memorabilis sententia, quæ docet, quomodo accipiatur Spiritus sanctus: vt promissionem Spiritus, id est,

quit, clamant, Abba Pater.

promiſſum Spiritũ accipiamus per fidem. Sed obiiciat aliquis, Nónne fides eſt effectus & opus Spiritus ſancti? Concedo, Quomodo igitur poteſt fide accipi Spiritus ſanctus? Reſpondeo: Cauſſa & effectus ſunt ſimul natura, ſicut Sol oriens & dies ſunt ſimul, nec poteſt diſcerni ortus Solis ab initio diei, quod ad moram & ſucceſſionem attinet: fiunt enim hæc ambo, ortus Solis & dies in vno momento, ſic in conuerſione & accenditur fides, & datur ſimul Spiritus ſanctus. Non diſputemus hæc ſubtiliùs, quia hæc magis diſcuntur in experientia ſpirituali, quàm otioſis diſputationibus.

2. Corin. 3. Rom. 1. Ideo Euangelium nominatur miniſterium Spiritus, & potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Et in Zacharia dicitur: Effundam ſuper domum Dauid Spiritum gratiæ & precum, videlicet quo moueamur, vt aſſentientes voci Euangelij, ſtatuamus nos eſſe in gratia, & in hac fide accedentes ad Deum inuocemus.

Dulciſsimum eſt dictum Zachariæ Prophetæ ca. 12. Spiritus ſanctus vocatur à Propheta Spiritus gratiæ, quia eſt teſtis de gratia Dei, ſiue, vt Paulus loquitur Rom. 8. teſtimonium perhibet Spiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei, & hæredes vitæ æternæ. Deinde idem Spiritus nominatur Spiritus precum, quia impellit nos ad inuocationem, & vt Paulus inquit, clamat ad Deum pro nobis gemitibus ineffabilibus.

Fieri ergo bona opera poſſunt in renatis externa & interiora: quia iam certiſsimum eſt, petentes iuuari à Spiritu ſancto, ſicut ſcriptum eſt: Quantò magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? Agamus autem Deo gratias totis pectoribus: quòd in hac magna imbecillitate nos ſuo Spiritu adiuuat, regit cõſilia in multis rebus, quæ humana prudentia regi non poſſunt, flectit voluntatem ad bona, reprimit temerarios impetus cordis, dat bonos exitus in negotiis inextricabilibus, & confirmat mentes & voluntates, ne à Deo deficiant, ſicut

Luc. 11.

Propone tibi Iacobum Patriarcham, vt intelligas, quomodo Spiritus ſanctus adiuuet infirmitatem noſtram. Iacob metu fraternæ crudelitatis proficiſcitur in exilium, de mandato Patris ſui & matris Rebeccæ. Hoc conſilium hauddubiè guberna-

Paulus

Paulus inquit Rom. 8. Spiritus opitulatur infirmitati noſtræ.

uit Spiritus ſanctus. Videbatur enim, ſi ſpectes externã faciem, pugnare cum promiſsione diuina: Semini tuo dabo hanc terram. Exules certè vagantes ſine certis ſedibus, non poſsident terram certam, ſic iudicat ratio: ſed contra hoc iudicium rationis confirmantur à Spiritu ſancto pater Iſaac & Rebecca, & filius Iacob. Deinde Iacob ſeruit ſocero ſuo Laban totos annos 20. & quanquam in primis nuptiis erat deceptus ab impoſtore & hypocrita Laban, qui ſubſtituit in locum Rachelis diu deſideratæ & promiſſæ, Leam deformem virginem, tamen Iacob ſeſe reprimit, & non repudiat miſeram puellam, cùm ſummo iure potuiſſet eam repudiare, propter errorem de perſona. Tandem verò diſcedit cum ſua familia ab auaro & iniquo ſocero Laban, rediturus in patriam ad Iſaac & Rebeccam, ſed in itinere obuiam fit ei frater Eſau, veteris, vt opinabatur, iniuriæ memor, & oppreſſurus familiam Iacob. Hoc periculum erat humano conſilio prorſus inextricabile. Habebat enim Eſau in ſuo comitatu 400 armatos. Iacob verò erat inermis paſtor, & ducebat ſecum imbecillem turbam muliercularum & liberorum. Quid igitur fit in hac acie nouaculæ, in hoc extremo periculo & diſcrimine? Noctu cùm precaretur ardentiſsimè Iacob, & commoneface ret Deum de promiſsione, Filius Dei ludens in orbe terræ mirandis operibus, luctatur cum Iacob, & poſt luctã promittit ei defenſionem aduerſus iratum fratrem, quam quidem experitur re ipſa. Etſi enim frater hoſtili animo eduxerat ſuas copias, tamen ponunt ferocia Pœni corda volente Deo, id eſt, Deus ita moderatur impetus Eſau, vt non noceat fratri, ſed ei promittat omnia fraterna officia & fraternam beneuolentiam. Omitto cetera pericula & liberationes Iacob breuitatis cauſſa. In hanc igitur imaginem intuentes, diſcamus, quæ beneficia Spiritus ſanctus nobis miſeris & infirmis hominibus præſtet, quòd videlicet nos adiuuet, regat conſilia in multis rebus, quæ humana prudentia regi non poſſunt, flectat voluntates ad bona &c.

DE TERTIA QVAESTIONE.

Quomodo placeat noua obedientia.

CAPVT III.

HORATIVS inquit de Principum approbatione & beneuolentia, Principibus placuisse viris non vltima laus est. Et Pausanias dux Laconicus apud Herodot. inquit lib. 3. Satis est, me meis Spartanis placere sancta dicendo, & sancta faciendo. Sit sanè magna res, & non contemnenda εὐδοξία, id est, approbatio hominum, præsertim principum virorum, quorum iudicium nemo sanus negligit, aut contemnit: sed in infinitum maior & melior res est εὐδοξία, seu approbatio diuina. Non igitur satis est scire, quæ opera facienda sint, & quomodo fieri possint, nisi etiam hoc scias, quomodo placeant, cùm quidem non satisfaciamus Legi Dei. De hac quæstione respondet Scriptura & Paulus in primis. Propter eandem caussam placet vtrunq; & persona & obedientia. Sicut ergo iustus es sola fide: ita obedientia tua placet, prælucente fide, propter Mediatorem: sicut Petrus inquit, 1. Petr. 2. Offerte hostias spirituales, acceptas, seu placentes Deo per Christum.

De hac tertia quæstione, Euagrius Episcopus Antiochenus breuissimè respõdet, cùm inquit, bona opera placere διηγουμένης πίστεως, quod nos dicimus, prælucente fide, sicut & Paulus inquit [Rom. 14.] Omne quod non est ex fide, peccatum est. Sic autem præluceat fides, vt hæc tria complectatur. Primùm statuamus recipi & placere personam propter Filium Dei Mediatorem gratis, etiamsi in nobis reliqua est magna infirmitas & multæ sordes. Secundò agnoscamus, nos nequaquam satisfacere Legi Dei, & adhuc circumferre in nobis peccata, & hanc nostram infirmitatem veris gemitibus deploremus.

Tertiò, Et tamen sciamus, Deũ postulare, vt sit in nobis in-

Hieronymus in catalogo illustrium virorum, qui gubernachoata

choata obedientia, fides & iustitia bonæ conscientiæ, & hæc opera ipsi placere in reconciliatis propter Mediatorem, fide.

runt Ecclesiam, & ediderunt vtilia monumenta, scribit de Euagrio, fuisse eum Episcopum Ecclesiæ Antiochenæ in Syria, & tribuit ei ingenium acre & ardens, ac dicit se fuisse auditorem huius Euagrij: ex quo intelligi potest, eodem tempore vixisse Hieronymum & Euagrium. Mortuus est autem Hieronymus anno Christi 420. decem annis pòst mortuus est Augustinus, videlicet anno Christi 430. Hic Euagrius edidit multa præclara scripta, & inter alia enarrauit prouerbia Salomonis. Etsi autem ipse non habeo libros Euagrij, nec legi, tamẽ hoc dictum citatur à multis fide dignis: in primis verò à præceptore nostro piæ memoriæ, Philippo Melanthone. Sic igitur dicit Euagrius: Bona opera placent Deo, προηγουμένης τῆς πίστεως, prælucente fide. Caussa προηγουμένη est caussa antecedens, caussa interior, gubernatrix aliarum caussarum: ita fides est προηγουμένη caussa bonorũ operum, prælucet operibus, gubernat opera. Quomodo autem debet prælucere fides nostris operibus? Tripliciter. Primùm, quod ad personam nostram attinet, statuamus nos placere Deo gratis propter Christum. Deinde agnoscamus infirmitates & sordes nostras, & has vero gemitu deploremus, nec fingamus, nos satisfacere Legi Dei. Postremò, quod ad opus attinet, seu ad obedientiam, sciamus hanc quoque & postulari à Deo, & Deo placere, si præstetur fiducia Mediatoris, tegentis sordes & infirmitates nostras.

Ad horum trium membrorum explicationem pertinent hæc dicta Pauli, Rom. 8: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo ambulant, id est, etsi renati non sunt sine peccato, tamen Deus eos recipit, & iustos pronuntiat propter Filium credentes, deinde recipit & obedientiam eorum propter Filium.

Obseruate pondera verborũ in dicto Pauli. Non dicit Paulus, Nullum peccatum est in sanctis: si enim dicimus, vt ait Iohãnes, nos non habere peccatum, sumus mendaces: sed disertè dicit, Nulla condemnatio, id est, nullus reatus, nulla obligatio ad iram, & ad pœnas æternas. Sed quæso, de quibus loquitur? an de his qui in carne ambulant? non, sed de aliis, qui ambulant in Christo, hoc est, qui militant bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam.

Rom. 6. Non eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia. Hoc dictum perſpicuè affirmat, credentes liberatos eſſe ab ira Dei, & iam propter Chriſtum acceptos eſſe, etiamſi hærent in eis reliquiæ peccati, quibus repugnant Spiritu.

Sic argumentor ex dicto Pauli: Paulus dicit, Non eſtis ſub Lege. Et alibi dicit 1. Timoth. 1. Iuſto nõ eſt Lex poſita: Ergo ſancti ſunt liberi & immunes, & ſoluti ab obedientia, quam Lex poſtulat, id eſt, Deus non curat bona opera, & bona opera officiunt ſaluti, ſecundum multorum vociferationes ineptas & impias. Reſpondeo ad antecedens, ex collatione dictorum Pauli, quæ eſt optima ratio interpretandi Scripturam. Paulus dicit Gal. 3. diſertè, nos eſſe liberos à maledictione Legis: Ergo aliud eſt liberatio ab obedientia, aliud à maledictione Legis. Lex aut gubernat, aut iudicat: gubernat obedientiam: iudicat, accuſat & condemnat contumaciam. Renati igitur non ſunt ſub Lege, ſcilicet iudicante, maledicente, accuſante, condemnante, id eſt, vt vno verbo dicam, ſunt liberi à maledictione Legis, ab ira Dei, à pœnis æternis, ſed non ſunt liberi ab obedientia, quam Lex poſtulat. Eſt enim æterna voluntas Dei & ordo immotus, qui mutari non poteſt, vt creatura rationalis obediat conditori.

Hebr. 12. Teneamus gratiam, per quam ſeruiamus, bene placentes Deo cum reuerentia & timore.

Teneamus, idem eſt quod retineamus firmiter. Sed quare dicit, cum reuerentia & timore? Alludit ad dictum pſal. 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Sic & Paulus Phil. 2. inquit: Operamini ſalutem veſtram cum timore & tremore. Etſi enim Deus eſt Pater noſter, tamen ſimul eſt Dominus, & eſt iudex, & eſt ignis conſumens, vt inquit Moſes Deuter. 4. Amemus ergo Deum vt Patrem, & timeamus vt Dominũ, hoc eſt, ſeruiamus Deo cum reuerentia & timore.

Philipp. 2. Deus eſt, qui efficit in vobis, & vt velitis, & vt perficiatis, vt ipſi aliqua grata fiant.

Propone tibi hoc dictum in tuis ſtudiis. Deus primùm te vocat mandato parentum, aut amicorum ad vitam ſcholaſticã, ad diſcendum. Deinde mouet tuam voluntatem, & adiuuat eam, regit & impellit, vt diligenter diſcas

discas doctrinam de Deo & de aliis rebus bonis, & ornes hanc diligentiam modestia vitæ. Hæc autem ideo in te efficit, vt ipsi fiant aliqua grata, id est, vt ipse celebretur, & Ecclesia Dei in genere humano conseruetur: sunt enim hi duo fines vltimi omnium nostrarum actionum & studiorum: vnus celebratio Dei, alter conseruatio Ecclesię, iuxta dictum notissimum 1. Cor. 10. Omnia facite ad gloriam Dei, & ne sitis scandalo Ecclesiæ. Et Psal. 122. Rogate, quæ ad pacem sunt Ecclesiæ, pax multa diligentibus eam.

Roman. 14. Qui in his seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.

Contrà sic argumentor: Nemo placet omnibus hominibus, quia multi sunt maleuoli, multi inuidi, multi obtrectatores. Ergo Paulus non rectè dicit, Qui in his seruit Deo, probatus est hominibus: Prophetæ & Apostoli, imò Christus ipse non probatus fuit omnibus hominibus. Respondeo ad hanc obiectionem. Habens fidem & bonam conscientiam, & fideliter seruiens Deo & Ecclesiæ in sua vocatione, habebit non omnium, quod est impossibile in hac vita, sed aliquorum rectè & candidè iudicantium, approbationem. Cùm Iohannes Baptista viueret in deserto, remotus à ciuili societate & consuetudine hominum, dixerunt Iudæi, hunc summum doctorem Ecclesiæ, excepto Christo, agitari à Diabolo, sicut vulgò dici solet: Omnis solitarius, aut est Angelus, aut Diabolus. Christus verò φιλάνθρωπος, qui delectabatur hominum consuetudine, etiam ante assumtam humanam naturam, cùm viueret valde familiariter inter homines, appellatus est vini potor. Hæc ideo recito, ne quis curet omnes fabellas vulgi, sed sit vnusquisque intentus in ea, quæ sunt agenda, & cetera commendet Deo. Satis est, nos habere Ecclesiæ & paucorum honestorum approbationem.

DE QVARTA QVAESTIONE.

Cur necessaria sit noua obedientia.

CAP. IV.

SEQVITVR nunc ordine quarta quæstio, de causis, propter quas necessaria est noua obedientia. Sunt autem causæ bonorum operum, seu nouæ obedientiæ, partim impulsiuæ, partim finales. Impulsiua est Lex Dei, causæ verò finales sumuntur ex triplici ordine hominis, quorum primus est ad Deum, alter ad nos ipsos, tertius ad alios homines. Sunt enim facienda bona opera propter Deum, vt Deo tribuatur gloria, iuxta dictum, Sic luceat lux vestra &c. Item, Omnia facite ad gloriam Dei. Deinde eadem opera sunt præstanda propter nos ipsos, sicut Petrus inquit in Epistola: Facite vocationem & electionem vestram certam per bona opera. Postremò habenda est etiam ratio proximi, qui bonis exemplis est inuitandus ad societatem Ecclesiæ, aut certè retinendus in officio.

Contra Antinomos constantissimè retinenda est hæc vera sententia: Noua obedientia est necessaria. Etsi enim bona opera non merentur remissionem culpæ & pœnæ æternæ, nec sunt merita vitæ æternæ, tamen huius necessitatis multæ sunt causæ.

Dicam breuiter, quid sentiát Antinomi.

Antinomi, id est, hostes Legis diuinæ, & bonorum operum, contenderunt insulsè & impiè, nullum esse vsum Legis in Ecclesia, sed Mosen vnà cum sua Lege (sic enim loquuti sunt) relegandum esse ad curiam, imò ad furcam, & huic suo furori, qui multis blanditur, qui amant securitatem & profanitatem & licentiam omnium scelerum, prætexuerunt dictum Apostoli Rom. 6. Non estis sub Lege, sed sub gratia, & illud 1. Timoth. 1. Iusto non est Lex posita. Sunt autem Christiani iusti & liberi. Ergo nihil habent commercij cum Lege. Deinde vlteriùs progressi, vt error est fœcundus, dixerunt impudenter, hominem manere in gratia Dei, & retinere Spiritum sanctum, etiamsi polluat se adulterio, aut alio peccato contra conscien

tiam,

tiam, & in hoc perseueret. Contra hos furores extant egregiæ disputationes in scriptis & operibus Lutheri, quas multi pij magno cum fructu legerunt, & deinceps legere debent. Sed nos relictis ceteris furoribus, tantùm de hac propositione nunc dimicamus contra Antinomos, quòd videlicet verissima sit propositio & sententia, quæ affirmat, Nouam obedientiam post reconciliationem gratuitã esse necessariam: & quanquam multæ & variæ cauillationes excogitantur ad eludendam & euertendam hanc propositionem, tamen veritas stat immota, & non cedit spumis, vt Virgilius inquit de rupe immota, quam circumlatrant vndæ, & tandem ex ea iterum defluunt spumæ: sicut dicit psal. 94. Quoniam adhuc reuertetur iustitia ad iudicium, & sequentur illam omnes, qui sunt recto corde. Quorsum attinet, nos esse ciues argutos, sine virtute, tanquam pręficas? An putas regnum Dei cõsistere in garrulitate & rixis disputationum? non. Sic enim Paulus inquit: Regnum Dei non consistit in sermone, sed in virtute: cur ergo non potiùs facimus bona opera, & omittimus pueriles rixas de voce necesitatis?

Prima est debitum, quod non significat coactionem seu violentiam, sed æternum, & immotum ordinem, quo creatura rationalis Deo ad obedientiam obligata est.

Nolite arbitrari omnes Antinomos esse mortuos & sepultos: sed hoc vobis sit persuasum, multos adhuc in aulis, & passim in ciuitatibus tales versari, qui quidem multos habẽt applausores. Quæ enim vox plausibilior est apud populum, & apud gynæcea delicata, quàm hæc ipsa, quæ multis non est ignota? Summa res Christianorum est nescire Legem. Item, Bona opera Deus non curat. Item, Bona opera officiunt saluti. Quales sunt hi sermones? Cyclopici, barbarici, diabolici. Fugiamus ergo eos, & oderimus, tanquam ipsum infernum & Diabolum.

De hac causa Paulus inquit Roma. 8. Debitores sumus, ne secundum carnem viuamus.

Secunda causa est cura vitandi lapsus, quibus effundũtur hæc summa bona, remissio peccatorum, reconciliatio, Spiritus sanctus, & vita æterna. Ad hanc

Id est, Vitate lapsus cõtra conscientiam, & fugite omnes cor-

cauſſam pertinent dicta Pauli, Hebr. 12. Seruiamus Deo cum reuerentia & timore.

Gal. 5. Qui talia faciunt, regnum Dei non poſsidebunt.

Tertia cauſſa eſt diligentia vitandi pœnas temporales & æternas, vt Iob. cap. 9. inquit: Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parcis delinquenti.

Recitabo iunioribus hiſtoriã de Moſe, quæ declarat hoc dictũ Iob. Exod. 4. ſcribitur, Moſen diuinitus vocatum eſſe, & maximis miraculis inſtructum ad gubernationem populi Dei, & eductionem ex Aegypto. Sed hunc ipſum Prophetam Deus voluit interficere, propterea quòd filij ipſius erant adhuc incircumciſi, ac niſi mater vxor Moſis mox circumcidiſſet filios, Dominus occidiſſet Moſen. Eſt enim textus manifeſtus & triſtis. Quare hæc ſcribuntur? Non propter Moſen mortuum, ſed propter nos, qui viuimus, & adhuc militamus in hac vita. Si Deus non pepercit tanto viro, ſed voluit eum interficere, niſi præſtitiſſet debitam obedientiam, cur nos non vereamur omnia noſtra opera, ſcientes, quòd Deus non parcat delinquenti?

Quarta cauſſa eſt finis creationis. Sumus enim conditi ad hũc finem, vt Deum celebremus doctrina & obedientia. Huc pertinet dictum Pauli Epheſ. 2. Ipſius opus ſumus, conditi in Chriſto ad bona opera, quæ Deus præparauit, vt in eis ambulemus.

Præparare, hoc loco ſignificat diuerſas functiones ſeu vocationes, & diſsimilia dona. Deus vocat Dauidem ad regnum, & ornat eum donis conuenientibus regiæ perſonæ. Moſen vocat ad gubernationem populi: Ieremiã ad docendum, & ſingulos inſtruit donis neceſſariis in vocatione. Quam ob cauſſam? Vt ſinguli ſuo loco pro modo ſuæ vocationis & donorum ſuorum ſeruiant Deo & Eccleſiæ.

Quinta eſt finis redemtionis. Non enim ideo ingentem iram Dei ſuſtinuit Mediator, ſudans ſanguinem, & moriens in cruce, vt confirmetur peccatum in hominibus, & ſit licentia omnium ſcelerum, ſed vt peccatum & mors reipſa deleantur in homine, & inchoetur æterna vita & æterna lux, ſapientia & iuſtitia in homine,

ne,& homo rursus fiat templum Dei. De hoc fine redemtionis Zacharias pater Baptistæ, Luc. 1. inquit: Liberati de manu inimicorum nostrorum, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia coram ipso cunctis diebus vitæ nostræ. Et Paulus Roman. 8. De peccato damnauit peccatum, vtius Legis impleretur in nobis. Et Petrus 1.Petr.2. Qui peccata nostra pertulit in suo corpore super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.

Finis redemtionis seu liberationis vniuersaliter ac in genere est mutatio dominij, vt Deus liberat Israelitas à tyrannide Pharaonis & Aegyptiorum, non vt deinceps seruiant Aegyptiis, sed vt seruiant liberatori, hoc est, ipsi Deo. Sic redemtus à Turcica captiuitate deinceps non redeat ad Turcas, sed seruiat suo redemtori & liberatori. Hanc imaginem transferamus ad redemtionem per Christum factam: Si Filius vos liberauerit, inquit Dominus Iohan. 8. verè eritis liberi. Quę autem est vera libertas? Omnis qui facit peccatum, est seruus peccati: hæc est seruilis libertas. Libera verò, & liberali homine digna seruitus est, seruire Legi Dei, vel quod idem est, ipsi Deo. De hac sententia præclarè concionatur Baptistæ pater, Luc. 1. Liberati de manu inimicorum nostrorum, id est, Diaboli, mortis, peccati, inferni &c. Seruiamus Deo cunctis diebus vitæ nostræ in iustitia & sanctitate, quam ipse approbat & requirit. Et Paulus Rom. 8. significantissimè dixit: Damnauit Deus peccatum, scilicet nostrũ, per peccatum, scilicet hostiam pro peccato, id est, per mortem Christi: non vt indulgeamus omnibus furoribus, vt sumamus nobis infinitam licentiam peccandi, sed vt ius Legis impleamus in nobis, id est, vt restituatur in nobis conformitas cum Lege Dei, seu obedientia, quam Deus postulat in Lege, & quam approbat & testatur sibi placere. Non enim venit Christus, vt solueret Legem, sed vt impleret. Implet autem non tantùm in sua persona, sed etiam in nobis, iuxta dictum Ieremiæ: Dabo Legem meam in corda eorum &c. Et Petrus grauissimè inquit: Nos liberati sumus per Christum in ligno crucis, vt mortui peccatis iustitiæ viuamus. Ideo Filius Deo sudauit sanguinem in horto, & mortuus est in cruce, vt aboleatur peccatũ, non tantùm imputatione, per remissionem peccatorum: sed etiam re ipsa, iuxta dictum, Verè eritis liberi, si Filius vos liberauerit. Item, Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Sexta causa est finis sanctificationis. Cùm enim fide accipitur

Spiritus ſanctus, fit viuificatio & lætitia in Deo, & accenduntur tales motus, qualis eſt ipſe Spiritus ſanctus. Ideo in 1. Iohan. 3. dicitur: Omnis natus ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen Dei in eo manet. Item. Omnis qui non facit iuſtitiam, non eſt ex Deo.

Omnis actionis finis eſt aſſimilatio, ſiue fiat in ſubſtantia, ſiue in qualitate. Vt ignis in foco, vel fornace, quaſdam partes conuertit in ſuam ſubſtantiam, eas videlicet quas abſumit, alias verò, quas non conuertit in ſuam ſubſtantiam, tantùm ſibi aſſimilat qualitate, id eſt, transfundit ſimilem qualitatem in illa obiecta, vt calorem transfundit in fornacem, & in cibos, quos coquit. Ita ignis Domini, Spiritus ſanctus, flamma illa procedens ab æterno Patre & Filio coæterno, mittitur in noſtra corda, vt nos Filio & ſibi aſſimilet, non quidem ſubſtantia, quia ſemper manet diſcrimẽ inter Creatorem & creaturas, ſed qualitate, quia ſimile non eſt idem: id eſt, Sicut Spiritus ſanctus eſt ſubſtantialis amor in Deo inter Patrem & Filium, & ſubſtantialis lætitia: ita in nos transfuſus efficit, vel accendit amorem erga Deum & Eccleſiam, & lætitiam acquieſcentem in Deo, de qua dicit Pſal. 33. Quoniam in eo, id eſt, in Deo lætabitur cor noſtrum, & in nomine eius ſancto exultabimus.

Septima. Spes reſurrectionis & vitæ æternæ, de qua Iohannes in Canonica inquit cap. 3. Omnis, qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Et Paulus ad Titum cap. 2. Viuamus in hoc ſeculo piè, iuſtè & modeſtè, expectantes beatã illam ſpem & reuelationem gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum.

Tres priores cauſſæ ſunt legales, ſumtę ex Lege diuina, quæ affirmãt, nos eſſe debitores, debere obedientiam Deo, & iubẽt vitare lapſus, quibus amittuntur bona, & accerſuntur mala ſeu pœnæ. Sequentes quatuor cauſſæ ſumtæ ſunt ex Symbolo, quod concionatur de creatione, de redemtione, de ſanctificatione, & de ſpe lætiſsimæ reſurrectionis ad vitam æternam. Si quem igitur hæ cauſſæ non mouent, nec flectunt ad obedientiam Deo præſtandam, is eſt ex numero illorum, de quibus dicit

cit Iohannes: Omnis qui facit peccatum, ex Diabolo est. Aliud est peccare, vel habere peccatum, & aliud, facere peccatum. Peccare, est commune malum totius generis humani, in Ecclesia, & extra Ecclesiam: sed facere peccatū, est oppugnare articulos fidei sophismatis, aut sauciare conscientiam atrocibus delictis, adulterio, homicidio, periurio, vsuris & similibus.

Octaua. Diligentia vitandi scandala. Est enim mandatum diuinum, vt bonis exemplis inuitemus alios, & fugiamus scandala, vt scriptum est Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Et Matth. 18. Væ homini, per quem venit scandalum. 1. Cor. 10. Omnia facite ad gloriam Dei, & ne sitis scandalo Ecclesiæ. 1. Petr. 2. Charissimi, hortor vos, tanquam aduenas & peregrinos, vt abstineatis à carnalibus desideriis, & conuersationem inter gentes habeatis bonam, vt bona opera vestra considerantes, desinant vobis maledicere, & glorificent Deum.

Primùm sunt facienda bona opera propter Deū, deinde propter nos ipsos, seu propter nostram conscientiam: tertiò propter proximum. Nam vita humana non tantùm regitur præceptis & legibus, sed etiam exemplis, quæ valent plurimum in vtramque partem. Magna vis est exemplorum bonorum & malorū. Sicut enim bona inuitant homines ad imitationem, sic mala sua contagione multos lędunt. Vult igitur Deus vitari praua dogmata, & praua exempla, quæ vno nomine appellantur scandala, ne proximus fiat deterior, ne abhorreat ab Euangelio, ne concipiat maiores flammas odij aduersus Ecclesiam.

Nona. Vsus Sacramentorum. Etsi enim Sacramenta principaliter sunt testimonia seu pignora, quòd Deus exhibeat nobis promissa beneficia in Euangelio:

Sacramēta principaliter sunt figilla obsignantia promissionē Euangelij, vt de Circumcisione dicitur Rom. 4. Accepit Abrahā signum Circumcisionis, id est, Sacramentum Circumcisionis. Ad quid? Vt haberet figillum obsignans iustitiam fidei. Etsi enim Abraham antea erat iustus, iuxta dictum: Credidit Abraham Deo, & imputata est ei iustitia: tamen Deus voluit confirmare & obsignare fi-

dem Abrahæ, dato hoc signo seu sigillo. Ita, quando tu audis publicè vel priuatim vocem absolutionis, postea vtaris Sacramento Cœnæ Domini ad hanc fidem confirmandam & obsignandam.

Tamẽ simul nos de nouitate vitæ cõmonefaciunt, vt de Baptismo Rom. 6. dicitur: Sepulti sumus vnà cum illo per Baptismum in morte, vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et 1. Cor. 10. de Cœna Domini scriptum est: Vnus panis, & vnum corpus sumus, quotquot eundem panẽ manducamus.

Imò ad eam obligant, sunt stipulationes bonæ conscientiæ erga Deum, vt de Baptismo Petrus loquitur.

Vnius rei possunt esse multi fines, sed subordinati, hoc est, alij principales, alij minus principales: ita Sacramentorum finis principalis est, vt sint sigilla iustitiæ fidei. Minùs principalis finis est, vt fint commonefactiones de bonis operibus & nouitate vitæ, vt Paulus loquitur.

Decima. Exempla Dei & Christi, quæ nobis non modò ad intuendum, verùm etiam ad imitandum proposita sunt.

Christus est donum, & est exemplum. Donum est, quia est agnus Dei tollens peccata mundi: est victima pro nobis, Mediator inter Deum & homines: deinde est exemplum, quia Deus vult nos imitari & suum, & Filij exemplum.

Lucæ 6. Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

Qua in re consistit misericordia Dei? in duabus rebus, in dando & condonando. Date, inquit, & dabitur vobis: remittite, & remittetur vobis. Ad hanc sententiam alludit Cyprianus in sermone de Cœna Domini, inquiens dulcissimè: Pietas inter data & condonata sese diuidens, agit gratias tam vberis beneficij largitori. Cogita quotidie inter precandum, quæ bona spiritualia & corporalia, præsentia & æterna Deus tibi dederit: deinde simul cogita, & grato pectore celebra bonitatem Dei & misericordiam, qua remittuntur tibi omnia tua peccata, originale & actualia, omnes defectus, inclinationes & actiones pugnantes cum Lege Dei, quæ merentur æternam iram Dei, & pœnas æternas. Inter hæc data & condonata, vt

Cyprianus

Cyprianus loquitur, diuidat se tua pietas confessione & gratiarum actione, & celebratione autoris tam vberis beneficij.

Philipp. 2. Is affectus sit in vobis, qui fuit & in Christo, qui cùm esset in forma Dei, non rapuit æqualitatem Dei &c.

Mementote obiter dictũ Augustini, quod extat in sermone 32. de tempore: Malo multas obliuisci iniurias, quàm imaginem & similitudinem conditoris amittere. Veritate & misericordia proximè accedimus ad similitudinem Dei. Est enim Deus verax & misericors seu beneficus. Malimus igitur multas iniurias obliuisci, & sanctire earum ἀμνηστίαν, quàm amittere hanc gloriam, qua nulla maior cogitari potest, videlicet imaginem & similitudinem Dei, de qua dicitur: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

Hæ causæ necessitatis bonorum operum semper in conspectu sint, non solùm ad refutandos Antinomos, sed multò magis ad nos ipsos inflammandos amore iustorum & honestorum officiorum.

DE QVINTA QVAESTIONE.

Quod sit discrimen peccatorum in renatis.

CAPVT V.

MANIFESTVM est, caliginem & magnos dubitationum fluctus in mentibus esse, manifestum est & multa magna incendia esse vitiosarum cupiditatum in renatis. Manent igitur peccata in renatis in hac mortali vita, videlicet radix, de qua dicit Paulus: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum: & huius radicis fructus, dubitationes & vitiosi affectus, & multa errata, quæ per ignorantiam accidunt, & magnæ neglectiones seu omissiones, vt vsitatè loquimur, in omnibus. Sed donec reconciliati repugnant prauis motibus, & non ruunt contra conscientiam, ac retinent fundamentum, & fide propter Mediatorem statuunt tegi hæc mala, manent in gratia, & non effundunt Spiritum sanctum, suntque hæredes vitæ æternæ, sicut inquit Paulus: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo ambulant.

Volo vobis hanc sententiam de reliquiis peccati in renatis declarare exemplo Mosis. Nemo vestrum est, qui nō fateatur Mosen fuisse hominem renatum, sanctum, Deo placentem, custodem verbi diuinitus traditi, & organum, per quod Deus miranda opera edidit in Aegypto, & postea in deserto annos 40. sed tamen hic tantus vir, cùm diuinitus vocaretur ad eductionem populi, & videret crescere seruitutem populi, propter interpellationem Pharaonis, quę facta erat mandato diuino, cœpit aliquantulum fieri languidior, & paulatim mergi in dubitationem & impatientiam: sic enim dicit Moses ad Deum, cùm non respondisset euentus primo consilio: Quare, Domine, me misisti, & quare nō liberasti hunc populum? Tantum abest, vt Pharao dimittat populum, vt etiam durioribus oneribus eum premat. Quid igitur prodest aut mihi vocatio

ti o tua, aut populo promissio tua? Hanc enim sententiam habent verba Mosis. Non est leue peccatum, credite mihi, sic cum Deo expostulare. Sed tamen hic tantus vir non confirmauit ignauiam & contumaciam in sua vocatione, sed obediuit Deo fiducia auxilij diuini, sicut expressè scribitur psal. 105. Moses & Aaron non repugnarunt sermonibus Dei.

Qui verò scientes ruunt contra conscientiam, aut qui non retinent fundamentum, & impia dogmata amplectuntur, & pertinaciter stabiliunt, tales effundunt & contristant Spiritum sanctum, & nisi conuertantur, ruunt in æternum exitium, sicut Paulus inquit: Si secũdum carnem viuetis, moriemini. Sed de hoc discrimine suprà in Loco de peccato satis dictum est. Ideo nunc sum breuior, & ad sequens caput accedõ.

Dictum Pauli 1. Timot. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam: ostendit duos esse gradus peccati regnantis in sanctis, quorum prior est labefactatio & conuulsio fundamenti, seu error de fundamento, aut error pugnans cum fundamento. Alter gradus est lapsus contra conscientiam. Non satis est, te vitare lapsus cõtra conscientiam, vt adulteria, homicidia, & similia: sed oportet te etiam summa cura & solicitudine fugere & reformidare corruptelas veræ doctrinæ seu fundamenti, id est, articulorum fidei, ita ne recipias vllum dogma ignotum veræ Ecclesiæ & contrarium verbo Dei. Multi sunt honesti homines hoc tempore in Papatu, & inter nos, qui non possunt accusari ciuiliter propter vllum crimen aut delictum, sed illi ipsi honesti & modesti homines peccãt mortaliter, quia applaudunt doctrinæ pugnanti cum verbo Dei rectè intellecto & enarrato. Quàm latè pateat hoc malum, cogitate singuli apud vos domi. Ideo sæpe dixi, studium Theologiæ non tantùm pertinere ad eos, qui futuri sunt ministri Ecclesiæ, sed ad omnes & singulos homines, vt possint ipsi iudicare de dogmatibus, & discernere vera dogmata à prauis & adulterinis, ne circumferantur omni vento doctrinæ, per nequitiam & calliditatem veteratoriam hominum. Ephes. 4.

Reſponſio ad argumenta, quæ contra doctrinam de iuſtitia fidei opponuntur.

CAPVT VI.

EXPLICATA doctrina de iuſtificatione, & de bonis operibus, & confirmata vera ſententia, aliquid dicendum eſt de argumentis Sophiſtarũ, ſiue ſint Papiſtæ, ſiue alij, qui tanquam hoſtiles exercitus Eccleſiam & eius doctrinam acerrimè oppugnant. Etſi enim veritas eſt immota, nec poteſt conuelli & labefactari vllis ſophiſmatum præſtigiis, tamen prodeſt iuniorum animos commoneſieri de inſidiis, quas ſtruunt verę doctrinæ Sophiſtæ & hypocritæ omnium temporum.

Primum.

Iuſtitia ſignificat obedientiam iuxta omnia præcepta.
Fides non eſt opus omnium præceptorum.
Ergo non iuſtificamur fide.

Sumitur hoc argumentum ex quinto libro Ethicorum Ariſtotelis, vbi diſputat Ariſtoteles de iuſtitia vniuerſali, quam ait eſſe obedientiam erga omnes leges. Ac ſcitis vocabulum vniuerſalis iuſtitiæ comprehendere omnes virtutes iuxta verſiculum Theognidis, quem citat Ariſtoteles:

Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.

Reſponſio.

Nego conſequentiam. Quia in hoc Syllogiſmo quatuor ſunt termini. Nam iuſtitia aliud in Maiore, aliud in concluſione ſignificat. Suprà autem in declaratione vocabuli iuſtitiæ dictum eſt, quid interſit inter iuſtitiam Legis, & iuſtitiam, de qua concionatur Euangelium. Vt igitur ridiculum eſt, phyſicè intelligere dicta Mathe-

Mathematica, sic ineptum est miscere Legem & Euangelium.

Maior est verissima de iustitia Legis, id est, de conformitate cum Lege. De angelis valet hoc argumentum, Iustitia est obedientia iuxta omnia præcepta Dei. Angeli obediunt omnibus præceptis Dei. Ergo sunt iusti conformitate cum Lege. Sed nobis alia iustitia opus est sine Lege patefacta, de qua tamen Lex & Prophetæ testificantur Rom. 3. quia non habemus integram conformitatem cum Lege, ac ne quidem habere possumus in hac vita, teste Paulo, Sensus carnis, &c. Videtis igitur esse ambiguitatem in vocabulo iustitiæ. Maior loquitur de Lege, conclusio de Euangelio.

Scriptum.

Impossibile est sola notitia iustum fieri.
Fides tantùm est notitia.
Ergo impossibile est sola notitia iustum fieri.

Responsio.

Neganda est Minor. Nam fides, de qua Paulus loquitur, nequaquam significat tantùm notitiam historiæ, sed est assensus, quo omni verbo Dei nobis tradito, ac promissioni reconciliationis assentimur, & est fiducia acquiescens in Mediatore, clamans Abba Pater. De hac fide loqui Paulum manifestissimũ est, quia inquit, Iustificati fide, pacẽ habemus. Et Ephes. 3. Per quem audemus accedere confidenter per fidem eius.

Secundum argumentum soluitur per inficiationem Minoris. Maior est verissima: Nulla enim notitia sola iustos & beatos facit. Est quidem notitia perfectio mentis, & eximium ac singulare ornamentum, sed non pertinet ad ceteras facultates hominis, ad voluntatem & cor. Potest aliquis esse bonus Mathematicus, & tamen interea non esse bonus vir: potest aliquis esse doctissimus philosophus sine virtute. sed Minor in hoc argumento est simplicissimè falsa. Suprà enim multis testimoniis & argumentis probauimus, quòd fides non sit tantùm notitia historiæ de Christo, sed etiam assensus, quo amplectimur omne verbum Dei nobis traditum & fiducia acquiescens in Mediatore, & clamans, Abba Pater. Omissis autem ceteris argumentis, simus contenti loco ab effecti-

bus. De fide inquit Paulus Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus, id est, tranquillitatem conscientiæ, seu firmam consolationem. Non autem affert notitia historiæ sine fiducia Mediatoris pacem conscientiis. Et Ephes. 3. Paulus de effectibus fidei inquit: Per quem audemus confidenter accedere per fidem eius. Diaboli habent notitiam historiæ de Christo, sed non audent ad Deum accedere, imò fugiunt Deum, oderunt Deum, optant Deum nihil esse.

Tertium.

Qui non diligit, manet in morte 1. Iohan. 3.
Ergo impossibile est dici iustum sola fide.

Respondeo ad antecedens. Aliud est caussa iustificationis, aliud est necessarium, vt effectus sequens iustificationem. Necessaria est dilectio in renatis, vt effectus necessariò sequens: vt in viuente dicimus, necessariò spirationem esse, quæ tamen non est vitæ caussa.

Iohannes in Epistola Canon. cap. 3. multis argumẽtis nos hortatur ad præstandam dilectionẽ erga proximum. Inter alia verò his duobus vtitur, quorũ vnum sumitur ab exemplo Christi, alterũ ab effectu dilectionis. De exemplo Christi inquit: Sicut Christus posuit animam suam pro nobis: ita & nos debemus animas nostras ponere pro fratribus. Sed nouem vbi sunt? Quis nostrum libenter fratris caussa exiguum laborem, aut molestiam sustinet? quis libenter facit exiguos sumtus aliorum caussa? Tantum abest, vt quis nostrum vitam suam in discrimẽ adducat pro alterius incolumitate. Deinde dicit in eodem capite: Nos scimus, quòd simus translati ex morte in vitam, quia diligimus fratres. Disertè dicit, Scimus nos esse translatos, vt discernat caussam ab effectu. Christus est vnica caussa & sola, liberans nos à morte æterna, & reddens nobis vitam æternam, vt Iohan. 1. dicitur: In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Et quoties repetit Christus in Euangelio hoc suum dictum: Ego sum vita. Ego resuscitabo eos ad vitam æternam. Ego sum resurrectio & vita &c? Sed interea tamen verum est, & manet verum, quòd dilectio proximi sit signum commonefaciens nos de hoc beneficio Christi, & discernẽs verè pios ab hypocritis. Ideo seueriſsimè dicitur à Iohanne, Qui non diligit fratrem, manet in morte, id est, est mortuus hypocrita. Sumatur autẽ decla-

declaratio huius responsionis à spiratione, quæ certè necessaria est homini & ceteris animalibus. Caussa vitæ nostræ non est spiratio, sed anima. Vnde autem scimus dormientes viuere? non ex actionibus sensuum, non ex locali motu corporis, sed ex spiratione. Ita quanquam dilectio non est caussa iustificationis, tamen est signum & effectus necessariò sequens iustificationem, & discernens vitam à morte, pietatem ab hypocrisi. Hæc dicuntur cum summa gloria Filij Dei, & tamen retinetur veritas contra hypocritas.

Quartum.

Fide sumus iusti.
Fides est opus.
Ergo propter opera sumus iusti.

Respondeo ad Maiorem. Hæc propositio: Fide sumus iusti, cor relatiuè intelligenda est, videlicet misericordia propter Filium Dei sumus iusti, sed hanc oportet fide apprehendi, audita voce Euangelij, quia certè aliquid esse oportet, quo fiat applicatio misericordiæ.

Quemadmodum nobilis, aut Princeps aliquis magnifacit suũ annulum, quem gestat in digito, non propter massulam auri exiguam, sed propter pretium gemmæ, quæ inserta est annulo: ita fides iustificat nos, nõ quatenus est opus, aut virtus in nobis, sed quia apprehendit gemmam Christum, apprehendit eius beneficia, & hæc nobis applicat.

Quintum.

Gratia sumus iusti.
Gratia est dilectio infusa cordi.
Ergo dilectione infusa sumus iusti.

Hoc argumentum sumitur ab imagine, seu similitudine naturalium actionum. Sicut ignis est calore calidus, & aqua est humore humida: ita fingunt Monachi, nos esse iustos infusa dilectione, accensa à Spiritu sancto. Aqua est calida infusione caloris, quia ignis transfudit calorem in aquam. Sic igitur imaginantur Monachi, nos iustos esse nostris qualitatibus, quæ in nobis hærent.

Ad Minorem respondendum est. Gratia nõ tantùm significat

bonos motus à Spiritu ſancto accenſos in credentibus, ſed principaliter intelligatur de gratuita imputatione ſeu acceptatione. Quanquam enim Legi nondum ſatisfacimus, tamen & nos placemus, & placet inchoata obedientia per gratiam, id eſt, propter Mediatorem.

Vocabula ſunt in prædicamentis ſecundum propriam & principalem ſignificationem: ſic vocabulum gratiæ eſt in prædicamento Relationis, & ſignificat propriè & principaliter gratuitam acceptationem, qua recipimur à Deo per miſericordiam gratis, propter Mediatorem. Hæc eſt principalis & propria ſignificatio vocabuli gratiæ, vt ſuprà oſtendimus ſuo loco multis verbis. Altera ſignificatio minùs principalis, qua ſignificat donum, vt 1. Cor. 12. dicitur: Diuiſiones ſunt gratiarum, id eſt, donorum. Etſi igitur fatemur, nos ſemper cum gratia, id eſt, reconciliatione accipere donum Spiritus ſancti, & multa alia dona, quæ comitantur hunc Spiritum, tamen maneat in cauſſa, quod mutari nō poteſt, videlicet nos ex plenitudine Chriſti accipere gratiam pro gratia, id eſt, diligi nos propter dilectum Epheſ. 1. Iohan. 1.

Sextum.

Impoſsibile eſt noſſe voluntatem Dei erga nos.

Credere, quòd ſimus in gratia, eſt aliquid affirmare de voluntate Dei erga nos.

Ergo impoſsibile quiddam affirmare videmur, cùm dicimus credendum eſſe, quòd ſimus in gratia.

Maior conſtantiſsimè neganda eſt de voluntate Dei reuelata in Lege & Euangelio. Vt enim ex Lege timemus Deum, ſic fide confugimus ad miſericordiam patefactam in Euangelio. Eſt enim Filius verax nuntius & teſtis voluntatis diuinæ de noſtra ſalute. Quare cùm promiſsio gratiæ edita per Filium ſit vniuerſalis, offertur omnibus, & nemo illius expers eſt: niſi qui renuit, vt Bernardus ſerm. 1. de purificatione præclarè dixit.

Verba Bernardi ſunt: Miſericordia Dei in communi poſita eſt, & offertur omnibus, & nemo illius expers eſt, niſi qui renuit. Eſt dictum plenum conſolationis, Chriſtus eſt agnus mactatus in Paſchate, vt ait Paulus 1. Cor.

1. Corinth. 5. Miniſtri apponentes hunc agnum, ſunt Apoſtoli & eorum diſcipuli, & omnes qui funguntur munere docendi: patinæ, in quibus apponitur hic cibus, & offertur omnibus cõuiuis, ſunt vox Euangelij & Sacramenta, Baptiſmus & Cœna Domini. Si quis igitur non manducat hunc agnum, is ſibi imputet damnationem, non Chriſto, non Deo, non miniſterio.

Quod ad argumentum attinet, ſpecioſa eſt maior, ſi conſulas iudicium rationis, ſed ſimpliciter eſt neganda de voluntate Dei reuelata. Non enim iam ſcrutamur arcana conſilia Dei. Deus propoſuit nobis duas regulas, vnam in Lege, alteram in Euangelio. Prior regula legalis eſt, qua Deus accuſat & damnat omnes homines propter peccata, iuxta dictum, Maledictus omnis &c. Ab hac regula nemo excipitur, vt Paulus inquit: Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei. Item, vt omne os obturetur, & totus mundus ſit reus Deo, Rom. 3. Altera regula ſimilis balſamo ſaluberrimo, quod ſanat vulnera ſine dolore, eſt vox Euangelij, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Sicut igitur ex Lege debes timere Deum, agnoſcere iuſtum iudicium & iram Dei aduerſus tua peccata, & verè expaueſcere hac agnitione: ita ex Euangelio concipias fiduciam miſericordiæ promiſſæ propter Mediatorem, ſicut inquit Epiſtola ad Hebræos, cap. 4. Habentes talem Pontificem, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt conſequamur miſericordiam tempore oportuno.

Septimum.

Quoties homines docendi ſunt de rebus bonis, magis expetitur dialectica breuitas & proprietas, quàm ornatus ambitioſus & intempeſtiuus. Ideo in ſolutione argumentorum, quæ obiiciuntur contra veram doctrinam de iuſtificatione coram Deo, ſumus contenti nudis propoſitionibus.

Nemo placet, niſi habens nouas virtutes ortas à Spiritu ſancto.
Nemo poteſt affirmare, ſe habere illas virtutes: quia poſſunt eſſe virtutes ſimiles, ortæ à ratione.
Ergo nemo poteſt affirmare ſe placere Deo.

Nego Minorem. Etſi enim non ſumus iuſti nouis virtutibus,

ſed propter Mediatorem, tamen veriſsima ſunt dicta de renatis, 2. Corint. 1. Deus vnxit & obſignauit nos, & dedit arrabonem Spiritus in corda noſtra. Roman. 8. Spiritus dat teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei. 1. Iohan. 3. In hoc ſcimus, quoniã manet in nobis, de Spiritu, quẽ dedit nobis.

Sicut Deum non vides, & tamen agnoſcis eum ex operibus ordinariis & extraordinariis: ita agnoſcimus Spiritum ſanctum in nobis habitantem ex fructibus Spiritus, qui recenſentur Gala. 5. Animam tuam habitantem in tuo corpore non cernis tuis oculis, & tamen ex actionibus vtcunque ratiocinamur, qualis ſit animæ ſubſtantia, qualis natura. Ita multa ſunt ſigna præſentiæ Spiritus ſancti in nobis. Primum ſignum & quidem certiſsimum, & minimè fallens, eſt amor totius doctrinæ à Deo traditæ iuxta dictum Iohan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Hîc affirmat Chriſtus, nos eſſe templa & domicilia Spiritus ſancti, imò totius diuinitatis, ſi ſimus & maneamus ſtudioſi & amantes doctrinæ Euangelij. Alterum ſignum eſt ſeria & ardens precatio, non tantùm pro nobis, ſed etiam pro vniuerſa Eccleſia & Republica. De hoc ſigno dicitur Zachar. 12: Effundam ſuper domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Hic enim Spiritus impellit noſtra corda ad inuocationem. Si igitur amas Euangelium ſine ſimulatione, non tuę vtilitatis cauſſa, ſed propter gloriam Dei, & propter ſalutem animæ tuæ: deinde ſi Deum verè & rectè inuocas in agnitione & fiducia Filij, non dubium eſt, te habere Spiritum ſanctum, & verè potes affirmare, te eſſe membrum Filij Dei, & organum Spiritus ſancti. Ad hæc duo ſigna accedit tertium, quod etiam non fallit, videlicet amor Eccleſiæ & concordiæ piæ in Eccleſia. Nam amor Dei & Eccleſiæ debet vincere omnes alios affectus & dolores. Multi haberent hoc tempore iuſtiſsimas cauſſas, imò etiam neceſſarias expoſtulandi cum aduerſariis ſuis, & accuſandi eos atrociſsimè, & refutandi eos acerrimè, ſed quòd non indulgent cupiditatibus vindictæ, quæ non turbant Eccleſiam, quòd non excitant plus malorum & ſcandali, hoc non fit aliam ob cauſſam, quàm quia pluris faciunt Deum & Eccleſiam, & poſteritatem, quàm ſuos priuatos affectus & dolores. Ex his & ſimilibus ſignis, potes certiſsimè concludere, te eſſe organũ S. S. & templum Dei. Legite fructus reliquos Gal. 5.

Octauum

Octauum.

Virtutes non ſunt confundendæ.
Fiducia eſt actus ſpei.
Ergo non eſt actus fidei.

Reſpondeo. Magna eſt cognatio fidei & ſpei, ſed tamen differunt: quia fides accipit præſens beneficium, ſcilicet remiſsionẽ peccatorum: ſpes verò expectat futuram liberationem.

Miles quando conducitur ad militares labores, ſeu quãdo nomen ipſius aſſcribitur militiæ, accipit aliquid pecuniæ in præſentia: poſt acceptum illud peculium, venit in locum deſtinatum delectui. Ita in militia Chriſtiana fides accipit præſens bonum, ſcilicet remiſsionem peccatorum: expectat autem ſpes futuram liberationem, introductionem in terram Chanaan, id eſt, in vitam æternam.

Nonum.

Mala opera damnant.
Ergo bona opera ſaluant.

Reſpondeo. Contraria ſi ſint pariter integra, habent contrarios effectus.

Exemplum de calore & frigore. Calor quando eſt fortis, reſoluit maſſam plumbeam vel argenteam: ſed ſi eſt debilis, non poteſt hoc efficere. Frigus conſtringit, ſi eſt forte, id verò non poteſt præſtare, ſi eſt debile.

Etſi autem mala opera ſunt integrè mala, tamen iuſtitia renatorum talis eſt in hac vita, vt potiùs remiſsione peccatorũ conſtet, quàm perfectione virtutũ, vt Auguſtinus inquit lib. 19. de Ciu. Dei. cap. 27.

Quare nos omnes & ſinguli quotidiè inter alias preces & vota, hanc etiam precationem recitamus: Dimitte nobis debita noſtra? nónne hac ipſa cõfeſsione conteſtamur, nos eſſe adhuc miſeros peccatores, non habere nos perfectionem virtutum, procul nos diſtare à Legis idea & perfectione? Numeret aliquis ſua bona opera ab aurora vſque ad crepuſculum, & inueniet, quantum boni fecerit.

Decimum.

Peccatum eſt odium Dei.
Ergo iuſtitia eſt dilectio Dei.

Concedo totum argumentum ſine ambiguitate intellectum. Sed aliud eſt loqui de iuſtitia perſonæ coram Deo, aliud de iuſtitia operum ſeu virtutum. Hoc diſcrimine de iuſtitia perſonæ & operum conſiderato, multum lucis accedit vniuerſę huic doctrinæ.

Diſçernamus inter perſonam & opus, aliud eſt perſona, aliud opus. De iuſtitia perſonæ dicit Paulus: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiã. De iuſtitia operum dicit Iohannes in Canon. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.

Vndecimum.

Iuſtitia eſt in voluntate.
Fides non eſt in voluntate.
Ergo non iuſtificamur fide.

Neganda eſt Minor: quia fides non tantùm eſt notitia & aſſenſus in mente, ſed etiam fiducia in voluntate & corde.

Hoc argumentum naſcitur ex diſputatione philoſophica, quæ extat in lib. 6. Ethic. Ariſtotelis, de habitibus intellectus. Fides ab Ariſtotele non numeratur inter habitus voluntatis, ſed inter habitus intellectus. Nam fides, quæ eſt notitia hiſtoriæ de Alexandro Magno, aut de Iulio Cæſare, verè eſt tantùm notitia in mente. Paulus autem loquitur de fide, quæ non tantùm eſt lux in mente, ſed etiam motus Spiritus ſancti in corde & voluntate. Sic enim definit fidem Hebr. 11. Fides eſt ἔλεγχος, id eſt, certa notitia rerum non apparentium, & eadem fides eſt ὑπόστασις, id eſt, fiducia rerum ſperandarum.

Duodecimum.

Iacob. 2. Vides, quòd ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide ſolùm.

Magnam habet ſpeciem hæc obiectio.

obiectio. Est enim textus manifestus. Quid igitur agemus, an reiiciemus totam Epistolam? Non. Sunt multa bona præcepta & vtiles sententiæ in Epistola Iacobi. Affingemúsne Iacobo corruptelas, id est, miscebimus aquã vino, sicut faciunt caupones? Non. Quid ergo? Conferemus textus ipsos inter se. Proponitur in cap. secundo Iacobi exemplum Abrahæ, quem Scriptura aliâs laudat propter fidem, vt quando dicitur Genes. 15. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam: aliâs laudat Scriptura opera Abrahæ, vt Genes. 22. Nunc cognosco, quòd timeas Deum, quia non pepercisti filio tuo vnigenito. Hæc nõ pugnant rectè distributa, & rectè inter se collata. Quando laudatur fides Abrahæ, laudatur fons & radix, quando laudantur opera Abrahæ, laudantur riuuli deducti ex fonte fidei, & fructus ab hac radice pullulantes. Nihil decerpitur de laude arboris bonæ, etiamsi fructus ornentur suis laudibus & præconiis. Imò fructus non possunt laudari, nisi arbor sit bona, quia nemo colligit de tribulis ficus, aut de spinis vuas. Non reiiciamus Epistolam, quod aliqui faciunt, de quorum consilio ego nunc non disputo. Iacobus tam fuit Apostolus, quàm Petrus & Paulus, & si vni detrahitur autoritas, etiam ceteris derogatur fides.

De hoc argumento respondet Augustinus enarrans Psalm. 32. Iacobus in epistola sua contra eos, qui nolebant bene operari, de sola fide præsumentes, ipsius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem: & nõ sunt sibi aduersi Apostoli.

Nõ pugnat Iacobus cum Paulo, quia habent diuersas intentiones. Paulus disserit de iustitia fidei, cõsolatur afflictas conscientias, quæ sentiunt iram Dei, & metuunt æternam abiectionem inter Diabolos. Hos alloquitur tanquam medicus, inquiens, Fide iustificamur sine operibus. Iacobus alios habet auditores, qui gloriantur de fide: dicunt, se esse iustos & sanctos, & beatos, & tamen interea accipiunt vsuram penè immanem, quales multi reperiuntur in hac ipsa vrbe, qui de Ioachimico vno, per septimanam exigunt octo nummos Misnicos. Hi an non sunt deteriores multò quàm Brutus, qui reprehẽditur à Cicerone, quòd in Cypro exegerit vsuras quatercentesimas, id est, de centum florenis, quadraginta octo. Sed metuant tales nebulones exitum similem Bruti.

Dicit autem Abrahæ opus omnibus notum: Abraham filium

ſuum immolandum Deo obtulit. Magnum opus, ſed ex fide, laudo ſuperædificationem operis, ſed video fidei fundamẽtum, laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodeſſet, qualecunque illud opus eſſet. Rurſum ſi ſic teneret fidem Abraham, vt cùm ei Deus imperaret offerre ſibi immolandum filium ſuum, diceret apud ſemet ipſum, Non facio, & tamen credo, quia me etiam contemnentem iuſſa ſua liberat Deus, fides ſine operibus mortua eſſet, & tanquam radix ſine fructu ſterilis, atque arida remaneret.

Meliorem enarrationem & conciliationem Iacobi & Pauli non legi in vllo ſcriptore vetere aut recenti. Vtraque propoſitio vera eſt, Fides ſine operibus iuſtificat: & altera, Fides ſine operibus eſt mortua. Fides iuſtificat ſine operibus, quia ſumus iuſti coram Deo propter Mediatorem crucifixum & reſuſcitatum pro nobis, quem fide ſola, & non aliter apprehendimus, non ſpe, aut dilectione. Altera propoſitio etiam eſt vera, quæ extat in Epiſtola Iacobi: Fides ſine operibus eſt res mortua, id eſt, hypocriſis. Si tu gloriaris de fide, tanquam de radice, & nullos oſtendis fructus congruentes illi radici, profectò & te, & alios decipis, fucum facis hominibus, & tibi ipſi accerſis maxima mala, ſcilicet pœnam omnium hypocritarum, carentium veſte nuptiali.

Decimum tertium.

1. Corinth. 13. Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil ſum.

Ergo non ſola fide iuſtificamur.

Nego conſequentiam: quia eſt fallacia à non cauſſa, vt cauſſa. Etſi enim neceſſariò adeſt dilectio in conuerſione, tamen non eſt cauſſa iuſtificationis.

Quæſitæ ſunt olim variæ reſponſiones ad dictum Pauli. Nã alij dixerunt, Paulum loqui non de fide iuſtificante, ſed de fide, quæ eſt donum faciendi miracula. Alij vſi ſunt dialectica reſponſione, & diſtinxerunt propoſitionem hypotheticam à Categorica: Categorica, inquiunt, aſſeuerat aliquid, Hypothetica verò nihil aſſeuerat, niſi poſita cõditione. Valeant hæ reſponſiones, quantum poſſunt: nos concedamus aduerſariis hanc ſenten-

sententiam, quę est verissima, quòd videlicet necessaria sit in omnibus renatis & conuersis dilectio. Est enim fides per dilectionem efficax Gal. 5. & sine operibus est res mortua, vt dicit Iacobus: sed hinc non sequitur, dilectionem esse caussam nostræ iustificationis. Ratio est, quia propter nullam virtutem, siue sit fides, siue spes, siue dilectio sumus iusti coram Deo, sed tãtùm propter Mediatorem. Quòd autem dicimus, hominem fide iustificari, id intelligitur correlatiuè: quia fides est caussa instrumentalis, quæ apprehendit Mediatorem & eius beneficia. Omittite ceteras responsiones, quæ sunt magis intricatæ.

Decimum quartum.

Matth. 19. Si vis in vitam ingredi, serua mandata.
Ergo nostra obedientia meretur vitam æternam.

Respondeo: Cùm Paulus dicat, Per fidem Lex stabilitur, necesse est concionibus Legis addi Euangelium, quod docet propter Filium nos recipi, & fide inchoari nouam obedientiam, iuxta omnia præcepta moralia.

Lex & Euangelium differunt, sicut summum ius & æquitas, seu ἐπιείκεια. Vt igitur in ciuilibus negotiis propter probabiles rationes mitigatur seueritas summi iuris: ita Euangelium est dulcissima ἐπιείκεια, seu mitigatio Legis. Lex obligat nos vel ad obedientiam integram, vel ad pœnam æternam: sed Euangelium mitigat hanc regulam, & docet, personam gratis recipi à Deo propter Mediatorem fide: deinde affirmat placere inchoatam obediẽtiam propter eundem Mediatorem. Hoc modo Lex stabilitur, enarratur, mitigatur per fidem, seu per Mediatorem, qui non venit soluere Legem, sed implere.

Decimum quintum.

Remittite, & remittetur vobis.
Ergo nostra condonatio meretur remissionem.

Respondeo. Hoc dictum & similia sunt conciones pœnitentiæ, in quibus prior pars præcipit conuersionem, altera est promissio, quam Euangelium declarat, sicut Paulus inquit: Ideo ex

fide gratis, vt sit firma promissio. Si enim ex nostra condonatione penderet, quæ semper est imperfecta, fieret incerta remissio.

Hoc dictum, Remittite, & remittetur vobis, est concio pœnitentiæ, quæ habet duas partes: prior præcipit conuersionem ad Deum, Desinite malè facere, & discite bene facere, inquit Esaias in eandem sententiam. Altera pars est promissio, quæ est intelligenda iuxta declarationem Euangelij. Non enim ex singulis verbis, sed ex perpetuitate æstimãda sunt scripta vniuersa. Affirmat autem Euangelium, gratis dari remissionem peccatorum, nullo nostro opere & merito. Si enim penderet remissio peccatorum ex nostra ἀμυησία, seu condonatione, quæ semper est immunda & contaminata aliquo nævo, profectò fieret incertissima. Vt igitur sit certa, firma, & rata, nititur alio fundamento firmiore, videlicet Mediatore Christo, non arena nostrorum operum. Nemo nostrum est tam placabilis, tam facilis ad reconciliandum, quin maneat in corde aliqua cicatrix & nævus, siue, vt veteres dixerunt, aliquis rancor. Iam si penderet ex nostra cõdonatione quamuis non simulata, sed tamen imperfecta, remissio peccatorum, quis nostrum haberet remissionem peccatorum?

Decimum sextum.

Maxima virtus iustificat.
Dilectio est maxima virtus.
Ergo dilectio præcipuè iustificat.

Respondeo: Maior vera esset, si iusti essemus impletione Legis, sed quia Lege nõ sumus iusti, & in promissione ostenditur alia iustitia, scilicet quòd propter Filium Dei iusti simus, ideo nominatur fides, quæ apprehendit Mediatorem, siue hæc virtus sit maior, siue minor dilectione. Non enim sumus iusti propter nostras qualitates, sed propter Filium Dei.

Tantùm duo sunt genera iustitiæ coram Deo: vnum genus est legale, alterum est Euangelicum. Loquor autem de iustitia personæ. Angeli sunt iusti legaliter, id est, dilectione Dei, & Ecclesiæ angelicæ & humanæ, semper vident faciem Patris, & faciunt voluntatem Dei, tribuunt Deo gloriam: precantur hominibus pacem & læ-

& lætitiam, hæc est Angelorum sententia. Talem iustitiam habuit Adam ante lapsum, quæ vocatur iustitia originalis, id est, conformitas integra cum Lege Dei, sed quia homo lapsus est, & non retinuit originalem, id est, legalem iustitiam: ideo sine Lege patefacta est alia iustitia, id est, promissio Euangelij, de qua testificantur Lex & Prophetæ. Roma. 3. Hæc autem iustitia est imputatio iustitiæ, seu remissionis peccatorum, seu reconciliationis cum Deo propter Mediatorem, iuxta dictum, Credidit Abraham Deo &c. Hoc discrimen semper memineritis. Post hanc vitam erimus ἰσάγγελοι, & habebimus legalem iustitiam, id est, conformitatem cum Lege, iuxta dictum: Dabo Legem meam in corda eorum. In hac autē vita sumus & manemus iusti, sola fide, non dilectione, aut ceteris virtutibus.

Deinde quod attinet ad dictum Pauli, Dilectio est maxima virtus: Concedo: quia cessante fide, & spe, durat dilectio, quando pius homo moritur, tunc desinit facere suum officiū fides & spes. Quod enim aliquis videt, non credit, nec sperat. Fides est rerum inuisibilium, spes rerum futurarum. Si quis igitur in præsentia fruitur beatitudine, iuxta dictum, Beati mortui, qui in Domino moriuntur: huic non opus est fide, aut spe. Dilectio autem, hîc tantùm inchoatur, & perficietur in altera vita, vbi fiet ingens flamma, qualis est in Angelis. Ideo dicit Paulus, Dilectio est maxima virtus, id est, maximè durabilis, durat in omni æternitate, cessantibus fide & spe. Fides & spes sunt virtutes huius vitæ: dilectio est virtus seruiēs huic & æternæ vitæ.

Decimum septimum.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.
Ergo propter dilectionem fit remissio.

Respondeo breuissimè. Dilectio nec inchoari potest, nec placet sine fide accipiente gratuitam remissionem peccatorum. Est igitur in hoc dicto vsitata synecdoche, Remittuntur ei multa, quia conuersa est. Etsi autem multæ sunt partes cōuersionis, cōtritio, fides, dilectio, spes, bonum propositum: tamen sciendum est, dari remissionem, nō

Dicat aliquis: Cur tu facis synecdochen in Loco de bonis operibus, & non facis synecdochen in Loco de fide? Si enim vtrobique faceres synecdochen, tum locorum pugnantium pri-

propter dignitatem harum virtutum, ſed propter Mediatorem.

ma ſpecie eſſet facilis cõciliatio.

Reſpondeo: Ratio ſynecdoches in locis de operibus habet duas cauſſas, vel duos fontes. Prior eſt, quia dilectio non poteſt inchoari ſine fide, id eſt, ſine agnitione & fiducia Mediatoris, qua accipitur remiſsio peccatorum, & reconciliatio cum Deo. Quis enim noſtrum poteſt diligere Deum iratum, qui eſt ignis conſumens? Tunc autem incipimus diligere Deum, quando ſentimus eum eſſe placatum, propitium, miſericordem, & propter Chriſtum velle remittere peccata, & dare vitam æternam gratis, tum, inquam, exiſtit aliqua nobis dilectio. Deinde alter fons eſt huius ſynecdoches, quia etiamſi poneretur hæc falſa hypotheſis per impoſsibile, quòd ſine fide inchoetur dilectio, tamẽ non placeret Deo, quia hoſtium dona non ſunt dona, nec ſunt vtilia, vt ait Sophocles in Aiace. Quòd autem non placeat noſtra obedientia ſine fide, teſtatur Epiſtola Hebr. 11. Impoſsibile eſt ſine fide Deo placere, ſcilicet perſonã & opus. Et Roman. 14. Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Hæc duo axiomata cogunt nos volentes nolentes facere ſynecdochen in locis, qui concionantur de operibus, vt hoc loco, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, id eſt, quia conuerſa eſt ad Deum. Conuerſio autem non eſt ſine fide. Et quanquam multæ ſunt partes conuerſionis: tamen nulli tribuitur iuſtificatio, niſi fidei, & fidei, non tanquam virtuti, ſed tanquam inſtrumento apprehenſiuo.

Decimum octauum.

Vita æterna nominatur merces.
Ergo eſt debita pro operibus.

Reſpondeo breuiſsimè. Sicut patrimonium eſt merces officiorum filij, etiamſi accipitur propter aliam cauſſam: ſic vita æterna compenſat benefacta, etiam ſi propter aliud datur.

Auguſtinus ſic reſpondet, & non malè: Vita æterna eſt donũ, & vita æterna eſt merces. Eſt donum miſericordiæ diuinæ, eſt merces iuſtitiæ diuinæ, quaſi dicat: Cùm Deus ſit miſericors, gratis nobis donat remiſsionem peccatorum, & ſimul vitam æternam, iuxta dictum Roman. 6. Dei donum eſt per Chriſtum vita æterna.

Eadem

Eadem verò vita æterna vocatur merces, reſpectu iuſtitiæ diuinæ, quæ coronat ſua dona in nobis. Conuenit enim iuſtitiæ Dei aliquid præmioli dare pro obedientia filiali, etiamſi non debetur ex obligatione ciuili. ſed ſimus contenti hac reſponſione de patrimonio. Tu es hæres tui patris eo momento, quo aſpicis hanc lucem, ſiue ſis vnicus hæres, ſiue cum aliis fratribus & ſororibus. Ergo datur tibi hæreditas propter generationem. deinde eadem hæreditas compenſat tuos labores, moleſtias & ærumnas, quas ſuſtines in familia paterna, in curatione rei familiaris: ita vita æterna eſt donum per Chriſtum, & ſimul eſt merces.

EXPLICATIO TEXTVS LOCORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANCHTHONIS

De bonis operibus.

EXPOSITA ſumma doctrinæ de bonis operibus, nunc percurremus vtiliſsimas & dulciſsimas pagellas Præceptoris. Nihil enim in ſtudiis magis prodeſt ad comparandam veram eruditionem, quàm earundem rerum quotidiana repetitio. Sicut enim diæta optima eſt, in qua non eſt magna varietas cibi & potus, ſed quò ſimplicior eſt diæta, eò ſalubrior eſt corporibus humanis: ita ſtudioſi, qui veram eruditionem & pietatem expetunt, non faſtidiant vſitata, nec cupiant quotidiè aliquid noui audire, ſed ament neceſſariam doctrinam vbicunque proponitur, & nunquam ab ea, ſatietate aut faſtidio abalienentur.

Poſtquam expoſita] Poſtquam eſt dictum de fonte, dicendum etiam eſt de riuulis, tradita doctrina de radice, neceſſe eſt dici de fructibus. Fides eſt fons & radix bonorum operum. Bona opera ſunt riuuli & fructus fidei, habent ſe iſta correlatiuè, ſicut cauſſa & effectus.

Obedientia noſtra] Perſpicua aſſeueratio & categorica propoſitio opponenda furori Antinomorum, qui dicunt bona opera non eſſe neceſſaria, ſed poſita eſſe in arbitrio & electione hominis.

Chriſtus] Marc. 1. Agite pœnitentiam. & Luc. vlt. iubet in ſuo nomine prædicari hæc duo, pœnitentiam & remiſsionem peccatorum.

Debitores] Debitum eſt ordo immutabilis, vt creatura Deo obtemperet.

Debitum non ſignificat coactionem, vt aliqui ſycophanticè interpretantur, ſed ordinem diuinitus ſancitum, quo creatura rationalis debet eſſe ſubiecta & conformis creatori. Eſt enim condita ad imaginem Dei.

Qui facit] Concilia hos duos locos: 1. Iohan. 1. dicitur: Si dicimus, nos non habere peccatum, mendaces ſumus. Et 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt. Reſpondeo. Aliud eſt habere peccatum, aliud facere peccatum. Habere peccatum eſt circumferre reliquias peccati originalis, & tamẽ his repugnare Spiritu: Facere peccatum, eſt amplecti errorem pugnantem cum fundamento, & ruere contra conſcientiam. Videtis igitur ipſum Iohannem diſcernere peccatum regnans, quod ipſe nominat facere peccatum, à communi infirmitate omnium hominum, etiam renatorum.

Ad hoc apparuit] Quod dicitur figuratè in Geneſi cap. 3. Semen mulieris conteret caput ſerpentis, hoc dicitur propriis verbis à Iohanne. Quæ ſunt opera Diaboli? peccatum & mors. Quæ ſunt opera Filij Dei? Iuſtitia & vita.

Vt noua] Proba hanc ſententiã. Rom. 3. Per fidem ſtabilimus Legem, id eſt, Poſtquam fide ſumus iuſtificati, inchoatur in nobis conformitas cum Lege, obedientia Legi debita.

Præparauit] Præparauit, id eſt, diuerſas vocationes ordinauit, & ſingulas adiuuat.

adiuuat. Significat igitur præparatio hoc loco vocationem & auxilium.

Nihil est suscipiendum sine vocatione diuina, vt Iohannes Baptista inquit cap. 3. Iohan. Nemo potest sibi quidquam sumere, nisi sit ei datum desuper, id est, sine vocatione. Et ad Hebræos cap. 5. dicitur de Aarone fratre Mosis, Nemo vsurpet sibi honorem sacerdotis summi, sine vocatione, sicut nec Aaron nisi vocatus, seruiuit Deo in munere sacerdotali. Deinde sine auxilio Dei nulla industria humana & nulla virtus est felix aut salutaris, vt dicitur in Psal. 127. Nisi Dominus ædificauerit domum &c. Ergo Paulus vocabulo præparationis complectitur vtrumque, scilicet legitimam vocationem & auxilium diuinum. Deus te præparat, vt sis ad tempus scholasticus, verseris in studiis doctrinæ: huic vocationi debes obedire, non debes esse ignauus, aut contumax. Deinde si es fidelis in tua vocatione, & inuocas Deum, haud dubiè experieris auxilium diuinum, & præsentiam Dei, felicitatem in tuis studiis. Quod autem dico de scholastica conditione, quæ est valde humilis & spreta, id accommodetur ad summas functiones, ad gubernationem Ecclesiæ & Reipublicæ. Deus vocat Dauidem ad gubernationem, Ieremiam vocat ad munus Propheticum: & vtrumque adiuuat Deus suo loco.

Alibi] Psalm. 63. est panegyricum carmen de Christo, Confirma hoc Deus &c. Eobanus, Fac Deus in nobis, quod facis esse ratum.

Confirma]

Cùm accenderis doctrinam & lucem tuam in nobis, adiua hæc salutaria initia, & doctrinam latiùs propagato, idque facias propter templum, id est, vt seruetur & crescat, & non funditus intereat Ecclesia.

Cùm dederis, vt velimus: da etiam vt perficiamus.

Proferfines tui regni.

Ieremia] Ieremias docuit annos 40 ante excidiũ Hierosolymæ, 18 sub Iosia pio rege, sub quo habuit aliqua halcyonia. Post mortem Iosiæ docuit 22. annos sub filiis Iosiæ, Iehojakim & Zedechia. His totis annis 22. nihil aliud fuit sanctus vir Ieremias, nisi martyr. Nunc in carcerem coniectus est, nunc extractus, mox aliis iniuriis affectus est:

tandem post excidium Hierosolymæ, contra suam voluntatem abductus est à Iudæis seditiosis in Aegyptum, & ibi interfectus est, vel à Iudæis, vel, vt alij scribunt, à tyranno Aprye. Paulus post conuersionem docuit annis triginta sex. Hoc toto tempore habuit Paulus responsum mortis in se, semper fuit victima parata ad excipiendos ictus Tyrannorum: ac sæpe fuit propior morti, quàm tunc, cùm est interfectus, sed tamen Deus voluit hunc suum ministrum absoluere curriculum. Mundus non est dignus talibus viris.

I. QVAESTIO.

Quæ opera sint facienda.

Testimonia.

Psal. 119. Lucerna pedibus, &c.
Ezech. 20. In præceptis meis, &c.
Esaiæ 29: Frustrà colunt me mandatis &c.

Interiorem] Matth. 5. Nisi abundauerit vestra iustitia supra iustitiã Pharisæorum. Pharisæi præstabant externam disciplinam & hyprocrisin externorum operum, sine inuocatione Dei, & sine fide. Pij verò, vt Baptista, Paulus &c. cum disciplina coniungunt interiorem obedientiam, quæ consistit in timore Dei, in humilitate, patientia, fide, &c.

Fides parit dilectionem] Axioma Theologicum.

Ambros. Fides bonæ voluntatis & iustæ actionis genitrix est. Fides est mater, dilectio est soboles.

Aduersarij] Antithesis valde prodest ad docendum. Ferro viam aperit, qui per contraria currit, vt loquuntur Iurisconsulti.

Dolendum] Pathos, exclamatio pathetica. Oratio non debet carere suis gestibus, alioqui est planè plumbea, nihil habet gratiæ, nihil ornatus, nihil quod delectet auditorem.

Per Christum] Ephes. 3.

Item] Gal. 2, vbi sic legitis in fine. Ego

go non viuo, ſed viuit in me Chriſtus. Hæc ſunt verba de pondere: Quòd enim viuo, in fide Filij Dei viuo, qui ſe ipſum tradidit pro me &c. Hanc concionem non intellexit nec Cicero, nec Demoſthenes, imò multi in Eccleſia non intelligunt.

Hoc dictum deſcribit perpetuam copulationẽ capitis & membrorum, eam videlicet, qua caput Chriſtus per fidem nobis communicat ſuum meritũ & ſuam efficaciam, & ſuæ maſſæ inſerit, & in nobis habitat. Certum eſt enim, communicari nobis Chriſtum, & omnia ipſius bona, per fidem ſolam. Nam de applicatione meriti Chriſti dicitur Rom. 3. quem conſtituit Deus propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine. De inhabitatione verò & effectis Chriſti in nobis, hæc dicta loquuntur, Eph. 3. Vt habitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris. Roman. 5. Iuſtificati fide pacem habemus. Actor. 15. Fide purificantur corda. Gal. 2. Per fidem viuo Filij Dei.

Id eſt, humanæ naturæ.

Duo ſunt inſtrumenta beneficiorum diuinorum in Eccleſia: vnum, quo datur: alterum, quo accipitur. Inſtrumẽtum ſeu organum reſpectu dãtis, id eſt, Dei, eſt Verbum, quia per Verbum Deus nobis omnia largitur. Cùm nomino verbum, ſimul complector Sacramenta, quæ ſunt pars miniſterij, & vt loquitur Auguſtinus, viſibile verbum. Sicut enim verbum accipitur auribus: ita Sacramẽta incurrunt in oculos. Idem eſt effectus verbi & Sacramenti, eadem efficacia, & eadem bona vtriſque exhibentur. Alterum inſtrumentum reſpectu accipientis, eſt ſola fides. Si enim vis accipere beneficia Chriſti, audi Paulum Rom. 3. Quem conſtituit Deus propitiatorem in ſanguine ſuo per fidem. Deinde ſi vis habere Chriſtum in te manentem & habitantem, audi quid dicat Paulus Eph. 3. Vt Chriſtus habitet in cordibus veſtris per fidem. Et Heb. 3. Si retinetis fidem, participes eſtis Chriſti, & per conſequens bonorum Chriſti. Poſtremò ſi expetis efficaciam Chriſti regnantis in te, audi Paulum Rom. 5. ſic concionantem: Iuſtificati fide, pacem habemus. Pax illa ſentitur, non eſt otioſa, ſed ſuperat omnem ſenſum & cogitationem, de qua dicit ſanctiſsimus ſenex Simeon, Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, in pace. Sed omnium maximè illuſtre eſt dictum Gal. 2. Fide viuo. Maneat igitur hoc quod in æternum non

poteſt mutari, quòd ſit vnum tantùm inſtrumentum, per quod dantur & exhibentur beneficia Dei, ſcilicet verbum, ſiue audiatur, ſiue incurrat in oculos: deinde quòd vnum tantùm ſit inſtrumentum, quo accipiuntur & applicantur nobis beneficia Chriſti, id eſt, fides. Si quis putat, ſe alia inſtrumenta monſtrare poſſe reſpectu dantis & accipientis, is fortunam inuocet.

Dauid] Exemplo rem propoſitam declarat. Quia ſit mentio Danidis præliantis, recitabo vobis hiſtoriolam, quam ſæpe audiui à D. Pomerano, piæ memoriæ, Paſtore Eccleſiæ VVitebergenſis. Is ſæpe repetebat eam in concionibus ſuis. Fuit aliquando bellum diuturnum & acre inter agnatos Principes Lunebergenſes & Brunſuicenſes: ac copiæ Lunebergenſium erant longè minores hoſtium exercitu. Erat autem in caſtris Lunebergenſibus vir heroicus, vera fide & vera inuocatione Deum colens. Is vndecies vicit hoſtes, magis precatione, quàm armis. Quoties enim erat congrediendum cum hoſtibus, deſiliit ex ſuo equo, & breui atque ardenti oratione Deum compellauit: poſtea iterum conſcendens equum, ſublata in cœlum voce dixit, Ich heffs em geſagt, id eſt, Dixi Deo. Sic Dauid quoties præliatus eſt cum hoſtibus, precatus eſt à Deo auxilium & victoriam.

Dubitat] Collatio Ciceronis & Ieremiæ elegans & Rhetorica.

Plato] Lege libros Ciceronis de N. D. & de Legibus.

Dubitat ſe] Cicero in epiſtola ad Octauiũ Fruſtrà Deos appello, quorum aures atque animus à nobis abhorret.

Exaudiri] Ierem. 17. Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea, in die afflictionis. Herr erſchrecke du mich nicht/laß ſonſt hergehen/was nicht kan auſſen bleiben.

Ierem. 30] Dominus bellator fortis.

Fertque] Vox Epicurea.

70] Scilicet exilij Babylonici, de quibus extat prædictio Iere. 29.

Chriſtus]

Christus] Iohan. 4. Axioma in Ecclesia.

Adorabunt] Non in missa Papistica.

Spiritu]

Spiritus opponitur externo operi, & significat spiritualem motum accensum à Spiritu sancto. Veritas significat veram notitiam Dei, vt Iohann. 17. dicitur, Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.

Id est, Battologiæ, quæ orat sine intellectu, affectu, & cum contradictione.

Rationalem]

Rationalis cultus est, qui præstatur in agnitione & fiducia mediatoris, & refertur ad celebrationem Dei.

Vt intelligatis mentem Pauli, proponam vobis duo exempla. Reginæ Atticæ (quæ nominatur Praxithea) tanta fuit animi magnitudo, vt quanquam esset mulier, & haberet tantùm vnicam filiam hæredem regni, tamen non dubitaret eam exhibere patriæ, vt fieret victima pro salute ciuium. Ethnici homines, vt Euripides & Lycurgus in oratione contra Leocratem, valde mirantur hoc opus. Et certè difficile hoc fuit, quis negat? sed hoc opus, quanquam magnum per se, & non omnibus imitabile, non est cultus Dei, nõ est λογικὴ λατρεία. 1. quia non est à Deo mandatum hoc opus, est ἐθελοθρησκεία. 2. quia nulla est fides in regina Attica, nulla agnitio & fiducia Mediatoris. 3. non refertur hoc opus ad celebrandum Deum. E contra Abraham immolaturus suum Filium, præstat λογικὴν λατρείαν, quia mandatum Dei habet, & facit in fide, & refert totam obedientiam ad celebrationem Dei. Credo etiam iuniores intelligere ex his, quid sit rationalis cultus.

DE SECVNDA QVAESTIONE.

Sequitur altera quæstio de possibilitate, quomodo possint fieri bona opera, cùm & foris & intus multa sint impedimenta. De externis impedimentis inquit Paulus Eph. 5. Redimite tempus, quia dies mali sunt, id est, magna est moles negotiorum & periculorum. Vigilandũ est semper, multæ insidiæ sunt bonis, De interioribus &

domesticis impedimentis Paulus inquit Rom. 7. Video aliam Legem in membris &c. Cùm igitur tot impedimenta concurrant, quæ cursum bonorum operum languefaciunt & retardant, quæri & solet, & debet à piis, quomodo præstari possit noua obedientia. De hac quæstione respondebit textus: quanquam disciplinam homo non renatus vtcunque suis viribus & sua diligentia præstare potest, tamen interiorem & spiritualem obedientiam ne quidem inchoare potest sine præsentia Filij Dei, & sine auxilio Spiritus sancti. Nam Filius Dei de se inquit apud Iohannem cap. 15. Sine me nihil potestis facere, scilicet Deo placens, & animæ vestræ salutare. De Spiritu sancto canit tota Ecclesia, Sine tuo numine, nihil est in homine.

Lex est] 1. Timoth. 1. scilicet, vt eos coherceat metu pœnarum.

Item] Ephes. 4. Mementote hoc dictum, cuius simile nullum extat in sacris literis. Est grauissimum dictum, Nolite contristare Spiritum sanctum.

Loquitur Paulus de Spiritu sancto, quatenus habitat in cordibus piorum. In his cùm est gaudium spirituale, aut mœstitia: simul lætatur, aut dolet Spiritus sanctus. Vetat igitur perturbari corda piorum, & in his habitantem Spiritum sanctum, qui vnà gemit & dolet.

Primùm ab hoc dicto remoueatur Stoica imaginatio, quæ fingit in Deo esse ἀπάθειαν, hoc est, fingit Deum nec gratia, nec ira, nec ceteris affectibus moueri. Etsi autẽ absurdum videtur, Deo tribuere affectus, qui sunt perturbationes animi, & deformant eos, in quibus sunt: tamen cùm Scriptura vniuersa, perspicua asseueratione confirmet in Deo esse affectus, amorem erga Filium, & Ecclesiam, iram aduersus peccata, lætitiam propter nostram salutem, tristitiam propter nostrum interitum, non simus sapientiores ipso Deo, & vt maximè non intelligamus, quomodo hi affectus sint in Deo: tamen interea credamus, rem ita se habere, vt Scriptura affirmat, donec introducamur in æternum tabernaculum ex hoc fragili domicilio, vbi coràm cernemus Deum, & videbimus, quomodo diligat nos, quomodo irascatur peccatis. Deinde remota imaginatione Stoica, considerem⁹ exemplum

exemplum Dauidis, quod valde illustrat hoc dictum Pauli. Dauid rex & Propheta in populo Dei, sine vlla dubitatione habuit gubernatorem suæ mentis, voluntatis & cordis Spiritum sanctum. Non enim potuisset psalmos plenos doctrinæ & consolationis edere sine Spiritu sancto: sed postea rapiens alterius coniugem, & interficiens maritum, hoc scelere, quod certè maximum est, contristauit Dauid Spiritum sanctum, primùm in suo pectore, deinde in cordibus sanctorum plurimorum, qui offensi hac ipsa tristi specie tanti viri, aut defecerunt à Deo, aut leuiter senserunt de doctrina Prophetica: denique moles scandalorum & pœnarum, quæ secuta est lapsum Dauidis, multipliciter contristauit Spiritum sanctum. Sic igitur viuamus, sic discamus, sic doceamus, ne vel in nostro pectore, vel in aliorum cordibus contristemus Spiritum sanctum. Plura de hoc dicto ipsi cogitate: non enim omnia possunt verbis exponi.

Contemnit] Secura. Wanns wol geht.

Fugit] Perterrefacta. Ierem. 17. cap. describens prauitatē cordis humani, inquit, Prauum est cor hominis, ærumnosum & inscrutabile, quia aut in securitate contemnit & negligit Deum, aut perterrefactum fugit, & odit Deum. Vt enim est tumidum in rebus secundis, sic est timidum in rebus aduersis.

Simul] Simul fiunt iustificatio & regeneratio. Iustificatio fit per & propter Mediatorem iuxta dictum Rom. 5. Per vnius obedientiam &c. Regeneratio fit per Spiritum sanctum, sicut in Symbolo dicimus, Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam &c. Quis sanctificat Ecclesiam, vt sit sancta? Spiritus sanctus. Et huius quidem donatio semper cum remissione peccatorum coniuncta est.

Domum Dauid] Super Ecclesiam.

Recipi] Huius interpretationis author & testis est locupletissimus Paulus Roman. 8. inquiens, Hìc Spiritus dat testimonium, quòd sumus Filij Dei, &c.

Fidem & inuocationem] Quotuplex est vsus Scripturę? Triplex est vsus Scripturæ sacræ. 1. διδασκαλικὸς, doctrinalis, vt sic dicam, qui continet locos

doctrinæ. Alter vſus eſt παραμυθικὸς, id eſt, conſolatorius. Tertius vſus eſt paræneticus, id eſt, hortatorius. De hoc triplici vſu admonet nos Paulus Rom. 15. quæcunque ſcripta ſunt (ſcilicet in ſacris literis) ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Hic eſt primus vſus, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Poſt doctrinam nominatur conſolatio, quæ eſt finis doctrinæ vltimus. Cùm autem facit mentionem patientiæ & ſpei, ſignificat tertium finem, qui eſt hortatorius. Hortatur enim homines in afflictionibus, vt patienter ferant onus à Deo impoſitum, & ſperent meliora, vel mitigationem, vel liberationem in hac vel futura vita.

Internum] Domeſticum impedimentũ eſt peccatum originis.

Diaboli] Externa impedimenta.

Parentes luctu] Poſt ſenſum iræ Dei nullus dolor maior eſt, quàm qui oritur ex ſcelere aut calamitate ſobolis. Sumite exempla huius ſententiæ ex hiſtoria Iacobi & Dauidis. Iacob amiſſo Filio Ioſeph, totos annos 23. vixit in luctu & mœrore, nec admiſit conſolationem. Dauid verò poſt interfectum Abſolonem degenerem filium, has lugubres querelas vſurpat: Fili mi Abſalon, quis mihi det, vt ego pro te moriar? Quæ voces non intelliguntur, niſi ab iis, qui verſantur in ſimilibus doloribus, quos pariunt aut ſcelera, aut calamitates liberorũ. Vnſer HERR Gott kan die Eltern nicht höher ſtraffen/ denn wenn er jhnen vngeratene Kinder gibt.

Saul] Pater, & Ionathas filius ſimul in acie pereunt. Alter, videlicet Ionathas ab hoſte interfectus. Saul verò perit vt αὐτόχειρ, parricida proprij corporis.

Hector] Interfectus eſt ab Achille, vt ſcribitur in vltimo Iliados Homeri. Priamus interfectus eſt à Pyrrho filio Achillis, capta Troia, vt narrat Virgilius 2. Aeneid. Eſt triſtis deſcriptio: Imbellis ſenex confugit ad aram, hinc eſt abſtractus à Pyrrho, & volutatus in ſanguine filij, poſtea interfectus eſt.

Achilles] Interfectus eſt à Paride, cùm ad aram ſupplex procumberet, die

die nuptiali. Cùm bellum Troianum duraſſet annos decem, vtraque pars fuit defatigata diuturnitate belli. Inita eſt igitur hæc ratio pacificationis, vt Achilles duceret filiam Priami, & interea eſſent induciæ, donec in vrbe Troia celebrarentur nuptiæ. Quare cùm Achilles perſuaſus à Priamo veniſſet in vrbem Troianam, & iam ad aram vnà cum ſponſa ſupplex procumberet, Paris ex inſidiis interfecit eum.

Aiax] Notus eſt ex Sophocle, & ex 13. Metamorph. Ouidij. Aiax cœpit furere propter arma Achillis adiudicata Vlyſsi: poſtea furens ſibi necem conſciuit.

Pompeius) Interfectus eſt in Aegypto ab aulicis regis Aegyptij, ab Achilla, & reliquis conſiliariis.

Cæſaris) Huius interitus eſt notiſsimus. Interfectus eſt in Senatu à Bruto, & reliquis coniuratis, acceptis 23. vulneribus, Idibus Martij.

Neſcis) Grauiſsima commonefactio.

Quanquam) Ideo Chriſtus inquit, Vigilate. Semper debet hæc vox Chriſti ſonare in noſtris auribus.

Geneſ.) Tertio: Serpēs mordebit &c. Dauid intellexit hoc dictum. Sunt ignita tela, vt loquitur Paulus Eph. 6.

Rugiens) 1. Petr. 5.

Vt lupus eſuriens, ventris ſtimulante dolore,
Per nemora & ſaltus, per iugera, flumina, ripas,
Sæuus abit, ponitq; vago veſtigia luſtro,
Donec oues tandem pleno deprendat ouili,
Irruit in numerum graſſator &c.

Legite verſus in paraphraſi luculenta orationis Dominicæ Domini Stigelij, piæ memoriæ. Nihil legi ſplendidius in vllo poemate, quod hac ætate eſt editum.

Breui) Iohan. Hilthenius, Mona-

chus Franciſcanus in oppido Thuringiæ Iſenaco, ante annos 100 vixit. Is enarrationem Danielis ſcriptam reliquit, in qua hæc verba leguntur: Anno Chriſti 1600 in Europa vniuerſa regnabit homo ſæuiſsimus, & anno 1606 regnaturi ſunt Gog & Magog.

Cogitate, quantum adhuc reſtet de numero annorum, qui hac prædictione continentur. Non fuit Propheta Iohannes Hilthenius, ſed tamen aliquarum prædictionum illius veritatem comprobauit euentus. Prædixit enim anno 1516. fore inclinationem regni Pontificij. Huic prædictioni reſpondit euentus, quia reuerendus pater Lutherus, piæ memoriæ oppugnauit anno 17. indulgentias Papæ, & mota ſunt certamina doctrinæ, quæ adhuc durant, & durabunt vſque ad finem mundi.

Oſtenſum] Quodnam? 1. præſidium eſt præſentia Filij Dei in Eccleſia, & in ſingulis membris viuis.

Iohannes] 1. Iohan. 3. Adam & Eua fuerunt maximi martyres, & longè maiores, quàm Laurentius & Stephanus, quia non vna hora, aut vno die, aut vno anno ſunt excruciati, ſed aliquot ſeculis. Quoties recordati ſunt primi lapſus, non mirum fuiſſet, ſi mœſtitia exanimati eſſent. Nam primus lapſus eſt ianua omnium ſcelerum & peccatorum, & omnium pœnarum, quæ vagantur in genere humano. Huius lapſus conſcientiam ſuſtinere non potuiſſent, niſi fuiſſent erecti fide, & Filius Dei viuificaſſet corda ipſorum.

Iacob] Gen. 48. Angelus, id eſt, Filius Dei, qui eſt Angelus magni conſilij. Quare vocatur Filius Dei Angelus? an quòd ſit creatura angelica? Non dicitur angelus reſpectu ſubſtantiæ, ſed ratione officij. Angeli officium eſt aliquid nuntiare ſeu patefacere. Vocatur igitur Filius Dei, qui eſt ſubſtantialis imago Patris, angelus, quia ipſe eſt nuntius arcani conſilij & decreti de ſalute noſtra & redemtione. Pater non vocatur Angelus, quia Pater eſt perſona mittens; Pater non mittitur, ſed mittit: Filius eſt perſona miſſa ad Eccleſiam, ad patefactionem Euangelij, & ad opus redemtionis. Spiritus ſanctus etiam eſt perſona miſſa ad ſanctificationem. Eſt igitur in diuinitate Pater perſona mittens, non miſſa: ideo non dicitur Angelus: Filius & Spi-

ritus

ritus ſanctus ſunt perſonæ miſſæ, ſed cum quodam diſcrimine officij.

Eſaiam] 7. Ecce virgo concipiet &c.

Opitulator] Paulus Rom. 8. dicit: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si Filius Dei eſt noſter Emmanuel, nobiſcum Deus, quis contra nos? Nec verò tantùm adeſt nobis, vt patronus & aduocatus, ſed etiam habitat in nobis per fidē, quæ eſt longè arctior copulatio: eſt nobiſcum, & eſt in nobis.

Diabolum] Auguſtinus præclarè dicit: Chriſtus adoratur à nobis: orat pro nobis, & orat in nobis. Adoratur vt Deus, & dator omnium bonorum vnà cum Patre & Spiritu ſancto. 2. orat pro nobis tanquàm Mediator inter Deum & homines, vt Hebr. 4. ſcribitur, & Rom. 8. 3. orat in nobis tanquam caput in ſuis membris. Hæc eſt arctiſsima copulatio, qua nulla arctior cogitari poteſt.

Excubat] Eſt in excubiis, Wachtmeiſter/ quando nos dormimus, ipſe vigilat.

Sequitur ſecundum præſidium, quod eſt auxilium Spiritus ſancti.

Iohan. 14. Non relinquā vos orphanos, quaſi dicat, Vos eſtis orphani, ſeu pupilli in hoc mundo, ſine certo defenſore & præſidio, ſed confidite, ego ero ἐπίτροπος veſter, id eſt, tutor & curator, ego habebo rationem veſtri, prouidebo vobis, ne deficiatis, ne vlla pars boni vobis deſit. Verè Eccleſia eſt orphana in mundo.

Talia] Vt dator bonorum.

Patrem] Vt Mediator Chriſtus eſt inuocandus vtroque modo. 1. vt dator ſeu author omnium bonorum, id eſt, vt Deus. Deinde inuocandus vt Mediator, Interceſſor, deprecator pro nobis. Hæc coniunguntur in hoc dicto, Ego faciam, & rogabo.

Quot modis differunt vera inuocatio & falſa?

Duobus modis.

1. Agnitione eſſentiæ. 2. agnitione voluntatis Dei. De falſa inuocatione dicit Chriſtus Iohan. 4. Vos neſcitis, quid adoretis. Talis eſt

precatio Hecubæ apud Euripidem in Troadibus: Inuoco te Iupiter, siue es hoc cœlum, siue mens in cœlo.

De vera inuocatione idem Dominus inquit, Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & in veritate.

Patrem] Scilicet Domini nostri Iesu Christi, vnà cum Filio & Spiritu sancto.

Mediatorem] Agnitio voluntatis: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ioh. 3.

Paulus] 1. Cor. 10. Omnes bibebant de spirituali comitante eos petra: petra autem erat Christus.

Scriptum] Psal. 68, & Ephes. 4.

In altum] In cœlum.

Homerus] Lib. 1. Iliad.

Quæsitum] A Thetide matre Achillis.

DE TERTIA QVAESTIONE.

Quomodo placeant bona opera, quanquam imperfecta, manca & mutila.

De hac quæstione audietis dulcissimas responsiones, in quibus partim taxatur arrogantia hypocritarum, partim proponitur consolatio necessaria piis & perterrefactis mentibus. Nam hypocritæ omnium temporum inde vsque à Cain inflati sunt admiratione suę sapientiæ & iustitiæ. Pij verò agnoscunt suam infirmitatem & sordes, & propter has seriò expauescunt. Quare responsiones in textu sapienter medentur vtrique morbo, arrogantiæ, & pusillanimitati sanctorum.

Impeditam] Obseruate epitheta valde significantia.

Impeditam] Foris & intus. In nobis quidē ipsis sumus imperfecti, sed in Christo, vt Coloss. 2. dicitur, sumus consummati.

Paulus] Rom. 7. Volo, id est, approbo. Hebraica phrasi.

Mentes] Duo genera sunt auditorum in Ecclesia: alij auditores sunt Pharisæi, alij verò sunt verè pij.

Digni-

Dignitate] Vaniſsima arrogantia & perſuaſio, cui nulla res ſubeſt.

Regere] Plautus inquit, ſignificans, qualis ſit hominum vita, Res ſecundas decet ſuperbia, ſcilicet de facto, non de iure. Aliæ enim ſententiæ ſunt præcepta de moribus, aliæ ſunt dicta de euentibus. Es gehet alſo zu/wem es wol gehet/der iſt ſtoltz.

Rebus geſtis] Daniel. 4.

Conſtitutum] Eſt memorabilis hiſtoria apud Plutarchum in vita Syllæ. Timotheus filius ſummi viri in Republica Attica Cononis, multas res præclarè & feliciter geſsit, & propter ſucceſſus & victoriam adeo ſibi placuit, vt diceret ſemel in concione: Hæc ego feci, non fortuna. Poſt hanc vocem, vt ait Plutarchus, nihil vnquam feliciter geſsit, ſed à fortuna deſtitutus, ſemper fuit infelix. Hæc eſt iuſta pœna ſuperbiæ. Sic Nabuchodonoſor hoc loco inquit, Hæc eſt illa Babylon, quam ego feci.

Ne ab eo] Plato in 4. de Legibus: Superbus à Deo deſeritur: deſertus autem perturbat omnia, & paulò pòſt pœnam iuſtam ſuperbiæ perſoluens, ſibi ipſi, & familiæ, & vniuerſæ Reipub. peſtem perniciemque accerſit. Sicut propria pœna libidinũ eſt cæcitas, furor & amentia. Ro. 1. & Eph. 4. ita propria pœna ſuperbiæ eſt, quòd ſuperbi à Deo deſeruntur. Quid eſt autem à Deo deſertus, niſi mancipium miſerrimum Satanæ, vas iræ Dei, peſtis generis humani, Alaſtor, piaculum, cuius vmbra etiam bonis nocet? Accommodate exemplum Saulis ad hoc dictum, tanquam ad regulam. Saul ardens æmulatione aduerſus Dauidem, quem norat eſſe diuinitus electum & vocatum ad regnum, interficit ſacerdotes, qui præbuerant hoſpitium & victum Dauidi vaganti in deſerto, poſtea conſuluit magicam mulierculam de fortuna belli. Tandem re infeliciter geſta in bello, amiſit filium præſtantem virtute Ionathan, amicum Dauidis, & ipſe deſperatione fractus, necem ſibi conſciuit. Denique, ipſo mortuo, Deus iuſsit è medio tolli vniuerſam poſteritatem Saulis, excepta poſteritate Ionathæ, quæ propter pietatem patris conſeruata eſt vſque ad exilium Babylonicum. Vi-

detis, quòd verè congruant verba Platonis ad Saulem. Saul ſuperbus à Deo deſeritur, deſertus autem Saul perturbat omnia, nihil gerit feliciter, & paulò poſt, iuſtam pœnam, ſibi ipſi, familiæ, id eſt, poſteris, & vniuerſæ Reipub. peſtem perniciémque accerſit. Legite poſtremum caput 1. libri Regum, de infelici pugna Saulis cum Palæſtinis hoſtibus populi Dei. Nullum eſt peccatum quod ita clam obrepat homini non intellectum & animaduerſum, vt ſuperbia. Quare talibus dictis & exemplis reprimamus nos, extinguamus flammam ſuperbiæ, & oremus Deum, vt ipſe nos adiuuet.

Honeſtos] Egregia deſcriptio hypocritarum. Sic Flaciani dicunt, Veritas ruit, ruit, ruit. Dicam vobis hiſtoriam recentem. Hoc ipſo anno ante menſem, aut circiter, quidam hypocrita in ſua cõcione hac Thraſonica oratione vſus eſt. Agite, mei auditores, Deo gratias, quòd vos ſoli retinuiſtis puram doctrinam de iuſtificatione, de vſu Sacramentorum, & aliis articulis in Eccleſia. Nam ceteri omnes toto orbe terrarum, in tota Germania ſuperiori & inferiori, denique in omnibus regnis Europæ, nullo excepto, ſunt fanatici homines, ſchvvermeri, non rectè ſentiunt de articulis fidei. Cogitate, quanta hæc ſit arrogantia.

Prætexentes]

Æſchines contra Cteſiphontem: Comprehendite hunc piratam, latrocinium prætextu Reip. exercentem.

In oratione eadem inquit, Cauete ab illis oratoribus, qui ſemper in ore habent nomen Reipu. ſic illi, qui ſemper clamant, Veritas, Veritas, Eccleſia, Eccleſia, gloria, gloria Dei, diß ſeynd die rechten Geſellen.

Vtrinque] Eſt aphoriſmus Hippocratis, Difficilis, eſt medicatio, quando duobus contrariis morbis obuiam eundum eſt. Plato valde laudat in ſuis Dialogis hunc aphoriſmum, & ſæpe eo vtitur. Proponamus exemplum. Eſt aliquis habens frigidum ventriculum, & calidum epar. Quid igitur aget medicus? ſi remedium adhibet ventriculo, officit epati: ſi reſpicit ad epar, lædit ventriculum. Quare talis medicatio eſt valde difficilis, & requirit magnum artificem. Sic ſemper Eccleſia verſatur inter duo extrema, remigat inter duos ſcopulos Cyanæos, & ſemper experitur contrarias hyperbolas.

Diffi-

Diffidentia] Sic populus Israel peccauit, expetens nouam gubernationis formam, 1. Samuel. 8. Post mortem Moysi & Iosuæ fuit aristocratia in populo Dei vsque ad Saulem, quæ durauit annos 300. & ampliùs. Hac veteri forma aristocratica reiecta & repudiata, quæ tamen fuerat felix & salutaris, populus expetit nouum statum Reipublicæ, vi delicet regium statum. Etsi autem honesta species huic cõsilio prætexebatur, tamen duo peccata concurrebant in hac deliberatione, quorum alterum est audacia, alterum diffidẽtia. Audacia est, quòd sine mandato Dei, aliquid noui volebant constituere. Diffidentia, quia non volebant acquiescere in solo Deo, sed volebant, more & instituto reliquarum gentium, habere visibile caput & ducem certum tempore pacis & belli, munitum præsidiis, sicut erant reges aliarum gentium sepți & muniti.

Iosias] Sanctus rex.

Leue] Psa. 19. Delicta quis intelligit?

Voce, re] Non est λογομαχία, sed πραγμαλομαχία, id est, nõ verborũ, sed rerum pugna.

Vt igitur] Reprehensio arrogantiæ hypocritarum. Testimonia sunt valde insignia.

Iustificabitur] Propria mundicie & dignitate. Nam iustificamur aliena dignitate, merito & obedientia.

Si dicimus]

Tertull. de præscriptionibus aduersus hæreticos: Soli Filio Dei seruabatur sine delicto permanere.

2. Cor. 5. dicitur de Christo, Eum qui non nouit peccatum. Et Esa. 53. Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus in ore eius. Hic ergo solus est ἀναμάρτητος.

Augustin. tract. in Ioh. 84. Dicere se sine peccato esse, iustum non potest exhibere, sed fingere.

Vnus est enim solus, qui & carnem hominis habere, peccatum potuit non habere.

Alienis) A cõtumacibus dicitur in Hebræo, id est, à peccatis regnantib.

Occultis) In cõmunibus infirmitatib.

Milita] Ponderaverborum Pauli.

Inflat] Metaphora ſumta à natura fermenti: ſicut fermentum inflat maſſam farinæ, ſic peccatum originale fermentat totam naturam humanam. 1. Cor. 5.

Moyſes] Exod. 17.

Conſternatus]

Scilicet propter ſeditioſos clamores vulgi, & propter ſignificationem. Cùm populo vaganti per deſertum deeſſet aqua vel potus, & multi contabeſcerent ſiti, tanta fuit impatientia populi, vt non ſolùm maledicerent Moſi miniſtro, ſed etiam ipſi Deo: ſic enim inquiunt: Nunquid Deus eſt in nobis? quaſi dicant: Fortaſſe Moyſes eſt impoſtor, Agyrta, & Eurybates aliquis, qui nobis fumos vendidit, & inani ſpe eduxit ex regno florentiſsimo, quod omnium rerum copia affluit. Nunc experimur, quàm vanus fuerit Moyſes, nec tantùm ipſe, ſed etiam Deus, cuius iuſſu educti fuimus. Quantam autem mœſtitiam tales clamores blaſphemi afferant bonis mentibus, vnuſquiſque apud ſe cogitet. Nemo eſt tam durus & ferreus, quin moueatur tantis clamoribus. Sed accedit ad hos tribunitios clamores alia arcana cauſſa. Cogitabat enim Moyſes, vt Propheta Dei, de ſignificatione. Petra, vt ſcitis, eſt Chriſtus, teſte Paulo: Moſes percutiens petram ſuo baculo, ſignificat & Legem ipſam, & populum Legis. Lex moralis ferit Chriſtum in cruce, & ita percutit, vt ex latere effluant ſimul ſanguis & aqua: deinde populus Legis eſt miniſter huius crudelitatis, qua Chriſtus interficitur. Hæc arcana proſpiciens Moyſes, conſternatur, & ita languefit, vt bis percutiat petram quadam trepidatione & dubitatione: propter quod peccatum, quod multis videtur leue, non permiſit eum Deus occupare terram promiſſam, ſed miniſtro & ſucceſſori Ioſuæ negotium dedit introducendi populum in terram Canaan.

Iuberet] 2. Reg. 24.

Omnia) Luc. 17.

Remitte nobis] Auguſt. tract. 58. in Iohann. Propter humanos, quibus in terra verſamur, affectus, quantumlibet profecerimus in apprehenſione

henſione iuſtitiæ, ſciamus, nos ſine peccato non eſſe, quod ſubinde abluit [*ſcilicet Chriſtus*] interpellando pro nobis, cùm oramus Patrem, qui in cœlis eſt, vt debita noſtra dimittat nobis. Idem lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 27. Per hanc precationem nobis voluit Saluator oſtendere, quantumlibet iuſtè in huius vitæ caligine ac infirmitate viuamus, non nobis deeſſe peccata, pro quibus dimittendis debeamus orare.

Agnoſcit]

Monachi talia dicta ſic eludunt: ſancti repræſentant non ſuam, ſed alienam perſonam, cùm ſibi peccatum tribuunt.

Sculpunt tales imagines ſanctorum, in quibus nihil ſit peccati, labis, maculæ, quæ eſt falſiſſima imaginatio, ſed quid opponemus huic ſtultæ eluſioni?

Sed huic ſtultæ cauillationi opponatur inſigne dictum Auguſtini in li. de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 37. Sancti ſeriò & in ſua perſona orant,

Non ſunt hiſtriones, repræſentantes alienam perſonam.

Dimitte nobis debita noſtra. Anathema ſit contra ſentiens, & fictionem hac in parte ſanctis tribuens.

Mementote etiam dictum Lutheri ſæpe repetitum ex enarratione pſalmi Miſerere mei &c. In peccatis concipimur, naſcimur, viuimus & morimur. De primo & ſecundo membro habetis teſtimonium pſalmi, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum &c. Item illud Pauli Eph. 2. Eramus omnes natura filij iræ. Ergo concipimur & naſcimur in peccato originis. De tertio membro, quòd viuamus in peccatis, docet nos Paulus Rom. 7. Video aliam Legem in membris meis. Et Chriſtus ipſe dicit, Dimitte nobis debita noſtra. Non enim opus eſſet hac petitione, ſi eſſemus ſine peccato. De quarto membro dicit Paulus Rom. 8. Corpus mortificatur, id eſt, morbis obnoxium eſt, ſepelitur, putreſcit propter peccatum. Spiritus autem viuit propter iuſtitiam.

Ezech.] Eſaiæ 38. Iob. 19.

Miſericordia] Non ira.

Malè dilutam] Metaphora ſumta à cauponibus. Monachi miſcent aquâ vino tanquam caupones. Caupo vnde dicitur? A cupa. Ex Ruff. Inde

Caupo & cauponari, καπηλεύειν, Waſſer vnder den Wein oder Bier gieſſen/das Getränck verfälſchen.

Alias) Rom. 11.

Poſtquam) Secunda pars huius quæſtionis. Sicut enim hypocritæ ex ſcalmo, vt dicitur, nauem fabricant, & immodicè amplificant diſciplinam, ſeu vmbram externorum operum, vt facit Phariſæus Luc. 18. ſic pij verè timentes Deum, quorum vita nihil eſt aliud, quàm ἐνδελέχεια pœnitentiæ, vehementer anguntur, & ſoliciti ſunt propter ſuas ſordes & infirmitates, quas adhuc in carne circumferunt. Hactenus igitur remedium oppoſitum eſt primo morbo, ſcilicet arrogantiæ hypocritarum. Nunc audiamus medicationem adhibendam alteri morbo, id eſt, puſillanimitati. Quò enim quiſque eſt ſanctior, eò magis agnoſcit & deplorat reliquias peccati.

Statuat)

Auguſt. pſal. 42) Talia teſtimonia debetis magnificare propter cõſenſum Catholicæ Eccleſiæ, ne videamur fingere nouum genus doctrinæ, ignotum veteri Eccleſiæ.

Da operam, vt ſis iuſtus, & quantumcunque fueris, confitere te peccatorem eſſe, & ſpera in Domino, non in te. Quid enim eſt in te, quid eſt de te, ille ſit ſanitas in te, qui accepit vulnera propter te.

Alludit ad dictũ Eſaiæ 53. Vulneribus eius nos ſanati ſumus.

Hæc verba clarè affirmant, renatum non eſſe iuſtum propter opera, ſed fide.

Legite pſalm. 42. qui deſcribit luctam carnis & Spiritus, ſiue quod idem eſt, viciſſitudinẽ tentationum & conſolationum: Quare triſtis es, anima mea, quare cõturbas me? ſpera in Deum &c. Hunc verſum enarrans Auguſt. vtitur dicto illo, quod recitauimus.

Caliginem) Prauitatem, ἀταξίαν, vitioſos affectus.

Petrus) 1. Petr. 2.

Spirituales) Non mactate pecudes, ſicut olim fiebat.

Acceptas) placentes Deo.

Nec

Nec enim) Vt alij agreſtes dicunt, Deus non curat, non poſtulat bona opera. Eſt vox indigna Chriſtiano. Certè curat, quia præcipit ſeriò, & punit contraria.

Impeditam) Omnis magna & parua gubernatio eſt plena ingentium periculorum, & habet plurima impedimenta domi & foris. De hac ſententia extant querelæ apud omnes ſapientes Ethnicos, vt Demoſthenes dixit, Si mihi duæ viæ propoſitæ eſſent: vna ducens ad ſummos honores in Republica: altera ad mortem, mallem ingredi eam quæ eſt compendiaria dux ad mortem, quàm alteram, cui ſunt propoſiti ſummi honores in Republica. Extat hoc dictũ apud Plutarchum in vita Demoſthenis. Omitto cetera dicta, ne videar longiùs à propoſito digredi. Vnum adhuc addam, quod extat apud Lucianum, Priuatorum hominum vita eſt optima: Bene qui latuit, bene vixit. Econtra, qui verſatur in luce Reipublicæ, vndique ab omnibus ventis inuidiæ & calumniarum impetitur: propoſitus eſt omnium telis, & incertus ad omnes caſus ſubitorum periculorum. Non dico hæc, vt quenquam deterream à gubernatione. Si enim Deus te vocat ad gubernationem vel Eccleſiæ, vel politiæ, obtempera vocanti Deo, fiducia auxilij diuini, non propriæ induſtriæ. Si autem Deus te non vocat, age Deo gratias pro tua tranquillitate.

Pauli) Rom. 8. Non dicit nullũ peccatũ, ſed dicit, nulla condemnatio, id eſt, nullus reatus, nulla obligatio ad pœnam.

Coloſſ.) 2. Conſummati eſtis, id eſt, perfecti. Si Deus ageret nobiſcum ſummo iure, nec perſonam, nec opera reciperet, ſed agit nobiſcum æquiſsimè. Diſpenſat enim de ſuæ Legis rigore & aſperitate, & recipit vtrumque, perſonam & obedientiam. Hæc eſt ὑπέχεια, æterna celebratione digna.

Eſſe ſub Lege) Eſt damnari à Lege.

Mortuus eſt) Hoc dictum Rom. 8. complectitur duo: quorum alterum eſt meritum, alterum applicatio meriti. Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Hæc verba pertinent ad meritum. Meritum autem

Christi est tota obedientia, quam præstitit post assumtionem nostræ naturę vsque ad resurrectionem: deinde quod inquit Paulus, Est ad dexteram Patris, perinde est ac si diceret, applicat nobis sua merita: nihil enim prodest sacrificium sine applicatione.

Legem] Aureus aphorismus, qui obseruetur tanquam axioma Theologicum: nec inchoari potest, nec placet obedientia sine fide.

Legem] Augustin. serm. 11. de verbis Apostoli: Qui Legem dedit, ipse dedit & gratiam, sed Legem per seruum misit [*id est, per Moysen*] cum gratia ipse descendit, vt quia Lex ostendit peccata, non tollit: volentes Legem suis viribus exequi, nec valentes, cogantur ad gratiam, quæ etiam impossibilitatis morbum, & inobedientiæ auffert reatum.

Lex est agnitio peccati, non deletio.

Legi satisfacere.

Delectatur Augustinus paronomasiis.

Obseruate hæc propter vocabulum gratiæ, quod non tantùm significat donum Spiritus sancti, sed significat principaliter gratuitam reconciliationem, seu acceptationem, qua persona Deo placet. Coniungit igitur Augustinus vtrumque: auxilium & acceptationem gratuitam, quæ tollit reatum inobedientiæ: Sine gratia non possunt præstari opera, quæ Deo placeant. Deinde & hoc præstat gratia, quòd tollit reatum inobedientiæ, id est, quòd non imputatur nobis imperfectio obedientiæ.

Simulacra]

Cic. 1. Offic. Non viuitur cum perfectis hominibus, sed cum iis, in quibus prę clarè agitur, si sint simulacra virtutis.

Vmbræ fugaces & euanescentes. Considerate exempla summorum virorum, extra & in Ecclesia. Qualis fuit vir Alexander ante captam Babylonem? sed quàm fugax simulacrum virtutis fuit? Post captam Babylonem cœpit furere, & interfecit amicos & consiliarios. In Ecclesia quanta virtus fuit Dauidis? quanta Salomonis? quanta Sacerdotis Aaronis? & tamen noti sunt lapsus horum virorum. Nō est necesse historias recitari, cùm sint omnibus notissimæ.

Dictum]

Dictum] Matth.5.

Plenæ] Hæc vita est nauigatio periculosa. Vita æterna est portus quietis & tranquillitatis, vt psalm.136. dicitur, Reuertere, anima mea, in requiem &c. Bona res est quies, vt vulgò dicitur, sed non quærenda in hac vita. Qui enim in hac vita quærit quietem & tranquillitatem, longè errat. Nihil est enim hæc vita, nisi mare turbulentum, quod nunquam est placidum, sed duriter exercet nauigantes. Portus autem nobis propositus est vita æterna. Ad hunc portum, passis velis, & secundis ventis, Deo adiutore, peruehamur. Interea dicit Dominus Iohan.16. In mundo pressuram habebitis, in me pacem. Item Paulus dicit 2. Timoth.3. Omnes, qui piè volunt viuere, persecutionem patientur. Et in illo ipso psal. quem citaui, dicitur: Credidi, propterea quòd locutus sum: ego autem humiliatus sum valde. Vbicunque est fides, ibi est confessio, confessionem tanquam indiuiduus comes sequitur crux. Hæc ideo dico, ne putent adolescentes se fore in perpetuo otio. Si quid nunc habes otij, age Deo gratias, & vtere illo rectè, sed paulatim præparabit te Deus ad crucem. Omnia sunt plena periculorum publicorum & priuatorum: si quis aliter sentit, est ebrius. Nostro ordini scholastico commendata est custodia duarum rerum maximarum & pulcherrimarum, videlicet doctrinę & disciplinæ. Ergo sonemus nostrum nomen coram Domino & hominibus, & perficiamus, vt status congruat cum appellatione. Videtur quidem spreta, humilis & abiecta conditio scholastica, sed reuera nulli meliùs merentur de genere humano, quàm illi, qui erudiunt populum & iuuentutem.

Cur non vsurpamus propositionem, Bona opera sunt necessaria ad salutem, cùm Paulus dicat, confessio fit ad salutem?

Breuis est responsio. Contra Antinomos verissima est, & immutabiliter vera propositio. Bona opera sunt necessaria, sed non addimus ad salutem, vitandæ ambiguitatis gratia, ne quis putet, nos tribuere meritum vitæ æternæ, operibus.

Superindui] Dic, vnde sumtæ sunt hæ phrases? Omnes Christiani sunt sacerdotes, teste Petro 1. Pet. 2. Vt igitur quondam summi sacerdotes primùm induebantur tunica stricta seu linea, deinde vestiebantur

tunica talari, poſtea accedebat ſummum ornamentum, proprium ſummi Pontificis, quod vocatur ab Hebræis Ephod: ita oportet nos in hac vita induere ſtrictam tunicam & talarem. In vita autem æterna ornabimur Ephod, id eſt, integra nouitate ſine peccato, & ſine morte. Et vt ſummi ſacerdotis corpus nudum non ornabatur Ephod, & rationali, ſed oportebat ſacerdotē priùs indutum eſſe reliquis veſtibus, id eſt, tunica ſtricta & talari: ita nemo ſperet, ſe hæredem fore vitæ æternæ & cœleſtis, niſi priùs hîc induatur conuerſione & ſanctificatione, id eſt, niſi accepta remiſsione peccatorū ſimul accipiat primitias Spiritus. Vide 28. Exodi. Hinc ergo credo ſumtas eſſe has figuras. Man ſeucht keinem die kleider auff die bloſſe haut/oportet priùs cutem tegi induſio. Sic hoc loco inquit Paulus, Superinduemur, ſi tamen non nudi reperiemur.

Claram abſolutionem)

Auguſt. Pſal. 38. Quis deſperet, ſi in cruce latro ſeruatus eſt? Eſt breue & inſigne dictum. Sed nemo differat in ſeram commiſſa piacula mortem. Hæc dicuntur contra deſperationem, non ad confirmandum ſecuritatem. Scimus, inquit Proſper, conuerſis veniam non eſſe negandam, Sed nulli noſtrum eſt vltima nota dies. Dies mortis eſt incertus & ignotus. Ergo hodie ſi audiueritis vocem eius, non indurabitis cor veſtrum. Tolle certum, & relinque incertum.

Apoſtoli)

Auguſt. Pſal. 68. A Latrone Apoſtoli victi ſunt, qui tunc credidit, quando illi defecerunt.

Mortuorum)

Quàm ſumus nos duri? Nos nō mouemur crucifixione Chriſti, cùm tota terra tremuerit.

Inuſitata)

Certum eſt, vſitato ordine naturæ, Eclipſes Solis tantùm in coniunctione luminarium fieri. Quare cùm hæc Eclipſis facta ſit tempore oppoſitionis Solis & Lunæ: quia populus Iudaitus celebrabat Paſcha in medio menſe Lunari, manifeſtum eſt, hanc Eclipſin Solis, prorſus contra naturæ ordinem factam eſſe.

In nouilunio.

Exod 12.

Aprili.

Miranda

Miranda lux] Aliorum medicus vult esse Christus, cùm ipse fateat vlceribus, cur sibi ipsi non fert opem? Quomodo aliquis sanare potest alios, cùm ipse sit confectus morbis? Sic cogitat ratio, sed non ita cogitat latro.

Longè aliam] id est, mysteria.

Psal. 51. Abdita & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi: id est, doctrinam de ira & gratia, de peccato, de Lege, de cruce & inuocatione. Maior est Ecclesiæ sapientia, quàm vniuersi mundi sapientia.

Multi pij)

Multiplex & inexhausta est crucis sapientia. Sanabiles enim aut emendat, aut purgat, aut probat, aut illustrat gloriâ Dei. Habetis insigne dictum apud Hebræos: Omnis afflictio est in præsentia insuauis, sed postea, exercitatis per eam affert fructum pacificum iustitiæ. Crux debilitat quidem corpus, & est carni nostræ, id est, naturæ infirmæ admodum ingrata, sed spiritui nihil magis prodest.

Infirmitatem] Matth. 11. Beatus, qui nō fuerit in me scandalizatus, scilicet genere doctrinæ, quod profiteor, infirma specie Christi & Ecclesiæ ante resurrectionem, denique mole calamitatum, quæ sunt comites confessionis. Quare non omnes homines amplectuntur Christum? Quæ obstant? Tria. Scandala non quidem data, sed accepta, id est, Pharisaica. Primum oritur ex genere doctrinæ. Nam Euangelium est supra & extra omnem rationem positum, non blanditur rationi humanæ, teste Paulo 1. Cor. 1. Nos prædicamus Euangelium, gentibus stultitiam, Iudæis scandalum. Secundò offenduntur mundus & ratio, infirma & abiecta specie Christi. Qualis enim fuit Christus in cruce? Respondeo: psal. 22. Ego sum vermis, & non homo, opprobrium populi. Et Esaiæ 53. Non erat ei forma, ideo abhorruimus eum. Talis est etiam forma Ecclesiæ ante resurrectionem. Ecclesia est cœtus egenus & pauper, sed sperans in Domino. Est pusillus grex ouium, qui perpetuò turbatur

diſsidiis dogmatum, & ſæuitia tyrannorum. Poſtremò offenditur mundus & ratio mole crucis, quæ eſt indiuiduus comes confeſsionis.

Subſannatoris] Impij latronis. Nero eſt talis latro, & omnes alij impij, qui ludunt in media morte. Legite diligenter has pagellas de latrone, quæ ſunt optimæ in libello.

Pax] Axioma, ex quo poteſtis multa iudicare. Sic argumentor.

Nemo poteſt omnibus hominibus placere.
Ergo Paulus fruſtrà dicit, Probatus eſt hominibus.

Reſpõdeo. Loquitur Paulus κατὰ συνεκδοχὴν, vel ſynecdochicõs, ſcilicet aliquibus rectè iudicantibus. Qui habet fidem & bonam cõſcientiam, ſemper habet aliquorum hominum approbationem.

DE QVARTA QVAESTIONE.

In quarta quæſtione quæritur de bonis operibus, propter quas cauſſas præſtanda ſint bona opera. De hac quæſtione reſpondetur in textu, tres eſſe cauſſas, cur facienda ſint bona opera: quarum prima eſt neceſsitas, eáque multiplex: altera, dignitas, non quidem reſpectu perſonæ noſtræ, ſed ipſius vocationis. Tertia cauſſa eſt promiſsio præmiorum præſentium & æternorum, corporalium & ſpiritualium: Prima autem cauſſa, vt dixi, aliquot gradus complectitur. Neceſsitas enim alia eſt mandati, alia retentionis fidei, alia vitandi pœnas. In Dialecticis regula memorabilis traditur de neceſſario. Cognita neceſsitate in ſpeculabilibus & practicis, omnis dubitatio tollenda eſt. Cùm audis, neceſſaria eſſe bona opera, non dubites, quin ſint facienda.

Etſi] Occupatio valde neceſſaria cõtra calumniatores, qui omnia rectè dicta deprauant & euertunt. Neceſſaria eſt cauſſæ & effectus copulatio.

Debitores] Roman. 8.

Coactione] Differũt coactio & debitum.

Cicero ait 5. Verrina: At debet nos certiores facere, quo pacto ſe habeat prouincia. Debet, veruntamen non cogitur. Sic Angeli debent obedientiam Deo, ſed non coguntur, non viex-

vi extorquetur eis obedientia. Islebius solebat dicere, das muß ist verſalgen/alludens ad vocabulum necesitatis.

Mandatum meum] Magna vis est in pronomine.

Christus vocat mandatum de dilectione, suum: quia nemo præstat dilectionem, nisi & intelligens Euangelium, & aliquo modo has singulares in Christo virtutes imitans, scilicet, humilitatē & patientiam.

Sic argumentor:
Mandatum de dilectione Dei & proximi est traditum à Moyse in Exodo, Deuteronomio, & reliquis libris Moysi.

Ergo nec est nouum mandatum, nec est Christi. Dicit autem Christus Iohan. 13. postquam lauisset pedes discipulorum: Mandatum nouum do vobis &c. Et Ioh. 15. Hoc est mandatum meum, vt diligatis vos inuicem. Cur vocat Christus nouum mandatum, traditum à Moyse, & sæpe repetitum per Prophetas? Respondeo. Vocat nouum, non propter notitiam, sed propter obedientiam. Nemini ignotum est opus dilectionis, sed quotusquisque præstat? 2. vocat suum, quia tres sunt fontes concordiæ in Ecclesia. Primus fons est vera intelligentia Euangelij, seu vera agnitio Christi. Secundus fons est humilitas seu modestia. Tertius patientia. Econtrario tres sunt fontes dissidij in Ecclesia. 1. est ignoratio veræ doctrinæ. 2. Superbia seu ambitio. 3. Impatientia, seu quod idem est, cupiditas vindictæ. De his rebus posset prolixa oratio institui, si tempus concederetur, sed quia hæc non sunt noua, nec inaudita, nunc sum breuior.

Thess. 4.] Ediscite hunc textum, tanquam regulam vitæ.

Sanctificatio] Id est, castitas. Sic aliâs sæpe apud Paulum vsurpatur hæc vox, vt, sequimini sanctificationem, id est, castitatem, ad Hebræos. Item 1. Timoth. 2. Mulier saluabitur per generationem filiorum, si manserit in fide & sanctificatione, id est, castitate.

Negotiis] In contractibus μὴ πλεονεκτεῖν, non recedere à legitima æqualitate.

Necesitas retinendæ] Alter gradus necesitatis. Sic argumentor:

2. Pet. 1. dicitur: Virtute seu efficacia Dei custodimini ad salutem.

Ergo bona opera nihil prosunt ad retinendam fidem.

Respondeo. Efficacia Dei est caussa vera & positiua retentionis fidei. Interea tamen & hoc verum est, quòd qui peccat contra conscientiam, facit naufragium & iacturam fidei, vt scribitur 1. Timoth. 1. Certissimum est enim, sauciata conscientia fidem extingui.

Decipiat) Sermonibus Antinomorum.

Qui facit) Aliud est facere, aliud habere peccatum. Facere peccatum, est recipere errorem contra fundamentum, & ruere contra conscientiam. Habere peccatum, est circumferre reliquias peccati originalis. Quòd autem hæc sit sententia Iohannis testatur ipse contextus & ordo verborum, quia vtitur exemplis Diaboli & Cain.

Si quis suorum) Quàm multi sunt homines in toto terrarum orbe, etiam in cœtu veræ Ecclesiæ, qui contumaciter faciunt contra hanc regulã. Quàm multi aut ignauia peccant, aut profusione immodica, qui nõ solùm exhauriunt suas facultates, sed etiam adigunt miseram familiam, vxorem & liberos ad famem. Interdum etiam ad turpitudinem, quia paupertas multos cogit, vt aliquid impiè faciant, sicut dicitur, Paupertas est meretrix.

Scriptum) Esai. vltimo.

Item) Implicatio cõtradictionis est assentiri duabus propositionibus contradictoriis.

Omne quod) Rom. 14. Axioma Theologicũ.

Vitandi) Tertius gradus necessitatis.

Propter iniquitatem) Psal. 39. in Hebraico numero. Ita Rom. 8. dicitur, Corpus mortificatur propter peccatum. Rom. 5. Per vnum hominem intrauit peccatum. Roman. 6. Stipendium peccati mors. 1. Cor. 15. Aculeus mortis peccatum.

Hoc iudicium) 2. Cor. 5. Est longa descriptio iudicij extremi.

Cauillatio) Horatius dicit, Oderunt peccare boni, virtutis amore. Econtra, Oderunt peccare mali, formidine pœnæ. Ergo, inquiunt scholastici

laſtici Theologi, ſophiſtæ: Nihil valent bona opera, quæ fiunt metu pœnarum. Sed facilis eſt reſponſio: Vnus rei poſſunt eſſe plures cauſſæ.

Futuras) Quid dicit Deus ad Abraham Gen. 18. ante deletionem Sodomæ & Gomorrhæ: Quomodo poſſum ſeruum meum cælare? Non enim dubium eſt, quin Abraham ſit propoſiturus poſteris ſuis hoc exemplum iudicij diuini aduerſus horrendam contumaciam, & Diabolicos furores Sodomæ. Hinc diſcite, conſideranda eſſe exempla pœnarum, vt excitetur in nobis timor Dei.

Concupiſcentia) Eſt cauſſa peccati, peccatum & pœna peccati. De hac ſententia prolixè diſputat Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum, ſed nos ſimus cõtenti hac breuitate. 1. Concupiſcentia eſt cauſſa peccati, quia concupiſcentia impellit homines ad peccandum, Iacob 1. Deinde eadem concupiſcentia eſt peccatum, quia pugnat cum præcepto, Non concupiſces. Tertiò eſt pœna peccati, quia poſt lapſum primorum parentum homines non tantùm ſunt morti obnoxij, & ſubiecti tyrannidi Diaboli, ſed etiam circumferunt in mente, voluntate & corde, & reliquis viribus ἀταξίαν contra Legem Dei, quæ nominatur concupiſcentia. Quærite ſimile exemplum huius ſententiæ, quòd peccata peccatis puniantur, Rom. 1.

Diſtractio) Apud Eurip. in Troadibus: Malè affecta Repub. languefit religio, νοσούσης χώρας, νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, id eſt, Religio & res diuina. Quando ſæuit Mars impius in regione aliqua, nullæ ſunt ſcholæ, nulli congreſſus in templo, nulla domeſtica diſciplina. Sic poſt mortem Salomonis non modò regnum eſt diſtractum, ſed hæc diſtractio etiam peperit bella & mutationem religionis. Nam primus rex decem tribuum Ieroboam, vt retineret ſubditos in officio, duos vitulos aureos collocauit, alterum in Dan, alterum in Berſabe, ne videlicet populus amore religionis aſcenderet Hieroſolymam, & rurſus deficeret.

Aliæ) Cicero 1. officiorum (humaniſsima eſt vox, opponenda Cainicis) Habenda eſt ratio non noſtri ſolùm, ſed etiam aliorum. Vna chorda non efficit concentum, ſed pluribus chordis opus eſt ad efficiendam harmoniam. Sic ſinguli debemus etiam ad alios reſpicere, videre quid aliis proſit, aut noceat.

Dei] Psalm. 90. Quis nouit, id est, quis considerat potentiam iræ tuæ, aut quis metuit iram tuam?

Longam telam] Iliadem malorum. Vnde ortum est prouerbium hoc? Ilium fuit arx Troiana. Bellum Troianum durauit annos decem. Quantæ autem clades sint acceptæ vtrinque à Græcis & Troianis, testatur poema Homericum, quod inscribitur Ilias. Tandem verò vrbs est capta à Græcis & igni consumta, ac funditus diruta & prostrata ante oculos. Hinc est prouerbium: Ilias malorum.

Dignitas] scilicet vocationis, non personæ nostræ.

Affici] Nulla maior laus potest tribui bonis operibus, quàm cùm nominantur sacrificia, id est, opus, quo iudicat Deus se honore affici.

Magistratus] Psal. 82. Ego dixi, dij estis, id est, organa operum diuinorum, custodes pacis & disciplinæ.

Maxima] 1. Pet. 2. Vocati estis, vt annuntietis virtutem eius, qui vos ex tenebris in admirandum lumẽ vocauit. Et in eodem textu dicitur, Vos estis gens sancta, regium sacerdotium.

De præmiis] Hæc est tertia causa. Homines maximè mouentur respectu vtilitatis. Es thut niemandt nichts gern vmb sonst.

Corporalia] Prosper discipulus Augustini, in epistola ad Gallicos Episcopos: Tanta est erga homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. In eandem sententiam inquit Augustinus, sed breuiùs: Deus coronat in nobis sua dona.

Quæ potest cogitari maior φιλανθρωπία?

Quid habemus, quod non accepimus, & tamen ipsa dona coronat Deus præmiis? ita quid possumus Deo offerre, aut reddere, quod non sit ipsius? & tamen Deus

Deus approbat ea, quæ non fiunt de nostro, sed de Dei bonis. Quando es liberalis erga pauperes, non es liberalis de tuo, sed es liberalis de bonis Dei, quia non haberes hæc bona, nisi Deus dedisset.

Pietas habet] Cum exceptione crucis. Ne cogites, Ego sum Christianus: Ergo nihil mihi mali accidet. Imò omnes, qui piè volunt viuere in hoc mundo, persecutionem patientur. Et tamen vera est propositio: Primùm quærite regnum Dei, & cetera adiicientur vobis, scilicet cum cruce.

Donis] Sine multis donis nõ possunt conseruari cœtus in genere humano.

Hospitium] Sicut curauit Christo nascenti præsepe, & exulanti viaticum, quod Magi attulerũt ex Oriẽte.

Nauim] Sicut nauis vehens Paulum seruabatur, sic Ecclesia sonans, & retinens incorruptam Pauli doctrinam seruatur. Historia extat in Actis cap. 27. Cùm venisset Paulus ad insulã Meliten (hodie dicitur Malta, & superiori anno acerrimè est oppugnata à Turcis, & tamen diuinitus defensa & conseruata) fecit naufragium: sed non priùs est dissipata nauis, quàm omnes essent transgressi in insulam Meliten.

Mirabiliter] Mirando consilio Dei.

Victrice] Propria Ecclesiæ gloria est perpetua conseruatio corporis, etiamsi in aliqua membra sæuiatur. Nunquam tota Ecclesia potuit deleri: etiamsi, quod Deus auertat, occuparet totam Europam Turca, tamen in medio regni Turcici seruaret Deus aliquas reliquias: sicut seruauit populum Israel in Babylone, inter reges impios, quia promissio non fallit: Ego ero vobiscum vsque ad consummationem seculi.

Exercetur fides tripliciter] Memineritis in omni vita hãc regulam de inuocatione: Omnibus aliis petitionibus præluceat fides, accipiens remissionem peccatorum. Etsi enim in oratione Dominica, quinto loco ponitur petitio remissionis peccatorum, tamen ordine naturæ prima est.

Semper fides]

Fontes huius vtiliſsimæ regulæ ſunt: Iohan. 9. Peccatores Deus non exaudit. Matth. 6. Primùm quærite regnum Dei. Qui loquitur in Eccleſia, inquit Petrus, loquatur oracula Dei, id eſt, non gignat nouum genus doctrinæ, nec ſua ſomnia proponat, ſed omnes ſuas aſſeuerationes de articulis fidei, confirmet teſtimoniis Scripturæ, non malè detortis, ſed rectè intellectis. Quare ne videamur hanc regulã fingere ex noſtro cerebro, digitum intendimus ad fontes. Si quis enim quærit fontes huius regulæ & fundamenta, is legat cap. 9. Ioh. & 6. Matth. Sic enim inquit Chriſtus Ioh. 9. Peccatores Deus non exaudit. Quomodo autem intelligendum ſit hoc dictum, ſæpe audiuiſtis. Sunt enim duplices peccatores: alij conuerſi ad Deum: alij non agentes pœnitentiam, auerſi à Deo. De conuerſis valet dictum iuramento ſancitum apud Ezechielem: Viuo ego, nolo mortẽ peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. De aliis non agentibus pœnitentiam, veriſsima eſt aſſeueratio, Peccatores Deus non exaudit. Alterum dictum extat Matth. 6. Quærite primùm &c. Regnum Dei, & iuſtitia eius, nihil aliud ſunt, quàm beneficia Chriſti propria, vt verbi cauſſa, Remiſsio peccatorum, donatio Spiritus ſancti, hæreditas vitæ æternæ. Reliqua bona corpori neceſſaria, & ad hanc vitam pertinentia, ſunt appendices, & vt Græci dicunt, ἐπεάγματα, acceſſoria. Εἰνε ζυgαβε. Ideo Chriſtus hac forma verborum vtitur, cetera adiicientur vobis &c.

Quæ fingit)

Seneca: Fortuna cæca manu ſpargit ſua munera, & Ariſtophanes fingit, Plutum eſſe cæcum, vt ſignificet caſu inter homines ſpargi opes. πλοῦτον. diuitiæ.

In Ethicis ſæpe diximus de cauſsis, propter quas traditæ ſunt à Deo promiſsiones bonorum corporalium. Inter alias hæc quoque vna eſt, vt refutetur Epicurea imaginatio, quæ tribuit caſui & fortunæ bona corporis. Non tantùm Ethnici extra Eccleſiam, ſed etiã multi in cœtu viſibili Eccleſiæ, hanc habent imaginationem, quòd bona corpori neceſſaria, aut caſu offerantur, aut noſtra induſtria comparentur. Contra hanc imaginationem Scriptura inquit, Dominus

minus pastor meus &c. Psal. 23. & Deut. 30. inquit Moyses: Dominus est vita tua, & longitudo dierum tuorum. Omitto reliqua testimonia, quæ non sunt ignota. Vt igitur in primo exercitio fides accipit remissionem peccatorum: ita in secundo exercitio pugnat cum Epicureis opinionibus, & statuit bona corporis esse opera & dona prouidentiæ diuinæ.

De suo] De suo demenso.

Antithesis] Est collatio contrariorum, in qua omnia fiunt illustriora, iuxta peruulgatum dictum, quod vsurpatur à Iureconsultis: Ferro viam aperit, qui per contraria currit. Non est melior ratio amplificandi, quàm antithesis.

Pauperum] Suprà in Loco de paupertate dictum est de vsu facultatũ. Primò vtendum est facultatibus ad conseruationem doctrinæ in templis & scholis, vel quod idem est, ad conseruationẽ ministerij: deinde aliqua pars est conferenda ad conseruationem Reipublicæ. Tertia pars est conferenda ad alendam nostram familiam sine luxu. Postrema pars est conferenda ad alendos pauperes verè egentes.

Occasio] Potuisset Deus hominẽ condere, sicut angelos, ne eis opus esset cibo, potu, vestitu, remediis, &c. sed voluit hominem esse naturam rationalem, vestitam corpore: cui in hac vita opus esset variis adminiculis, quæ vno nomine appellantur panis quotidianis, vt videlicet homo haberet occasionẽ exercẽdæ fidei & inuocationis.

Quomodo] Egregium Epiphonema Luc. 16. Fidelis in paruo, etiam in magnis fidelis est. Bona corporis sunt parua, si comparentur cum bonis æternis. Quid est enim fragmen panis, si conferatur ad vitam æternam? Deinde eadem bona corporis sunt aliena, non propria hominis: quia aut deserũt nos in hac vita, Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat: aut deseruntur à nobis in morte: præterea sunt communia nobis cum pecudibus. Tertiò hæc ipsa bona corporalia sunt falsa, id est, non permanentia, non durabilia, sed fugacia & euanescentia, sicut quotidiana experientia testatur. E contra bona æterna sunt magna, sunt propria Ecclesiæ, & sunt vera bona. De his igitur inquit Dominus, Qui in paruo fidelis, etiam in magno erit fidelis:

econtrà qui in paruo non eſt fidelis, nec in reliquis erit fidelis. Sic in textu libelli noſtri dicitur: Si tu non expectas à Deo fragmen panis, quomodo poteris à Deo expectare tuam ſalutem? Conſulat vnuſquiſque cor ſuum, & videat, quantam habeat fidem. Certè nobis omnibus opus eſt hac precatione, qua vtuntur Apoſtoli, Domine, auge nobis fidem.

Simus ſoliciti de Republica] Vbi præcipitur tibi ſolicitudo de vniuerſa Eccleſia & Republica? pſal. 122. Rogate, quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, pax multa diligentibus eam. Et in eodem pſalmo: Propter domum Domini Dei noſtri, id eſt, propter Eccleſiam quæram tibi bona. Hæ ſententiæ commonefaciunt nos de ſolicitudine pia pro Eccleſia & Republica. Semper enim ſalus totius corporis debet nobis eſſe carior, quàm ſalus vnius partis: id quod docet nos ipſa numeratio. Certè vnam domum perire melius eſt, quàm totam ciuitatem. Si igitur es verè pius, non tantùm habebis rationem tuæ perſonæ & familiæ, ſed publici quoque ſtatus Eccleſiæ & Reipublicæ, imò etiam poſteritatis: & curabis, vt ad eam tranſmittatur puritas doctrinæ.

Viduæ] Noua amplificatio ab exemplo viduæ Sareptanæ, quod proponitur in hiſtoria Regum. Tempore Eliæ Prophetæ, quod incidit in mediam ætatem mundi, id eſt, cùm iam exacti eſſent anni 3000. ab exordio mundi, Paleſtina laborauit fame inuſitata totum triennium, & ſex menſes. Fugiens igitur Propheta Elias ex ſua patria, venit in oppidum, ſeu pagum Sareptam. Nomen eſt à Zaraph, quod ſignificat conflare, ſeu liquefacere metalla, Schmeltzhütten. Ibi fuit vidua, quæ habebat parum commeatuum: hæc paſcit Prophetam. Et quanquam videt ſibi & vnico filio in præſentia detrahi, quod cõmunicabat Prophetæ: tamen tanta fuit fides huius mulierculæ, vt non dubitaret, Deum fore nutritiũ Prophetæ, & familiæ ſuæ. Sicut autem ſuprà vobis commendaui exemplum latronis emendati, & vos hortatus ſum, vt aut carmine, aut oratione ſoluta exemplum hoc amplificaretis: ita idem vobis nunc præcipio de exemplo viduæ Sareptanæ.

Elias docuit annos 40. poſtea trãslatus eſt in cælum, ſicut Enoch. Tria habemus illuſtria exempla de vita æterna. 1. eſt propoſitum ante diluuium in translatione Enoch, Gen. 5. Non enim mortuus eſt Enoch, ſicuti reliqui patres, ſed à Deo translatus eſt ex hac vita in aliam.

aliam. Alterũ exemplum eſt Elias, qui in media ætate mundi, curru igneo, id eſt, ab Angelis eſt translatus in cælum. Tertium exemplum eſt ipſe Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus, qui tertio die poſt mortem reuixit, & 40 die poſt reſurrectionem agens triumphum de Diabolis, aſcendit in altum, & captiuam duxit captiuitatem, & iam ſedens ad dextram Patris, dat dona hominibus.

Hoſpitium] Quãta gloria eſt huius viduæ, quòd excepit hoſpitio Eliã Prophetam, & quòd domus illius fuit ſchola & Eccleſia Dei: verè fuit ipſius domus Bethel, id eſt, domus Dei, Ein Gotteshauß.

Reſuſcitatur] Reſuſcitatio mortuorum eſt miraculum proprium Eccleſiæ, quod nulla religio allegare poteſt, & quod Diabolus, etiamſi ſe rumpat, ſuis præſtigiis non poteſt imitari. Neque verò minus eſt miraculum, quam prima creatio rerum ex nihilo. Nos verò in Eccleſia habemus multa exempla eorum, qui ſunt reſuſcitati à Prophetis, Chriſto & Apoſtolis.

Debito] Phraſis Liuiana.

Iacob] Gen. 32. Sit vobis familiariſſimè nota hęc oratio, Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, Domine: indignus ſum gratia priuatiua & poſitiua, vt veteres locuti ſunt. Gratiæ priuatiuæ ſignificant liberationem à malis. Gratia poſitiua ſignificat donationem bonorum. Singulis diebus age Deo gratias: primùm pro gratiis priuatiuis, deinde pro poſitiuis, id eſt, age Deo gratias, quòd liberauerit te à poteſtate Diaboli, ab ira Dei, à morte æterna, à peccato dominante, ab inſidiis Diaboli & mundi, à multis periculis animæ, corporis, famæ & fortunarum. Quòd non es cæcus, non ſurdus, non claudus, non gibboſus, non monſtroſo corpore, non fatuus, non furioſus, quòd adhuc omnes ſenſus externi & interni faciunt ſuum officiũ, quòd vales mente, memoria, iudicio: hæc omnia ſunt magna dona, & gratiæ priuatiuæ. Gratiæ poſitiuæ ſunt innumerabiles. Quis enim poteſt numerare omnia dona Dei, & beneficia, quæ impertit noſtris animis, corporibus, & noſtris rebus omnibus. Ergo omnia hæc cõplectentes dicamus cum Iacobo: Minor ſum cunctis beneficiis tuis: id eſt, Indignus ſum omnibus gratiis, ſiue ſint priuatiuæ, ſiue poſitiuæ.

Paulus] 2. Cor. 5.

Viuens] Axioma Theologicũ psa. 143.

Delicta] Psal. 19.

Niti] Est tantùm vnica anchora. Non nitimur duabus anchoris, id est, Mediatore & meritis nostris. Apud Pindarum extat venustũ dictum: Illa nauis tutò vehitur, quæ nititur duabus anchoris. Hoc dictum non transferatur ad articulum iustificationis, quia nos non debemus niti, nisi vnica anchora, id est, Mediatore.

Donum Dei vita æterna]

Prosper, sententia 28. Beatitudo sanctorum, & de munere gratiæ est, & de retributione iustitiæ.

Id est, est merces, & est donũ. Hæc non pugnant rectè distributa: Vita æterna est donum, quia datur gratis per misericordiam, non datur propter nostra opera & merita. Deinde eadẽ vita æterna est merces, vt inquit Christus, Merces vestra erit copiosa, quia Deus coronat sua dona in nobis: Er setzt ein krantzlein auff sein eigene gabe. Deus dat nobis Spiritum sanctum, vt accendat inchoatam obedientiam, congruentem cum prima & secunda tabula. Hoc donum coronat postea præmiis corporalibus & spiritualibus, & tandem vita æterna. Ideo præclarè dixit Macarius in quadam concione: Si quis hominum (quod impossibile est) solus sustinuisset omnes labores & omnia pericula, & omnes cruciatus in anima & corpore à principio mundi vsque ad finem, tamen nihil essent hi labores & ærumnæ, collati ad vitam æternam, sicut Paulus inquit Rom. 8. Non sunt dignæ passiones gloria reuelanda in nobis. Deus dat vitam æternam per misericordiã. Hoc respectu dicitur donum vita æterna, & excludit meritum nostrum: deinde eadem vita æterna est merces, quia Deus pro sua iustitia etiam sua dona in nobis vult coronare.

QVINTA QVAESTIO.

Aaron summus sacerdos in populo Dei, & quidem primus, vir magnus, frater & collega Moysi, horribiliter peccat contra cõscientiam, dum inflectit religionem ad sistendum tumultum populi, & permittit eis fabricationem aurei vituli. Hic lapsus Aaronis tantus fuit, & tam atrox, vt dicat Moyses ipse Deut. 9. Aduersus Aaronem valde fuit iratus Dominus: & voluit eum conterere, id est, delere & abiicere, sed ego rogaui pro eo. Hoc exemplum testatur, etiam sanctos amittere gratiam Dei, admissis lapsibus contra conscientiam.

Ne-

Neque omnes lapsi conuertuntur, multi manent in impietate: verlaſſe ſich keiner drauff: Ille lapsus est & conuersus: Ergo ego lapsus conuertar, sicut argumentantur Epicurei. Duo contradictoria non possunt simul esse &c. Sunt autem hęc extremè pugnantia, velle Deum offendere, & velle à Deo petere & expectare dona. Multi exercent quotidie vsuras, alij se polluunt adulteriis & scortatione, alij infidiantur aliorum vitæ, famæ, fortunis. Alij sunt calumniatores, susurrones. Denique mille modis homines peccant contra conscientiam, & tamen tales veniunt in templum & scholas, & præ se ferunt pietatem, &, si Deo placet, sunt sancti viri. Sed longè aliter de talibus iudicat Scriptura.

Si cor nostrum nos condemnat] Hæc est pręcipua regula vitæ, vt post fidem habeamus bonam conscientiam. Nec potest esse bona conscientia sine fide, nec fides sine bona conscientia. Sunt duo connexa inseparabilia, sicut mas & fœmina.

Ex corde puro] Id est, fide purificato. Act. 15.

Conscientia bona] Id est, bono proposito.

Fides ficta] Est hypocrisis. Non omnis fides est vera, sicut Paulus dicit: Fides non est omnium.

Militiam honestam] Arduam.

Retinens fidem]

Congruant autem fides & conscientia cum verbo Dei. Quare hoc dico? Sicut fides nõ est omnium, quia multi sunt hypocritæ, qui falsò iactitant fidem, quam non habent: sic bona conscientia non est omnium, qui gloriantur de bona conscientia. Sicut oportet fidem tuam congruere cum verbo Dei (si enim credis pugnantia cum verbo Dei, falsa est tua fides) ita oportet regi tuam conscientiam verbo Dei, vt possis gloriari in media morte contra Diabolum, te verbo Dei impulsum esse, vt hoc vel illud faceres.

Conscientiam] Sex sunt caussę, propter quas integritas conscientiæ retinenda est: 1. mandatum Dei. 2. vt retineatur fides. 3. facultas inuocationis. 4. Spes auxilij & protectionis diuinæ. 5. tranquillitas cordis. 6. mitigatio & liberatio in calamitatibus.

Vbi præcipitur, vt habeas bonam conſcientiam? 1. Tim. 1. Milita bonam militiam &c. Secunda cauſſa extat eodē in loco Pauli: Quam conſcientiam quidam repellentes, naufragium fidei fecerunt. Fides fit naufraga, quando conſcientia ſauciatur, quia non patitur ludos fama, fides, oculus. Tertia cauſſa extat 1. Iohan. 3. Si cor noſtrum nō condemnat nos, habemus fiduciam ad Deum. Ergo ſi quis mala cō-ſcientia præditus eſt, non poteſt Deum inuocare. Dicat aliquis, Atqui ſic omittenda mihi prorſus erit inuocatio, quia ego habeo malam conſcientiam, ſum miſer peccator. Reſpondeo. Intellige, quid ſit bona & mala conſcientia: Bona conſcientia eſt propoſitum obediendi Deo: mala eſt propoſitum offendendi Deum, de futuro. Si doles de peccato per Chriſtum, fide petis remiſsionem peccatorum, & habes bonum propoſitum, quòd velis obedire, iam habes bonam conſcientiam. Si autem cogitas, Cras volo hunc decipere, cras volo iſti ægrè facere, ibi certè laboras mala conſcientia: atque ibi oratio tua magis irritat iram Dei, ſicut dicitur: Oratio impij eſt peccatum. Quarta cauſſa extat Prouerb. 4. Sperat in morte iuſtus, in media morte habet bonam ſpem. Quinta cauſſa cōgruit ad dictum Prouerb. 16. Bonum cor, id eſt, bona conſcientia eſt perpetuum cōuiuium. Ad ſextam cauſſam referantur exempla plurima, vt cùm Dauid haberet bonam conſcientiam contra Saulem, non eſt interfectus ab hoſte, qui totum decennium meditabatur omnia in eius perniciem.

Gal. 5.] Caro phraſi Paulina ſignificat naturam non regeneratam, ſeu naturam ſine gratia.

Talia.] non erunt hæredes vitę æternæ. Nam æterna beatitudo propriè vocatur regnum Dei.

Vocat manifeſta opera.] Luce naturæ poſſumus diſcernere bona à malis, iuſta ab iniuſtis, honeſta ab inhoneſtis. Nominat ergo Paulus manifeſta, quæ non ſunt obſcura, nec ignota rationi. Mœchi ſunt adulteri.

Si ſecundum carnem vixeritis] Hic locus eſt ſedes materiæ, videlicet doctrinæ de diſcrimine peccati regnantis & non regnantis. Sunt autem actiones carnis, dubitationes & vitioſi affectus: item peccata ignorantiæ & omiſſio-

omissionis non affectatæ. Mortificare has actiones, est repugnare his malis, nec eis indulgere contra conscientiam. Spiritus hoc loco significat effectus Spiritus sancti, timorem, fidem, inuocationem, patientiam, & alios motus spirituales. Postremò, viuere est manere in gratia, & in possessione vitæ æternæ.

Fiducia sui] φιλαυτία. Nemo est, quem nō aliqua in re possis cernere Suffenum, id est sibi placentem, φίλαυτον. Et Ouidius inquit:

Dum sibi quisque placet, credula turba sumus.

Secundum Platonem φιλαυτία est caussa omnium malorum in vita, Einem jeden gefellet sein Kolde wol/ drumb ist die Welt der Narren vol.

Æmulatio] est pugnare de antecellentia, Sich vmb die Narrenkappen reissen. Describitur hoc vitium in versu Ennij:

Omnibus cura viris, vter esset induperator.

Maria] sorore Moysi. Numerorū 12. historia est memorabilis. Sicut Ouidius 1. Metamorph. exclamat, Fratrum quoque gratia rara est. Ita in Ecclesia etiam inter fratres est æmulatio quædam, vt Aaron vritur gloria Moysi. Sic fratres Iosephi pugnant æmulatione cum fratre. Et fratres Dauid inuident fratri vocationem ad regnum.

Spiritu] Non tantùm ratione & philosophica moderatione. Exempla. Scipio abstinuit ab alterius sponsa, quadam philosophica moderatione. Videt enim, quantum decus sit in gubernatore castitas, & quantum probrum & deformitas sit confusio libidinum. Ita Scipio ratione sese reprimit & extinguit flammas libidinum. Ioseph verò abstinet à coniuge sui domini, non tantùm rationem sequens, sed Spiritum sanctum gubernatorem, iuxta dictum Roman. 8. Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Est igitur maior virtus, castitas in Iosepho, quàm in Scipione, quia Scipionis castitas est moderatio rationis seu moderatio philosophica, castitas in Iosepho est lux & motus Spiritus sancti.

Acre] Verè mortificatio carnis est acre certamen, Ideo dicit Paulus

ad Corinth. ὑπωπιάζω corpus meum, id est, duriter tundo. Suggillatio significat duram represionem affectuum, æmulationis, cupiditatis vindictæ, & similium incendiorum animi.

Spiritus] Aliàs significat causſam, aliàs effectum. Quando significat causſam, tum significat tertiam personam Trinitatis: quando effectum, tum vsurpatur pro spiritualibus motibus.

Qui non sunt]

Non omnes lapsi restituuntur, sed multi ex aliis peccatis in alia ruũt. Ideo simus diligentiores in vitandis lapsibus.

Es ist bald zu fallen / aber nicht bald auffzustehn.

Facilè effunditur frumentũ, sed difficulter colligitur & corraditur. Apud Aristotelem extat insigne dictum in 1. Phy. Vno absurdo dato, multa sequuntur. Hoc ille dicit de opinionibus. Nos transferamus dictum generaliter ad peccata: Vno peccato posito, sequuntur plura. Nullum peccatũ est solum. Diabolus texit longam telam.

Cor firmum]

Scilicet contra dubitationes, & contra metum in periculis.

Vera fortitudo, qualis fuit in martyribus, profectò est singularis motus Spiritus sancti. Non est opus humanarum virium.

Regentem actiones omnes] Mentis, voluntatis & cordis, id est, partis cognoscentis & appetentis.

Principali] Fürstlich / heroico, seu spontaneo.

Quare Spiritus spontaneus vocatur principalis? Quia Principes à nemine possunt cogi, præsertim potentiores. Quidquid faciunt, hoc sponte faciunt, non coacti. Ideo idem vocabulum apud Hebræos significat spontaneum & principale, sicut metalepses sunt vsitatæ apud Hebræos.

Ionathas] Videtis, quomodo exemplis optimis & lectissimis vtatur D. Philippus in illustranda doctrina necessaria. Suprà audistis exemplum latronis emendati, & Sareptanæ. Nunc auditis exemplum Iosephi, Ionathæ, Dauidis. Si quis talia non magnificit, eum profectò necesse

necesse est, hominem esse valde stupidum. Ionathas excelluit ea virtute, quæ vocatur humilitas, quia cessit Dauidi, non de tribus capellis, sed de regno, & quidem de regno populi Dei, quod erat melius, quàm omnia regna totius mundi.

Non regnet] Augustin. tract. 41. in Iohann. Non ait, non sit, sed non regnet. Quamdiu viuis, peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur, non fiat quod iubet.

Hieronymus descripsit vitas quorundam patrum, id est, Monachorum, qui vixerunt in solitudine, quærentes latebras, quacunque de caussa. Inter alia recitat exemplum cuiusdam, qui venit ad senem, & grauiter conquestus est de lucta carnis & Spiritus, id est, de multis errantibus flammis. Huic respondit sapiens senex, vir sanctus: Tu non potes prohibere, quo minùs auiculæ libero cælo fruentes supra caput tuum volitent, sed hoc potes impedire, ne in tuo capite, aut in tua veste nidificent. Ita non possumus omnino eiicere peccatum ex natura nostra, donec viuimus in hac carne, & donec mors auferat omnes reliquias peccati: sed regnum debes & potes adimere peccato, Spiritu sancto adiutore.

Ioseph intuens] Exemplum Iosephi.

Occasiones] Vitare occasiones peccandi, est vitare ipsa peccata.

De argumentis aduersariorum.

Quanquam iam sæpè sunt eadem argumenta proposita & explicata: tamen non licet nobis ab instituto discedere. Quare boni consulite hanc repetitionem, qua, vt videtis, non nectimus moram de industria, sed tantas facimus progressiones, quantas omnino facere possumus. Sit autem vobis etiam hoc nomine gratior repetitio, quia solutiones 18. argumentorum in textu suppeditabunt vobis exempla eius doctrinæ, quæ traditur in postrema parte Dialecticæ, de ratione soluendi vitiosa argumenta. Videbitis enim in his exemplis vsum præceptorum Dialecticæ: sed sunt aliæ plures caussæ, propter quas repetitio hæc non erit insuauis.

Notitiam]

Necesse est fundamentum ita teneri, ne penitus ignoretur

vllus articulus fidei, aut ne contrarium asseueretur.

Meministis insigne dictum Pauli 1. Cor. 3. Fundamentum aliud non potest poni, præter id quod positum est. Ex hoc dicto Paulino sumimus phrasin vsitatam, quoties loquimur de fundamento, & significamus hac appellatione omnes articulos fidei, quorum cognitio necessaria est. Deus potest dispensare de sua Lege, propter Mediatorem, ad quem credentes in vera conuersione confugere debent, sed nequaquam de suo Euangelio vult dispensare, quod est dulcissima ἐπιείκεια Legis. Quare necessaria est notitia omnium & singulorum articulorum fidei. Ac si vnus ex Symbolo articulus ignoratur, non potest hoc fieri sine iactura & periculo salutis: Ex quo potestis intelligere, quàm necessaria sit Theologia non tantùm ministris in Ecclesia, sed omnibus hominibus: quia oportet nos in extremo mundi die reddere rationem villicationis nostræ, id est, non tãtùm operum, sed etiam fidei. Quare vnusquisque consulat suam conscientiam, & videat, quousque progressus sit, quid teneat, quid ignoret, quid asseueret, quid neget. Vtrumque enim à Deo damnatum est, & affectata ignorantia articulorũ fidei, & contraria asseueratio. Sunt quidem in sanctis dubitationes de vna & altera parte doctrinæ Christianæ: sed absit à sanctis pertinax asseueratio contraria verbo Dei.

Quæ tamen fatemur] Liberalissima concessio.

Addimus] Correctio.

Fidem] quæ est anima bonorum operum.

Sine iusta causa] Canes propriè dicuntur rabiosi. Rabies est canum. Vocat autem Paulus malos doctores canes. Philipp. 3.

Petrus] Act. 1. Est decretum Synodi Propheticæ.

Hic consensus] Duo sunt κριτήρια in hac causa: vnum est consensus testimoniorum Propheticorum & Apostolicorum: alterum experientia vniuersalis omnium piorum.

Ad hæc duo κριτήρια respicite, tanquam nautæ ad maiorem & minorem vrsam. Maior vrsa est, vt ita dicam, consensus scriptorum Prophe-

Propheticorum & Apostolicorum. Minor est experientia spiritualis Ecclesiæ de consensu Prophetarum & Apostolorum. Moyses Gen. 15. est primus testis de hoc consensu: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Hoc testimonium citat & illustrat Paulus Rom. 4. & Gal 3. Alter testis de hac sententia est Dauid psalm. 32. Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Hoc testimonio vtitur Paulus Rom. 4. Tertius testis est Esaias cap. 53. Seruus meus iustus notitia sui iustificabit multos. Disertè affirmat, nos iustificari fide. Quartus testis est Ieremias cap. 23. Vocabitur nomen eius Iustus, id est, hic solus iustificat nos coram Deo, non vlla alia res tanquã caussa impulsiua. Quintus testis est Daniel cap. 9. in precatione sua ardentissima, Exaudi nos, propter Dominum &c. Sextus testis est Abacuc cap. 2. inquiens, Iustus fide sua viuit. Cum his & similibus dictis Prophetarũ congruunt conciones Christi apud Euangelistas. Deinde Acta Apostolorum, quæ continent doctrinam Apostolorum. Postea Epistolæ Pauli, Iohannis, Petri & aliorum. Quod ad alterum κριτήριον attinet, id est, ad experientiam spiritualem, omnes pij in contritione, id est, in veris pauoribus & doloribus sentiunt, & conuincuntur, vt fateantur remitta se habere, videlicet, quòd in nullo obiecto possimus acquiescere, nisi in solo Mediatore crucifixo & resuscitato. Hoc testimonium experientiæ nequaquam est aspernandum, præsertim cùm congruat cum verbo Dei priùs tradito.

Virtutem] Qualitatem.

Afflatu] Enthusiasmo. Nullus est magnus vir sine Enthusiasmo, id est, sine afflatu diuino.

Sepelire Christum] Non habemus Christum sepultum, sed viuum & regnantem: sicut dicit Angelus: Non est hîc, quem quæritis in sepulchro, surrexit.

Scopum] Metaphora à sagittariis sumta, qui sua tela dirigunt ad scopũ.

I. Argumentum.

Est fallacia æquiuocationis. Aliter in Maiore, aliter in conclusione vsurpatur vocabulum iustitiæ. Aristoteles 5. Ethicorũ citat versum Theognidis, Iustitia in sese virtutem continet omnem, id est, est copulatio & chorus omnium virtutum.

Fontes] Fons erroris est confusio Legis & Euangelij.

II.

In hoc argumento minor est neganda simpliciter. Nequaquam fides est tantùm notitia. Maior est axioma verisimum.

In intellectu] Erudita explicatio. Fides cõplectitur tria: notitiam, assensum & fiduciam. Notitia & assensus sunt in mente, id est, sunt actiones mentis à Spiritu sancto accensæ. Fiducia est in voluntate & corde, in parte appetente. In homine sunt duæ præcipuæ potentiæ animæ rationalis: vna intelligens, altera appetens. In intelligente parte fides est notitia articulorum fidei, & assensus. Deinde in parte appetente, id est, in volũtate & corde est fiducia accẽsa à Spiritu sancto.

Promissionem] ideo ex fide gratis, vt firma sit promissio.

Quærit] folia fici quærit. Nostra fides est talis, vt quotidie nobis sit dicendum cum Apostolis, Domine, auge nobis fidem: & cum illo Marci 9. Credo, Domine, sed opem fer meæ incredulitati.

Ideo]

Augustin. lib. 1. de Trinitate: In Scriptura piè & prudenter consideretur, quid, secundum quid, & propter quid dicatur.

Non dicimur iusti fide, quia fides sit talis qualitas in nobis: sed quia apprehendit Mediatorem, & beneficia eius nobis applicat. Ergo ratione applicationis fide iustificamur, non respectu qualitatis: sed quia non est aliud organon, quo possimus Christum apprehendere & applicare, nisi fides, non debemus somniare, non cogitare, non imaginari aliud organum & instrumentum in hac vita, quo possimus apprehendere Christum & eius beneficia, nisi fidem. Epistola ad Hebræos 3. inquit: Facti estis participes Christi, si retinueritis initium fidei vsque ad finem. Annulus magni fit, non propter exiguam auri massulam, sed propter gemmam insertam: sic fides non iustificat, quatenus est opus, virtus, vel qualitas, sed ratione gemmæ, id est, respectu Christi Mediatoris.

Corre-

Correlatiuè] Fides iustificat non in prædicamento qualitatis, sed in prędicamento relationis, id est, correlatiuè iustificat, non vt qualitas.

Dæmones] Vitanda est fallacia plurium propositionum, id est, confusio rerum diuersarum. Tractat suam caussam Iacobus contra hypocritas. Paulus consolatur pauidas conscientias, quæ sunt perterrefactæ voce Legis, & metuunt æternam abiectionem. Has erigit, confirmat, & sanat. Ideo dicit, Fide iustificamur sine operibus &c. Iacobus refutat persuasiones hypocritarum, qui fingunt se iustos esse sola professione, & notitia articulorum fidei.

Non esse similem] Quatuor modis differt fides Diaboli, & fides iustificans. 1. causis efficientibus. 2. subiectis. 3. obiectis. 4. effectibus. Nam fides in Diabolo excitatur cogitatione mentis sine Spiritu sancto. Fides iustificans est lux & motus Spiritus sancti. Deinde fides Diaboli tantùm est notitia in intellectu. Fides iustificans est fiducia in voluntate. Tertiò, fides Diaboli tantùm intuetur historiã. Fides iustificans intuetur promissionem Euangelij. Postremò fidei Diabolicæ effectus sunt horribilis pauor & fuga Dei. Fidei iustificantis effectus sunt iustitia, & pax, Rom. 14. Item fides Diaboli est generalis, credens alijs remitti: Fides iustificans est specialis, credens tibi ipsi remitti.

Meministis dictum Bernhardi ex concione de annuntiatione: Non satis est credere, quòd non possis habere remissionem peccatorum, nisi per misericordiam Dei, sed adde & hoc, vt credas tibi etiam remitti peccata. Hoc est testimonium, quod dicit Spiritus sanctus in corde tuo, dicens, Remissa sunt tibi peccata. Est egregium & aureum dictum, ex quo apparet, Bernhardum in mediis tenebris tamen habuisse hanc lucem, quòd sola fide, non operibus iustificemur.

III.

Si intelligis, fidem non oportere esse solam] Sic argumentor:

Fides sine operibus iustificat.
Fides sine operibus est res mortua:
Ergo res mortua iustificat.

Respondeo: Est fallacia compositionis & diuisionis. Sine operibus, non est referendum ad fidem, sed ad verbum iustificat. Iustificamur sine operibus, sed fides nunquam est sine operibus.

Solam]

Sola voluntas vult, & tamen non est sine intellectu. Sic fides sola iustificat, etiamsi nunquá est sine bonis operibus.

Particula sola refertur ad prędicatū, non ad subiectum, quando dico, Sola fide iustificamur. Non excludit opera, ne adsint, sed merita excludit, Hüte dich nicht für den guten Wercken/ sie werden dir nicht schaden thun/ hüte dich aber für bösen Wercken.

Meritum esse causſam]

scilicet impulsiuam. nam efficiens interior est misericordia. Deus autem iustificat propter meritum Christi.

Non potest accendi dilectio, nisi agnita remissione peccatorum.

Axioma Theologicum. Nullus debitor amat creditorem, si nō est soluēdo. Sic res se habet in spiritualibus. Nos omnes sumus debitores, quia debemus præstare integram obedientiam Deo. Hāc si non præstamus, sumus damnati. Nisi igitur Deus gratis per misericordiam remittat nobis debita, nulla posset in nobis existere dilectio. Hoc prolixè explicat ipse Filius Dei, Lucæ 7. in colloquio cum Pharisæo.

IIII.

Oportet aliquod esse instrumentum, quo apprehēdamus Mediatorem.

Hoc verum est in doctrina de promissione Euangelij, & de vsu Sacramentorum legitimo.

V.

Est fallacia æquiuocationis, in vocabulo Gratiæ. Est vobis nota historia insignis, cuius allegoriam tractat Christus Iohann. 3. de serpente æneo erecto in deserto à Moyse. Cùm populus contumax tentasset Dominum, misit Deus in populum vagantem per desertum, serpentes igneos, qui euomebant virus ardens, sed iussit Deus erigi serpentem æneum ad hunc finem, vt si quis læsus à serpente, eum aspiceret, cōualesceret: si quis nolebat aspicere, is moriebatur. Tāta erat

erat vis illius veneni. Sic inquit Dominus noſter, Niſi aſpexeritis Mediatorem fide, & tantùm aſpexeritis veſtra vulnera & virtutes, nunquam eritis ſalui. Auguſt. Turbabor, ſed non perturbabor, quia vulnerum Domini recordabor.

VI.

Breuis eſt reſponſio ad hoc argumentum per diſtinctionem. Vera eſt Maior de voluntate Dei non reuelata expreſſo verbo. Multa enim ſunt conſilia Dei arcana, quæ Deus in hac vita non patefecit Eccleſiæ, ſicut inquit ad Moyſen Exod. 33. Gloriam meam in hac vita videre non poteris, videbis autem poſtea, cùm tranſiero. Qua concione ſignificat Deus, non cerni omnia conſilia in gubernatione Eccleſiæ ante conſummationem. Quando autem Deus erit omnia in omnibus, tunc etiam illa arcana nobiſcum communicabit. Nunc contenti ſimus verbo reuelato, & diſcamus, quantum nobis eſt diuinitus traditum, nec ſcrutemur imperueſtigabilia, de quibus Paulus Rom. 11. dicit, O altitudo diuitiarum.

Sic argumentor ex 9. cap. Eccleſiaſtæ concionatoris Salomonis: Neſcit homo, vtrum gratia vel odio dignus ſit. Ergo homo debet dubitare de gratia. Sunt variæ reſponſiones, ſed ſumamus reſponſionem ex textu ipſo. Nego conſequentiam, quia eſt fallacia diuiſionis. Nam integrum dictum ſic habet: Neſcit homo, vtrum gratia vel odio dignus ſit, ex omnibus, quæ coram ipſo fiunt. Hęc eſt vera verſio Hebraici textus. Interdum Latinus textus omiſit aliquid, vt in dicto Gen. 9. Qui fuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis eius. Ibi omiſit particulam, Per hominem, id eſt, per magiſtratum. Ita hoc loco accidit. Vera autem interpretatio eſt, de qua dixi, Ex omnibus, quæ coram ipſo fiunt, id eſt, ex euentibus bonis & malis: quaſi dicat, Homo non debet iudicare ex fortuna ſecunda vel aduerſa, an ſit in gratia Dei, vel Deo inuiſus: ſed ex verbo debet, tanquam ex certiſsimo & minimè fallenti κριτηρίῳ ſtatuere: vtrum Deo placeat, an diſpliceat. Achab impius rex decem tribuum, eſt fortunatus & fœlix, eſt opulentus, habet multas glorioſas victorias, ſed non propterea placet Deo, quia eſt cultor idolorũ. Econtra Dauid, quanquam pulſus in exilium à filio Abſalone, tamẽ placet Deo, quia agit pœnitentiam, & credit ſe gratis recipi propter Filium Mediatorem.

Certum eſt autem] Sunt nobis reuelati articuli

neceſſarij ad noſtram ſalutem. De his dicitur Iohan. 15: Omnia quæcunque audiui à Patre meo, patefeci vobis. Omnia, ſcilicet neceſſaria ad ſalutem, ſed non loquitur de omnibus arcanis conſilijs, quę non neceſſe eſt nos ſcire. Quis eſſet vſus Euangelij, ſi eſſet perpetuò manendum in dubitatione?

Vbi non eſt fides] iuxta dictum Rom. 16: Quomodo inuocabunt, niſi credant?

VII.

Nouas qualitates] Habitus eſt prima ſpecies qualitatis.

Neganda] Signa præſentiæ Spiritus ſancti ſunt inuocatio Chriſti, non fugitans, ſed libenter ad eum accedens, & in eo acquieſcens, & amor totius doctrinæ Euangelij, & ſtudium diſcendi, & conſtantia in confeſsione. Ac poteſt vniuſcuiuſque conſcientia iudicare de propria inuocatione, & de ſtudio Euangelij, deinde & alij cernere robur animi in confeſsione poſſunt.

Multa ſunt ſigna, quæ longũ eſſet enumerare, quibus diſcernitur vera pietas ab hypocriſi: ſed hæc tria minimè fallunt, & habent teſtimonia in ſacris literis. 1 eſt vera, ſeria & ardens inuocatio Dei in agnitione Mediatoris. De hoc ſigno Zachar. 12. dicitur, Effundam Spiritum gratiæ & precum. In hoc dicto coniunguntur gratia & inuocatio, quia alterum non poteſt eſſe ſine altero: ſi es acceptus Deo, inuocas Deum: econtrà, ſi inuocas, præſupponitur gratia. Non enim potes Deum inuocare, niſi tibi ſit propitius. Et Paulus Rom. 8 dicit de hoc ſigno, Accepimus Spiritũ non ſeruitutis &c. Alterum ſignũ eſt amor totius doctrinæ Euangelij, & ſtudiũ diſcendi ac proficiendi. De hoc ſigno dicit Filius Dei apud Iohannem: Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit &c. Explora igitur tuum cor, & te ipſum examina, quomodo ſis affectus in inuocatione, & qualè habeas ſtudium diſcendi doctrinam diuinitus traditam. Tertium ſignum eſt conſtantia in confeſsione veræ ſententiæ, iuxta dictum Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore fit confeſsio ad ſalutem. Si credideris in corde, & confeſſus fueris ore, ſaluus eris.

Si cor noſtrum] conſcientia noſtra.

Fatemur]

VIII.

Fatemur] Sicut calor ab igne non poteſt ſeparari, ſic fides nunquam eſt ſine multis bonis operibus.

Differt] Hæc ſunt διδασκαλικὰ & methodica. Nullum eſt in nobis apprehenſiuum organum aliud, quàm fides. Non cernimus Deum oculis, nec brachiis eum amplectimur, aut vllo alio organo. Hæc eſt vnica manus, qua apprehenditur Mediator, & eius beneficia.

Cauillationum] Modus eſt pulcherrima virtus, præcipuè in diſputando. Docendo in ſcholis & templis placidè, non facilè corrumpitur aut amittitur veritas, quia homo tũc eſt apud ſe: meditatur, quid velit dicere, non impeditur vllo affectu: ſed in diſputando facillimè amittitur veritas, iuxta vulgare verbum: Altercando amittitur veritas. Ideo videtis, quid interſit inter ſcripta veterum & recentium Theologorum, quando verſantur in diſputationibus, & quando ſunt extra diſputationes. Ego poſſem vobis magnum Theologum (qui nobis omnibus eſt notus & charus) nominare, & exemplis plurimis oſtendere contraria eius dicta in eadem cauſſa & materia. Aliter loquutus eſt, cùm arderet calore diſputandi, aliter verò, & quidem planiùs & meliùs extra illum calorem diſputandi: ideo modus ſit omnium rerum, præſertim verò diſputationum. Quò minùs eſt diſputationum, eò minùs eſt cauillationum in Eccleſia.

IX.

Contrariis] Contrariorum ſunt contrariæ conſequentiæ, ſcilicet ſi ſunt æqualium graduum.

Confidentiæ] Aliàs ſumus tumidi, aliàs timidi.

Spectra] ſunt terriculamenta puerilia. Ita ſpectra Diaboli ſunt dubitationes de prouidentia, an Deus curet genus humanum & Eccleſiã. Item dubitationes de certitudine & veritate doctrinæ Chriſtianæ, an ſit inanis fabula, an verbum Dei: imò ſæpe mentes dubitant, an ſit Deus, cùm non cernatur oculis, nec brachiis comprehendatur.

Hæc & ſimilia tela ignita, ſunt ſpectra Diaboli.

Paulus] Eph. 6.

Mori mallent]

Artabanus in Polymnia, id eſt, lib. 7. Herod. In hoc tam breui & exiguo vitæ curriculo multa ſingulis hominibus accidũt, vt ſæpiùs mori magis, quàm viuere cupiant.

patruus & conſiliarius ſummus Xerxis.

Mors non eſt ſummum malum. Es kan einem viel begegnen / daß er lieber todt wölte ſein.

Colaphis] 2. Cor. 12. Colaphi ſignificant ſingulares terrores, qui verbis deſcribi non poſſunt, Schwermut.

Miſer] Rom. 7. Iuxta voluntatem & conſilium Dei optat mortem.

X.

Ad rupem]

Num. 20. Num de petra hac poterimus vobis aquam elicere? Pſal. 106. Irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus eſt Moyſes, propter eos, quia exacerbauerunt Spiritum eius, & inconſideratè locutus eſt labiis ſuis.

Vox dubitantis.

Cogitate, quantus vir fuerit Moyſes. Vocatus eſt à Deo immediatè ex rubo ardenti (qui tamen non fuit conſumtus) maximis miraculis & teſtimoniis: deinde tanta in eo fuit animi magnitudo, vt non dubitaret in Aegypto ante eductionem populi, decem magna prodigia vel miracula, contra naturæ ordinem edere, ſpectante Tyranno, & tota aula Aegyptia, imò tota multitudine Aegyptiorum. Poſtea eduxit populum per mare rubrum, & tantùm baculo, quem manu tenebat, diuiſit fluctus aquarum, quę vtrinque ſteterunt immotæ inſtar montium, & poſtea redierunt ad ingeniũ, oppreſſerunt & ſuffocarunt exercitum Pharaonis. Poſt hæc & multa alia miracula edita, in quibus ſemper fuerat magno & excelſo animo Moyſes, nunc incipit trepidare, & frãgi propemodum animo, iuſſus

iussus pertrutere petram eodem baculo, quo antea diuiserat aquas maris rubri. His inter dubitationes & trepidationes exclamat: Num de petra hac poterimus vobis aquam elicere? &c. Hanc historiam repetens psal. 106. inquit: Irritauerunt eum, scilicet magnum & heroicum illum virum Moysen, & clarum miraculis.

Respondendum]

In coniugatis ambiguis non valet consequentia.

Iustitia & iustus sunt coniugata, quia alterũ est concretum, alterum abstractum, sed non sequitur, Dilectio est iustitia. Ergo sumus iusti dilectione: quia antecedens loquitur de Idea, quæ non est in nobis. Consequens loquitur de nostra persona.

XI.

Interpellantem

id est, applicãtem nobis suum sacrificium.

XII.

In vera oppositione eadem sint extrema, de eadem re, sine ambiguitate intellecta. Loquuntur autem Paulus & Iacobus, nõ de eadem re, sed de diuersis. Quare non inter se pugnant.

Sunt diuersi scopi Pauli & Iacobi. Paulus agit cum conscientiis consternatis: alter agit cum hypocritis.

Fingebant]

Hypocrisis inde vsq; à Cain, fingit homines sola professione iustos esse.

Tales sunt in Euangelio Iohannis pertinaces Iudæi: Nos semen Abrahæ sumus, non Ethnici. Christus respondet: Vos ex patre Diabolo estis. Abraham est pater credẽtium. Ita semper clamabant Iudæi, Circumcisio, Lex, Abraham: Papistæ hodie clamãt, Ecclesia, Ecclesia: Flaciani, Veritas: Lutherani, Veritas.

De vna parte]

scilicet de noua obedientia.

XIII.

Peruenimus ad argumentum 13. quod assumitur ex priori ad Corinth. 13. vbi Paulus instituit collationem donorum Spiritus sancti: & charitatem erga Deum & proximum longè anteponit cetèris donis & ornamentis Spiritus sancti. Sic enim inquit Paulus: Si lin-

guis loquar &c. Item: ſi habuero omnem fidem, & caream dilectione, nihil ſum. Quo dicto non detrahitur iuſtificatio ſoli fidei, ſed hoc tantùm ſignificatur, non poſſe fieri ſeparationem fidei à dilectione, vt teſtatur dictum Gal. 5. Fides per dilectionem efficax. Quia verò nullum argumentum ſpecioſiùs opponitur contra excluſiuam, Sola fide iuſtificamur: ideo quæſitæ ſunt initio repurgationis doctrinæ variæ reſponſiones. Quidam enim Dialecticè hoc modo reſponderunt: Ingens diſcrimen eſt categoricæ propoſitionis & hypotheticæ. Nam categoria aſſeuerat aliquid, hypothetica verò nihil ponit, niſi poſita conditione. Hæc reſponſio etſi ingenioſa eſt, tamen nondum ſatisfacit aduerſariis pertinacibus. Alij verò ſic reſpondent: Fides hoc loco non ſignificat fiduciam Mediatoris, qua accipitur remiſsio peccatorum, ſed vſurpatur pro dono faciendi miracula, quod & hypocritis interdum diuinitus conceditur. Sicut Magi Aegyptij fecerunt quædam miracula, vt ſcribitur in Exodo, quanquã omnia Moyſis facta non potuerint imitari. Valeat hæc reſponſio, quantum poteſt: ſed neque hoc modo ſatisfit lectori, vel auditori, quia videtur ambiguitatem verborum parere, vbi etiam propria ſignificatio retineri poterat. Eſt igitur optima & rectiſsima reſponſio ea, quam habemus in textu, in quo dicitur, concurrere oportere fidem & dilectionem, ſeu coniungi oportere dilectionem cum fide, ſed inde non ſequi, nos iuſtos eſſe partim fide, partim dilectione. Et ratio eſt, quia conſcientia non poteſt niti duabus anchoris, ſed habet tantùm vnam ſacram anchoram, videlicet Chriſtum, vt teſtatur promiſsio: In ſemine, non in ſeminibus, quaſi in multis. Eſt fallacia conſequentis, quia plus eſt in conſequenti, quàm in antecedenti.

Accedat] Axioma notum & tritum. In rebus aduerſis maximè cernitur, qualis ſit natura dilectionis erga Deum & proximum.

Et tamen] Aurea copulatiua: Oportet dilectionem adeſſe: & tamen per ſona habet reconciliationem propter Filium. Vtriuſque partis huius copulatiuæ fundamenta extant in Scriptura. De priore dicitur Gal. 5. Nihil valet in Chriſto Circumciſio, nihil præputium, ſed fides per dilectionem efficax. Alterius partis in hac copulatiua confirmatio, eſt Rom. 3.

Si

XIIII.

Si vis]

Ambrosius Roman. 2. Qui sunt factores Legis? Qui credunt in Christum, quia Christus est finis Legis.

Lex est pædagogus ad Christum. Multa solent disputari de impletione Legis, sed tãdem est decurrendum ad hanc responsionem Ambrosij: Illi sunt factores Legis, qui credunt in Christum. Contrà dicat aliquis: Lex non tantùm fidem, sed opera postulat. Respondeo: Fides non est sine operibus: & qui Christum habet, habet id quod Lex postulat, & promittit, id est, habet Legem impletam, habet obedientiam, quæ etsi imperfecta est per se, tamen placet Deo, quasi esset absolutissima.

Interim]

Ex vno errore multi alij sequuntur. Quando tu semel aberras à via, quò longiùs procedis, eò longiùs aberras. Ignoratio discriminis Legis & Euangelij est fons omnium errorum, aut certè præcipuorum in doctrina Pontificia.

Stabilitur]

Quomodo? quia primò persona recipitur gratis propter Mediatorem: deinde placet obedientia quamuis imperfecta, quia iam non sumus sub Lege, sed sub gratia.

Inserti]

Fide inserimur Christo, non alio organo.

Omnibus]

Aurea regula interpretationis Scripturæ, quam confirmãt hæc dicta Pauli Rom. 10. Finis Legis est Christus, Rom. 3. Lex fide stabilitur. Lex non prodest sine fide.

Nudi]

Deuteron. vltimo extat insignis historia de Moyse, quòd videlicet non potuerit introducere populum Israeliticum in terram promissam, & quòd ita fit sepultus, vt eius sepulchrum ignoretur in hunc diem. Dominus enim ipse sepeliuit Moysen. Quid significat hæc historia? Moses, per quem Lex data est, significat Legem: Dominus, qui sepeliuit Moysen, est Filius Dei, per quem omnia facta sunt in Ecclesia. Vt igitur Moyses non potuit introducere po-

pulum in terram promiſſam: ſed Ioſua tranſiuit per Iordanem, & occupauit terram Canaan, & ſingulis tribubus ratam partem aſſignauit: Ita non Lex, non opera noſtra, ſed ſolus Ioſua Ieſus Chriſtus traducit nos per miſerias huius vitæ ærumnoſas in vitam æternam. Deinde liberat nos à Moſe, id eſt, à Legis maledictione & damnatione. Nemo ſepelit Moyſen, niſi ipſe Dominus, qui factus eſt pro nobis maledictum. Gal. 3. vt benedictionem Abrahæ promiſſam fide conſequeremur. Qui enim ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ.

Chriſtus] Matth. 5.

Sex rebus] Propone tibi exempla contraria, in quibus, tanquam in ſpeculo, cernitur diſcrimen iuſtitiæ piorum, & hypocritarum. Saul eſt hypocrita. Dauid eſt vir pius, & verè renatus. Quibus igitur rebus antecellit Dauid Sauli? primò, pœnitentia. Quia Saul eſt ſecurus ſine agnitione ſuorum peccatorum, & ſine vero timore Dei. Deinde, fide: quia Saul ne micam aut ſcintillam fidei circumfert in ſuo corde. Tertiò, nouitate Spiritus, de qua dicitur pſal. 51. Cor mũdum crea in me, Deus. Quartò, vera inuocatione, Ad Dominum clamaui, & exaudiuit me. Quintò, ſucceſsibus in vocatione, ſeu fœlicitate rerum gerendarum. Saul eſt infœlix. Econtrà Dauid eſt fœlix bellator & gubernator. Poſtremò differunt repreſsione Diaboli. Saul vincitur à Diabolo, & impellitur ad deſperationem. Contrà Dauid deformatus ingentibus ſcandalis peccatorũ & ærumnarum, tamen non deſperat, non frangitur animo, non ſuccumbit, ſed tanquam generoſus equus erigitur, ſuperat Diabolum, & reducitur diuinitus in regnum. Wo die Heuchler gehen/da ſchlegt der Hagel drein.

Vitæ æternæ]

Vita æterna eſt conformitas cum Lege Dei. Sicut inquit Auguſtinus: In vita æterna, ſine fine videbimus Deum, & ſine faſtidio amabimus, & ſine defatigatione laudabimus. Hæc erunt opera vitæ æternæ: primò agnoſcemus eum, ſicut eſt, teſte Iohan. 3. Nunc cernimus Deum per Verbum, tunc à facie ad faciem, id eſt, coram cernemus Deum. Deinde amabimus eum, ſine faſtidio, peccato, & ſordibus. Tertiò laudabimus Deum ſine defatigatione, ſemper canemus,

Te

Te Deum laudamus. Hæc erunt opera, & actiones vitæ æternæ, hoc erit æternum ſabbathum, de quo Paulus dicit: Deus erit omnia in omnibus.

Dabo Legem] Loquitur ibi Ieremias de cõſummatione iuſtitiæ, qualis erit in vita æterna. Tunc ceſſabit miniſterium, nullæ erunt ſcholæ, nulli congreſſus in templis, ſed vnuſquiſque erit doctus à Deo.

XV.

Remittite] Luc. 7.

Coccinum] In ilice naſcitur hoc granum tinctorium.

Noſtram condemnationẽ] Proſper in Epigramm.

Det peccatori veniam peccator, & æqua
Concilietur Dominum conditione ſibi.
Cuius iudicium de noſtro examine pendet,
Quod ſerimus, metimus: quod damus, accipimus.

In eandem ſententiam dixit Seneca: Dat veniam facilè aliis, cui venia opus eſt. Nos omnes ſumus miſeri peccatores. Cur igitur vnus aliquis effert ſeſe ſupra reliquos peccatores, quaſi ipſe ſit angelus? deinde indiges tu aliorum remiſsione, & Dei in primis. Cur igitur tu es tam durus, vt non remittas aliquid de ſummo iure? Et quanquam ſemper manet memoria, & cicatrix iniuriæ in noſtra mente: tamen placent Deo conatus ſanctorum, qui reprimunt odia propter mandatum Dei, propter conſcientiam, & propter publicam tranquillitatem. Nam ſi vnuſquiſque perſequi vellet iniurias, quid futurum eſſet? nullus eſſet finis, nec modus contentionum, rixarum, calumniarum, odiorum.

Danielis] 4. Der iſt ein Hoffprediger geweſen / der hats dörfen den groſſen Herren ſagen.

Non flagitat] Lex tantùm obligat eos, quibus lata eſt. Lex huius Academiæ non pertinet ad ſtudioſos VVitebergenſis Academiæ: & viciſ-

sim leges VVittebergēses non obligant studiosos huius Academiæ. Circumcisio verò, & aliæ ceremoniæ Leuiticæ tantùm præceptę erant Israelitis, ideo solos Israelitas obligabant. Multi Ethnici fuerunt conuersi ad Deum, stante politia Mosaica, sine Circumcisione, sacrificiis Leuiticis, quia illæ leges tantùm ad vnum populum pertinebant, non ad omnes homines, sicut lex moralis.

Nec vtor] Multæ viæ ducunt ad vnam metam: & tamen alia via est melior & compendiosior, quàm alia.

Morte] In libro Thobiæ.

XVI.

Fallacia plurium propositionum est, quando álius loquitur de cæpis, alius de alliis. Sicut prouerbio dicitur, Interrogatus de aliis, respondes de cæpis. Ita aliud est loqui de reconciliatione, aliud de collatione virtutum.

Summam] Vulgò dicitur: Bonum est vinum, si quis habet vinum. Ita bona est dilectio, beatus autem, qui habet eam: Im Maul hat sie mancher/ aber nicht in der that.

Quietans] Veteres dixerunt, Fides est virtus apprehensiua & quietatiua, id est, pacans cor, afferens ei quietem & tranquillitatem. In docendo interdum est vtendum verbo minùs vsitato.

Gloria]

Gloria est ex animo tribuere Deo laudem sapientiæ, potentiæ, iustitiæ, misericordiæ.

In quo prædicamento est gloria? In Relatione. Fundamentum veræ gloriæ est virtus in Deo & creaturis rationalibus. Terminus est agnitio & celebratio virtutis. Inter hæc duo extrema est gloria, videlicet applicatio notitiæ & virtutis. Epicurus non tribuit Deo gloriam, quia negat esse Deum. Saul fatetur Deum esse iustum, sed negat esse misericordem. Ideo non tribuit integram gloriam Deo. Dauid fatetur, Deum esse, & esse iustum & misericordem,

dem, iuxta Euangelium, hic tribuit Deo integram gloriam.

Pax est tranquillitas cordis orta à fide, spe, & bona conscientia]

Iuxta dictum Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus cum Deo: & Simeon inquit, Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, id est, Christum promissum Saluatorem.

Lætitia est obedire Deo in secundis & aduersis rebus.

Gaudete, inquit Paulus, & semper gaudete. Id verò est non tantùm in florente fortuna, sed etiã in aduersis rebus Deo obedire. Psal. 126. Euntes ibant portantes semen, & fundentes lachrymas. Ieremias obediuit Deo, non tantùm in secundis rebus, sed etiam in aduersis, sed interdum non sine lachrymis.

Hæc est dilectio]

1. Iohan. 3.

Applicat]

Mediatorem, & omnia eius beneficia, meritum & efficaciã.

XVII.

Hoc argumentum sumtum est ex historia de muliere peccatrice apud Lucam cap. 7. Cùm enim quidam Pharisæus inuitasset ad se Saluatorem, interuenit mulier peccatrix, & amaris lachrymis deplorauit præterita delicta, & capillis suis terfit pedes Christi. Is ad Pharisæum primùm inquit, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm. Posteà conuersus ad mulierem, vtitur hac forma verborum: Fides tua saluam te fecit. Iam quæritur, quomodo hæc membra inter se congruant, cùm prius membrum videatur tribuere remissionem peccatorum dilectioni, posterius verò membrum affirmet, fide nos iustificari & saluari. Non est difficilis conciliatio, consideratà hac distinctione. Duplex est absolutio, publica & priuata. Publica fit coram Ecclesia, seu coram aliis hominibus: priuata fit in cuiusque conscientia. In publica absolutione requiruntur opera, tanquam fructus conuersionis. Fides enim non potest cerni oculis hominum. Ideo oportet coram hominibus allegari signa incurrentia in oculos: Sicut fiet in postrema mundi die: Esuriui, & dedistis cibum &c. Ibi Christus non allegat fidem, sed opera, quia opera sunt testimonia incurrentia in oculos, & discernunt pios ab

hypocritis. Fides autem, quæ est lux in corde, soli Deo nota est, qui est scrutator cordium & renum. Ideo Christus inquit, Remittuntur ei peccata multa, scilicet coram Ecclesia, quia officiis dilectionis declarauit, suam conuersionem non esse simulatam. In priuata absolutione allegatur fides, quæ est consolatio conscientiarum, vt Paulus inquit, Fide iustificati, pacem habemus. Et mox addit Dominus, Vade in pace: quasi dicat, Nunc habes pacatam & tranquillam conscientiam, quæ tranquillitas oritur à fide &c.

Fides tua]. Sic argumentor: Fides est donum Dei. Ergo non est nostra fides. Vel, Ergo nos non credimus, sed Spiritus sanctus. Sic argumentantur Flaciani. Eò vsque sunt progressi, vt dicant nos non credere, sed Spiritum sanctum in nobis credere. Annon sunt hæc portenta & prodigia? quid tandem sequetur in Ecclesia, si recipiantur talia monstra? Hoc igitur quæritur. An rectè Christus dicat: Fides tua te saluam fecit. Et Propheta Abacuc, Iustus fide sua viuet. Pugnántne hæc inter se, Fides est nostra, &, fides est Dei donum? Non: nos sumus, qui assentimur verbo, non Deus, aut Spiritus sanctus. Sic enim dicimus in Symbolo: Credo in Deum. Non dicimus, Spiritus sanctus credit in Deum, aut Filium Dei, aut Spiritum sanctum. Sic Ioh. 1. dicitur: Quotquot receperunt eum &c. Nos recipimus Christum, non Spiritus sanctus: & tamen vera est propositio, quòd non assentiamur nostris viribus Euangelio, sed efficacia Dei trahentis, ducentis, mouentis nos.

Fides tua]

Bernhard. de gratia & libero arbitrio: Fides tam absque consensu esse non potest accipientis, quàm absque gratia dantis. Nazianzenus: Omnis virtus à Deo est. Datur autem vocatis & annuentibus. Ambrosius lib. 2. de vocatione gentium cap. 9.

Nemo potest credere, nisi dicat Amen.

enarrans illud Matth. 19. Non omnes possunt capere.

Flaciani dicunt, Quid nos curamus Patres? Ego habeo Scripturam. Respondeo: Non est lis de Scriptura, sed est controuersia de sententia Scripturæ. Hoc quæritur, an Flacius rectè intelligat Scripturam, an verò detorqueat eam

eam à natiua ſententia ad peregrinam, quam ipſe fingit. In hac controuerſia de ſcripto & ſententia audienda eſt Eccleſia & miniſteriũ, & ſi homines cum hominibus ſunt conferendi, certè pluris facio Auguſtinum, Ambroſium, Nazianzenum, Bernhardum, quàm omnes Flacianos in vnum congregatos, & in vnam maſſam conflatos.

Virtus nolẽtium nulla eſt, nec poteſt aſſeri, vel fidem, vel ſpem, vel charitatem eis ineſſe, quorũ ab his bonis conſenſus alienus eſt.

Summa hæc eſt: Paulus dicit 2. Cor. 11. Deſpondi vos vni Chriſto. Verbo deſpondendi ſignificat, quomodo fiat conuerſio. Sicut enim in ſponſalibus requiritur mutuus conſenſus ſponſi & ſponſæ, ſine quo nullum conſtituitur coniugium: Quia non copulatio carnalis, ſed conſenſus facit matrimonium: Ideo Ioſeph fuit maritus Mariæ, etiamſi nunquam cognouit eam: Sic etiam in ſpiritualibus nuptiis, quas celebrat Chriſtus cum ſua Eccleſia, requiritur cõſenſus. Neque hoc dicitur, quòd propriis viribus credamus, ſed efficacia eſt Dei, & tamen hanc oportet ſequi noſtrum conſenſum & nutum: ſicut verecundè loquitur Nazianzenus. Hæc ſunt vera, & habent teſtem omnium piorum experientiam.

Acta tota hiſtoria]

Sequitur dulcis allegoria de duobus cœtibus, quorum alius eſt hypocritarum, alius Eccleſiæ. Fratres Cain & Abel ſunt typi totius generis humani: ſicut enim Cain efferebat ſe ſupra Abelẽ propter prærogatiuam ætatis & primogenituræ, & putabat, ſe ideo eſſe acceptum Deo, quòd eſſet primogenitus filius Adæ, & quòd offerret Deo ſumtuoſas & magnificas hoſtias: Ita omnium temporum hypocritæ gloriantur de ſucceſsione ordinaria, & de aliis prærogatiuis, & de multitudine ſuorum operum. Abel verò eſt imago veræ Eccleſiæ: & ſicut Abel interficitur à Cain crudeli hypocrita, ſic omnes operarij perſequuntur membra veræ Eccleſiæ.

Oſculari pedes]

Pedes, vſitata metaphora Scripturæ ſignificant miniſterium Euangelij, vt Eſaiæ 52. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantiũ pacem. Mulier, id eſt, Eccleſia fouet & tuetur miniſtros Euangelij, & miniſterium ac ſtudia doctrinæ cæleſtis.

Vſitatæ ſunt ſynecdochæ] Quare facienda eſt Synecdoche in locis de bonis operibus, & non in locis de fide? Reſpondeo Loci de fide nullam admittunt Synecdochen, quia Paulus vrget particulam Gratis, & Sine operibus, & vrget pondera verborum in promiſsione Abrahæ: vel, vt breuiter dicam, quia fides non poteſt niti duabus anchoris. Loci verò de bonis operibus, qualis eſt hic: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit &c. requirunt Synecdochen. Primò, quia opera ſine fide non placent, iuxta hæc dicta: Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Et Hebr. 11. Impoſsibile eſt ſine fide Deo placere. Altera ratio eſt, quia non poteſt inchoari noua obedientia iuxta Legem ſine fide, Quia Lex ſtabilitur per fidem. Et, Legis finis eſt Chriſtus. Rom. 3. & 10.

Gratis] Particula excluſiua Gratis nõ concedit, nec patitur ſynecdochen.

XVIII.

Paulus Rom. 8. inquit, Non ſunt dignæ afflictiones huius vitæ ea gloria, quæ eſt manifeſtanda in nobis. Hunc locum enarrans Marius, præclarè ſcripſit: Si vnus aliquis in genere humano poſſet ſuſtinere omnes afflictiones ab Adam vſque ad finem mundi: tamen hic cumulus afflictionum nihil eſſet ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in filijs Dei. Sed nobis omnia breuia & fugacia videntur longiſsima.

Aliam cauſſam] Propter procreationem carnalem, quia es natus ex ſemine tuorum parentum. Ergo beneficio generationis datur tibi hæreditas. Meritum de congruo vocatur à Monachis præparatio ad iuſtificationem per bona opera, vt Cornelius, ſicut ipſi fingunt, fecit bona opera, dedit eleemoſynas ante conuerſionem: ita enim ipſi loquuntur. Poſtea verò opera, quæ ſequuntur conuerſionẽ ad Deum, vocant Monachi merita de condigno. Eſt igitur meritum de congruo, opus anteçedens conuerſionem. Meritum de condigno eſt opus ſequens conuerſionem, ſecundum Papiſtas. Extruunt autem hæc ſomnia præcipuè ex parabola Matth. 20. de vinea. Interpretantur enim denarium de vita æterna, quod longè ſecus eſt. Denarius non ſignificat vitam æternam, ſed alia præmia noſtrorum laborum

&

ærumnarũ corporalia & ſpiritualia. Dominus ibi iraſcitur illi, cui dat mercedem: certè Deus nemini beatorum iraſcitur in vita æterna. Sunt igitur fabulæ Papiſtarum, & Ariſtoteles in 2. de anima inquit: Intus exiſtens prohibet extranea. Quando aliquis laborat morbo oculorum, etiam ea, quæ ante pedes ſunt, non videt, ſic faſcinatus alienis opinionibus non poteſt cernere veritatem.

Orta eſt ex]

Quidam Monachus moriens Argentinæ ante annos circiter 30. exclamauit: Redde mihi ô Deus, quod debes.

Non eſt fabula, ſed vera hiſtoria. Audiui eam ex fide dignis hominibus, qui vixerunt Argentinæ, & nouerunt perſonas, qui reprehenderunt Monachum talia dicentem. Nam cùm aſtarent ei, & interrogarent, cur ita loqueretur: An poſtulas debitum? dicebant. Ibi reſpondit ille miſer, Quid mihi narratis de veſtro Euangelio? Ego tot annos vixi in Monachatu, non comedi carnes, non fui indutus veſtibus vſitatis, afflixi corpus meum noctes & dies variis exercitiis, cur igitur Deus non daret mihi plus quàm vobis, qui viuitis in otio, luxu & voluptatibus?

Sufficit]

Hoc eſt diſſoluere nodũ Gordium vno ictu. Cùm veniſſet Alexander ad templum in Aſia, in quo erat nodus quidam ita nexus, vt à nemine ſolui poſſet, Alexander eum gladio diſſecuit. Ita dictum illud vnicum Bernhardi diſſecat nodum illum de congruo & condigno. Sufficit ad meritum ſcire, quòd non ſit meritum.

Illud verò]

Inſtantia opponens aliud fortius.

Expoſui]

Epilogus.

Cogitæ]

Dauid illuſtre exemplum iuſtificationis.

Exempla magis illuſtrant doctrinam, ideo aſſuefacite vos, vbicunque docetis, vt regulas propoſitis exemplis illuſtretis.

Irrefragabilis]

Cicero pro Quintio: Eſt quæ-

Ad talem veritatem vos aſ-

dam ita perſpicua veritas, vt eam infirmare nulla res poſsit.

ſuefacite, vt poſsitis ſtare contra inſultus Diaboli in vita & morte, in rebus ſecundis & aduerſis, inter hoſtes & amicos.

Nulla]

Non potes Deum inuocare, niſi rectè intelligas articulum de Iuſtificatione. Si autem pius es, non ſines abire vnum diem ſine inuocatione Dei. Sit hic finis huius benè longi carminis de Iuſtificatione, & bonis operibus.

FINIS SECVNDAE PARTIS LOCORVM THEOLOGICORVM VICTORINI STRIGELII.